13
L
25
18 F 10
Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
13-19-E.31-33
20110
20
7
6
18
F
10

De hoc opere (cujus auctorem impense semper laudat) Valesius ad lib. V. cap. 24. Hist. Eccl. uti se monuisse narrat Iacobus Sirmondum „ virum, ait, doctissimus, nec unquam nisi honorifice nominandus „ Irenei illam epistolam cujus meminit Eusebius, Synodicam esse et quae referri debuerat inter Concilia Galliae.

13 - 19 - E' - 31

CONCILIA
ANTIQVA
GALLIAE

Digitized by Google

CONCILIA ANTIQVA GALLIAE

TRES IN TOMOS ORDINE DIGESTA.

Cum epiſtolis Pontificum, Principum conſtitutionibus, & aliis Gallicanæ rei Eccleſiaſticæ monimentis.

Quorum plurima vel integra, vel magna ex parte, nunc primùm in lucem exeunt.

Opera & ſtudio IACOBI SIRMONDI Societatis IESV Presbyteri.

TOMVS I.



LVTETIAE PARISIORVM.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, ſub Ciconiis.
M. DC. XXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

LVDOVICO XIII. REGI CHRISTIANISSIMO.

SISTVNT ſe Maieſtati tuæ veteres Synodi Galliæ tuæ, REX optime, tam multis anteceſſorum tuorum beneuolentiæ notis inſignes, vt de tua quoque gratia non diffidant. Quippe quas & regum iuſſu ac voluntate conuocatas conſtat, & regum ſæpe conſeſſu, præſentiaque honeſtatas: quarum denique conſtituta reges ad ſanciendam auctoritatem edictis ſuis firmare ac legibus ſolerent. Adeo namque Synodos

amabant, vt cogi iuberent; tanti facie-bant, vt intereſſe non abnuerent; earum placita ſic probabant, vt pro ſuis haberi vellent. Quare habent ſane ab his præiudiciis de Maieſtatis tuæ iudicio quod præſumant. Ceterum ad illarum auctores Antiſtites quondam noſtros quod attinet, ii opinor in terras ſi redirent, nulla de re potius Eccleſiis ſuis gratularentur, quam id ipſum magno à te ſtudio agi præſtarique, quod ſuis ipſi Conciliis moliebantur: nimirum vt in regno tuo cum ſincera Chriſti fide Chriſtiana diſciplina refloreſcat. Vt mihi propterea nunc etiam, flagrante publicis gaudiis tota Gallia, in cælo lætari, Deoque de recenti victoria tua gratias agere videantur: quas tibi profecto, ſi coram adeſſent, maximas non modo de vicina Rupellæ ora Hilarii & Martini, ſed

omnes

omnes vndiquaque Irenæi, Saturnini, Dionyſii, Remigii, & quotquot vſquam Gallicanas cathedras ſanctitate doctrinaque ornarunt, læto exultantique animo teſtarentur. Patere igitur, poſt domitam proxime debellatamque armis tuis arcem perfidiæ, inter virentes laureas, ceteroſque triumphi tui apparatus, hos etiam Tomos, tanquam illorum gratulationis interpretes & internuntios, apparere. In quibus qui oculos defixerint, alii præcepta quæ ſequantur, tu virtutum tuarum argumenta recognoſces. Quæ enim pars in his libris laudibus tuis vacat? aut quid recti, ſanctique habent Synodi, quod in moribus factiſque tuis non eluceat? Damnant hæreſes, ſed quas auerſaris. Cultum Dei honoremque commendant: tu omnibus rebus anteponis. Iuſtitiam prædi-

Digitized by Google

cant: tu titulis tuis conſecraſti. Pacem & concordiam apud ſubditos conſeruandam docent: tu publicas diſcordias victoriis tuis contudiſti, priuatarum ſemina ne ſerperent, edictis repreſſiſti. Ac regii demum officii partes reliquas omnes à Synodis, regum petitu, deſignatas aliquando deſcriptaſque audies; & audire iuuabit, cum à te iam dudum vita & adminiſtratione tua expreſſas memineris. Sed illud te præcipue in his delectet afficiatque neceſſe eſt, cum animaduertes, in tuorum reique publicæ miniſtrorum delectu, quæ regiæ prudentiæ pars eſt non vltima, optimorum ſapientiſſimorumque regum exemplo à te fieri, quod arcanis tuis vel Eccleſiaſtici ordinis, vel Eccleſiæ Deique amantes conſiliarios admoueas. Haud ignarus videlicet, nuſquam certius, quam ab iis,

qui

qui Deum ipſi conſiliorum ducem habeant, publicæ ſalutis conſilia peti; nunquam fidelius, quam ab iiſdem, cum ad ſecreta palatina venerint, ſubminiſtrari. Quæ cum ita ſint, quid nobis tandem à bono principe tam bonis conſultoribus ſperare non liceat? aut quid iam Galliæ tuæ ad felicitatem, quam illi optas, & quam ipſa te rege ſibi ſpondet, amplius queat deſiderari? Fuit olim, regum Chriſtianiſſime, quod noſti, atque in hiſce libris legere eſt, cum ſub Clodoueo rege, poſteriſque, quia ſoli regum omnium in Eccleſia catholici Francorum reges erant, ceteris omnibus aut paganis adhuc, aut hæreticis, Gregorii magni præclara & maioribus noſtris glorioſa audita vox eſt, Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gen-

tium regna regni Francici culmen excellere. *Fecerit ergo aliorum poſtea regum ad Eccleſiam appulſus, vt noſtri nunc in ea ſoli non ſint: at nulla vis eripiet, quin primi æterno tempore cenſeantur. Quin tu etiam, dum religioſis virtutibus tuis facis, vt inter Chriſtianos reges Chriſtianiſsimus non tam dici, quam eſſe, merito videare; ſimul hoc Galliæ tuæ præſtas, præſtabiſque, vt te ſibi tua iſta pietate ac iuſtitia feliciter imperante, primum iure ac principem inter Chriſtiani orbis regna locum ſemper teneat.*

Deuotus ſacræ M. T.

IACOBVS SIRMONDVS
Societatis IESV.

Digitized by Google

LECTORI.

SYNODOS veteres Gallicanas, partim iam antè cum aliis Eccleſiæ Conciliis editas, partim nunc primùm in lucem prolatas, tres in Tomos digeſſimus. Quorum primo eas complexi ſumus, quas ſub Romanis principibus à Conſtantino magno, & poſt Romanos, ſub Bungundionibus, Gothis, Franciſque è prima regum ſtirpe, habitas conſtabat: reliquis duobus ceteras, quæ ſub ſecunda regum noſtrorum familia celebratæ ſunt. Hos enim fines & cancellos in vtramque partem collectioni noſtræ circumdedi, vt neque extra propoſitam metam excurrat, neque altiùs quàm à Conſtantini temporibus ordiatur. Non eram neſcius antiquiores alias Galliæ Synodos memorari, atque in his Lugdunenſes duas S. Irenæi Epiſcopi; quarum in altera, quam Epiſcoporum XII. fuiſſe tradunt, Valentini, Marcionis, & aliorum hæreſes damnarit; in altera cum Epiſcopis XIII. paſcha die Dominico celebrandum aduerſus Quartadecimanos decreuerit. Sed aptiſſimum viſum eſt, his omiſſis, quarum obſcurior erat memoria, Synodos noſtras ab eo capite inchoari, vnde originem ducunt etiam œcumenicæ; primámque omnium ſtatui Arelatenſem, qua, ſiue ſpectentur Epiſcopi, qui ad eam conuenere, ſiue res in ea geſtæ, nulla vſquam poſt œcumenicas habita ſit illuſtrior. In ea quippe & Donatiſtarum pertinax contentio, quæ Africam vexabat, iterum diſcuſſa eſt, ac pro parte compoſita, & de baptiſmo hæreticorum Eccleſiæ lex tradita, eiúſque iterandi praua conſuetudo, quæ in eadem Africa inoleuerat, penitus repreſſa in poſterum atque interdicta. Epiſcopi verò tam multi, tam diuerſis ex Italiæ, Africæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæque prouinciis confluxere, vt propterea Concilium hoc non dubitarit S. Auguſtinus, contra Donatiſtas diſputans, plenarium & vniuerſale, & vniuerſæ Eccleſiæ Concilium appellare. Ab hoc igitur illuſtri principio ſeriem exorſi, Galliæ dehinc Synodos ſingulas proſecuti ſumus, tum maiores, ſic enim appellare liceat, quarum extant ſynodicæ, vel canones, vel actorum pars aliqua: tum minores, quarum acta cùm exciderint, apud alios tamen aliqua reſtat notitia. Nec Synodis contenti, epiſtolas quoque Pontificum Romanorum, aut reſcripta in Galliam miſſa, regum de rebus ſacris conſtitutiones & edicta, Epiſcoporum inter ſe de variis capitibus conſultationes, atque alia id genus monimenta indidimus, quæ ad rem Eccleſiaſticam quoquo modo viſa ſunt pertinere.

Lib. 2. de bapt. c. 9 & epiſt. 162.

In quibus ſanè vel conquirendis eruendiſque, vel librorum veterum collatione caſtigandis, eo nobis laborioſior opera fuit, quòd in hoc negotio plurimis ac diuerſiſſimis exemplaribus neceſſariò vtendum fuit: cùm in tanta Synodalium voluminum copia, quibus abundat Gallia, vix vllum reperire ſit, in quo eædem quæ in ceteris, nullum in quo Synodi Gal-

licanæ veteres vniuerſæ contineantur. vt facilis inde ſit coniectura, nullam olim certam & receptam Synodorum noſtrarum collectionem, nullum Gallicanorum canonum corpus fuiſſe: adeóque lentiores in ſuis quodammodo, quàm in externis, recenſendis conſeruandiſque viſos eſſe Antiſtites noſtros. Nam Græcos quidem canones, & Africanos omnes, quos Dionyſius exiguus in ſua poſtea collectione poſuit, atque epiſtolas Pontificum, quarum decreta Dionyſius excerpſit, & in ordinem redegit, habuiſſe in codicibus ſuis Gallos, iiſque etiam ante Dionyſij ætatem in Conciliis ſuis vti ſolitos, docent in primis Synodi aliquot Dionyſio ipſo vel eius collectione antiquiores, vt Valentina, Regenſis, Arelatenſis II. Agathenſis, & Epaonenſis, in quibus citatos videmus Græcos canones, Nicænos, Laodicenſes, & Ancyranos, non ex Dionyſiana tranſlatione, quæ nondum erat, ſed ex altera vetuſtiore apud Gallos tum recepta. Illa ipſa nimirum, quæ apud Iſidorum mercatorem legitur, & quam Laur. Surius in editione Conciliorum cum Dionyſiana interpretatione coniunxit. Vidimus & ipſi antiquæ huius verſionis exemplaria non pauca: tum in his optimæ præ ceteris notæ quatuor, in codice Anicienſi, Corbeienſi, Remenſi, ac Foſſatenſi.

Quin & Dionyſianam quoque canonum tranſlationem ignotam Gallis non fuiſſe, priuſquam eius exemplar à ſede Apoſtolica ſub Carolo magno acciperent, atque hac interdum vſos eſſe, deprehendimus ex antiquiſſima collatione canonum è bibliotheca S. Benigni Diuionenſis, atque ex aliis eiuſmodi, Caroli æuo longè anterioribus; in quibus canones Græci promiſcuè nunc ex Dionyſiana, nunc ex vetere illa proferuntur. Attamen certum eſt illos priſcam illam libentius ſemper vſurpaſſe, eiuſque vſum ad eadem vſque Caroli magni tempora frequentaſſe: idque declarat inter cetera Capitulare Aquiſgranenſe Caroli eiuſdem, quod totum Græcis antiquæ verſionis auctoritatibus refertum eſt, præterquam in canonibus Apoſtolicis, qui neceſſariò ex Dionyſiana recitantur, quia alia tunc illorum verſio nulla erat. Poſthæc verò ſenſim ab ea deflexere, codicémq; canonum Dionyſianæ collectionis, per Hadrianum Papam Carolo regi commendatum, amplexi, & pro vetere illa librorum Synodalium forma, quam diximus, ad nouam conuerſi, Dionyſij exemplaribus bibliothecas ſuas inſtruxerunt; ac Dionyſij proinde verſione, decretalibúſque ad Dionyſij formam digeſtis perpetuò deinceps vſi ſunt: quod in vtroque Concilio Aquiſgranenſi ſub Ludouico pio, & in Pariſienſi ſub eodem, atque in Meldenſi, Tullenſi apud Saponarias, Troſleiano, ceteriſque omnibus obſeruare eſt. Sic denique factum, vt in Eccleſia Latina canonum Eccleſiaſticorum non modò ſenſus idem, ſed eadem etiam pene vbique vox fuerit. Nam Dionyſianum codicem Eccleſia Romana iam pridem in ipſo eius ortu ſuſceperat, nec multo pòſt Africana. Quorum alterum in libro de diuinis lectionibus teſtatur Caſſiodorus, & fidem faciunt, vt aliis ſuperſedeam, canones ab Ioanne II. Papa miſſi pro cauſa Contumelioſi Epiſcopi: alterum indicat Concordia Creſconij, quæ tota ex Dionyſianæ collectionis canonibus & decretalibus expreſſa eſt. Pene vbique dixi, quia de Hiſpanis dubitari poteſt, vtrum ad eos Dionyſij collectio peruenerit. Illa certè vſi non ſunt: quia Iſidorus diuerſam exhibet, vt dictum eſt, & Concilia Hiſpaniæ, ſi quando Græcos & Africanos canones citant, vt Toletanum

Tom. II. pag. 119.

Tom. I. pag. 753.

XII. ad Iſidori methodum citant, non ad Dionyſij.

Nunc ergo ex his, opinor, ſatis conſtat, habuiſſe noſtros iam olim vnum in corpus redactos canones Græcorum, Afrorúmque, & cum his epiſtolas decretales Pontificum; principio quidem iuxta veterem illam codicum formam, de qua monui, deinde iuxta Dionyſianam. Ceterùm quod dicere cœperam, Synodorum illos ſuarum, canonúmve, nullum certum corpus, nullam ſtatam collectionem habuiſſe, docet varietas ipſa exemplarium. Quot enim extant codices antiqui, totidem fere diuerſę ſunt collectiones. Aliæ in aliis plerumque Synodi, vel plures numero, vel pauciores; rarò eædem, aut paucæ in omnibus cernuntur. In Lugdunenſi, verbi gratia, Eccleſiæ Metropolitanæ codice, poſt Dionyſianam collectionem, quam primo habet loco, Synodi Gallicanæ ſubiiciuntur XVIII. Arelatenſis I. Valentina, Regenſis, Arauſicana I. Vaſenſis I. Arelatenſis II. Agathenſis, Aurelianenſis I. Epaonenſis, Arelatenſis ſub Cæſario, Carpentoratenſis, Arauſicana II. Aruernenſis, Aurelianenſis III. Aurelianenſis V. Arelatenſis ſub Rauennio, Vaſenſis II. Arelatenſis ſub Sapaudo. & alia manu pòſt adiecta Matiſconenſis I. In Foſſatenſi verò pauciores continentur, & ſine ordine confuſæ, numero XIII. Agathenſis, Andegauenſis, Aurelianenſis I. Arelatenſis II. Arauſicana I. Valentina, Regenſis, Vaſenſis I. Arelatenſis I. Aruernica, Aurelianenſis V. Epaonenſis & Arauſicana II. Huic in ceteris conſentiens duas addit codex Engoliſmenſis, Autiſiodorenſem & Cabilonenſem. In Corbeienſi decem tantum modo numerantur, Arelatenſis I. II. Aurelianenſis I. III. V. Venetica, Agathenſis, Epaonenſis, Vaſenſis II. Aruernica. tum extra ordinem, & alia manu, Pariſienſis IV. de Promoto Dunenſi. eodémque modo in ceteris par varietas. Omnium, qui in manus noſtras venerunt, in nullo plures intra eadem ſpatia temporum, nec accuratiùs digeſtas meminimus, quàm in Remenſi codice S. Remigij. Colliguntur enim ante annum Chriſti DL. Synodi XX. Arelatenſis I. Valentina, Taurinas, Regenſis, Arauſicana I. Vaſenſis I. Arelatenſis II. Agathenſis, Aurelianenſis I. Epaonenſis, Lugdunenſis I. Arelatenſis III. Vaſenſis II. Carpentoratenſis, Arauſicana II. Aurelianenſis III. Aurelianenſis IV. Aurelianenſis V. Turonica & Venetica. Et tamen hîc deſiderati vides Andegauenſem, Arelatenſem noſtram in cauſa Inſulæ Litinenſis, Aurelianenſem II. atque alias fortaſſe. pro quibus addita eſt ad calcem, quam edidimus, Pariſienſis V. ſub Clotario II. Quamquam, niſi diſſimulare volumus, de hac veterum codicum noſtrorum perturbatione, vel inopia, nihil eſt quod priuatim ac præcipuè conqueramur. Fuit ea communis noxa omnium gentium: neque feliciores hac in re noſtris, aut diligentiores Itali fuere, vel Hiſpani. quod promptum nobis ac facile eſſet docere, niſi alienum hoc loco videretur.

De Hiſpanis quod ad rem facit non omittendum, ſtudioſos & amantes ſemper viſos eſſe canonum noſtratium, quorum ſæpe verbis ac ſententiis, etiam vbi eos non nominant, canones ſuos inſtituunt: ſæpe etiam non diſſimulanter & nominatim eorum ſibi exemplum & auctoritatem ſequendam proponunt. vt cùm in Concilio Tarraconenſi, cap. XI. de monachis agentes, canonum Gallicanorum de eis conſtitutionem ſeruari iubent. & in Ilerdenſi cap. III. de iiſdem id obſeruari ſtatuunt, quod Synodus Agathenſis vel Aurelianẽſis decreuerant. In Concilio rurſum Valentino cap. II.

Epiſcopo decedente Regenſis Synodi conſtituta obſeruari placuit: & in Toletano XII. Potamium Epiſcopum, crimen de ſe confeſſum, damnari ex Concilij Valentini Galliæ titulo IV. cuius verba ſubiiciunt. Vſi ſunt viciſſim aliquando noſtri, etſi ſeriùs ac parciùs, canonibus Hiſpanicis. Ea quippe olim fuit Eccleſiarum inter ſe concordia & reuerentia, canonúmque apud omnes tanta auctoritas ac religio, vt quod in Synodo aliqua conſtitutum vſpiam eſſet, idem aliæ ſibi pro re nata imitandum, ſtatuendúmque ducerent, nec facilè quicquam aſpernandum cenſerent: Quod non eo tamen dictum velim, quaſi canonum omnium æterna lex fuerit, aut par, eadémque omnium vis, nullúmque diſcrimen. Multos enim conſtat, prout res ac tempora flagitabant, à poſterioribus antiquatos: nonnullos æui ſui gentiſque labem & ingenium redolentes, ægrè receptos breui etiam apud ſuos ſponte ſua concidiſſe. Neque id, opinor, iure quiſquam à nobis exigat, aut ſibi hanc legem vllus eorum qui antiqua dant in lucem imponi velit, vt omnium auctoritatem præſtandam in ſe recipiat. Tui nempe iudicij fuerit prudentiæque, Lector, in his quæ ad publicam vtilitatem proferuntur, ſi quid fortè vſpiam melioribus adſperſum ſe offerat, quod non perinde probandum videatur, rectis frui, & iis quæ offendant reiectis, meliore te ſæculo natum gratulari.

Reſtat vt paucis de reliqua ratione inſtituti noſtri, nauatæque in his libris operæ certior fias. Primùm ergo in iis quæ antehac edita iam fuerant, dedimus operam vt collatis exemplaribus antiquis quàm emendatiſſima redderentur, diuerſis lectionibus vel neglectis, ſi inutiles forent, vel in Notas reiectis, ſi ambiguæ viderentur. Synodis titulos & argumenta concinnauimus, adiectis, vbi res poſcebat, nominibus principum, qui in ea tum parte Galliæ rerum potiebantur. Quam ob rem & Notitiam prouinciarum ciuitatúmque Galliæ operis initio propoſuimus, & indices principum Romanorum, Burgundionum, Gothorúmque, qui ante Francos dominati ſunt, & vtriuſque regum Francorum familiæ, quarum exitu Concilia noſtra definiuimus. Vbi præfari nos aliquid, aut lectorem admonere opus fuit, quod in minoribus ſemper Conciliis neceſſe fuit, alio fere characteris genere vſi ſumus, ac præfixa vbique notula, quæ noſtra hæc eſſe indicaret. Cetera Notæ ſuggerent, & quibus ex locis prodierint codices quibus adiuti ſumus. Adieciſſem etiam, quorum opera & beneficio ad nos peruenerint, niſi hoc longum foret, verendúmque, dum ſingulos perſequor, ne quis præteritum ſe inconſultò, vel aliis poſthabitum doleret. Tu omnibus mecum gratiam habe, ac præcipuè optimæ & clariſſimæ memoriæ Nicolai Fabri, cuius præcipuè hortatu ad hoc opus animum adiecimus, quique vnus omnium plurimos codices ſubminiſtrauit, qui nunc in Thuana bibliotheca ſeruantur, & cupidis omnibus liberaliter patent.

Digitized by Google

NOTITIA PROVINCIARVM ET CIVITATVM GALLIÆ,

Honorij Augusti, vt videtur, temporibus condita, cùm Gallias & ſeptem prouincias diſtingui mos erat.

IN PROVINCIIS GALLICANIS QVÆ ciuitates ſint.

PROVINCIA *Lugdunenſis prima, numero* III.
Metropolis ciuitas Lugdunenſium.
Ciuitas Æduorum.
Ciuitas Lingonum.
Caſtrum Cabilonenſe.
Caſtrum Matiſconenſe.

Prouincia Lugdunenſis ſecunda, numero VII.
Metropolis ciuitas Rotomagenſium.
Ciuitas Baiocaſſium.
Ciuitas Abrincatum.
Ciuitas Ebroicorum.
Ciuitas Sagiorum.
Ciuitas Lexouiorum.
Ciuitas Conſtantia.

Prouincia Lugdunenſis tertia, numero IX.
Metropolis ciuitas Turonorum.
Ciuitas Cenomannorum.
Ciuitas Redonum.
Ciuitas Andicauorum.
Ciuitas Namnetum.
Ciuitas Corioſopitum.
Ciuitas Venetum.
Ciuitas Oſſiſmorum.
Ciuitas Diablintum.

Prouincia Lugdunenſis Senonia, numero VII.
Metropolis ciuitas Senonum.
Ciuitas Carnotum.
Ciuitas Autiſiodorum.
Ciuitas Tricaſſium.
Ciuitas Aurelianorum.
Ciuitas Pariſiorum.
Ciuitas Melduorum.

Google

Prouincia Belgica prima, numero IV.
Metropolis ciuitas Treuerorum.
Ciuitas Mediomatricorum Mettis.
Ciuitas Leucorum Tullo.
Ciuitas Verodunenſium.
Prouincia Belgica ſecunda, numero XII.
Metropolis ciuitas Remorum.
Ciuitas Sueſſionum.
Ciuitas Catuellaunorum.
Ciuitas Veromanduorum.
Ciuitas Atrabatum.
Ciuitas Camaracenſium.
Ciuitas Turnacenſium.
Ciuitas Siluanectum.
Ciuitas Bellouacorum.
Ciuitas Ambianenſium.
Ciuitas Morinum.
Ciuitas Bononenſium.
Prouincia Germania prima, numero IV.
Metropolis ciuitas Moguncíacenſium.
Ciuitas Argentoratenſium.
Ciuitas Nemetum.
Ciuitas Vangionum.
Prouincia Germania ſecunda, numero II.
Metropolis ciuitas Agrippinenſium.
Ciuitas Tungrorum.
Prouincia Maxima Sequanorum, numero IV.
Metropolis ciuitas Veſoncienſium.
Ciuitas Equeſtrium Noiodunus.
Ciuitas Eluitiorum Auenticus.
Ciuitas Baſilienſium.
Caſtrum Vindoniſſenſe.
Caſtrum Ebredunenſe.
Caſtrum Rauracenſe.
Portus Abucini.
Prouincia Alpium Graiarum & Penninarum.
Ciuitas Centronum Darantaſia.
Ciuitas Valenſium Octodoro.

Ciuitas

ITEM IN PROVINCIIS SEPTEM.

Prouincia Viennenſis, numero XIII.

Metropolis ciuitas Viennenſium.

Ciuitas Genauenſium.

Ciuitas Gratianopolitana.

Ciuitas Albenſium.

Ciuitas Deenſium.

Ciuitas Valentinorum.

Ciuitas Tricaſtinorum.

Ciuitas Vaſienſium.

Ciuitas Arauſicorum.

Ciuitas Cabellicorum.

Ciuitas Auennicorum.

Ciuitas Arelatenſium.

Ciuitas Maſſilienſium.

Prouincia Aquitanica prima, numero VIII.

Metropolis ciuitas Biturigum.

Ciuitas Aruernorum.

Ciuitas Rutenorum.

Ciuitas Albienſium.

Ciuitas Cadurcorum.

Ciuitas Lemouicum.

Ciuitas Gabalum.

Ciuitas Vellauorum..

Prouincia Aquitanica ſecunda, numero VI.

Metropolis ciuitas Burdigalenſium.

Ciuitas Agennenſium.

Ciuitas Ecoliſmenſium.

Ciuitas Santonum.

Ciuitas Pictauorum.

Ciuitas Petrocoriorum.

Prouincia Nouempopulana, numero XII.

Metropolis ciuitas Eluſatium.

Ciuitas Aquenſium.

Ciuitas Lactoratium.

Ciuitas Conuenarum.

Ciuitas Conſorannorum.

Ciuitas Boatium.

Ciuitas Benarnenſium.

Ciuitas Aturenſium.

Ciuitas Vaſatica.

Ciuitas Turba vbi caſtrum Bigorra.

Ciuitas Elloronenſium.
Ciuitas Auſciorum.

Prouincia Narbonenſis prima, numero VI.

Metropolis ciuitas Narbonenſium.
Ciuitas Toloſatium.
Ciuitas Beterrenſium.
Ciuitas Nemauſenſium.
Ciuitas Luteuenſium.
Caſtrum Vcecienſe.

Prouincia Narbonenſis ſecunda, numero VII.

Metropolis ciuitas Aquenſium.
Ciuitas Aptenſium.
Ciuitas Reienſium.
Ciuitas Foroiulienſium.
Ciuitas Vappincenſium.
Ciuitas Segeſteriorum.
Ciuitas Antipolitana.

Prouincia Alpium maritimarum, numero **VIII.**

Metropolis ciuitas Ebrodunenſium.
Ciuitas Dinienſium.
Ciuitas Rigomagenſium.
Ciuitas Sollinienſium.
Ciuitas Sanitienſium.
Ciuitas Glannatina.
Ciuitas Cemelenenſium.
Ciuitas Vincienſium.

In Prouinciis XVII. *Ciuitates* CXV.

INDEX CONCILIORVM OMNIVM
quæ in his Tomis continentur.

Concilia maiora, quorum exſtant acta vel canones.

Agathenſe Tom. 1. Pag. 160
Agrippinenſe 1.11
Andagauenſe 1.116
Aquiſgranenſe I. 2.329
Aquiſgranẽſe II. 2.574
Arauſicanum I. 1.70
Arauſicanum II. 1.215
Arelatenſe I. 1.1
Arelatenſe II. 1.102
Arelatenſe III. 1.120
Arelatenſe IV. 1.207
Arelatenſe V. 1.298
Arelatenſe VI. 2.266.
Aruernenſe I. 1.241
Aruernenſe II. 1.289
Auguſtodunenſe 1.506
Aurelianenſe I. 1.177
Aurelianenſe II. 1.228
Aurelianenſe III. 1.247
Aurelianenſe IV. 1.260
Aurelianenſe V. 1.277
Autiſiodorenſe 1.361
Cabilonenſe I. 1.489
Cabilonenſe II. 2.306
Carpentoratenſe 1.112
Compendienſe 2.41
Duziacenſe I. 3.397
Duziacenſe II. 3.408
Engelenheimenſe 3.585
Epaonenſe 1.194
Francofordienſe 2.161
Lauriacenſe 3.8
Lingonenſe 3.136.153
Liptinenſe 1.537
Lugdunenſe I. 1.202
Lugdunenſe II. 1.325
Lugdunenſe III. 1.377
S. Macræ 3.502
Matiſconenſe I. 1.370
Matiſconenſe II. 1.381
Meldenſe 3.25
Metenſe 3.524
Moguntiacum 2.273
Namnetenſe 3.601
Narbonenſe 1.399
Pariſienſe I. 1.16
Pariſienſe II. 1.301
Pariſienſe III. 1.313
Pariſienſe IV. 1.350
Pariſienſe V. 1.470
Pariſienſe VI. 2.475
Pontigonenſe 3.434
Regenſe 1.65
Remenſe I. 1.479
Remenſe II. 2.287
Romanum I. 1.581
Romanum II. 1.551
Romanum III. 2.224
Romanum IV. 3.228
Romanum V. 3.247
Romanum VI. 3.457
Sueſſionenſe I. 1.543
Sueſſionenſe II. 3.75
Sueſſionenſe III. 3.280
Taurinenſe 1.27
Theodoniſuillæ 3.11
Tricaſſinum I. 3.353
Tricaſſinum II. 3.473
Troſleianum 3.535
Tullenſe I. apud Saponarias. 3.137
Tullenſe II. apud Tuſiacum. 3.160
Turonenſe I. 1.129
Turonenſe II. 1.329
Turonenſe III. 2.394
Turonenſe IV. 3.69
Valentinum I. 1.18
Valentinum II. 1.379
Valentinum III. 3.95
Vaſenſe I. 1.76
Vaſenſe II. 1.225
Veneticum 1.137
Vermerienſe I. 2.1
Vermerienſe II. 3.91
Vernenſe I. 2.27
Vernenſe II. 3.17
Viennenſe 3.530

CONCILIA RELIQVA MINORA.

Andelaenſe 1.399
Aquiſgranenſia 2.226.256.435.3.157.189
Arelatenſia 1.13.147
Aruernenſe 1.396
Attiniacenſia 2.56.448.3.386
Aurelianenſia 1.485.2.57
Beluacenſe 3.23
Biterrenſe 1.14
Brennacenſe 1.369
Burdigalenſe 1.22
Cabilonenſia 1.367.465.3.406.523.571
Carslocenſe 3.579
Cariſiacenſia 3.65.110
Clipiacenſe 1.497
Compendienſe 2.560
Confinio trium prouinciarum 1.590.
S. Dionyſij 2.63.566
Duria villa 2.49.81
Genauenſe 2.76
Gentiliacenſe 2.60
Incerti loci 1.15.79.86.193
Ingilenheimenſia 2.128.462
Laudunenſe 3.593
Lugdunenſe 1.152
S. Macra 3.580

Magalonenſe 3.533
Mantalenſe 3.496
Matiſconenſe 1.477
Matrona fluuij 3.596
Metenſia 1. 407. 3. 131. 227.383
Moguntiacum 3.64
Montis S. Mariæ 3.598
Moſomenſe 3.584
Namnetenſe 1.491
Nemauſenſia 1.594.3.522
Nemptodorenſe 1.410
Niuernenſe 2.52
Nouiomenſe 2.327
Pariſienſia 1. 357.2.459. 3. 58. 63
Pictauenſia 1.397.404
Ratisbonenſe 2.160
Remenſia 3.531.578.597
Romana 2. 65.3.594
Rotomagenſe 1.506
Santonenſia 1.319.368
Sauriciacum 1.396
Siluanectenſia 3.201.407
Stramiacum 2.628
Sueſſionenſe 3.581
Theodorici caſtelli 3.580
S.Theoderici 3.595
Theodoniſuillæ 2.447.567
Trenorchianum 3.583
Treuirenſia 1.23.3.593
Troſleiana 3. 578. 579. 580
Tullenſe 1.292
Valentianu 2.72
Valentinum 3.529
Vermerienſe 3.374
Villa regia 1.510
Virdunenſe 3. 584
Vormatienſia 2.54.72.73. 83.114. 119.158.555

PONTIFICES ROMANI, *QVI SEDEM*

Apoſtolicam per ea tempora tenuerunt, quibus Concilia *ſupraſcripta in Galliis celebrata ſunt.*

Anno Christi.	
313.	Siluester.
336.	Marcus.
336.	Iulius.
352.	Liberius.
355.	Felix II.
356.	Liberius it.
367.	Damaſus.
384.	Siricius.
398.	Anaſtaſius.
402.	Innocentius.
417.	Zoſimus.
418.	Bonifacius.
423.	Cœleſtinus.
432.	Xyſtus III.
440.	Leo magnus.
461.	Hilarus.
467.	Simplicius.
483.	Felix III.
492.	Gelaſius.
496.	Anaſtaſius II.
498.	Symmachus.
514.	Hormiſda.
523.	Ioannes.
526.	Felix IV.
530.	Bonifacius II.
532.	Ioannes II.
535.	Agapetus.
536.	Siluerius.
539.	Vigilius.
555.	Pelagius.
559.	Ioannes III.
573.	Benedictus.
577.	Pelagius II.
590.	Gregorius magnus.
604.	Sabinianus.
606.	Bonifacius III.
614.	Deuſdedit.
617.	Bonifacius IV.
626.	Honorius.
640.	Seuerinus.
640.	Ioannes IV.
642.	Theodorus.
649.	Martinus.
653.	Eugenius.
656.	Vitalianus.
669.	Adeodatus.
676.	Donus.
678.	Agatho.
683.	Leo II.
684.	Benedictus II.
685.	Ioannes V.
686.	Cono.
687.	Sergius.
701.	Ioannes VI.
705.	Ioannes VII.
708.	Siſinnius.
708.	Conſtantinus.
714.	Gregorius II.
731.	Gregorius III.
741.	Zacharias.
752.	Stephanus II.
757.	Paulus.
768.	Stephanus III.
772.	Hadrianus.
795.	Leo III.
816.	Stephanus IV.
817.	Paſchalis.
824.	Eugenius II.
827.	Valentinus
827.	Gregorius IV.
844.	Sergius II.
847.	Leo IV.
855.	Benedictus III.
858.	Nicolaus.
867.	Hadrianus II.
872.	Ioannes VIII.
882.	Marinus.
884.	Hadrianus III.
885	Stephanus V.
891.	Formoſus.
897	Stephanus VI.
901	Theodorus II.
901	Ioannes IX.
905	Benedictus IV.
907.	Leo V.
907	Chriſtophorus.
908	Sergius III.
910.	Anaſtaſius III.
912.	Lando.
912.	Ioannes X.
928.	Leo VI.
929.	Stephanus VII.
931.	Ioannes XI.
936.	Leo VII.
940.	Stephanus VIII.
943	Marinus II.
946.	Agapetus II.
955.	Ioannes XII.
964.	Benedictus V.
966	Ioannes XIII.
972	Donus II.
973.	Benedictus VI.
975.	Benedictus VII.
984.	Ioannes XIV.

PRINCIPES ROMANI, QVI RERVM IN Gallia poſt Conſtantinum potiti ſunt.

306. CONSTANTINVS magnus mortuo patre Imperator leuatus eſt VIII. Kalendas Auguſti.

337. Conſtantinus iunior poſt patrem regnat in Gallia, leuatus eſt V. Idus Septembris.

340. Conſtans poſt fratris necem regnat in Gallia.

350. Magnentius tyrannus cæſo Conſtante occupat Gallias, leuatus XV. Kalendas Februarias.

353. Conſtantius victo in Vocontiis, & ad mortem adacto Magnentio, regnat in Gallia.

361. Iulianus Cæſar, ſexto antè anno in Gallias miſſus à Conſtantio, iniuſſu Conſtantij Auguſtus Pariſiis leuatus eſt.

363. Iouianus, cæſo apud Perſas Iuliano, Auguſtus leuatus eſt V. Kalendas Iulias.

364. Valentinianus Iouiano ſuccedens, leuatus eſt V. Kalendas Martias.

367. Gratianus in Galliis apud Ambianos à Valentiniano patre leuatus IX. Kalendas Septembris.

383. Maximus tyrannus, occiſo Lugduni Gratiano, regnat in Gallia.

388. Valentinianus iunior, cæſo per Theodoſium Auguſtum Maximo, regnat in Gallia.

392. Eugenius tyrannus, interfecto apud Viennam Valentiniano, Gallias tenuit.

394. Honorius, cæſo per Theodoſium patrem Eugenio, regnat in Gallia.

408. Conſtantinus tyrannus Arelate regnans in Gallia, poſt triennium ab Honorij duce Conſtantio cæſus eſt.

410. *Gothi rege Ataulfo Gallias ingreſſi.*

411. *Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam obtinent.*

413. Iouinus & Sebaſtianus fratres tyrannidem in Gallia molientes occiſi ſunt.

415. Attalus Gotthorum præſidio tyrannidem reſumens in Gallia captus offertur Conſtantio patricio.

420. *Faramundus regnat in Francia.*

421. Conſtantius ab Honorio in conſortium regni adſumptus, infra ſeptimum menſem moritur.

423. Ioannes tyrannus Honorio mortuo eius regnum occupat.

425. Valentinianus III. Cæſar, Conſtantij & Placidiæ ſororis Honorij filius, cæſo Ioanne, Auguſtus appellatus eſt.

429. *Clodio rex Francorum ſedes figit in Gallia.*

448. *Meroueus rex Francorum.*

455. Petronius Maximus, cæſo Valentiniano, inuaſit imperium XVI. Kalendas Apriles. idem occiſus eſt pridie Idus Iunias.

455. Auitus in Galliis leuatus eſt VI. Idus Iulias, anno ſequenti Placentiæ depoſitus XVI. Kalendas Iunias.

456. *Childericus rex Francorum.*

457. Maiorianus Imp. leuatus Kalendis Aprilis.

461. Seuerus Maioriano IV. Nonas Auguſtas depoſito leuatus eſt IV. Kalendas Decembris.

467. Anthemius poſt interregnum menſium XIX. Romæ leuatus eſt pridie Idus Aprilis.

472. Olybrius cæſo V. Idus Iulias Anthemio imperium adeptus moritur X. Kalendas Nouembris.

473. Glycerius Rauennæ leuatus III. Nonas Martias.

474. Iulius Nepos, Glycerio depoſito, leuatus eſt pridie Kalendas Iulias.

475. Momyllus Auguſtus pulſo Nepote leuatus eſt pridie Kalendas Nouembris.

476. ODOACER rex, acto in fugam Momyllo, extinctóque in Occidente Imperio, regnat in Italia. Prouinciam inter Alpes & Rhodanum, quæ ſola Romanis reliqua erat in Gallia, concedit Veſogothis.

481. *Clodoueus rex Francorum.*

493. THEODERICVS Oſtrogothorum rex, cæſo rege Odoacro, regnat in Italia. Prouinciam Maſſilienſem, Alpéſque maritimas, poſt Alarici cladem recipit à Veſogothis.

526. Athalaricus, Theoderici nepos, auo mortuo ſuccedit cum matre Amalaſuenta filia Theoderici.

534. Theodatus poſt mortem Athalarici ab Amalaſuenta in tori regníque partem adſcitus eam necat. Prouinciam inter Rhodanum & Alpes Francis, vt ſibi auxilio aduerſus Beliſarium forent, ex pacto promittit.

536. Vitiges à Gothis rex creatus, cæſo Theodato, promiſſam ab eo Prouinciam Francorum regibus cedit Childeberto, Theodeberto, & Clotario.

GOTHORVM SEV VESOGOTHORVM IN GALLIA REGES.

412. ATAVLFVS poſt captam Romam, vt ab Italia recederet, ſedes ab Honorio cum Gothis ſuis accepit in prouincia Narbonenſi, Placidiámque ſororem Honorij Narbone vxorem duxit. cúmque hortatu Conſtantij ducis relictis Galliis Hiſpanias peteret, Barcinone per Gothum quemdam iugulatus eſt.

416. VALLIA Sigerico, qui Ataulfo ſucceſſerat, à ſuis mox interfecto, regnum in Hiſpania auſpicatus, bella ibidem pro Romanis contra barbaros varia geſſit. Poſt hæc à Conſtantio duce reuocatus eſt in Gallias, data ei ad habitandum Aquitania II. cum Toloſa, & quibuſdam aliis ciuitatibus. Toloſæ regni Gothici ſedes conſtituta.

429. THEVDERICVS regno Aquitanico non contentus, primo Arelatum, deinde Narbonem oppugnare aggreſſus, ab illa obſidione per Aëtium, ab hac per Litorium Comitem repulſus eſt. Cum Romanis poſt varios belli euentus pace firmata, contra Attilam pugnans cecidit in campis Catalaunicis.

452. Thoriſmundus filius primo regni anno à Theuderico & Friderico fratribus ſuis occiſus eſt.

453. Theudericus II. frater, conniuente Auito, cui ad ſumendum imperium ádiutor fuerat, Gothici regni fines per Aquitanias dilatauit. Narbonem etiam, tradente Agrippino Comite, in poteſtatem redegit. ab Eurico fratre cæſus eſt.

466. Euricus fratri ſuccedens Arelatum & Maſſiliam vrbes capit. Aruernos etiam, qui ſoli in Aquitania reliqui erant, ex Nepotis fœdere obtinuit. reliquam demum Prouinciam vſque ad Alpes, Odoacro cedente, regno adiecit. Arelato vitam finiit.

484. ALARICVS Eurici filius, ſub quo Concilium Agathenſe celebratum eſt, anno regni ſui XXIII. cum Francis pugnans in pago Pictauenſi occiſus eſt à Clodoueo rege, eóque interfecto regnum Toloſanum deletum eſt anno Chriſti DVII. Gothici regni trans Ligerim & Rhodanum quæ fuerant, omnia Clodouei Francorúmque imperio cum Toloſa ceſſerunt, excepta reliqua prima Narbonenſi, quæ in eorumdem Gothorum, qui deinceps in Hiſpania regnarunt, poteſtate manſit, & Gothia exinde appellata eſt. Quæ verò cis Rhodanum poſſederant, hoc eſt Prouinciam II. Alpéſque maritimas, Theodericus rex Italiæ ditioni Romanæ iterum vindicauit.

GOTHORVM IN HISPANIA REGES QVI poſt Alarici occaſum Gothiam Narbonenſem in Gallia tenuerunt.

507. GESELICVS Alarici ex concubina filius.

511. Theodericus rex Italiæ, tutelã agẽs Amalarico nepoti ſuo, Alarici filio.

526. Amalaricus à Childeberto rege Francorum, cuius ſororem duxerat, prælio ſuperatus, poſtmodum cæſus eſt.

531. Theudas, quo regnante Childebertus & Clotarius reges Cæſarauguſtam obſederunt, prædámque ingentem retulerunt anno DXLII.

548. Theudiſclus. 549. Agila.

554. Athanagildus, cuius filia Brunechildis Sigeberto regi nupſit, Geleſuinta Chilperico.

567. Leuua Narbonenſi regno contentus Hiſpaniæ regnum Leuuigildo fratri conceſſit.

568. Leuuigildus, cuius filio ſeniori Herminigildo nupſit Ingundis filia Sigiberti regis, Recaredo iuniori Rigunthis filia Chilperici.

586. Recaredus Catholicam fidem amplexus Gothos ad eamdem conuertit. Ab huius Duce Claudio Guntramni regis exercitus, cui Boſo Dux præerat, cæſus in Gothia fugatúſque anno DXXCIX. eodémque anno Concilium Narbone celebratum eſt.

601.	Leuua II. F.	603.	Vvitericus.	610.	Gundemarus.
612.	Siſebutus.	621.	Recaredus II.	621.	Suuintilla.
631.	Siſenandus.	636.	Chintila.	640.	Tulga.
642.	Chindoſuindus.	649.	Receſuindus F.	672.	Vvamba.
680.	Eruigius.	687.	Egica.	701.	Vvitiza F.

710. RODERICVS. Hoc regnante Sarraceni ab Africa profecti, regno Gothorum intra biennium deleto, Hiſpanias occuparunt. Inde poſtea in Gallias tranſgreſſi à Carolo Martello multis præliis cæſi, fugatiq. ſunt, & Gothia vniuerſa in Francorum poteſtatem redacta anno DCCXXXVI.

BVRGVNDIONVM IN GALLIA REGES.

BVRGVNDIONIBVS ſedes primùm ſub Honorio conceſſæ fuerant in parte Galliæ Rheno propinqua. Poſt cladem verò Aëtianam, ſub Valentiniano III. Sapaudia eorum reliquiis data eſt cum indigenis diuidenda. Ibi deinceps conſtiterunt, finibúſque per vicina propagatis, in prima Lugdunenſi, Maxima Sequanorum, Viennenſi, Alpibus Graiis ac Penninis, & Prouincia cis Druentiam imperio potiti ſunt. Illorum reges hi memorantur.

413. GVNDICARIVS Iouino tyranno ad ſumendam purpuram adiutor. ab Aëtio duce ingenti clade proſtratus cum ſuis pacem obtinuit.

452. Gundericus & Chilpericus, Gundicarij filij, Theuderico II. Gothorum regi adfuerunt contra Reciarium Sueuorum regem in Gallæcia. Chilpericus Genauæ ſedem habuit. SS. Lupicini & Romani monachis alimenta de fiſco præberi iuſſit.

473. GVNDEBADVS, Godegiſilus, Chilpericus, & Godomarus fratres, Gunderici filij, regnum inter ſe partiti ſunt. Sed Gundebadus Chilperico & Godomaro extinctis cum Godegiſilo regnauit: poſtea hoc etiam perempto regnum ſolus tenuit, & Burgundionibus leges ſcripſit. Narbonem Geſelico regnante diripuit anno DVIII.

Chilpericus à Gundebado cæſus filias reliquit, Chronam Deo deuotam, & Chrotildem vxorem Clodouei regis.

Godomarus Viennæ, cùm à Gundebado fratre obſideretur, in turri flammis exuſtus.

Godegiſilus apud Genauam regnauit. à Gundebado Viennæ captus & occiſus eſt.

509. SIGISMVNDVS, Gundebadi filius, ad fidem orthodoxam ab Ariana hæreſi conuerſus. cùm Sigericum filium nouercæ dolo enecaſſet, facti pœnitens Agaunenſe monaſterium condidit. Bello victus, captúſque à Clodomero rege Francorum, ab eodem poſtea occiſus eſt. Sub eo Concilia Epaonenſe & Lugdunenſe celebrata.

528. GODEMARVS frater cum Clodomere primum congreſſus, illo in acie cæſo, in fugam actus eſt. Deinde à Childeberto & Clotario iterum laceſſitus, iterúmque fugatus, regno caruit. Burgundionum regnum in Francorum poteſtatem redactum eſt anno Chriſti DXXXII.

FRANCORVM REGES MEROVINGI,

quorum notitia ad primum Tomum conducit.

420. FARAMVNDVS Honorij Aug. temporibus regnat in Francia.

429. Clodio.

448. Meroueus.

456. Childericus F.

482. CLODOVEVS F.

Francici regni fines adhuc anguſtos, nec ſtatos, Clodoueus deuictis Romanis, ſubactis Alamannis, Gothis profligatis dilatauit, ſedemque Pariſiis conſtituit. Poſt eius mortem, quatuor filij diuiſo regno diuerſis in locis regnarunt.

511. Theodericus Metis in Auſtraſia. — Clodemirus Aurelianis. — Childebertus Pariſiis. — Clotarius Sueſſione.

534. Theodebertus.

548. Theodebaldus.

Thuringiam regno Francorum adiecit Theodericus. Burgundiam Childebertus & Clotarius. Iidem cum Theudeberto Prouinciam. Clodomiro mortuo tres fratres ſucceſſerunt. Theodebaldo & Childeberto Clotarius.

Hic ceteris ſuperſtes totius regni monarchia potitus eſt, quam inter ſe iterum quatuor eius filij diuiſerunt.

562. Charibertus Pariſiis. — Guntramnus in Burgundia. — Chilpericus. Sueſſione. — Sigibertus in Auſtraſia.

Chariberti mortui regnum fratres inter ſe partiti ſunt. Guntramnus regni ſui heredem inſtituit Childebertum fratris filium.

Childebertus in Auſtraſia, & poſt Guntramnum in Burgundia.

584. CLOTARIVS II. Sigeberto iuniore mortuo integram monarchiam adeptus eſt anno 614.

596. Theodericus in Burgundia. — Theodebertus in Auſtraſia.

613. Sigebertus.

628. Dagobertus poſt mortem fratris ſolus regnum tenuit. — Charibertus Toloſæ & in parte Aquitaniæ.

Dagobertus in Auſtraſia regnare iuſſus à patre anno 622.

644. Clodoueus II. in Neuſtria & Burgundia. — 638. Sigebertus in Auſtraſia.

660. Clotarius III. F. — 654. Dagobertus.

Childebertus Grimoaldi F. Dagoberto per vim pulſo.

664. Childericus II. frater.

Childericus in Auſtraſia regnat anno 660.

667. Theodericus, frater.

690. Clodoueus III. F.

694. Childebertus II. frater.

711. Dagobertus II. F.

715. Chilpericus Daniel. Clotarius.

720. Theodericus II.

Interregnum annorum VII.

742. Childericus III.

MAIORES DOMVS.

688. Pippinus annis XXVII.

715. Carolus Martellus annis XXVII.

735. Idem ſine rege.

742. Carlomannus in Auſtraſia, poſt monachus. — 742. Pippinus in Neuſtria, poſtea rex.

FRANCORVM REGES MEROVINGI,
Tomi II. & III.

752. PIPPINVS ex Maiore domus rex Francorum.

768. CAROLVS magnus Imp.

Carolus Italiam, Saxoniam, Baioariam, aliaſque gentes Francorum regno adiecit.

Carlomannus poſt triennium mortuus 771.

814. Ludouicus pius Imp. viuente patre Aquitaniæ rex fuerat.

Carolus primogenitus ante patrem mortuus 811.

Pippinus rex Italiæ ante patrem mortuus 810.

Poſt Ludouici mortem regnum inter filios ſuperſtites tripertito diuiſum.

Bernardus nothus rex Italiæ.

Horum frater Pippinus viuente Pio patre rex Aquitaniæ, & ab eodem poſtea priuatus, ante patrem mortuus eſt ann. 838. cuius filij Pippinus iunior & Carolus ſub Caluo patruo in monaſteria coniecti.

840. Carolus caluus rex Franciæ occidentalis, poſtea Imp. anno 875. cuius filij Carolus rex Aquitaniæ, Lotharius abbas, Carlomannus clericus ante patrem obierunt.

Lotharius Imp. rex Italiæ, Auſtraſiæ, Prouinciæ, & Burgundiæ ſuperioris.

Lotharius rex Auſtraſiæ ſeu Lotharingiæ, obiit 860.

Carolus rex Prouinciæ & Burgundiæ ſup. obiit 863.

855. Ludouicus II. Imp. rex Italiæ obiit 875.

Ludouicus rex Germaniæ & prouinciarum omnium Tráſrhenenſium.

Carolus craſſus rex Alamanniæ, pòſt Imp. 880. rex Galliæ 885.

Ludouicus rex Franciæ orientalis, Saxoniæ, &c. obiit 882.

877. Ludouicus II. balbus rex ſolus patri ſuperſtes.

876. Karlomannus rex Baioariæ, Pannoniæ, & Carantaniæ.

879. Ludouicus III. & Carlomannus ex Anſgarde.

879. Boſo rex Prouinciæ.

Ludouicus rex Prouinciæ 889. Imp. 900.

880. Arnulfus rex. Imp. 896.

893. Carolus III. ſimplex frater ex Adelaide, cum Odone primùm, deinde illo mortuo ſolus regnauit 898. poſtremò Lotharij quoque regnum adeptus eſt 912.

Caroli ſimplicis æuo extra ordinem regnarunt in Gallia.

885.	Carolus craſſus annos II.
888.	Odo annis X.
922.	Robertus ann. I
929.	Rodulfus ann. XIII.

889. Ludouicus rex vltimus ſtirpis Franciæ in Germania, obiit 912.

936. Ludouicus IV. Tranſmarinus.

954. Lotharius.

Carolus dux in regno Lotharii.

987. Ludouicus V.

INDEX EORVM QVÆ IN TOMO I. CONCILIORVM præcipuè continentur.

CONCILIVM Arelatenſe I. in cauſa Cæciliani & Donatiſtarum, ſub Silueſtro. pag. 1.

Reſcriptum Conſtantini Imp. ad Epiſcopos Concilii Arelatenſis. pag. 9.

Concilium Agrippinenſe contra Eufratam Epiſcopum Coloniæ Agrippinæ, ſub Iulio Papa. 11.

Concilium Arelatenſe, in quo Paulinus Treuirenſis Arrianorum factione depoſitus eſt, ſub Liberio. 13.

Concilium Biterrenſe Arrianorum, de quo Hilarius Pictauenſis in exilium actus eſt, ſub eodem. 14.

Concilium incerti loci, in quo perfidia Sirmienſis damnata eſt, ſub Liberio. 15.

Concilium Pariſienſe I. in quo Ariminenſis Arianorũ fidei formula damnata eſt, ſub Liberio. 16.

Concilium Valentinum I. in cauſa diſcidii Eccleſiæ Valentinæ, ſub Damaſo. 18.

Epiſtola Concilii Aquileienſis ad Epiſcopos Galliæ, cum ſententiis Epiſcoporum Galliæ in eodem Concilio dictis. 20.

Concilium Burdigalenſe aduerſus Priſcillianum & Priſcillianiſtas celebratum, ſub Siricio. 22.

Concilium Treuirenſe in ordinatione Felicis Epiſcopi ſub eodem. 23.

Epiſtola Maximi Imp. ad Siricium, de cauſa Agricii preſbyteri. 25.

Profeſſio fidei catholicæ ſancti Martini Epiſcopi. 26.

Concilium Taurinenſe, Epiſcoporum Galliæ cauſa & poſtulatione congregarum, ſub Siricio. 27.

Innocentii Papæ epiſtolæ tres. I. ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem. 30. II. ad Exuperium Toloſanum. 30. III. ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. 38.

Zoſimi Papæ epiſtolæ VII. ad diuerſos, de priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis. 42.

Bonifacii Papæ epiſtolæ duæ. I. ad Epiſcopos Galliæ, de Maximo Epiſcopo Valentino. 48. II. ad Hilarium Narbonenſem, de Epiſcopo in Eccleſia Luteuenſi ordinato. 49.

Epiſtola Epiſcoporum Africæ, quam cum Leporii libello miſerunt ad Epiſcopos Galliæ. 51. Libellus emendationis Leporij monachi. 52.

Valentini III. Cæſaris conſtitutio de diuerſis Eccleſiaſticis capitibus in Galliam miſſa. 54.

Cæleſtini Papæ epiſtolæ duæ. I. ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis. 55. II. ad Epiſcopos Galliæ aduerſus obtrectatores S. Auguſtini. 58. auctoritates ſedis Apoſtolicæ Epiſcoporum de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio. 60.

Concilium Regenſe, cùm Ebreduni à duobus ordinatus eſſet Epiſcopus, ſub Leone magno. 65.

Concilium Arauſicanum I. cui Hilarius Arelatenſis & Eucherius Lugdunenſis præfuerunt, ſub eodem. 70.

Concilium Vaſenſe I. apud Auſpicium Epiſcopum in prouincia Viennenſi, ſub eodem. 76.

Concilium incerti loci, in quo Chelidonius Epiſcopus gradu ſuo deiectus eſt, ſub Leone magno. 79.

Leonis Papę epiſtolæ duodecim. I. ad Epiſcopos prouincię Viennenſis cõtra Hilarium Arelatenſem. 80.

Valentiniani III. Aug. Nouella de Epiſcoporum ordinatione, cum eadem epiſtola Leonis miſſa in Galliam. 85.

Concilium incerti loci, ex quo SS. Germanus & Lupus Epiſcopi in Britanniam miſſi, ſub eodem. 86.

Digitized by Google

Leonis Papæ epiſtola II. ad Epiſcopos Prouinciæ, de ordinatione Rauennij Arelatenſis. 87. III. Rauennio, de eadem. 87. IV. Rauennio, de Petroniano vago. 88.
Leonis Papæ epiſtola V. definiens controuerſiam Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiæ, præmiſſo libello Epiſcoporum Prouinciæ. 89. 91.
Leonis Papæ epiſtola VI. ad Rauennium miſſa cum exemplo epiſtolę ad Flauianum Conſtantinop. 92.
Epiſtola Ceretii, Salonii, & Verani Epiſcoporum ad Leonem, de eadem epiſtola ad Flauianum. 92.
Synodica Epiſcoporum Gallię ad Leonem, de eadem. 93.
Leonis epiſtola VII. ad eoſdem. 96.
Leonis Papæ epiſtola VIII. ad Epiſcopos Galliæ, miſſa cum exemplo ſententiæ contra Dioſcorum prolatæ in Concilio Calchedonenſi. 98.
Leonis Papæ epiſtola IX. ad Rauennium, de die Paſchę anni CCCCLII. 99
Leonis Papæ epiſtola X. ad Theodorum Epiſcopum Foroiulienſem, de pœnitentia in exitu non negãda. 100
Concilium Arelatenſe II. ſub Leone, vt coniectura eſt, poſt Vaſenſe & Arauſicanum incerto anno celebratum. 102.
Leonis Papæ epiſtola XI. ad Ruſticum Narbonenſem, ſingulis eius Inquiſitionibus reſpondens. 111.
Concilium Andegauenſe in ordinatione Talaſii Epiſcopi celebratum ſub Leone. 116.
Leonis Papæ epiſtola XII. ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ, de die Paſchæ anni CCCCLV. 118.
Epiſtola Leonis, Victurii, & Euſtochii ad Epiſcopos Prouinciæ tertiæ, vt clerici non expetant ſæcularia iudicia. 119.
Concilium Arelatenſe III. in cauſa Fauſti abbatis Inſulæ Lirinenſis, ſub Leone. 120.
Epiſtola Lupi & Euphronii Epiſcoporum ad Talaſium, de ſolennitatibus, & bigamis clericis. 122.
Concilium Turonenſe I. Perpetui Archiepiſcopi, ſub Hilaro Papa celebratum. 123.
Hilari Papæ epiſtolæ VIII. ad Leontium Arelatenſem, & alios, de Epiſcopatus ſui primordiis, de Herme Narbonenſi, & Mamerto Viennenſi, déque Ingenui & Auxanii Epiſcoporum controuerſia, & aliis. 127.
Concilium Veneticum in ordinatione Paterni Epiſcopi, ſub Hilaro Papa. 137.
Electio Ioannis Epiſcopi Cabillonenſis. 141.
Electio Simplicii Epiſcopi Bituricenſis. 142.
Concilium Arelatenſe Leontij Archiepiſcopi contra Prædeſtinatianos, ſub Simplicio. 147.
Fauſti Epiſcopi Reienſis epiſtola ad Lucidum preſbyterum Prædeſtinatianum. 148.
Lucidi preſbyteri libellus emendationis ad Epiſcopos. 150.
Concilium Lugdunenſe Patientis Archiepiſcopi contra Prædeſtinatianos, ſub Simplicio. 152.
Gelaſii Papę epiſtola ad Æonium Arelatenſem, de Epiſcopatus ſui primordiis. 153.
Auiti Epiſcopi Viennenſis epiſtola I. ad Clodoueum regem, de ſuſcepta ab eo Chriſti fide, atq; baptiſmo. 153.
Remigii Epiſcopi Remenſis epiſtola ad Clodoueum regem, conſolatoria in obitu Albofledis ſororis. 155.
Symmachi Papæ epiſtolę quinque. I. & II. ad Æonium Arelatenſem, de illius & Viennenſis Epiſcopi controuerſia. 156.
Auiti Viennenſis epiſtola II. ad ſenatores Vrbis, de Synodo Romana in cauſa Symmachi Papæ. 158.
Concilium Agathenſe, Alarici Gothorum regis tempore celebratum, ſub Symmacho Papa. 160.
Remigii Remenſis epiſtola II. ad Clodoueum regem, hortatoria cùm ad bellum ſe accingeret. 175.
Clodouei regis epiſtola ad Epiſcopos poſt bellum ſcripta de captiuis ipſorum arbitrio relaxandis. 176.
Concilium Aurelianenſe I. Clodouei regis euocatione celebratum, ſub Symmacho Papa. 177.
Symmachi Papæ epiſtola III. ad Cæſarium Arelatenſem, cum exemplo libelli à Cæſario oblati. 184.
Eiuſdem epiſtola IV. ad Epiſcopos Galliæ, confirmans ſententiam Leonis Papæ de controuerſia Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiæ. 186.
Eiuſdem epiſtola V. ad Cæſarium, de priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis, cum exemplo libelli oblati ab Ægidio abbate. 187.

Hormiſdę Papæ epiſtola I. ad Cæſarium Arelatenſem, eiúſque ſuffraganeos, de rebus Orientalis Eccleſiæ. 188.
Auiti Viennenſis epiſtola III. ad Hormiſdam, vt certior fiat de ſucceſſu legationis miſſæ in Orientem. 190.
Hormiſdæ epiſtola II. ad Auitum præcedenti reſpondens. 191.
Concilium incerti loci, in quo Arrianus coram S. Remigio diuinitus obmutuit, ſub Hormiſda. 199.
Concilium Epaonenſe, Sigiſmundi Burgundionum regis tempore celebratum, ſub Hormiſda. 194.
Concilium Lugdunenſe I. de nuptiis Stephani & Palladiæ, ſub iiſdem Hormiſda & Sigiſmundo. 202.
Remigij Remenſis epiſtola III. ad tres Epiſcopos. 204. IV. ad Falconē Tungrenſem de Eccleſia Moſomenſi. 205.
Concilium Arelatenſe IV. ſub Ioanne Papa, & Theoderico rege Italiæ. 207.
Proſperi ex Manichæo conuerſi anathematiſmi, & fidei catholicæ profeſſio. 209.
Concilium Carpentoratenſe, ſub Felice IV. Papa, & Athalarico rege Italiæ. 212.
Felicis IV. epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem, de laicis ad ſacerdotium ante probationē non promouendis. 214.
Concilium Arauſicanum II. de gratia & libero arbitrio, ſub Felice IV. & Athalarico rege. 215. Bonifacij Papæ II. epiſtola ad Cæſarium, confirmans decreta Concilij Arauſicani II. 223.
Concilium Vaſenſe II. ſub Felice IV. & Athalarico rege. 225.
Concilium Aurelianenſe II. ſub Ioanne II. Papa, & Childeberto rege Francorum. 228.
Ioannis II. Papæ epiſtolæ tres, cum canonibus ab eo miſſis, & aliis, in cauſa Contumelioſi Epiſcopi. 232.
Agapeti Papæ ad Cæſarium epiſtolæ duæ, de Contumelioſo, & de prædiis Eccleſiæ non alienandis. 238.
Concilium Aruernenſe I. ſub Agapeto Papa, & Theodeberto rege Francorum. 241.
Epiſtola eiuſdem Concilij ad Theodebertum regem, vt qui regum aliorum dominio ſubiacent, poſſeſſionibus ſuis in eius regno non fraudentur. 245
Epiſtola Vigilij, cùm aduerſus Siluerium ſederet, ad Cæſarium Arelatenſem, de eo qui fratris vxorem ſibi copulatat. 246.
Concilium Aurelianenſe III. ſub Siluerio Papa, & Childeberto rege Francorum. 247.
Leonis Epiſcopi Senonenſis epiſtola ad Childebertum regem, qua deprecatur ne Meloduni fiat Epiſcopus. 258.
Troiani Epiſcopi Santonenſis epiſtola ad Eumerium, de puero qui an baptizatus eſſet neſciebat. 259.
Concilium Aurelianenſe IV. ſub Vigilio Papa, & Childeberto rege Francorum. 260.
Vigilij Papæ epiſtolæ ſeptem. I. & II. ad Auxanium Arelatenſem. III. ad Epiſcopos Galliæ, de Auxanio, cui vices ſuas cum pallio cōcedit. IV. Auxanio, de cauſa Prætextati Epiſcopi. 270
Eiuſdem epiſtola V. ad Aurelianum Arelatenſem. VI. ad Epiſcopos Galliæ, de Aureliano cui vices ſuas in Gallia delegat. 274.
Concilium Aurelianenſe V. ſub eodem Vigilio Papa, & Childeberto rege Francorum. 277.
Vigilij Papæ epiſtola VII. ad Aurelianum Arelatenſem Conſtantinopoli ſcripta, vt Childeberto regi ſuggerat, vt ad regem Gothorum ſcribat, ne quid in Eccleſia Romana turbari ſinat. 287.
Concilium Aruernenſe II. ſub Vigilio, & Theodebaldo rege Francorū. 289.
Concilium Tullenſe, Theodebaldi regis iuſſu conuocatum, ſub Vigilio Papa. 292.
Mappinij Epiſcopi Remenſis ad Nicetium Treuirenſem excuſatoria, cur ad Synodum Tullenſem non venerit. 292
Epiſtola clericorum Italiæ ad legatos Francorum, vt adſint Vigilio Papæ, & Datio Mediolanenſi, qui Conſtantinopoli vexabantur. 294.
Concilium Arelatenſe V. ſub Pelagio Papa, & Childeberto rege Francorum. 298.
Childeberti regis conſtitutio de abolendis reliquiis idololatriæ, & de ſacris ſolennitatibus. 300.
Concilium Pariſienſe II. in cauſa Saffaraci Epiſcopi, ſub Pelagio Papa, & Childeberto rege. 301.
Pelagij Papæ epiſtolæ IX. partim ad Sapaudum Arelatenſem, partim ad Childebertum regem. quibus vices ſuas Sapaudo demandat, regi verò fidei ſuæ confeſſionem exponit. 303.
Concilium Pariſienſe III. de variis Eccleſiarum vtilitatibus, ſub iiſdem Pelagio & Childeberto. 313.

Clotarij regis conſtitutio generalis. 318.
Concilium Santonenſe, in quo Heraclius Epiſcopus ordinatus eſt, ſub Ioanne III. Papa, & Chariberto rege. 319.
Nicetii Epiſcopi Treuirenſis epiſtola I. ad Iuſtinianum Imp. in hæreſim lapſum, reuocans ab errore. 320. II. ad Clodoſuindam reginam, vt Alboinum regem maritum ſuum ad fidem catholicam adducat. 322.
Concilium Lugdunenſe II. anno ſexto Guntramni regis celebratum, ſub Ioanne III. Papa. 325.
Concilium Turonenſe II. anno ſexto Chariberti regis celebratum, ſub Ioanne III. Papa. 329.
Epiſtola Epiſcoporum prouinciæ Turonicæ ad plebem miſſa poſt Synodum ſupraſcriptam. 343.
S. Radegundis epiſtola ad Epiſcopos Synodi eiuſdem, pro tutela & ſtabilitate congregationis ſuæ. 345.
Decretum Epiſcoporum, quod ſuſcepta S. Radegundis epiſtola conſcripſerunt. 348.
Concilium Pariſienſe IV. aduerſus Promotum in caſtro Dunenſi ordinatum Epiſcopum, ſub Benedicto Papa. 350.
Germani Epiſcopi Pariſienſis epiſtola ad Brunichildem reginam, vt Sigebertum regem reuocet à conſilio belli, quod fratri ſuo inferebat. 355.
Concilium Pariſienſe in cauſa Prætextati Epiſcopi Rotomagenſis, ſub Pelagio II. & Chilperico rege. 357.
Concilium Autiſiodorenſe Aunacharij Epiſcopi, ſub Pelagio II. & Chilperico rege. 361.
Concilium Cabilonenſe in cauſa Salonij & Sagittarij Epiſcoporum, ſub Pelagio II. & Guntramno rege. 367.
Concilium Santonenſe, in quo Nantinus Comes in gratiam ab Heraclio Epiſcopo receptus eſt. 368.
Concilium Brennacenſe in cauſa Gregorij Turonenſis Epiſcopi, ſub Pelagio II. & Chilperico rege. 369.
Concilium Matiſconenſe I. ſub Pelagio II. Papa, & Guntramno rege. 370.
Pelagij Papæ II. epiſtola ad Aunacharium Autiſiodorenſem, vt regibus ſuadeat ne cum Longobardis fœdus habeant. 375.
Concilium Lugdunenſe III. ſub Pelagio II. & Guntramno. 377.
Concilium Valentinũ II. ſub iiſdem. 379
Verani Epiſcopi ſententia in Synodo, de caſtitate ſacerdotum. 380.
Concilium Matiſconenſe II. ſub Pelagio II. & Guntramno. 381.
Guntramni regis præceptio poſt Synodum ſupraſcriptam, de obſeruando die Dominico, & aliis. 390.
Eiuſdem Adlocutio, quando diſcuſſi ſunt duces, qui rem bellicam malè adminiſtrarant. 392.
Conuentus apud Andelaum, cum exemplo pactionis inter Guntramnum & Childebertum reges. 393.
Concilium Aruernenſe de parochiis Cadurcinis. 396.
Concilium apud Sauriciacum in cauſa Droctigiſili Epiſcopi Sueſſionenſis. 396.
Concilium duplex de monialibus, quæ à monaſterio Pictauenſi receſſerant, cum Reſcripto Epiſcoporum. 397.
Concilium Narbonenſe, Reccaredi Gothorum in Hiſpania regis tempore celebratum, ſub Pelagio II. 399.
Concilium in confinio trium ciuitatum aduerſus Tetradiam, Eulalij Comitis coniugem, ſub Gregorio magno. 404.
Concilium Pictauenſe in cauſa monialium, cum exemplo iudicii Epiſcoporum in illas prolati. 405.
Concilium Metenſe in cauſa Ægidij Remenſis Epiſcopi, ſub Gregorio magno Papa, & Childeberto rege. 407.
Conuentus Nemptodorenſis, in quo Clotarius rex puer baptizatus eſt. 410.
Gregorij magni Papæ ad diuerſos Epiſcopos, ad Brunichildem reginam, Theodericum, Theodebertum, & Clotarium reges, & alios, epiſtolæ LXIII. 411. &c.
Concilium Cabilonenſe, in quo Deſiderius Epiſcopus Viennenſis exauctoratus eſt, ſub Gregorio magno, & Theodorico rege. 469.
Concilium Pariſienſe V. ſub Deuſdedit Papa, & Clotario II. rege Francorum. 470.
Clotarij II. regis Edictum in eadem Synodo. 474.
Concilium Matiſconenſe, in quo regula S. Columbani approbata eſt, ſub Honorio Papa & Dagoberto rege. 479.
Concilium Remenſe Sonnatij Epiſcopi, ſub Honorio Papa, & Dagoberto rege Francorum. 479.
Concilium Aurelianenſe, in quo hæreticus Monothelita Græcus conuictus & Gallia pulſus eſt, ſub Theodoro Papa & Clodoueo II. rege. 485.
Martini Papæ epiſtola ad Amandum Epiſcopum Traiectenſem. 486.
Concilium Cabilonenſe in baſilica S.

Vincenrij, ſub Martino Papa & Clodoueo II. rege. 489.
Concilium Namnetenſe Romani Pontificis iuſſu celebratum, ſub Vitaliano Papa & Clodoueo II. rege. 495.
Landerici Epiſcopi Pariſienſis priuilegium liberraris monaſterio S. Dionyſij conceſſum. 495.
Conuentus Clipiacenſis, cum præcepto Clodouei II. regis de eadem S. Dionyſij libertate. 497.
Clotarij III. regis præceptum de fundatione monaſterij Corbeienſis. 500. eiuſdem regis præceptum de immunitate. 501. Berrefridi Epiſcopi Ambianenſis priuilegium libertatis eiuſdem monaſterij. 502. Theoderici regis præceptum de electione Eremberti abbatis. 505.
Concilium Auguſtodunenſe S. Leodegarij Epiſcopi, ſub Adeodaro Papa & Theoderico rege Francorum. 506.
Adeodati Papæ priuilegium monaſterio S. Martini Turonenſis cōceſſum. 507.
Concilium Rotomagenſe Anſberti Archiepiſcopi, ſede Romana vacante poſt Agathonis obitum. 509.
Concilium in Villa regia, in quo Epiſcopi aliquot gradu deiecti, S. Leodegarius capitali ſententia damnarus eſt, ſub Ioanne V. Papa & Theoderico rege. 510.
Gregorij Papæ II. epiſtolæ nouem, partim ad Bonifacium, partim ad alios Bonifacii cauſa ſcriptæ. 511.
Indiculus ſacramenti editi Romæ ab eodem Bonifacio cùm ordinaretur Epiſcopus. 512.
Caroli Maioris domus epiſtola generalis de ſuſcepto in tuitionem ac defenſionem Epiſcopo Bonifacio. 517.
Gregorij Papæ II. epiſtola ad Bonifacium diuerſis eius conſultationibus reſpondens. 519.
Gregorii Papæ III. epiſtolæ quinque ad Bonifacium Archiepiſcopum, vel ad alios eius cauſa ſcriptæ. 521.
Eiuſdem epiſtolæ duæ ad Carolum Maiorem domus, pro ſuſcipienda Romanæ Eccleſiæ defenſione aduerſus Longobardos. 525.
Bonifacii Archiepiſcopi Epiſtolæ quatuor. 529. 552. 575. 576.
Zachariæ Papæ epiſtolæ xv. ad Bonifacium & alios, quarum prima primæ Bonifacii reſpondet. 532.
Concilium Liptinenſe Karlomanni Maioris domus, ſub Zacharia Papa, & Childerico III. rege. 537.
Concilium Sueſſionenſe Pippini Maioris domus, ſub iiſdem Zacharia & Childerico. 543.
Zachariæ Papæ epiſtola ad diuerſos Epiſcopos Galliæ & Germaniæ, laudans illorum inter ſe & cum Eccleſia Romana concordiam. 549.
Eiuſdem Bonifacio, non iterandum eſſe baptiſmum, quem imperitus ſacerdos infractis verbis adminiſtrarat. 550.
Concilium Romanum de hæreticis Aldalberto & Clemente in Franciæ Synodo damnatis, ſub Zacharia & Childerico III. 551.
Zachariæ Papæ epiſtola ad Pippinum Maiorem domus & Francos, ad diuerſa Pippini capitula reſpondens. 562.
Eiuſdem epiſtola ad Bonifacium quæſitis eius, de quibus per Burchardum ſcripſerat, ſatisfaciens. 570.
Eiuſdem ad eumdem Bonifacium, de variis quæſtionibus quas per Lullum propoſuerat. 578.
Eiuſdem ad eumdem Bonifacium, de Moguntinæ ſedis in metropolim erectione. 581.
Canones Synodi Romanorum ad Gallos Epiſcopos, iuxta quæſtiones ab illis propoſitas. 585.
NOTÆ ad Tomum I. Conciliorum Galliæ. 593.

TOMVS I.

Complectens annos CCCCXXXVII. nimirum ab anno Conſtantini Imp. octauo, vſque ad annum Pippini regis primum, hoc eſt ab anno Chriſti CCCXIV. ad annum DCCLI.

CONCILIVM ARELATENSE I.

CONSTANTINI MAGNI IVSSV in Cæciliani & Donatiſtarum cauſa celebratum Voluſiano & Anniano Coſs. anno Chriſti CCCXIV. Silueſtri Papæ primo, Conſtantini eiuſdem Auguſti nono, cùm Marinus eius vrbis eſſet Epiſcopus.

EPISTOLA CONSTANTINI AVG. AD Vicarium Africæ, vt Arelatem ad Concilium ire iubeat partes inter quas erat controuerſia.

CONSTANTINVS AVGVSTVS ÆLAFIO.

IAM quidem antehac, cùm perlatum fuiſſet ad ſcientiam meam, apud Africam noſtram plures veſano furore vanis criminationibus contra ſe inuicem ſuper obſeruantia ſanctiſſimæ fidei Catholicæ diſſidere cœpiſſe, dirimendæ diſſenſionis huiuſmodi cauſâ placuerat mihi, vt ad vrbem Romam tam Cæcilianus Carthaginienſis Epiſcopus, contra quem vel maximè vniuerſi ſæpè me conuenerant, quàm etiam aliqui ex his, qui ei quædam obiicienda crediderant, præſentiam ſui exhiberent. Nam etiam ad ſupradictam vrbem noſtram Romam quoſdam Epiſcopos ex Galliis ire præceperam; vt tam hi pro integritate vitæ ſuæ, atque laudabili inſtituto, ſed & ſeptem eiuſdem communionis, quàm etiam vrbis Romæ Epiſcopus, atque illi qui cum iiſdem cognoſcerent, poſſent rei quæ videbatur eſſe commota finem debitum adhibere. Qui quidem ea quæcumque in præſentia eorum fuerunt geſta, cuncta ad ſcientiam meam etiam actis habitis retulerunt; verbo inſuper adfirmantes, quòd iudicium ſuum pro rerum fuiſſet æquitate depromptum: eoſque potiùs cauſæ obnoxios eſſe dicentes, qui contra Cæcilianum quædam putauerunt commouere. adeo vt iſtud poſt iudicium habitum Africam ipſos remeaſſe perhiberent. Inde propter hæc omnia probabili rerum æſtimatione ſperaueram,

quòd omnibus omnino ſeditionibus & contentionibus, quæ ab iis hominibus videbantur ſubitò commotæ, finis debitus fuiſſet impoſitus. Sed cùm dictationis tuæ ſcripta legiſſem, quæ ad Nicaſium & ceteros ſuper hiſdem ſimulationibus grauitas tua mittenda crediderat, euidenter agnoui, quòd neque reſpectum ſalutis ſuæ, neque, quod eſt maius, Dei omnipotentis venerationem ante oculos ſuos velint ponere. Siquidem ea agere perſiſtant, quæ non modò ad ipſorum dedecus infamiámque pertineant, ſed etiam his hominibus detrahendi dent facultatem, qui longè ab huiuſmodi ſanctiſſima obſeruantia ſenſus ſuos noſcuntur auertere. Nam id quoque te ſcire conuenit, quòd ex hiſdem venerunt, adſerentes quòd minus dignus idem Cæcilianus cultu ſanctiſſimæ religionis habeatur. Et contra id quod iiſdem reſponderam, fruſtra eos id iactare, quippè cùm res fuiſſet apud vrbem Romam ab idoneis ac probatiſſimis viris Epiſcopis terminata,
S. Auguſt. ep 165. obnixè ac pertinaciter reſpondendum æſtimauerunt, quòd eorum omnis cauſa non fuiſſet audita; ſed potiùs iidem Epiſcopi quodam loco ſe clauſiſſent, & prout ipſis aptum fuerat, iudicaſſent. Quare cùm hæc tot & tanta nimiùm obnixas diſſenſiones protrahere peruiderem, ita vt nullomodo finis iiſdem dari poſſe videretur, niſi & Cæcilianus idem, & ex his qui contra eum diſſident tres aliqui in iudicium eorum, qui cum Cæciliano ſentiunt conſenſumque debent, ad Atelarenſe oppidum venerint, iniungendum ſolertiæ tuæ duxi, vt mox has litteras meas acceperis, cùm Cæcilianum ſupradictum, cum aliquibus ex his quos ipſe delegerit; (ſed & de Byzacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum prouinciis, ſinguli quíque aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putauerint eligendos) ſed etiam aliquos ex his qui contra eundem Cæcilianum diſſentiunt, data euectione publica, per Africam & Mauritaniam, indè ad Hiſpanias breui tractu facias nauigare. Et indè nihilominus his in ſingulis Epiſcopis ſingulas tractorias tribuas, vt ipſi ad ſupradictum locum intra diem Kalendarum Auguſtarum poſſint peruenire: celeriter intimaturus iiſdem, vt antequam proficiſcantur debeant diſponere, quatenus abſentibus ipſis & diſciplina competens habeatur, & nulla fortè ſeditio, vel aliquorum altercatio, quæ ad maximum dedecus ſpectet, oriatur. De cetero plena cognitione ſuſcepta finis adhibeatur. Quia cùm præſentiam ſui exhibuerint, vniuerſa quæ nunc in contentione eſſe noſcuntur, non immeritò finem debent accipere maturũ, vt protinus poſſint terminari atq; componi. Nam cùm apud me certum ſit, te quoque Dei ſummi eſſe cultorem, confiteor grauitati tuæ, quòd nequaquam fas eſſe ducam, vt eiuſmodi contentiones & altercationes diſſimulentur à nobis, ex quibus forſitan commoueri poſſit ſumma diuinitas, non ſolùm contra humanum genus, ſed etiam in meipſum, cuius curæ nutu ſuo cæleſti terrena omnia moderanda commiſit, vt ſecus aliquid hactenus incitata decernat. Tunc enim reuera & pleniſſimè potero eſſe ſecurus, & ſemper de promptiſſima beneuolentia potentiſſimi Dei proſperrima & optima quæque ſperare, cùm vniuerſos ſenſero debito cultu catholicæ religionis ſanctiſſimum Deum concordis obſeruantiâ fraternitatis venerari.

Exemplum alterius epiſtolæ Conſtantini ad Epiſcopum Syracuſanum, vt cum duobus alijs pergat ad Concilium Arelatenſe.

Ex Græca eius interpretatione, quæ apud Euſebium exſtat lib. x. Hiſtoriæ Eccleſ. c. v.

CONSTANTINVS AVGVSTVS CHRESTO Epiſcopo Syracuſano.

IAM quidem & antea, cùm quidam improbo ac peruerſo ſtudio de ſancti cæleſtiſque numinis cultu & fide catholica diſsidere cœpiſſent, ad reſecandas illorum huiuſmodi contentiones ita conſtitueram, vt miſsis aliquot è Gallia Epiſcopis, tum aduenire iuſsis ab Africa ijs, qui diuerſarum partium erant, atque obnixiùs inter ſe, pertinaciúſque contendebant, præſente inſuper Romano Epiſcopo, poſſet id omne, quod commotum videbatur, præſentibus ipſis accurata diſceptatione componi. Sed quia nonnulli, vt ferè fit, ſuæ ipſorum ſalutis, & reuerentiæ, quæ ſanctiſsimæ fidei debetur, obliti, priuatas adhuc ſimultates exercere non ceſſant, dum prolato tam iudicio acquieſcere nolunt, cauſantúrque à paucis videlicet dictas ſententias fuiſſe, atque hos ipſos non omnibus quæ inquiri antè oportebat diligenter examinatis, ad depromendum iudicium præproperè feſtinantérque proceſsiſſe. Quo fit, vt & ipſi, quos fraternum & concordem animorum conſenſum retinere par erat, turpi aut nefaria potiùs diſſenſione diſcrepent, & auerſis à ſanctiſsima religione hominibus ludibrij occaſionem præbeant. Propterea mihi ſedulò prouidendum fuit, vt hæc quæ poſt iudicium prolatum ſedari voluntario aſſenſu debuerant, vel nunc tandem multis præſentibus exitum ſortiantur. Quoniam ergo plurimos ex diuerſis compluribus locis Epiſcopos, in Arelatenſium oppido ad Kalendas Auguſti conuenire præcepimus, tibi etiam per litteras ſignificandum duximus, vt accepto à clariſsimo viro Latroniano Correctore Siciliæ publico vehiculo, cum duobus alijs ſecundæ Sedis, quos ipſe deligendos iudicaueris, tribúſque vnà famulis, qui vobis in via miniſtrent, adſcitis, deſignatum in locum ad diem prædictam te conferas: vt per grauitatem tuam, & ceterorum qui conuenturi ſunt, vnanimem conſpirantémque prudentiam, diſsidium hoc, quòd malè hactenus per fœdas quaſdam contentiones perſeuerat, omnibus auditis, quæ ab ijs qui inter ſe nunc diſsident, quóſque pariter adeſſe iuſsimus, in medium proferentur, ad debitam religionem & fidem, fraternámque concordiam, vel ſerò tandem reuocari queat. Incolumem te Deus omnipotens multis annis cuſtodiat.

EPISTOLA SYNODI ARELATENSIS AD Silueſtrum Papam, de rebus in ea geſtis, & Canonibus ab ea conſtitutis.

DILECTISSIMO Papæ Silueſtro Marinus, Agrœcius, Natalis, Theodorus, Proterius, Vocius, Verus, Probatius, Cæcilianus, Fauſtinus, Surgentius, Gregorius, Reticius, Ambitauſus, Termatius, Merocles, Pardus, Adelfius, Hibernius, Fortunatus, Ariſtaſius, Lampadius, Vitalis, Maternus, Liberius, Gregorius, Creſcens,

Auitianus, Dafnus, Orientalis, Quintaſius, Victor, Epictetus in Domino æternam ſalutem. Commvni copula caritatis & vnitate matris Eccleſiæ catholicæ vinculo inhærentes, ad Arelatenſium ciuitatem piiſſimi Imperatoris voluntate adducti, indè te, glorioſiſſime Papa, commerita reuerentia ſalutamus. Vbi graues ac pernicioſos legi noſtræ atque traditioni, effrænatæque mentis homines pertulimus. quos & Dei noſtri præſens auctoritas, & traditio ac regula veritatis ita reſpuit, vt nulla in illis aut dicendi ratio ſubſiſteret, aut accuſandi modus vllus, aut probatio conueniret. Ideò iudice Deo & matre Eccleſia, quæ ſuos nouit & comprobat, aut damnati ſunt, aut repulſi. Et vtinam, frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſe tanti feciſſes. profectò credimus, quia in eos ſeuerior fuiſſet ſententia prolata: & te pariter nobiſcum iudicante, cœtus noſter maiore lætitia exultaſſet. Sed quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidie ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione Dei gloriam teſtatur. Non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, frater cariſſime, ad quæ fueramus inuitati. Sed & conſulendum nobis ipſis cenſuimus: & cùm diuerſæ ſint prouinciæ ex quibus aduenimus, ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſeruare debere. Placuit ergo, præſente Spiritu ſancto & Angelis eius, vt & his qui ſingulos quos mouebat iudicare proferremus de quiete præſenti. Placuit etiam antequam à te qui maiores diœceſes tenes per te potiſſimum omnibus inſinuari. Quid autem ſit quod ſenſerimus, ſcripto noſtræ mediocritatis ſubiunximus. At id primo in loco de vita noſtra atque vtilitate tractandum fuit, vt quia vnus pro multis mortuus eſt & reſurrexit, ab omnibus tempus ipſum ita religioſa mente obſeruetur, ne diuiſiones vel diſſenſiones in tanto obſequio deuotionis poſſint exſurgere. Cenſemus ergo Paſcha Domini per orbem totum vna die obſeruari. De his quoque qui quibuſcúmque locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeuerent. De his etiam qui arma in pace proiiciunt, placuit abſtineri eos à communione. De Circiſſariis agitatoribus qui fideles ſunt, placuit eos quamdiu agitant à communione ſeparari. De theatricis, ipſos placuit quamdiu agunt à communione ſeparari. De his qui in infirmitate ſunt conſtituti, & credere volunt, placuit eis manum imponi. De Præſidibus autem, qui fideles ſunt, & ad præſidatum conſiliunt, ita placuit, vt cùm promoti fuerint litteras quidem accipiant Eccleſiaſticas communicatorias; ita tamen, vt in quibuſcúmque locis geſſerint, ab Epiſcopis eiuſdem loci cura illis agatur, & ſi cœperint contra diſciplinam agere, tunc demum à communione excludantur. Et de his quidem qui in Repub. agere volunt, ſimiliter. De Afris autem, quòd propria ſua lege vtuntur vt rebaptizent, placuit vt ad Eccleſiam ſi aliquis hæreticus venerit, interrogent eum Symbolum, & ſi peruiderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus tantùm ei imponatur. Quòd ſi interrogatus Symbolum, non reſponderit Trinitatem hanc, meritò baptizetur, &c. Tunc tædians iuſſit omnes ad ſuas ſedes redire. Amen.

Synodi eiuſdem editio vulgata, ſolos Canones & Epiſcoporum nomina complectens, cum breuiario Epiſtolæ ſupraſcripta.

SYNODVS EPISCOPORVM, QVI IN CIVITATE Arelatenſium apud Marinum Epiſcopum Eccleſiæ catholicæ, temporibus Conſtantini Auguſti, Voluſiano & Anniano Coſs. conuenerunt.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt vno die & tempore Paſcha celebretur.*
2. *Vt vbi quiſque ordinatur, ibi permaneat.*
3. *Vt qui in pace arma proiiciunt, excommunicentur.*
4. *Vt auriga dum agitant excõmunicentur.*
5. *Vt theatrici, quandiu agunt, excommunicentur.*
6. *Vt in infirmitate conuerſi manus impoſitionem accipiant.*
7. *De fidelibus, qui Præſides fiunt, vel rem publicam agere volunt.*
8. *De baptiſmo eorum qui ab hæreſi conuertuntur.*
9. *Vt qui Confeſſorum litteras afferunt, alias accipiant.*
10. *Vt is cuius vxor adulterauerit aliam illa viuente non accipiat.*
11. *De puellis quæ gentilibus iunguntur.*
12. *Vt Clerici fœneratores excommunicentur.*
13. *De iis qui ſcripturas ſacras, vaſa dominica, vel nomina fratrum tradidiſſe dicuntur.*
14. *Vt qui falsò accuſant fratres ſuos vſque ad exitum excommunicentur.*
15. *Vt Diacones non offerant.*
16. *Vt vbi quiſque fuit excommunicatus, ibi communionem conſequatur.*
17. *Vt nullus Epiſcopus alium conculcet Epiſcopum.*
18. *De Diaconibus vrbicis, vt ſine Presbyterorum conſcientia nihil agant.*
19. *Vt peregrinis Epiſcopis locus ſacrificandi detur.*
20. *Vt ſine tribus Epiſcopis nullus Epiſcopus ordinetur.*
21. *Vt Presbyteri, aut Diacones, qui ad alia loca ſe transferunt, deponantur.*
22. *De apoſtatis, qui in infirmitate communionem petunt.*

BREVIARIVM EPISTOLÆ.

DOMINO ſanctiſſimo fratri Silueſtro Marinus, vel cœtus Epiſcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatenſi. Quid decreuerimus communi conſilio caritati tuæ ſignificamus, vt omnes ſciant quid in futurum obſeruare debeant.

CANONES.

I. *Vt vno die & tempore Paſcha celebretur.*

Primo loco de obſeruatione Paſchæ Dominici, vt vno die & vno tempore per omnem orbem à nobis obſeruetur, & iuxta conſuetudinem litteras ad omnes tu dirigas. De conſec. diſt. 3. De obſeruatione Paſchæ.

II. *Vt vbi quiſque ordinatur ibi permaneat.*

De his qui in quibuſcumque locis ordinati fuerint miniſtri, in ipſis locis perſeuerent.

III. *Vt qui in pace arma proiiciunt excommunicentur.*

De his qui arma proiiciunt in pace, placuit abſtineri eos à communione. Ino Parte 2. cap 111.

I V. *Vt aurigæ dum agitant excommunicentur.*

De agitatoribus qui fideles ſunt, placuit eos, quamdiu agitant, à communione ſeparari.

V. *Vt theatrici quamdiu agunt excommunicentur.*

De theatricis, & ipſos placuit, quamdiu agunt, à communione ſeparari.

V I. *Vt in infirmitate conuerſi manus impoſitionem accipiant.*

De his qui in infirmitate credere volunt, placuit eis debere manum imponi.

V I I. *De fidelibus qui Præſides fiunt, vel rem publicam agere volunt.*

De Præſidibus, qui fideles ad præſidatum proſiliunt, placuit, vt cùm promoti fuerint, litteras accipiant Eccleſiaſticas communicatorias: ita tamen, vt in quibuſcumque locis geſſerint, ab Epiſcopo eiuſdem loci cura illis agatur, & cùm cœperint contra diſciplinam agere, tum demum à communione excludantur. Similiter & de his qui rempublicam agere volunt.

V I I I. *De baptiſmo eorum qui ab hæreſi conuertuntur.*

De conſec. diſt. 4. De Arrianis.

De Afris, quòd propria lege ſua vtuntur vt rebaptizent, placuit vt ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum; & ſi peruiderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus ei tantùm imponatur, vt accipiat Spiritum ſanctum. Quòd ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.

I X. *Vt qui Confeſſorum litteras afferunt alias accipiant.*

De his qui Confeſſorum litteras afferunt, placuit vt ſublatis eis litteris alias accipiant communicatorias.

X. *Vt is cuius vxor adulterauit aliam illa viuente non accipiat.*

Iuo P. VIII. cap. 258.

De his qui coniuges ~~ſuas in adulterio deprehendunt~~, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & prohibentur nubere, placuit vt inquantum poſſit conſilium eis detur, ne viuentibus vxoribus ſuis, licèt adulteris, alias accipiant.

X I. *De puellis quæ gentilibus iunguntur.*

De puellis fidelibus quæ gentilibus iunguntur, placuit vt aliquanto tempore à communione ſeparentur.

X I I. *Vt clerici fœneratores excommunicentur.*

24. q. 4. Miniſtri qui fœnerant.

De miniſtris qui fœnerant, placuit eos iuxta formam diuinitus datam à communione abſtineri.

XIII. *De iis qui ſcripturas ſacras, vaſa dominica, vel nomina fratrum tradidiſſe dicuntur.*

De his qui ſcripturas ſanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa dominica, vel nomina fratrum ſuorum, placuit nobis, vt quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine cleri amoueatur. Nam ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi, & de his quos ordinauerint ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio. Et quoniam multi ſunt qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemptos putant ſe ad accuſationem admitti debere, omninò non admittantur, niſi vt ſupra diximus actis publicis docuerint.

XIV. *Vt qui falsò accuſant fratres ſuos vſque ad exitum excommunicentur.*

De his qui falsò accuſant fratres ſuos, placuit eos vſque ad exitum non communicare.

XV. *Vt Diacones non offerant.*

De Diaconibus quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere.

XVI. *Vt vbi quiſque fuit excommunicatus ibi communionem conſequatur.*

De his qui pro delicto ſuo à communione ſeparantur, placuit vt in quibuſcumque locis fuerint excluſi, eodem loco communionem conſequantur.

XVII. *Vt nullus Epiſcopus alium conculcet Epiſcopum.*

Vt nullus Epiſcopus alium Epiſcopum inculcet. Iuo Part. 5. cap. 118.

XVIII. *De Diaconibus vrbicis, vt ſine Presbyterorum conſcientia nihil agant.*

De Diaconibus vrbicis, vt non ſibi tantum præſumant, ſed honorem Preſbyteris reſeruent, vt ſine conſcientia ipſorum nihil tale faciant.

XIX. *Vt peregrinis Epiſcopis locus ſacrificandi detur.*

De Epiſcopis peregrinis qui in vrbem ſolent venire, placuit eis locum dari vt offerant. Iuo Part. 5. cap. 214.

XX. *Vt ſine tribus Epiſcopis nullus Epiſcopus ordinetur.*

De his qui vſurpant ſibi quòd ſoli debeant Epiſcopos ordinare, placuit vt nullus hoc ſibi præſumat, niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis. Si tamen non potuerit ſeptem, infra tres non audeat ordinare.

Digitized by Google

XXI. *Vt Presbyteri, aut Diacones, qui ad alia loca ſe transferunt, deponantur.*

Iuo P. 11. cap. 171.

De Preſbyteris, aut Diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit vt eis locis miniſtrent, quibus præfixi ſunt. Quòd ſi relictis locis ſuis ad alium ſe locum transferre voluerint, deponantur.

XXII. *De apoſtatis qui in infirmitate communionem petunt.*

De his qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repræſentant, ne quidem pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate arrepti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem niſi reualuerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.

Nomina Epiſcoporum cum clericis ſuis, quinam, & ex quibus prouinciis ad Arelatenſem Synodum conuenerint.

Chreſtus Epiſcopus, Florus Diaconus, ex ciuitate Syracuſanorum, prouincia Sicilia.
Proterius Epiſcopus, Agrippa & Pinus Diacones, de ciuitate Capuenſium, prouincia Campania.
Pardus Epiſcopus, Creſcens Diaconus, de ciuitate Arpienſium, prouincia Apulia.
Theodorus Epiſcopus, Agathon Diaconus, de ciuitate Aquileienſi, prouincia Dalmatia.
Claudianus & Vitus Preſbyteri, Eugenius & Cyriacus Diacones, ex vrbe Roma miſſi à Silueſtro Epiſcopo.
Merocles Epiſcopus, Seuerus Diaconus, de ciuitate Mediolanenſi, prouincia Italia.
Oreſius Epiſcopus, Nazarius Lector, de ciuitate Maſſilienſi, prouincia Viennenſi.
Marinus Epiſcopus, Salamas Preſbyter, Nicaſius, Afer, Vrſinus, & Petrus Diacones, de ciuitate Arelatenſium, prouincia Viennenſi.
Verus Epiſcopus, Bedas Exorciſta, de ciuitate Viennenſi, pr. ſupraſcripta.
Dafnus Epiſcopus, Victor Exorciſta, de ciuitate Vaſenſi, prou. Viennenſi.
Fauſtinus Preſbyter, de ciuitate Arauſicorum, prouincia quæ ſupra.
Innocentius Diaconus, Agapius Exorciſta, ex portu Nicaenſi.
Romanus Preſbyter, Victor Exorciſta, de ciuitate Aptenſium.

Item de Galliis.

Inbetauſius Epiſcopus, Primigenius Diaconus, de ciuitate Remorum.
Auitianus Epiſcopus, Nicetius Diaconus, de ciuitate Rotomagenſium.
Reticius Epiſcopus, Amandus Preſbyter, Philomatius Diaconus, de ciuitate Auguſtodunenſium.
Vocius Epiſcopus, Petulinus Exorciſta, de ciuitate Lugdunenſium.
Maternus Epiſcopus, Macrinus Diaconus, de ciuitate Agrippinenſium.
Genialis Diaconus de ciuitate Gabalum, prouincia Aquitanica.

Orientalis

Orientalis Epiſcopus, Flauius Diaconus, de ciuitate Burdegalenſi.
Agrœcius Epiſcopus, Felix Exorciſta, de ciuitate Treuerorum.
Mamertinus Epiſcopus, Leontius Diaconus, de ciuitate Eloſatium.
Eborius Epiſcopus, de ciuitate Eboracenſi, prouincia Britannia.
Reſtitutus Epiſcopus, de ciuitate Londinenſi, prouincia ſupraſcripta.
Adelfius Epiſcopus, de ciuitate Colonia Londinenſium. exinde Sacerdos Preſbyter, Arminius Diaconus.
Liberius Epiſcopus, Florentius Diaconus, de ciu. Emerita, prou. Hiſpania.
Sabinus Preſbyter, de ciuitate Bætica.
Natalis Preſbyter, Cytherius Diaconus, de ciuitate Vrſolenſium.
Probatius Preſbyter, Caſtorius Diaconus, de ciuitate Tarracone.
Clementius Preſbyter, Rufinus Exorciſta, de ciuitate Cæſarauguſta.
Termatius Preſbyter, Victor Lector, de ciuitate Baſtigenſium.
Fortunatus Epiſcopus, Deuterius Diaconus, de ciuitate Cæſarienſi, prouincia Mauritania.
Quintaſius Epiſcopus, Ammonius Preſbyter, de ciu. Caralis, pr. Sardinia.

Item provincia Africa.

Cæcilianus Epiſcopus, de ciu. Carthaginienſi. cum ipſo Sperantius Diac.
Lampadius Epiſcopus, de ciuitate Vtina.
Victor Epiſcopus, de ciuitate Vtica.
Anaſtaſius Epiſcopus, de ciuitate Beneuentina.
Fauſtus Epiſcopus, de ciuitate Tuborbitana.
Surgentius Epiſcopus, de ciuitate Pocofeltis.
Victor Epiſcopus, de ciuitate Legiſvolumini, prouincia Numidia.
Vitalis Epiſcopus, de ciuitate Vetenſium.
Gregorius Epiſcopus, de loco qui eſt in portu Romæ.
Epictetus Epiſcopus, à Centumcellis.
Leontius & Mercurius Preſbyteri, ab Oſtiis.

Reſcriptum Conſtantini Aug. poſt Synodum, ad Epiſcopos qui interfuerant, vt ad ſuas prouincias reuertantur.

CONSTANTINVS AVGVSTVS EPISCOPIS catholicis cariſſimis fratribus ſalutem.

Aeterna & religioſa incomprehenſibilis pietas Dei noſtri nequaquam permittit humanam conditionem diutius in tenebris oberrare; neque patitur exoſas quorumdam voluntates vſque in tantum peruadere, vt non ſuis præclariſſimis luminibus denuò pandens iter ſalutare, eas det ad regulam iuſtitiæ conuerti. Habeo quippe cognitum multis exemplis, hæc eadem ex meipſo metior. Fuerant enim in me primitus, quæ iuſtitia carere videbantur, nec vlla putabam videre ſupernam potentiam, quæ iuxta ſecreta pectoris mei gererem. Equidem hæc, vt dixi, æquam fortunam debuerunt ſortiri, ſcilicet omnibus malis redundantem. ſed Deus omnipotens in cælis per ſæcula reſidens tribuit quod non merebar. Certò iam neque dici, neque enumerari poſſunt ea, quæ cælesti ſua in me famulum ſuum beniuolentia conceſ-

ſit, ſanctiſſimi Antiſtites Chriſti ſaluatoris, fratres cariſſimi. Gaudeo igitur equidem ſpecialiter, gaudeo quòd tādem habita iuſtiſſima diiudicatione, eos ad meliorem ſpem fortunamque reuocaſtis, quos malignitas Diaboli videbatur à præclariſſima luce legis catholicæ ſua perſuaſione auertiſſe. O verè victrix prouidentia Chriſti ſaluatoris, vt etiam his conſuleret, qui iam deſciſcentes à veritate quodāmodo aduerſus ipſam arma inducentes gentibus ſe copulauerant. Qui ſi vel nunc vera fide voluerint obſequia ſanctiſſimæ legi deferre, intelligere poterunt, quantū ſibi nutu Dei ſit prouiſum. Et hoc quidem, ſanctiſſimi fratres, ſperabā etiam in eis quibus ingenita eſt maxima durities animi, poſſe reprehēdi. Sed nō profuit apud eos recta diiudicatio, neq; in eorū ſenſus ingreſſa eſt diuinitas propitia. Re vera enim non immeritò ab his procul abſceſſerit Chriſti clementia, in quibus manifeſta luce claret, huiuſmodi eſſe, vt eos etiam à cæleſti prouiſione exoſos cernamus. quæ in ipſos tāta veſania perſeuerat, cùm incredibili arrogantia perſuadeant ſibi quæ nec dici nec audiri fas eſt, deſciſcentes à recto iudicio dato, quo cæleſti prouiſione meum iudicium eos cōperi poſtulare. quæ vis malignitatis in eorumdem pectoribus perſeuerat. Quotiens à me iam ipſo improbiſſimis aditionibus ſuis ſunt condigna reſponſione oppreſſi? qui vtique ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minimè hoc ipſum interpoſuiſſent. Meum iudicium poſtulāt, qui ipſe iudicium Chriſti expecto. Dico enim vt ſe veritas habet, ſacerdotum iudicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet. Nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud iudicare, niſi quod Chriſti magiſterio ſunt edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia vt verè dixit Diaboli? Perquirūt ſæcularia, relinquentes cæleſtia. O rabida furoris audacia! ſicut in cauſis gentium fieri ſolet, appellationem interpoſuerūt. Equidem gentes, minora interdum iudicia refugientes, vbi iuſtitia deprehendi poteſt, magis ad maiora iudicia auctoritate interpoſita ad appellationem ſe cōferre ſunt ſolitæ. Quid hi detractores legis, qui renuentes cæleſte iudicium, meum putauerunt poſtulandum, ſic ſentire de Chriſto ſaluatore? Ecce iam proditores, ecce ſine vlla acriori diſquiſitione, ipſi per ſemet prodiderūt facinora ſua. Quæ ab ipſis ſentitur humanitas, qui in ipſo Deo immanes proſilierunt? Equidem fratres cariſſimi, licet hæc in ipſis videantur deprehenſa, nihilominus vos, qui Domini ſaluatoris ſequimini viam, patientiam adhibete, data his adhuc optione quid putent deligēdum. ac ſi eos in hiſdem videritis perſeuerare, protinus cum his quos Dominus dignos cultu ſuo iudicauit, proficiſcimini & redite ad proprias ſedes; meíque mementote, vt mei ſaluator noſter ſemper miſereatur. Ceterùm direxi meos homines, qui eoſdem infandos deceptores religionis protinus ad comitatum meum perducant, vt ibi degant, ibi ſibi mortem peruideant. Dedi quoque literas competentes ad eum, qui Vicariam Præfecturam per Africam tuetur, vt quotquot huius inſaniæ ſimiles inuenerit, ſtatim eos ad comitatum meum dirigat, ne vlterius ſub tanta claritate Dei noſtri ea ab ipſis fiant, quæ maximam iracundiam cæleſtis prouidentiæ poſſint incitare. Incolumes vos Deus omnipotens tribuat votis meis & veſtris per ſæcula, fratres cariſſimi.

Optatus lib. 1. contra Parmen.

CONCILIVM AGRIPPINENSE.

IN QVO EVPHRATAS COLONIÆ Agrippinæ Epiſcopus, quòd Chriſtum Deum negaret, hæreſis damnatus atque exauctoratus eſt, anno Chriſti CCCXLVI. *Iulij Papæ x. Conſtantis Aug. in Italia* IX. *in Gallia* V.

POST Conſulatum Amantij & Albini, IV. Idus Maias, quum conſediſſent Epiſcopi in Agrippinenſium ciuitate, id eſt Maximinus Treuirorum, Valentinus ab Arelato, Donatianus Cabillonorum, Seuerinus Senonum, Optatianus Tricaſſium, Ieſſes Nemetum, Victor Vangionum, Valerianus Autiſiodorenſium, Simplicius Auguſtodunenſium, Amandus Argentinenſium, Iuſtinianus Rauricorum, Eulogius Ambianorum, Seruatius Tungrorum, Dyſcolius Remorum: conſentientibus & mandantibus Martino Epiſcopo Moguntiacenſium, Victore Mediomatricorum, Deſiderio Lingonicæ, Panchario Veſontienſium, Sanctino à Laticlauo, Victorino Pariſiorum, Superiore Neruiorum, Mercurio Sueſſionum, Diopeto Aurelianorum, Euſebio Rotomagenſium. quumque recitata fuiſſet epiſtola plebis Agrippinenſium, ſed & omnium caſtrorum Germaniæ ſecundæ, de nomine Euphratæ, qui Chriſtum Deum negauit.

I. MAXIMINVS Epiſcopus dixit. Quia voluntas Dei patris, & Domini noſtri IESV Chriſti, voluit nos iuxta poſtulatum fratrum ad hoc Agrippinenſe oppidum conuenire, propter perditum & blaſphemum Euphratam, quem omnis mundus iam ore Domini cognouit eſſe damnatum; qui in Spiritum ſanctum eatenus blaſphemauit, quòd Chriſtum Deum negat: hanc mediocritas mea ſententiam fert, ſicut Dei & Domini noſtri Saluatoris ore prolata eſt dicentis, *Omnia peccata & blaſphemiæ remittuntur hominibus, qui autem blaſphemauerit Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque hîc, neque in futuro, ſed reus erit æterno iudicio.* Ideo Epiſcopum eum manifeſtum eſt eſſe non poſſe. Matth. 12. 31. Marc. 3. 28. Luc. 12. 10.

II. VALENTINVS Epiſcopus dixit. Quia Euphrata Chriſtum Deum negat, conſentio eum Epiſcopum eſſe non poſſe. qui nec laicam debet communionem accipere.

III. DONATIANVS Epiſcopus dixit. In pace negauit Chriſtum Deum. & ideo conſtat Euphratam non eſſe catholicum.

IV. Severinvs Epiſcopus dixit. Quum conſtet Euphratam ſubſcriptione fratrum plurimorum in Spiritum ſanctum blaſphemaſſe negando Deum Chriſtum; & ego conſentio eundem iuxta Euangelica præcepta iure ab Epiſcopatu eſſe deiectum.

V. Optatianvs Epiſcopus dixit. Et ego ſentio Euphratam in Epiſcopatu permanere non poſſe, qui in Spiritum ſanctum blaſphemauit negando Chriſtum Deum.

VI. Iesses Epiſcopus dixit. Non ſolùm epiſtolis omnium Eccleſiarum, quæ audierunt Euphratam negare Deum Chriſtum, ſed quòd ego ipſe auribus meis audiui ſub præſentia Martini conſenioris noſtri, & Metropij Preſbyteri, & Quintini Preſbyteri, & Victoris Diaconi, ideo conſenſi illum iure eſſe depoſitum.

VII. Victor Epiſcopus dixit. Quoniam palam factum eſt, & probatum, Euphratam immemorem ſacramenti cæleſtis blaſphemaſſe in Spiritum ſanctum, negando Chriſtum Deum Dei filium, & multis criminibus coarguitur, quod Epiſcopum nullo modo decet, conſentio eum eſſe depoſitum.

VIII. Valerianvs Epiſcopus dixit. Et ſi non omnes conſeniores, hîc apud Agrippinam Dei voluntate qui ſumus adunati, conueniſſemus, ſufficerat à quinque Epiſcopis Euphratam blaſphemum, quia Chriſtum Deum negat, pro meritis ſuis ſententiari eodem iure eſſe depoſitum. Nunc autem in præſenti maiora cognouimus: multorum etiam carorum laicorum ſubſcriptione manifeſtum eſt, quia primordialem Dominum & Deum noſtrum negat: cùm per vniuerſos Prophetas manifeſtetur illum ante mundi conſtitutionem fuiſſe cum Deo patre omnipotente: & quia omnes cecinerunt illum venturum, & pati pro totius mundi ſalute, ſicut ipſe compleuit. Quapropter Euphratas falſus doctor, qui nudum tantùm hominem aſſerit Chriſtum, rectè omnium conſacerdotum voce damnatus eſt. Ideo conſentio, vt ſi quis epiſtolas ipſius per catholicam Eccleſiam attulerit, communione priuetur. eundemque cenſeo iuſtè eſſe depoſitum.

IX. Simplicivs Epiſcopus dixit. Eſſe Epiſcopum non poſſe Euphratam conſentio, quia Chriſtum Deum negat.

X. Amandvs Epiſcopus dixit. Siquidem in præſenti, quando Euphrata à quinque Epiſcopis ſententiam accepit, me inter ipſos fateor eſſe conſentaneum, qui epiſtolis meis ad eundem deponendum conſenſi, ſecundum falſam doctrinam ipſius, ~~qui Chriſtum Dominum~~ Deum negat, meritò in ipſum ſententiam collatam eſſe conſtat. ad cuius damnationem conſentio.

XI. Ivstinianvs Epiſcopus dixit. Exempla clericorum Agrippinenſium, necnon & fratrum per ſingula caſtra conſtitutorum, quorum epiſtolæ & ſubſcriptiones tenentur, cognouimus Euphratam eſſe blaſphemum, qui Chriſtum ſaluatorem Dominum noſtrum Deum eſſe negat. Quapropter & ego conſentio illum ab Eccleſia catholica eſſe damnatum.

XII. Evlogivs Epiſcopus dixit. Diabolus qui ab initio fuit, qui periit primus, & ceteros perdidit, ipſe hodie in Euphrata perſiſtit. Nam & idem multos ſecum trahendo decepit. qui tamen meminiſſe debuerat

Gal. 1. 8. Apoſtolum prædicaſſe, qui ait: *Etſi Angelus deſcenderit de cælo, & vobis ali-*

ter prædicauerit, quàm vobis eſt prædicatum, anathema ſit. Quare Euphrata falſus doctor, legiſque ſubuerſor, meritò omnium Epiſcoporum ſententia damnatus eſt, qui benedictum Dominum & ſaluatorem noſtrum, auctorem lucis & vitæ, IESVM Chriſtum Deum negare auſus eſt. Et ideo puſillitatis meæ conſenſu, vt meretur, damnatione percuſſus eſt.

XIII. SERVATIVS Epiſcopus dixit. Quid fecerit, quidve docuerit Euphrata pſeudoepiſcopus, non opinione, ſed veritate cognoui pro finitimi loci coniuncta ciuitate. cuique publicè & domeſticè obſtiti ſæpe, cùm ille Chriſtum Deum negaret, audiente Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ, & Preſbyteris, & Diaconibus plurimis. Et idcirco cenſeo Chriſtianis Epiſcopum eum eſſe non poſſe, quia Deum Chriſtum ſacrilega voce negauit. neque illum Chriſtianum eſſe iudicandum, qui eiuſdem confinitimus fuerit inuentus.

XIV. DYSCOLIVS Epiſcopus dixit. Qui Chriſtum Deum negat in Eccleſia non poteſt permanere, dicente Domino noſtro Chriſto: *Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui eſt in cælis.* Matth. 10, 33.
Et ideo Euphratam inter ceteros fratres meos arbitror, & rectiſſimè cenſeo, eſſe Epiſcopum non permitti.

ITEM ex epiſtola Diopeti Epiſcopi Aurelianorum. Inter omnium voces Euphratas damnationi tradatur, atque puniatur, qui Chriſtum negat eſſe filium Dei. cuius falſa machinatio multis innocentibus attulit prauitatem. Sed neceſſe eſt, vt ipſe veterator, qui tantum molitus eſt ſcelus, cæleſti plaga feriatur.

Anno Christi 353. Constantii Imp. I.

CONCILIVM ARELATENSE.

IN QVO PAVLINVS TREVIRORVM EPISCOPVS, quòd in Athanaſij damnationem ſubſcribere nollet, Arrianorum factione depoſitus eſt, anno Chriſti CCCLIII. Liberij Papæ II. Conſtantij Aug. XVII. in Gallia I.

IN hac Synodo, cui & Conſtantius Imp. & Valens atque Vrſacius, aliique Arrianæ factionis principes, cum Saturnino Arelatenſi Epiſcopo interfuerunt, vi metuque compulſi ſunt orthodoxi, vt in Athanaſij damnationem ſubſcriberent. Edicto quippe ſanxerat Conſtantius, vt qui ſubſcribere detrectarent, exilio multarentur. De hoc ergo Arelatenſi conuentu Sulpitius Seuerus lib. II. Hiſtoriæ ſcribit his verbis: Cùm ſententiam Arrianorum, quam de Athanaſio dederant, noſtri non reciperent, edictum ab Imperatore proponitur, vt qui in damnationem Athanaſij non ſubſcriberent, in exilium pellerentur. Ceterùm à noſtris tum apud Arelatem ac Biterras oppida Galliarum Concilia fuere. Petebatur vt priuſquam in Athanaſium ſubſcribere cogeren-

tur, de fide potiùs diſceptarent; nec tum demum de re cognoſcendum, cùm de perſona iudicium conſtitiſſet. Sed Valens, ſociíque eius, priùs Athanaſij damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non auſi. Ab hoc partium conflictu agitur in exilium Paulinus. *Vnus hic enim Arrianorum in hàc Synodo conatibus, cùm ceteri cederent, conſtanter obſtitit. eámque ob cauſam à Synodo iam corrupta damnatus, in exilium ab Imperatore pulſus eſt. Hilarius in libello ad* Conſtantium : Euſebius poſt Arelatenſem Synodum, cùm Paulinus Epiſcopus tantis iſtorum ſceleribus contraiſſet, venire Mediolanum præcipitur. *Hilarius idem in Fragmentis.* Incipiam igitur ab his quæ proximè geſta ſunt, id eſt eo tempore, quo primùm in Arelatenſi oppido frater & comminiſter meus Paulinus Eccleſiæ Treuirorum Epiſcopus eorum ſe perditioni, ſimulationíque non miſcuit: & qualis fuit illa ſententia exponam, à qua referens voluntatem indignus Eccleſia ab Epiſcopis, dignus exilio à rege eſt iudicatus.

ANNO CHRISTI 356. — CONSTANTII IMP.4.

CONCILIVM BITERRENSE.

DE QVO HILARIVS PICTAVORVM EPISCOPVS Saturnini Arelatenſis dolo in exilium actus eſt, anno Chriſti CCCLVI. Liberij Papæ v. Conſtantij Aug. xx. in Gallia iv.

SYNODI Biterrenſis poſt Arelatenſem meminit, vt dictum eſt, Sulpitius Seuerus. In hac cùm hæreſim Arrianam ingerere pararet Saturninus Epiſcopus Arelatenſis, fidei periculum præuidens Hilarius, Epiſcopis qui ad Synodum conuenerant hæreſeos cognitionem obtulit, vt cauerent, ingerendaque blaſphemiæ patronos denuntiauit. ſed fruſtra, vt ipſemet narrat in libro aduerſus Conſtantium: Quibus poſtea, *inquit*, Gallicanis nimirum Epiſcopis, per factionem eorum pſeudoapoſtolorum ad Biterrenſem Synodum compulſis cognitionem huius hęreſeos obtuli. Sed hi timentes publicæ conſcientiæ, audire ingeſta à me noluerunt: putantes ſe innocentiam ſuam Chriſto poſſe mentiri, ſi volentes neſcirent quod geſturi poſtmodum eſſent ſcientes. *Et in libro de Synodis.* Manſit namque, atque etiamnunc permanet, poſt Synodi Biterrenſis profeſſionem, in qua patronos huius hæreſeos ingerendæ quibuſdam vobis teſtibus denuntiaueram, innocens, inuiolatáque religio. *Ea re commotus in Hilarium Saturninus, & quia is iam antè poſt Paulini, aliorúmque exilium, à Saturnini & ſociorum ſe communione ſeparauerat, aduerſantem conatibus ſuis non ferens, egit circumuento falſis Synodi nuntiis Conſtantio, vt Hilarius in exilium pelleretur. Quod Hilarius item ipſe docet in eodem libro de Synodis:* Vos comparticipes exilij mei, in quod me Saturninus, ipſam conſcientiam ſuam veritus circumuento Imperatore detruſerat. *Et in libello ad Conſtantium, cuius exordium,* Non ſum neſcius: Exulo autem, *inquit*, non cri-

mine, ſed factione, & falſis nuntiis Synodi apud te Imperatorem pium, non ob aliquam criminum meorum conſcientiam, per impios homines delatis. *Hieronymus denique de Scriptoribus Eccleſiaſticis* : Hilarius vrbis Pictauorum Aquitanicæ Epiſcopus, factione Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, de Synodo Biterrenſi Phrygiam relegatus.

ANNO CHRISTI 358. CONSTANTII IMP. 5.

CONCILIVM INCERTI LOCI.

IN QVO PERFIDIA SIRMIENSIS, HOC EST formula fidei per Oſium & Potamium Sirmij conſcripta, ab Epiſcopis Galliæ damnata eſt, anno Chriſti CCCLVIII. Liberij Papæ VIII. Conſtantij Aug. XXI. in Gallia V.

S*YNODI huius notitiam S. Hilario debemus, qui de Synodis ſcribens ad Epiſcopos Galliæ laudat illos, quòd miſſam ad ſe Potamij atque Oſij blaſphemiam damnarint, quæ ὁμοουσίου καὶ ὁμοιουσίου, id eſt tum eiuſdem, tum ſimilis ſubſtantiæ vocabula ſupprimebat.* Beatæ, *inquit*, fidei veſtræ litteris ſumptis, gratulatus ſum in Domino, incontaminatos vos & illæſos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe; & miſſam proximè vobis ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem non modò non ſuſcepiſſe, ſed nuntiatam etiam ſignificatámque damnaſſe. *Et alio poſt loco ſignificat ijs ipſis propè diebus illos hæreſim reſpuiſſe, quibus Orientales, vt eandem examinarent, Synodum Ancyranam celebrarunt. Celebrarunt autem, vt ex eiuſdem Synodi epiſtola, quam recitat Epiphanius hæreſi* LXXIII. *liquet, paulò antè dies Paſchæ. Quare ſub idem tempus Concilium hoc in Gallia coaluiſſe haud dubium eſt, ſed quo loco incertum. Extat porrò Phœbadij Aginnenſis in Aquitania Epiſcopi aduerſus Arrianos liber, in quo Sirmienſem eandem formulam, nuper, vt ſcribit, ad Gallos miſſam, per ſingula capita diſcutit, firmiſſimiſque rationibus confutat. ita vt Synodicæ, qua caremus, Concilij huius loco Phœbadij liber eſſe poſſit.*

Digitized by Google

CONCILIVM PARISIENSE I.

IN QVO FORMVLA FIDEI AB ARRIANIS ſuppreſſo vſiæ nomine condita, & Arimini ſuſcepta, damnata eſt, Saturninúſque Arelatenſis ab Eccleſia eiectus, anno Chriſti CCCLXII. Liberij Papæ XI. Iuliani Aug. II.

SYNODICA CONCILII, SEV FIDES catholica expoſita apud Pariſiam ciuitatem ab Epiſcopis Gallicanis, ad Orientales Epiſcopos.

DILECTISSIMIS ET BEATISSIMIS CONSACERdotibus Epiſcopis Orientalibus omnibus per diuerſas Prouincias in Chriſto manentibus Gallicani Epiſcopi ſalutem.

OMNI quidem vitæ noſtræ fideíque ſenſu gratias Deo patri per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum confitemur, quòd nos in lumine ſcientiæ confeſſionis ſuæ doctrinis & propheticis & apoſtolicis conlocauit, ne ſæcularis imperitiæ tenebris detenti iudicio ſæculi teneremur: cùm ſola ſpes ſit pleniſſima ad ſalutem, Deum patrem omnipotentem per vnigenitum eius Dominum IESVM Chriſtum in ſancto Spiritu confiteri. Sed planè non minor quotidie gratulationis noſtræ cauſa cumulatur, quòd liberans nos ab errore mundi, nunc etiam inexpiabili hæreticorum admiſceri non patitur ſocietati. Ex litteris enim veſtris, quas dilecto fratri & conſacerdoti noſtro Hilario direxiſtis, fraudem Diaboli, & conſpirantia aduerſus Eccleſiam Domini hæreticorum ingenia cognouimus, vt diuiſi in partibus Orientis, atque Occidentis, diuerſis inuicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ adfuerunt, ſub auctoritate veſtri nominis ad vſiæ ſilentium ſunt coacti. Quod verbum à vobis quondam contra Arriomanitarum hæreſim inuentum, à nobis ſemper ſanctè fideliterque ſuſceptum eſt. Nam homouſiou ſermonem ad veram & legitimam ex Deo patre vnigeniti natiuitatem ſumus amplexi; deteſtantes ſecundum Sabellij blaſphemias ipſam vnionem, neque aliquam partem patris eſſe filium intelligentes: ſed ex toto atque perfecto innaſcibili Deo, totum atque perfectum vnigenitum Deum natum, vnius à nobis idcirco vel vſiæ, vel ſubſtantiæ cum Deo patre confeſſum, ne creatura potiùs, aut adoptio, aut appellatio videretur. Et quia ex ipſo eſſet, vt ex patre

patre filius, vt ex Deo Deus, vt ex virtute virtus, vt ex ſpiritu ſpiritus, vt lumen ex lumine. Similitudinem quoque eius ad Deum patrem non inuiti audientes: quippe cùm imago inuiſibilis Dei ſit. Sed eam ſolùm ſimilitudinem dignam ad patrem intelligentes, quæ veri Dei ſit ad Deum verum. ita vt non vnio diuinitatis, ſed vnitas intelligatur: quia vnio ſit ſingularis, vnitas verò ſecundum natiuitatis veritatem plenitudo naſcentis ſit. Maximè cùm Dominus ipſe Iesvs Chriſtus ad diſcipulos ſuos ſit profeſſus dicens, *Ego & pater vnum ſumus.* Quo non ſolùm caritatem quæ ad patrem eſt, ſed & diuinitatem quæ Dei ex Deo eſt ſignificat, ſecundum illud, *Qui me videt videt & patrem,* &, *Si mihi non vultis credere, vel operibus meis credite, quia pater in me eſt, & ego in patre.* Hanc igitur ſemper fidem tenentes & tenebimus. deteſtantes quoque eos qui dicunt, Non erat antequam naſceretur. non quòd Vnigenitum Deum innaſcibilem prædicemus: ſed quòd impium ſit maximè Deo temporum tempus aliquod anteferre, cùm ipſum illud, antequam naſceretur non fuiſſe, ſit temporis. Sed & obedientem quoque patri filium etiam vſque ad mortem crucis ſecundum infirmitatem adſumpti hominis non negamus: cùm ipſe de aſcenſu ſuo ad cælos locutus ſit: *Si diligeretis me gauderetis, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt.* Per cuius carnis ſuſceptionem nos ſibi fratres connuncupare dignatus eſt, cùm in forma Dei manens forma ſerui eſſe voluit. Itaque, cariſſimi, cùm ex litteris veſtris in vſiæ ſilentio fraudem ſe paſſam ſimplicitas noſtra cognoſcat, etiam pietaté eorum qui Arimino Conſtantinopolim reuerterunt,* conuentos, ſicut epiſtola noſtra contenta teſtatur, neque eos ad tantam rem blaſphemiarum damnationem potuiſſe cõpellere fidelis Dominici nominis prædicator frater noſter Hilarius nuntiauerit; nos quoque ab his omnibus quæ per ignorantiam perperam geſta ſunt referimus. Auxentium, & Vrſacium, ac Valentem, Gaium, Megaſium, & Iuſtinum excommunicatos habemus ſecundum litteras veſtras, & certè, vt diximus, iuxta fratris noſtri Hilarij profeſſionem, qui ſe pacem cum his qui horum ſectarentur errores habiturum negauit, blaſphemias quoque omnes, quas litteris veſtris ſubieciſtis damnamus, maximéque eorum ſacerdotes apoſtatas reſpuentes, qui in loca fratrum indigniſſimè exulantium, quorumdam aut ignoratione, aut impietate ſunt ſubſtituti. pollicentes hoc coram Deo, atque etiam confitentes, vt quiſque his quæ ſtatuimus intra Gallias putauerit renitendum, à communione ac ſede ſit ſacerdotij abiiciendus. Neque enim, vt aliàs, aut occaſionem prædicandi non damnando permittens, aut contra Deum & Chriſti vnigeniti Dei maieſtatem aliter, quàm nos de homouſiou ſignificatione ſentimus, obnitens dignus erit ſanctitate ſacerdotij nominis iudicandus. à quo etiam Saturninum, qui ſtatutis ſalubribus impiiſſimè contradixit, ſecundum fratrum noſtrorum geminas iam litteras, excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis caritas veſtra cognoſcat. quem & vetera diſſimulata iamdiu licet crimina, & cetera edita epiſtolis ſuis nouæ temeritatis inreligioſitas, indignum Epiſcopi nomine eſſe fecerunt.

Ioan. 10. 30. — Ioan 14. 9. — Ioan. 10. 38. — Ioan. 14. 28.

Explicit fides catholica expoſita apud Pariſiam ciuitatem ab Epiſcopis Gallicanis ad Orientales Epiſcopos.

CONCILIVM VALENTINVM I.

STATVTA SYNODI APVD ECCLESIAM Valentinam, ſub die IV. Idus Iulias, Gratiano Aug. III. & Equitio v. c. Conſulibus, anno Chriſti CCCLXXIV. Gratiani eiuſdem Auguſti, & Damaſi Papæ VII.

TITVLI CANONVM.

1. De digamis non ordinandis.
2. De puellis Deo deuotis, ſi ad terrenas nuptias tranſierint.
3. De ijs qui poſt acceptum baptiſmum ſacrificiis ſe dæmonum, vel inceſta lauatione polluerint.
4. Si quis de ſe verum vel falſum crimen ſub ordinatione profeſſus fuerit.

SYNODICA AD VNIVERSOS Epiſcopos Galliarum.

DILECTISSIMIS fratribus per Gallias, & quinque prouincias conſtitutis Epiſcopis, Fœgadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Æmilianus, Britto, Iuſtus, Euodius, Rhodanius, Eortius, Chreſtus, Concordius, Conſtantius, Paulus, Antherius, Felix, Neoterius, Nicetius, Vrbanus, Simplicius, & Vincentius Epiſcopi in Domino ſalutem. TRANSACTIS Valentiæ omnibus, & in Dei nomine in ſtatu meliore compoſitis, quæ fuerant cœpta cauſa diſcidij, quorumdam fuit fratrum vtilis & religioſa ſuggeſtio, retractandum etiam de his, quæ nec recipere poſſumus ob Eccleſiæ ſanctitatem, nec tamen vſurpatæ conſuetudinis cauſa damnare. Ita enim per omnes Eccleſias eiuſmodi vitiorum germen inoleuit, vt ad plena remedia difficilis ſit recurſus; certè non ſine verecundia eorum quos cauſa contingit. Quocirca, fratres, librato diu, moderatóque conſilio ea cautelæ ratio ſeruata eſt, quæ & ſcandala ſubmoueret, & ſanctitatem Eccleſiæ cuſtodiret.

CANONES.

I. De digamis non ordinandis.

Sedit igitur, neminem poſt hanc Synodum, qua eiuſmodi illicitis vel ſerò ſuccurritur, de digamis, aut internuptarum mariti, ſordinari clericum poſſe. Nec requirendum, vtrúmne initiati ſacramentis diuinis, ánne gentiles, hac ſe infelicis ſortis neceſſitate macularint,

cùm diuini præcepti caſta ſit forma. Sed quia fratrum noſtrorum vel imperitiam, vel ſimplicitatem, vel etiam præſumptionem damnare non poſſumus, nec per omnes Eccleſias quæ ſunt iam pridem malè geſta corrigere, placuit etiam de eorum ſtatu qui priùs ordinati ſunt nihil reuolui, ſi nulla extrinſecùs cauſa procedat, qua indigni miniſterio comprobentur.

II. *De puellis Deo deuotis, ſi ad terrenas nuptias tranſierint.*

De puellis verò quæ ſe Deo vouerunt, ſi ad terrenas nuptias ſpontè tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt pœnitentia his nec ſtatim detur; & cùm data fuerit, niſi plenè ſatisfecerint Deo in quantum ratio popoſcerit, earumdem communio differatur.

III. *De iis qui poſt acceptum baptiſmum ſacrificiis ſe dæmonum, vel inceſta lauatione polluerint.*

Circa eorum verò perſonas, qui ſe poſt vnum & ſanctum lauacrum, vel profanis ſacrificiis dæmonum, vel inceſta lauatione polluerint, eam cenſuræ formam duximus eſſe ſeruandam, vt his iuxta Synodum Nicænam ſatisfactionis quidem aditus non negetur, ne infelicibus lacrymis vel ſolatij ianua deſperatione claudatur: acturi verò pœnitentiam vſque in diem mortis, non ſine ſpe tamen remiſſionis, quam ab eo plenè ſperare debebunt, qui eius largitatem & ſolus obtinet, & tam diues miſericordia eſt, vt nemo deſperet. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.

Synodus Nic. c. 11.

IV. *Si quis de ſe verum, vel falſum crimen ſub ordinatione profeſſus ſit.*

Nec illud, fratres, ſcribere alienum ab Eccleſiæ vtilitate cenſuimus, vt ſciretis, quicumque ſe ſub ordinatione vel Diaconatus, vel Preſbyterij, vel Epiſcopatus, mortali crimine dixerint eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſubmouendos, reos ſcilicet vel veri confeſſione, vel mendacio falſitatis. Neque enim abſolui in his poteſt, quod dictum in alios puniretur: cùm omnis qui ſibi fuerit mortis cauſa maior homicida ſit. Diuina vos pietas in æternum cuſtodiat, fratres dilectiſſimi.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Florentius Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis ſubſcripſi.
Ego Æmilianus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Eumerius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Artemius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Euodius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Antherius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Rhodanius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.

Ego Chreſtus Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Neoterius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Vrbanus Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Paulus Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Simplicius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Iuſtus Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Eortius Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Britto Epiſcopus opto vos, fratres, in Domino bene valere.
Ego Concordius Epiſcopus, &c. *eodemq; modo & alij deinceps ſubſcripſerunt.*

Epiſtola eiuſdem Concilij ad clerum & plebem Eccleſiæ Foroiulienſis.

DILECTISSIMIS fratribus, clero & plebi Eccleſiæ Foroiulienſis, Fœgadius, Eumerius, Florentius, Artemius, Æmilianus, Britto, Iuſtus, Euodius, Rhodanius, Eortius, Chreſtus, Conſtantius, Paulus, Concordius, Antherius, Neoterius, Nicetius, Vrbanus, Felix, Simplicius, & Vincentius Epiſcopi in Domino ſalutem.

QVAMVIS tam ea benedictus frater noſter Concordius de ſanctiſſimi Accepti perſona ſuggeſſerit, quæ prudenti & Chriſtiano viro digna ſunt, quàm quòd ſtudio omnium veſtrûm ad honorem ſacerdotij poſcatur edixerit: tamen quia in Synodo iam ſederat, ordinationes huiuſmodi ſubmouendas, quæ ſine ſcandalo eſſe non poſſunt; non potuimus præſtare vni quod ceteris negabatur. Et licet non ignoraremus, multos verecundia, & nonnullos ſuſcipiendi ſacerdotij metu trepidos, quæ vtique ſigna ſunt ſanctitatis, falſa in ſe reiiciendi honoris cauſa dixiſſe: tamen quia omnium fere ad ea quæ ſunt peiora procliue iudicium eſt, & materies diſputationum ex obtrectatione ſacerdotum Dei quæritur; ſedit in Synodo, vt quiſquis de ſe vel vera, vel falſa dixiſſet, fides ei, quam ſuomet teſtimonio confirmaret, haberetur. Quapropter decretum eſt ſubmouendos protinus eſſe ab eo gradu, quem ab omni ſcandalo liberum eſſe decet. Diuina vos pietas in æternum protegat, fratres dilectiſſimi.

Can. 4. huius Concilij.

Epiſtola Concilij Aquileienſis ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, & vtriuſque Narbonenſis, gratias agens de Epiſcopis, quos vice ſua legatos miſerant ad Concilium, anno Chriſti CCCXXCI. Gratiani Aug. XV. Damaſi Papæ XIV.

CONCILIVM QVOD CONVENIT AQVILEIÆ dilectiſſimis fratribus Epiſcopis prouinciæ Viennenſis, & Narbonenſium primæ & ſecundæ.

AGIMVS gratias ſanctæ vnanimitati veſtræ, quòd in dominis & fratribus noſtris, Conſtãtio & Proculo, omnium nobis veſtrûm præſentiam contuliſtis: ſimul præſcripta maiorum ſequentes non mediocre addidiſtis pondus ſententiis noſtris, cum quibus etiam veſtræ ſanctitatis conuenit profeſſio, domini fratres dilectiſſimi.

Itaque vt libenter ſuſcepimus memoratos de veſtro noſtróque conſortio ſanctos viros; ita etiam vberi gratiarum actione dimittimus. Quàm neceſſarius autem conuentus hîc fuerit, rebus ipſis pateſcit, quando aduerſarij & inimici Dei, Arrianæ ſectæ hæreſis defenſores, Palladius ac Secundinus, duo tantùm qui auſi ſunt ad Concilium conuenire, debitam præſentes excepere ſententiam ſuper impietate conuicti. Incolumes vos & florentiſſimos Deus noſter tueatur omnipotens, domini fratres dilectiſſimi. Amen.

Sententia Gallicanorum Epiſcoporum in Concilio Aquileienſi dicta aduerſus Palladium hæreſis Arrianæ aſſertorem.

AMBROSIVS Epiſcopus dixit: Dicant enim ſancti viri legati Gallorum. CONSTANTIVS Epiſcopus legatus Gallorum dixit: Hanc impietatem eius hominis, & ſemper damnauimus, & nunc damnamus non ſolùm Arrium, ſed & quicumque filium Dei non dixerit ſempiternum.

AMBROSIVS Epiſcopus dixit: Quid etiam dicit Dominus meus Iuſtus? IVSTVS Epiſcopus legatus Gallorum dixit: Qui filium Dei coæternum cum patre non confitetur, anathema habeatur. *Item poſt alia.*

CONSTANTIVS Epiſcopus Arauſicus dixit: Palladium Arrij diſcipulum, cuius impietates iam olim damnatæ ſunt à patribus noſtris in Concilio Nicæno, & nunc hodie probatæ, cùm recenſerentur à Palladio ſingulæ, quia non confuſus eſt, dum Dei filium à Deo patre eſſe alienum, cùm creaturam confitetur, cùm temporeum dicit, Dominum verum negat, in ſempiternum cenſeo eſſe damnandum.

IVSTVS Epiſcopus dixit: Palladium, qui blaſphemias Arrij damnare noluit, ſed etiam magis has confiteri videtur, cenſeo vlteriùs ſacerdotem dici non poſſe, nec inter Epiſcopos deputari.

THEODORVS Epiſcopus Octodorenſis dixit: Palladium, qui Chriſtum Deum verum coæternum patri negauit, nec Chriſtianum hunc, nec ſacerdotem vllo modo cenſemus.

DOMNINVS Epiſcopus Gratianopolitanus dixit: Palladium in perfidia Arrij permanentem, in perpetuum, ſicut & fratres damnauerunt, etiam & ego cenſeo eſſe damnandum.

PROCVLVS Epiſcopus Maſſilienſium dixit: Palladium, qui Arrij blaſphemias ſub quadam impia hæreditare non condemnando defendit, ſicut hunc & plurimorum iam venerabilium ſacerdotum ſententia blaſphemum deſignauit, atque à ſacerdotio alienum duxit, ita mea pariter ſententia in perpetuum condemnatum deſignat.

AMANTIVS Epiſcopus Nicenſis dixit: Palladium, qui ſectam Arrij non deſtruxit, ſecundum conſacerdotum meorum iudicium, etiam & ego condemno.

ANNO CHRISTI 385.

CONCILIVM BVRDIGALENSE.

MAXIMI IMP. 2.

ADVERSVS PRISCILLIANISTAS, EORVMQVE auctorem Priſcillianum, Arcadio Aug. & Bautone Coſs. congregatum, anno Chriſti CCCXXCV. Siricij Papæ I. Maximi Imp. II.

DAMNATI iam antea fuerant Priſcillianiſtæ à Synodo Cæſarauguſtana, tum deinde Gratiani Imp. reſcripto relegati. Sed cùm à Gratiano eodem reſcriptum alterum elicuiſſent, quo reſtitui Eccleſiis iubebantur, egit Ithacius præcipuus illorum inſectator cum Maximo, qui tum cæſo Gratiano Gallias obtinebat, vt de his iudicium inſtauraretur. quod factum eſt in hac Synodo Burdigalenſi. Ad quam cùm deducti fuiſſent inter ceteros Inſtantius & Priſcillianus, Inſtantio Epiſcopatus abrogatus eſt, Priſcillianus verò, vt Synodi iudicium euaderet, ad Principem prouocauit: cuius poſtmodùm ſententia capitis damnatus eſt. Quæ omnia fuſiùs exequitur Sulpitius Seuerus libro II. ſacræ Hiſtoriæ. De Synodo autem noſtra his verbis: Quibus, *inquit*, permotus Imperator, datis ad Præfectum Galliarum, atque ad Vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino, quos labes illa inuolucrat, deduci ad Synodum Burdigalenſem iubet. Ita deducti Inſtantius & Priſcillianus. quorum Inſtantius prior iuſſus cauſam dicere, poſtquam ſe parùm expurgabat, indignus eſſe Epiſcopatu pronuntiatus eſt: Priſcillianus verò, ne ab Epiſcopis audiretur, ad Principem prouocauit. Permiſſúmque id noſtrorum inconſtantia. quia aut ſententiam in refragantem ferre debuerant; aut ſi hi ipſi ſuſpecti habebantur, aliis Epiſcopis audientiam reſeruare, non cauſam Imperatori de tam manifeſtis criminibus permittere. Ita omnes, quos cauſa inuoluerat, ad regem deducti. *Proſper item in Chronico.* Arcadio & Bautone Conſulibus, Priſcillianus in Synodo Burdigalenſi ſe damnandum intelligens, ad Imperatorem Maximum prouocauit: auditúſque Treuiris ab Euodio Præfecto prætorio, à Maximo gladio addictus eſt, cum Eucrocia Delphidij rhetoris coniuge, & Latroniano, aliiſque erroris conſortibus.

ANNO CHRISTI 386. MAXIMI IMP. 3.

CONCILIVM TREVIRENSE.

IN QVO ITHACIVS PRISCILLIANI ACCVSATOR abſolutus, Felix Treuirorum Epiſcopus Martino præſente ordinatus eſt, Honorio N. P. & Euodio V. C. Conſulibus, anno Chriſti CCCXXCVI. Siricij Papæ II. Maximi Imp. III.

REPREHENDERANT in Ithacio multi, quòd Priſcillianum, eiuſque ſocios, præter morem Eccleſiaſticum, in cauſa capitis inſectaretur. Quo nomine à S. Martino ante iudicium, vt ab accuſatione deſiſteret, ſæpe admonitus; poſt necem verò Priſcilliani, à Theognoſto Epiſcopo palàm damnatus eſt. Hinc Epiſcoporum in duas partes factum diſcidium: aliis quibus ſanior mens erat, Ithacij communionem vitantibus, aliis metu regis, qui homini fauebat, cum illo communicantibus. Ex hoc genere ij fuerunt, qui ad Synodum Treuirenſem hoc anno Felicem Epiſcopum ordinaturi conuenerant. Nam & Ithacium nulla ob eam rem culpa teneri in Synodo pronuntiarunt: & Maximo auctores fuerunt, tum vt Tribunos in Hiſpaniam cum iure gladij mitteret, qui eius ſectæ conuictos vita boniſque ſpoliarent: tum vt Martinum, qui per eos dies ad comitatum venerat, ad ipſorum communionem vi regia impelleret. Ad quam quidem Martinus, cùm aliter reis veniam, quam precabatur, & ne Tribuni ad Hiſpanias pergerent, impetrare non poſſet, inflecti ſe tandem paſſus eſt, Synodúmque ingreſſus ordinationi Felicis interfuit. Sed facti mox pertæſus, ab Ithacianæ partis communione in poſterum ſemper abſtinuit. Hæc rerum ſumma. reſtat vt Seuerum ſingula in Dialogis vberiùs narrantem audiamus.

VENIAM, *inquit*, ad illud, quod propter noram temporum Martinus ſemper occultauit, ſed nos celare non potuit: in quo eſt illud miraculi, quòd facie ad faciem cum eo eſt Angelus collocutus. Maximus Imperator, aliàs ſanè bonus, deprauatus conſiliis ſacerdotum, poſt Priſcilliani necem, Ithacium Epiſcopum Priſcilliani accuſatorem, ceteróſque illius ſocios, quos nominari non eſt neceſſe, vi regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuſcúmque modi hominem fuiſſe damnatum. Interea Martinus multis grauibúſque laborantium cauſis ad comitatum ire compulſus, procellam ipſam totius tempeſtatis incurrit. Congregati apud Treueros Epiſcopi tenebantur; qui quotidie communicantes Ithacio communem ſibi cauſam fecerant. Lib. 3 c. 15. De vita S. Martini.

His vbi nuntiatum eſt inopinantibus adeſſe Martinum, totis animis labefactati muſſitare & trepidare cœperunt. Et iam pridie Imperator ex eorum ſententia decreuerat Tribunos ſumma poteſtate armatos ad Hiſpanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin ſanctorum etiam maximam turbam tempeſtas iſta depopulatura eſſet, paruo diſcrimine inter hominum genera. etenim tum ſolis oculis iudicabatur, cùm quis pallore potiùs, aut veſte, quàm fide hæreticus exiſtimaretur. Hæc nequaquam placitura Mar-

tino Epiſcopi ſentiebant. ſed malè conſciis illa vel moleſtiſſima erat cura, ne ſe ab eorum communione adueniens abſtineret, non defuturis qui tanti viri conſtantiam præmiſſa auctoritate ſequerentur. Ineunt cum Imperatore conſilium, vt miſſis obuiam Magiſterij officialibus, vrbem illam propiùs vetaretur accedere, niſi ſe cum pace Epiſcoporum ibi conſiſtentium adfore fateretur. Quos ille callidè fruſtratus, profitetur ſe cum pace Chriſti eſſe venturum. Poſtremò ingreſſus nocturno tempore adiit Eccleſiam tantùm orationis gratia: poſtridie palatium petiit. Præter multas, quas euoluere longum eſt, has principales petitiones habebat; pro Narſete Comite, & Leucadio Præſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus ſtudiis, quæ non eſt huius temporis explicare, iram victoris emeriti. Illa præcipua cura, ne Tribuni cum iure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur. pia enim erat ſollicitudo Martino, vt non ſolùm Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret.

Verùm primo die atque altero ſuſpendit hominem callidus Imperator, ſiue vt rei pondus imponeret, ſiue quia nimis ſibi implacabilis erat, ſeu quia, vt plerique tum arbitrabantur, auaritia repugnabat: ſiquidem in bona eorum inhiauerat. Fertur enim ille vir, multis boniſque actibus præditus, aduerſus auaritiam parum conſuluiſſe. niſi fortaſſe regni neceſſitate, quippe exhauſto ſuperioribus Principibus reipublicæ ærario, penè ſemper in expeditione atque procinctu bellorum ciuilium conſtitutus, facilè excuſabitur quibuſlibet occaſionibus ſubſidia Imperio parauiſſe. Interea Epiſcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad regem concurrunt, prædamnatos ſe conquerentes: actum eſſe de ſuo omnium ſtatu, ſi Theognoſti pertinaciam, qui eos ſolus palàm lata ſententia condemnarat, Martini armaret auctoritas. non oportuiſſe hominem recipi mœnibus: illum iam non defenſorem hæreticorum eſſe, ſed vindicem: nihil actum morte Priſcilliani, ſi Martinus exerceat illius vltionem. Poſtremò proſtrati cum fletu & lamentatione poteſtatem regiam implorant, vt vtatur aduerſus vnum hominem vi ſua. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum hæreticorum ſorte miſcere.

Sed ille, licet Epiſcopis nimio fauore eſſet obnoxius, non erat neſcius Martinum fide, ſanctitate, & virtute cunctis præſtare mortalibus. alia longè via ſanctum vincere parat. Ac primò ſecretò accerſitum blandè appellat. hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum potiùs quàm inſectationibus ſacerdotum: non eſſe cauſam, qua Ithacij, ceterorúmque partis communionem putaret eſſe damnandam: Theognoſtum odio potiùs quàm cauſa feciſſe diſcidium: eundémque tamen ſolum eſſe, qui ſe à communione interim ſepararit: à reliquis nihil nouatum. quin etiam ante paucos dies habita Synodus Ithacium pronuntiauerat culpa non teneri. Quibus cùm Martinus parùm moueretur, Rex ira accenditur, ac ſe de conſpectu eius abripuit: & mox percuſſores his, pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur. Quod vbi Martino compertum iam noctis tempore eſt, palatium irrumpit, ſpondet, ſi parceretur, ſe communicaturum, dummodo vt & Tribuni iam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi retraherentur. Nec mora interceſſit: Maximus indulget omnia.

Poſtridie

Poſtridie Felicis Epiſcopi ordinatio parabatur, ſanctiſſimi ſanè viri, & planè digni, qui meliore tempore ſacerdos fieret. Huius diei communionem Martinus iniit, ſatius æſtimans ad horam cedere, quàm his non conſulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Verumtamen ſumma vi Epiſcopis nitentibus, vt communionem illam ſubſcriptione firmaret, extorqueri non potuit. Poſtero die ſe inde proripiens, cùm reuertens in via mœſtus ingemiſceret ſe vel ad horam noxiæ communioni fuiſſe permixtum: haud longè à vico, cui nomen eſt Andethanna, qua vaſtas ſolitudines ſiluarum ſecreta patiuntur, progreſſis paululum comitibus, ille ſubſedir, cauſam doloris ac facti accuſante ac defendente inuicem cogitatione peruoluens. Adſtitit ei repentè Angelus, Meritò, inquit, Martine compungeris, ſed aliter exire nequiſti. Repara virtutem, reſume conſtantiam, ne iam non periculum gloriæ, ſed ſalutis incurreris. Itaque ab illo tempore ſatis cauit cum illa Ithacianæ partis communione miſceri. Ceterùm cùm quoſdam ex energumenis tardiùs quàm ſolebat, & gratia minore curaret, ſubinde nobis cum lacrymis fatebatur, ſe propter communionis illius malum, cui ſe vel puncto temporis neceſſitate non ſpiritu miſcuiſſet, detrimentum ſentire virtutis. Sedecim poſtea vixit annos: nullam Synodum adiit, ab omnibus Epiſcoporum conuentibus ſe remouit.

EPISTOLA MAXIMI IMP. AD SIRICIVM PAPAM.

In qua fidem catholicam profitetur, Agricijque presbyteri cauſam, qui malè ordinatus dicebatur, Synodo Epiſcoporum Galliæ ſe permiſſurum reſpondet. Nonnulla etiam addit de Manichæorum ſceleribus patefactis.

VICTOR MAXIMVS PERPETVVS TRIVMPHATOR Auguſtus Domino verè ſancto Apoſtolico viro Siricio ſalutem.

Accepimvs litteras ſanctitatis tuæ, quæ nobis fuere gratiſſimæ, quæque planè & nomini ſacerdotis, & dignitati vrbis ſplendidiſſimæ conuenirent. Fidei verò catholicæ, de qua clementiam noſtram conſulere voluiſti, quo maius circa me & ſpeciale iudicium diuinitatis experior, hoc me confiteor cūram habere maiorem. qui videlicet ad Imperium ab ipſo ſtatim ſalutari fonte cōſcenderim, & cui in omnibus ſemper conatibus, atque ſucceſſibus Deus fautor affuerit, cuiuſque hodie, & vt ſpero perpetuò protector & cuſtos eſſe dignetur, Pater cariſſime. Ceterùm de Agricio, quem indebitè ad preſbyterij gradum conſcendiſſe commemoras, quid religioni noſtræ catholicæ poſſum præſtare reuerentiùs, quàm vt de hoc ipſo, cuiuſcemodi eſſe videatur, catholici iudicent ſacerdotes? Quorum conuentum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque Prouincias commorantur, in qua elegerint vrbe, conſtituam, vt iiſdem reſidentibus & cognoſcentibus, quid habeat conſuetudo, quid legis ſit iudicetur. Hæc enim quæ libris ſunt aſſerenda, & maiorum noſtrorum religioſiſſimis conſtitutis, ipſi poſſunt meliùs adſtruere, qui norunt. Ceterùm id nobis animi & voluntatis eſſe profitemur, vt fides catholica procul omni diſſenſione ſubmota, concordantibus vniuerſis ſacerdotibus, & vnanimiter

Deo ſeruientibus, illæſa & inuiolabilis perſeueret. Nam noſter aduentus ita inquinata aliqua, & ſceleratorum labe polluta deprehendit & reperit, vt niſi noſtra prouiſio atque medicina, quæ ex Dei ſummi timore veniebat, his opem celeriter attuliſſet, ingens profectò diuulſio atque perditio fuiſſet exorta, & vix ſananda poſtea vitia concreuiſſent. Ceterùm quid adhuc proximè proditum ſit Manichæos ſceleris admittere, non argumentis, neque ſuſpicionibus dubiis vel incertis, ſed ipſorum confeſſione inter iudicia prolatis, malo quod ex geſtis ipſis tua Sanctitas, quàm ex noſtro ore cognoſcat: quia huiuſmodi non modò factu turpia, verùm etiam fœda dictu, proloqui ſine rubore non poſſumus. *Manu Imperatoris:* Diuinitas te ſeruet per multos annos.

Profeſſio fidei catholicæ de Trinitate, quæ in veteribus membranis S. Martino Turonenſi Epiſcopo adſcribitur.

Clemens Trinitas eſt vna diuinitas. Vt autem per ſacramentum cognoſcatur, vnitas eſt ab eo qui eſt, & Spiritus ſanctus à quo qui eſt & vnigenitus: ſic exiſtens diuinæ naturæ, lucis, ſpiritus, à ſeſe per naturam, per ſubſtantiam maieſtatis, poteſtatis, virtutis, diuinæ lucis, vnus in duobus, & vterque in idipſum. Pater in Filio, Filius in Patre, vterque in Spiritu ſancto. Sic tribus perſonis confitemur corpus præſcientiæ, quod ſuper omnia cuncta concludit. In hoc myſterium ergo credimus, eſſe ex nullis extantibus cuncta orta. Quod myſterium mens humana concipere non poteſt, nec oratoria lingua enarrare, neque diffuſi ſermonis bibliothecarum volumina. Si totum mundum libri repleant, diuina ſcientia nôn poſſit inenarrabilis enarrari: qui eſt indicibilis, nullo modo poſſit deſcribi, neque concludi, aut verbum, aut ſubſtantia propria diuinitatis ſuæ, qui eſt fons diuinæ lucis, luminis, ſubſtantiæ ſuæ natura. Sileat lingua oratoria, quia deficit ſermo de indicibili. Cùm conſummauerit mens humana de diuina maieſtate dicere, tunc incipit. Quanta ſit autem diuina clementia, nemo ſcit, niſi qui genuit, & nemo comperit ſecreta Patris, niſi is qui per naturam naſcendi initium amiſit. Omnis ergò manſuetudo & modeſtia peritorum conuertatur ad Prophetam: de dominica auctoritate præſumat dicendo, Credidi, propter quod locutus ſum. Quòd autem per myſterium ſimplex ſit profeſſio, vt fundamentum Eccleſiæ ſolidata Apoſtolica auctoritate prædeſtinatio ſequens præſumat, dicens, De cetero nemo mihi moleſtus ſit, ego credo in Chriſtum & hunc crucifixum. quia cùm confitetur filium hominis, confitetur & Spiritum ſanctum: quia è Spiritu ſancto & Maria Virgine mediator naſcitur. cùm confitetur primogenitum, neceſſe eſt de vnigenito qui teſtimonium dicat, vnum & ſolum ſine origine eſſe in tertiam perſonam. Patrem confitetur exiſtentis diuinæ naturæ, lucis, ſpiritus, vt dixi. qui ſecundum naturam, vt ſupra dixi, eſt vnus in duobus, & vterque in idipſum, Pater in Filio, Filius in Patre, Pater in Spiritu ſancto, vnum in ſancta Eccleſia, nunc & in immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

CONCILIVM TAVRINENSE

EPISCOPORVM GALLIÆ ROGATV IN Taurinatum vrbe congregatum, x. Kalendas Octobris, anno Chriſti, vt coniectura eſt, CCCXCVII. Honorij Auguſti III. Siricij Papæ XIII.

TITVLI CANONVM.

1. *De primatu Proculi Epiſcopi Maſſilienſis.*
2. *De primatu Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ.*
3. *De ordinationibus illicitis contra ſtatuta patrum præſumptis.*
4. *De Palladio laico, qui presbytero crimen intulerat.*
5. *De Exuperantio presbytero, qui Epiſcopo ſuo contumelioſus extitit.*
6. *De ijs qui à Felicis Epiſcopi communione ſe ſeparare voluerint, vt recipiantur.*
7. *Vt clericum alterius nemo ſuſcipiat, vel Eccleſiæ ſuæ ordinet, neque abiectum in communionem recipiat.*
8. *De ordinatis contra interdictum, & de ijs qui ordinati filios genuerunt.*

SYNODICA AD VNIVERSOS EPISCOPOS Galliarum.

SANCTA Synodus, quæ conuenit in vrbe Taurinatium die x. Kalendas Octobris, fratribus dilectiſſimis per Gallias, & quinque Prouincias conſtitutis. CVM ad poſtulationem prouinciarum Galliæ ſacerdotum conueniſſemus ad Taurinatium ciuitatem, atque in eiuſdem vrbis Eccleſia auctore vel medio Domino ſederemus, auditis allegationibus Epiſcoporum, eorum videlicet qui ad iudicium noſtrum fuerant congregati, de ſingulis negotiis hæc ſententiæ forma proceſſit; ita vt pacis bonum, & inſtituta canonum ſeruarentur, & plurimorum intentionibus adhiberetur vtilis medicina.

CANON I.

I. *De primatu Proculi Epiſcopi Maſſilienſis.*

Nam cùm primùm omnium vir ſanctus Proculus Maſſilienſis Epiſcopus ciuitatis ſe tanquam Metropolitanum Eccleſiis, quæ in ſecunda Prouincia Narbonenſi poſitæ videbantur, diceret præeſſe debere, atque per ſe ordinationes in memorata prouincia ſummorum fieri ſacerdotum: ſiquidem aſſereret eaſdem Eccleſias vel ſuas parochias fuiſſe, vel Epiſcopos à ſe in eiſdem Eccleſiis ordinatos; &

è diuerſo eiuſdem regionis Epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius prouinciæ ſacerdotem præeſſe non debere contenderent: id iudicatum eſt à ſancta Synodo contemplatione pacis atque concordiæ, vt non tam ciuitati eius, quæ in altera prouincia ſita eſt, cuius magnitudinem penitus neſciremus, quàm ipſi potiſſimum deferretur, vt tanquam pater filiis honore primatus adſiſteret. Dignum enim viſum eſt, vt quamuis vnitate prouinciæ minimè tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu. Hæc igitur ipſi tantùm in vita eiuſdem forma ſeruabitur, vt in Eccleſiis Prouinciæ ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas parochias, vel ſuos diſcipulos fuiſſe ordinatos conſtiterit, primatus habeat dignitatem. Illud quoque à partibus ſit obſeruandum, quod licèt ex ſuperfluo, non tamen inutiliter commonetur, vt ipſe ſanctus Proculus, tanquam pius pater, conſacerdotes ſuos honoret vt filios; & memoratæ prouinciæ ſacerdotes, tanquam boni filij, eundem habeant vt parentem, & inuicem ſibi exhibeant caritatis affectum, impleto hoc quod Rom. 12. 10. & 16. ait beatus Apoſtolus, *Honore mutuo præuenientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.*

II. *De primatu Arelatenſis & Viennenſis Eccleſiæ.*

Illud deinde inter Epiſcopos vrbium Arelatenſis & Viennenſis, qui de primatus apud nos honore certabant, à ſancta Synodo definitum eſt, vt qui ex eis adprobauerit ſuam ciuitatem eſſe Metropolim, is totius prouinciæ honorem primatus obtineat: & ipſe iuxta canonum præceptum ordinationum habeat poteſtatem. Certè ad pacis vinculum conſeruandum, hoc conſilio vtiliore decretum eſt, vt ſi placet memoratarum vrbium Epiſcopis, vnaquæque de his viciniores ſibi intra prouinciam vindicet ciuitates, atque eas Eccleſias viſitet, quas oppidis ſuis vicinas magis eſſe conſtiterit: ita vt memores vnanimitatis atque concordiæ, non alter alterum, longiùs ſibi vſurpando, quod eſt alij propius, inquietet.

III. *De ordinationibus illicitis contra ſtatuta patrum præſumptis.*

Geſtorum quoque ſeriem conſcribi placuit ad perpetem diſciplinam, quæ circa Octauium, Vrſionem, * Remigium, & Triferium Epiſcopos Synodus ſancta decreuit, qui in vſurpatione quadam de ordinatione ſacerdotum ad inuidiam vocabantur. Quod eis eatenus videtur indultum, vt de cetero hac auctoritate commoniti nihil tale vſurpare conentur. Siquidem ea ſe ab hac cauſa excuſatione defenderint, quòd dicerent priùs ſe non eſſe conuentos. Proindè iudicauit Synodus, vt ſiquis ex hoc fecerit contra ſtatuta maiorum, ſciat is qui ordinatus fuerit, ſacerdotij ſe honore priuandum: ille verò qui ordinauerit, auctoritatem ſe in ordinationibus, vel in Con-

*Remedium

ciliis minimè retenturum. Non ſolùm autem circa memoratos Epiſcopos hæc ſententia præualebit, ſed & circa omnes, qui ſimili errore decepti ordinationes huiuſmodi perpetrarunt.

I V. *De Palladio laico, qui Presbytero crimen intulerat.*

De Palladio autem laico, qui Spano preſbytero non leue crimen intenderat, inter quos Epiſcopus Triferius eiuſdem criminis cauſas ſe cognouiſſe teſtatus eſt; id Concilij decreuit auctoritas, vt idem Palladius in eadem ſententia maneret, qua cognitionis tempore à Triferio fuerat ſacerdote multatus. in hoc ei humanitate reſeruata Concilij, vt ipſe Triferius in poteſtate habeat, quando voluerit, ei relaxare.

V. *De Exuperantio presbytero, qui Epiſcopo ſuo contumelioſus extitit.*

Statuit quoque de Exuperantio preſbytero ſancta Synodus, qui ad iniuriam ſancti Epiſcopi ſui Triferij grauia & multa congeſſerat, & frequentibus eum contumeliis prouocauerat; ita vt nonnulla fecerit contra Eccleſiaſticam diſciplinam, propter quam cauſam ab eo fuerat dominica communione priuatus: vt in eius ſit arbitrio reſtitutio ipſius, in cuius poteſtate fuit eius abiectio. hoc eſt, vt quando vel idem Exuperantius ſatisfecerit, vel Epiſcopo Triferio viſum fuerit, tunc gratiam communionis accipiat.

VI. *De iis qui à Felicis Epiſcopi communione ſe ſeparare voluerint, vt recipiantur.*

Illud præterea decreuit ſancta Synodus, vt quoniam legatos Epiſcopi Galliarum, qui Felici communicant, deſtinarunt; ſi qui ab eius communione ſe voluerint ſequeſtrare, in noſtræ pacis conſortium ſuſcipiantur, iuxta litteras venerabilis memoriæ Ambroſij Epiſcopi, vel Romanæ Eccleſiæ ſacerdotis dudum latas, quæ in Concilio legatis præſentibus recitatæ ſunt.

VII. *Vt clericum alterius nemo ſuſcipiat, vel Eccleſiæ ſuæ ordinet, neque abiectum in communionem recipiat.*

Nec illud prætermittendum fuit, quod Synodi ſententiâ definitum eſt, vt clericum alterius ſecundùm ſtatuta canonum nemo ſuſcipiat, neque ſuæ Eccleſiæ licèt in alio gradu audeat ordinare, neque abiectum recipiat in communionem.

VIII. *De ordinatis contra interdictum, & iis qui ordinati filios genuerunt.*

Hi autem qui contra interdictum ſunt ordinati, vel in miniſterio filios genuerunt, ne ad maiores gradus ordinum permittantur, Synodi decreuit auctoritas. Incolumes vos Dominus noſter æuo longiſſimo conſeruare dignetur, domini fratres dilectiſſimi.

ANNO CHRISTI 404. HONORII IMP. IO.

INNOCENTIVS PAPA.

EPISTOLA I. INNOCENTII PAPÆ

Ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem.

TITVLI DECRETORVM.

1. *Quòd extra conſcientiam Metropolitani non ordinandus ſit Epiſcopus.*
2. *Qui cingulum militiæ poſt baptiſmum accipiunt, clerici fieri non debent.*
3. *De cauſis clericorum ab Epiſcopis prouinciæ terminandis, vel ad ſedem Apoſtolicam referendis.*
4. *Vt clericus vxorem, niſi virginem, non ducat.*
5. *Vt qui non virginem duxerit clericus non fiat.*
6. *Vt clericus non ordinetur, qui ſecundam habuit vxorem.*
7. *Vt alterius clericum nullus ordinet, neque ab alio eiectum recipiat.*
8. *Venientes à Nouatianis vel Montenſibus quomodo ſuſcipiendi.*
9. *Quod Sacerdotes & Leuitæ ab vxoribus ſuis abſtinerè debeant.*
10. *Monachi ſi clerici fiant, continentiæ propoſitum ſeruare debent.*
11. *Vt curiales clerici non ordinentur.*
12. *De virginibus ſacris ſi nupſerint, aut lapſæ fuerint.*
13. *De virginibus non velatis ſi neglecto propoſito nubant.*

INNOCENTIVS VICTRICIO EPISCOPO Rotomagenſi.

Epiſt. 1. Innoc. ETSI tibi, frater cariſſime, pro merito & honore ſacerdotij, quo plurimùm polles, viuendi & docendi Eccleſiaſticæ regulæ nota ſunt omnia; neque eſt aliquid, quod de ſacris lectionibus tibi minus collectum eſſe videatur: tamen quia Romanæ Eccleſiæ normam ad auctoritatem magnopere poſtulaſti, voluntati tuę morem admodum gerens, digeſtas vitę & morum probabilium diſciplinas annexas litteris meis miſi: per quas aduertant Eccleſiarum regionis veſtræ populi, quibus rebus ac regulis Chriſtianorum vita in ſua cuiúſque profeſſione debeat contineri, qualíſque ſeruetur in vrbis Romæ Eccleſiis diſciplina. Erit dilectionis tuæ, per plebes finitimas, & conſacerdotes noſtros, qui in illis regionibus propriis Eccleſiis præſident, regularem hunc librum, quaſi didaſcalicum, atque monitorem ſedulò inſinuare, vt & noſtros cognoſcere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi ſedulitate formare. Aut enim propoſitum ſuum ex hac noſtra congruenti lectione cognoſcent, aut ſi quid adhuc deſideratur, facilè poterunt ex bona imitatione ſupplere. Incipiam igitur adiuuante ſancto Apoſtolo Petro, per quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, vt quoniam plures ſæpè emerſerunt cauſæ, quæ in aliquantis non erant cauſæ, ſed crimina, vt de cetero ſollicitudo ſit vnicuique ſacerdoti in ſua Eccleſia curam huiuſmodi habere, ſicut Apoſtolus prædicat Paulus, talem Eccleſiam Deo exhibendam, non habentem maculam aut rugam, ne alicuius morbidæ ouis afflatu conſcientia noſtra contaminata violetur. Propter eos igitur, qui vel ignorantiâ, vel deſidiâ

Epheſ. 5. 27.

non tenent Eccleſiaſticam diſciplinam, & multa non præſumenda præſumunt, rectè poſtulaſti, vt in illis partibus iſtiuſmodi quam tenet Eccleſia Romana forma ſeruetur. non quo noua præcepta aliqua imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt, ab omnibus obſeruari cupiamus; quæ tamen Apoſtolica & patrum traditione ſunt conſtituta. Scriptum eſt namque ad Theſſalonicenſes Paulo monente, *State ac tenete traditiones noſtras, quas tradidi vobis, ſiue per verbum, ſiue per epiſtolam.* 2.Theſſ.2.14. Illud certè tuam debet mentem vehementius excitare, vt ab omni labe ſæculi iſtius immunis ante Dei conſpectum ſecurus inueniaris. Cui multum enim creditur, plus ab eo exigitur vſura pœnarum. Ergo quoniam non pro nobis tantùm, ſed pro populo Chriſti cogimur præſtare rationem, diſciplina deifica populum erudire debemus. Extiterunt enim nonnulli, qui ſtatuta maiorum non tenentes, caſtitatem Eccleſiæ ſua præſumptione violarent, populi fauorem ſequentes, & Dei iudicium non timentes. Ergo ne ſilentio noſtro exiſtimemur his præbere conſenſum, dicente Domino, *Videbas furem, & currebas cum eo*, Pſal.49 18. hæc ſunt quæ deinceps intuitu diuini iudicij omnem catholicum Epiſcopum expedit cuſtodire.

CAPVT I.

Quod extra conſcientiam Metropolitani non ordinandus ſit Epiſcopus.

Primùm, vt extra conſcientiam Metropolitani Epiſcopum nullus audeat ordinare. D.LXIV.Extra conſcientiam. Integrum enim eſt iudicium, quod plurimorum ſententiis confirmatur. Nec vnus Epiſcopus ordinare præſumat Epiſcopum, ne furtiuum beneficium præſtitum videatur. Hoc enim & in Synodo Nicæna Can.4. conſtitutum eſt, atque definitum.

II. *Qui cingulum militiæ poſt baptiſmum acceperit, clericus fieri non debet.*

Item ſi quis poſt remiſſionem peccatorum cingulum militiæ ſæcularis habuerit, ad clericatum omninò admitti non debet.

III. *De cauſis clericorum ab Epiſcopis Prouinciæ terminandis, vel ad ſedem Apoſtolicam referendis.*

Si quæ autem cauſæ vel contentiones inter clericos, tam ſuperioris ordinis, quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis eiuſdem prouinciæ Epiſcopis iurgium terminetur. 11.q.1.Si quæ cauſæ. Can.5. 3.q.6.Non liceat. Nec alicui liceat, ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri, relictis his ſacerdotibus qui in eadem prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod ſi quis fortè præſumpſerit, ab officio clericatus ſummotus, velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores cauſæ in medium fuerint deuolutæ, ad Sedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, poſt Epiſcopale iudicium referatur.

IV. *Vt clericus vxorem, niſi virginem, non ducat.*

Vt mulierem clericus non ducat vxorem, quia ſcriptum eſt, *Sacerdos vxorem virginem accipiat*, Leuit.21.13. non viduam, nec eiectam. Vtique qui ad ſacerdotium labore ſuo, & vitæ probitate contendit, cauere debet ne hoc præiudicio impeditus peruenire non poſſit.

V. *Vt qui non virginem duxerit, clericus non fiat.*

D. xxxiv. Si quis viduam. Vt ſi quis mulierem, licèt laicus, duxit vxorem, ſiue ante baptiſmum, ſiue poſt baptiſmum, non admittatur ad clerum, quia eodem vitio videtur excluſus. In baptiſmo enim crimina dimittuntur, non acceptæ vxoris conſortium relaxatur.

VI. *Vt clericus non ordinetur qui ſecundam habuit vxorem.*

1. Tim. 3. 2. Ne is qui ſecundam duxit vxorem clericus fiat, quia ſcriptum eſt, *Vnius vxoris virum.* & iterum, *Sacerdotes mei ſemel nubant.* & alibi, *Sacerdotes mei non nubent ampliùs.* Ac ne ab aliquibus exiſtimetur, ante baptiſmum ſi fortè quis accepit vxorem, & ea de ſæculo recedente alteram duxerit, in baptiſmo eſſe dimiſſum, ſatis errat à regula: quia in baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur. cùm vtrique vxor ex legis præcepto ducatur, in tantum vt & in paradiſo cùm parentes humani generis coniungerentur, ab ipſo Domino ſint benedicti. & Salomon dicit,
Prou. 19. 14. *A Deo præparabitur viro vxor.* Quam formam etiam ſacerdotes omnes ſeruare vſus ipſe demonſtrat Eccleſiæ. Satis enim abſurdum eſt, aliquem credere vxorem ante baptiſmum acceptam poſt baptiſmum non computari: cùm benedictio quæ per ſacerdotem ſuper nubentes imponitur, non materiam delinquendi dediſſe, ſed formam tenuiſſe legis à Deo antiquitus
D. xxxiv. Quod ſi non. inſtitutæ doceatur. Quòd ſi non putatur vxor eſſe computanda, quæ ante baptiſmum ducta eſt, ergo nec filij, qui ante baptiſmum geniti ſunt, pro filiis habentur.

VII. *Vt alterius clericum nullus ordinet, neque ab alio eiectum recipiat.*

D. lxxi. De aliena. Vt de aliena Eccleſia clericum ordinare nullus vſurpet, niſi eius Epiſcopus precibus exoratus concedere voluerit. Hoc etiam Synodus ſtatuit Ni-
Can. 16. & 17. cæna, vt abiectum ab altero clericum altera Eccleſia non recipiat.

VIII. *Venientes à Nouatianis vel Montenſibus quomodo ſuſcipiendi.*

Vt venientes à Nouatianis vel Montenſibus, per manus tantùm impoſitionem ſuſcipiantur: quia quamuis ab hæreticis, tamen in Chriſti nomine ſunt baptizati: præter eos, ſi qui fortè à nobis ad illos tranſeuntes rebaptizati ſunt. Hi ſi reſipiſcentes & ruinam ſuam cogitantes redire voluerint, ſub longa pœnitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.

IX. *Quòd Sacerdotes & Leuitæ ab vxoribus ſuis abſtinere debeant.*

D. xxxi. Tenere debet. Præterea quod dignum & pudicum & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omninò debet, vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus ſuis non coëant, quia miniſterij quotidiani neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim,
Leuit. 11. 44. & 20. 7. *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Nam ſi priſcis temporibus de templo Dei ſacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſi-
Luc. 1. cut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omninò tangebant, quibus vtique propter ſobolis ſucceſſionem vxorius vſus fuerat relaxatus; quia ex alia tribu, & præterquàm ex ſemine Aaron, ad ſacerdotium nullus fuerat præceptus accedere: quanto magis hi Sacerdotes vel Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus vel ſacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, qua vel à ſacrificiis diuinis, vel à

baptiſmatis officio vacent? Nam ſi beatus Paulus ad Corinthios ſcribit dicens, *Abſtinete vos ad tempus, vt vacetis orationi;* & hoc vtique laicis præcepit: 1. Cor. 7. 5.
multo magis ſacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab huiuſmodi conſortio abſtinere. Quòd ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo pudore ſacrificare vſurpabit, aut qua conſcientia, quóve merito exaudiri poſſe ſe credit, cùm dictum ſit, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Sed fortaſſe licere hoc credit, quia ſcriptum eſt, *Vnius vxoris virum.* Non permanentem in concupiſcentia generandi dixit, ſed propter futuram continentiam. Neque enim integros corpore non admiſit, qui ait, *Vellem autem omnes ſic eſſe, ſicut & ego.* Quod apertiùs declarat, ſic dicens: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. vos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.*

Tit. 1. 15. 1. Tim. 3. 1. Cor. 7. 7. Rom. 8. 8. 9.

X. *Monachi ſi clerici fiant, continentiæ propoſitum ſeruare debent.*

De Monachis, qui diu morantes in monaſteriis poſtea ad clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à priore propoſito deuiare. Aut enim ſicut in monaſterio fuit, & quod diu ſeruauit, id in meliore gradu poſitus amittere non debet: aut ſi corruptus, poſtea baptizatus, in monaſterio ſedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, vxorem omninò habere non poterit: quia nec benedici cum ſponſa poteſt iam corruptus. Quæ forma ſeruatur in clericis, maximè cùm vetus regula hoc habeat, vt quiſquis corruptus baptizatus clericus eſſe voluiſſet, ſponderet ſe vxorem omninò non ducere.

16. q. 1. De Monachis.

XI. *Vt curiales clerici non ordinentur.*

Præterea frequenter quidam è fratribus noſtris curiales, vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt: quibus poſtea maior triſtitia, cùm de reuocandis eis aliquid ab Imperatore præcipitur, quàm gratia de adſcito naſcitur. Conſtat enim eos in ipſis muniis etiam voluptates exhibere, quas à Diabolo inuentas eſſe non dubium eſt, & ludorum vel munerum apparatibus aut præeſſe, aut intereſſe. Sit certè in exemplum ſollicitudo & triſtitia fratrum, quam ſæpè pertulimus, Imperatore præſente, cùm pro his ſæpiùs rogaremus. quam ipſe nobiſcum poſitus cognouiſti. quibus non ſolùm inferiores clerici ex curialibus, verùm etiam iam in ſacerdotio conſtituti, ingens moleſtia vt redderentur imminebat.

D. 51. Præterea frequenter.

XII. *De virginibus ſacris ſi nupſerint, aut lapſæ fuerint.*

Item quæ Chriſto ſpiritaliter nupſerunt, & velari à ſacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe iunxerant, de ſæculo receſſerit. Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex eis fuerit defunctus: quanto & illa magis tenenda eſt, quæ antè immortali ſe ſponſo coniunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigrauit?

27. q. 1. Quæ Chriſto ſpiritaliter.

XIII. *De virginibus non velatis, ſi neglecto propoſito nubant.*

Hæ verò quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper manere promiſerant, licèt velatæ non ſint, ſi fortè nupſerint,

27. q. 1. Hæ verò quæ nondum.

his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Deo tenebatur. Nam ſi inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerit virgo, 1.Tim.5. ſolui ſine vindicta non debet? Nam ſi Apoſtolus Paulus quæ à propoſito viduitatis diſceſſerunt, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, quanto magis virgines, quæ prioris promiſſionis fidem frangere ſunt viſæ?

Hæc itaque regula, frater cariſſime, ſi plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei ſacerdotibus obſeruata, ceſſabit ambitio, diſſenſio conquieſcet, hæreſes & ſchiſmata non emergent, locum non accipiet Diabolus ſæuiendi: manebit vnanimitas, iniquitas ſuperata calcabitur, veritas ſpiritali feruore flagrabit, pax prædicata labiis cum voluntate animæ concordabit. Philip.2. implebitur & dictum Apoſtoli, vt vnanimes vnum ſentientes permaneamus in Chriſto, nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vendicantes, non hominibus ſed Deo noſtro Saluatori placentes, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Datum xv. Kalendas Martias, Honorio Auguſto vi. & Ariſtæneto V.C. Conſulibus.

INNOCENTII PAPÆ

EPISTOLA II.

Ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum.

TITVLI DECRETORVM.

1. *De incontinentia Sacerdotum vel Leuitarum.*
2. *De iis qui in extremo vitæ pœnitentiam & communionem petunt.*
3. *Quòd fidelibus adminiſtrationes & iudicia exercere liceat.*
4. *Quòd viri cum adulteris vxoribus non conueniant.*
5. *Quòd qui preces vel criminales dictant, habeantur immunes.*
6. *Adulteros eſſe, qui diuortio interueniente aliud ineunt coniugium.*
7. *Qui libri in canone recipiantur.*

INNOCENTIVS EPISCOPVS EXVPERIO Epiſcopo Toloſano.

Epiſt. 3. Innoc. CONSVLENTI tibi, frater cariſſime, quid de propoſita ſpecie vnaquaque ſentirem, pro captu intelligentiæ meæ quæ ſunt viſa reſpondi, quid ſequendum vel docilis ratio perſuaderet, vel auctoritas lectionis oſtenderet, vel cuſtodita ſeries temporum demonſtraret. Et quidem dilectio tua inſtitutum ſequuta prudentium, ad Sedem Apoſtolicam referre maluit quid de rebus dubiis cuſtodire deberet, potiùs quàm vſurpatione præſumpta quæ ſibi viderentur de ſingulis obtinere. Cur enim magis pudendum putemus diſcere aliquid, quàm omninò neſcire? Mihi quoque ipſi de collatione docilitas accedit, dum perſcrutatis rationibus ad propoſita reſpondere compellor. Eóque fit vt aliquid ſemper addiſcat, qui poſtulatur vt doceat. Proponam igitur ſingula, ſubiiciámque reſponſum.

I. *De incontinentia Sacerdotum vel Leuitarum.*

Propoſuiſti quid de his obſeruari debeat, quos in diaconij miniſterio, aut in officio preſbyterij poſitos incontinentes eſſe, aut fuiſſe, generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Epiſcopi monita euidentia commearunt, vt incontinentes in officiis talibus poſiti omni honore Eccleſiaſtico priuentur, nec admittantur accedere ad miniſterium, quod ſola continentiâ oportet impleri. Eſt enim vetus admodum ſacræ legis auctoritas iam inde ab initio cuſtodita, quòd in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt ſacerdotes, vt ſeruientes ſacris oblationibus, puros & ab omni labe purgatos ſibi vindicent diuina myſteria: neque eos ad ſacrificia fas ſit admitti, qui exercent vel cum vxore carnale conſortium. quia ſcriptum eſt, *Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Quibus vtique propter ſobolis ſucceſſionem propterea vxorius vſus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu ad ſacerdotium nullus fuerat præceptus accedere. quantò magis hi Sacerdotes & Leuitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus vel ſacerdotium, vel miniſterium, ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies, qua vel à ſacrificiis diuinis, vel à baptiſmatis officio vacent? Nam ſi beatus Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribit, dicens, *Abſtinete vos ad tempus vt vacetis orationi;* & hoc vtique laicis præcepit: multo magis ſacerdotes, quibus & orandi & ſacrificandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab huiuſmodi conſortio abſtinere. Qui ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo pudore vel ſacrificare vſurpabit, aut qua conſcientia, quoue merito exaudiri ſe credit, cùm dictum ſit, *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum?* Sed fortaſſe hoc licere credit, quia ſcriptum eſt, *Vnius vxoris virum.* Non de permanente in concupiſcentia generandi hoc dixit, ſed propter continentiam futuram. Neque enim integros corpore non admiſit qui ait, *Vellem autem omnes ſic eſſe ſicut & ego.* Quod & apertiùs declarat, dicens: *Qui autem in carne ſunt Deo placere non poſſunt. vos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.* Et habentem filios, non generantem dixit. Sed ea planè diſpar & diuerſa ſententia eſt. Nam ſi ad aliquos forma illa Eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo Siricio ad prouincias commeauit, non probabitur perueniſſe, his ignorationis venia remittetur; ita vt de cetero penitus incipiant abſtinere. Et ita gradus ſuos, in quibus inuenti fuerint, ſic retenent, vt eis non liceat ad potiora conſcendere. quibus in beneficio eſſe debet, quòd hunc ipſum locum quem retinent non amittunt. Si qui autem ſciſſe formam viuendi miſſam à Siricio detegentur, neque ſtatim cupiditates libidinis abieciſſe illi ſunt modis omnibus ſubmouendi: quia poſt admonitionem cognitam, præponendam arbitrati ſunt voluptatem.

D. lxxxii. Propoſuiſti.

1. Paral. 24.

D. xxxi. Eos ad ſacrificia.

Leuit. 11. & 20.

1. Cor. 7. 5.

Tit. 1. 15.

1. Tim. 3.

1. Cor. 7. 7.

Rom. 8.

II. *De ijs qui in extremo vitæ pœnitentiam & communionem petunt.*

Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſeruari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo fine vitæ ſuæ pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt.

De his obſeruatio prior durior, poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur. Nam cùm illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non reuocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pœnitentia, ne totum penitus negaretur: & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſteaquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam terrore depulſo communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, & ne Nouatiani hæretici negantis veniam aſperitatem & duritiam ſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia extrema communio, vt homines huiuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante Saluatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur.

III. *Quòd fidelibus adminiſtrationes & iudicia exercere liceat.*

23.q.4 Quæſitũ eſt etiam. Quæſitum eſt etiam ſuper his qui poſt baptiſmum adminiſtrauerunt, & aut tormenta ſola exercuerunt, aut etiam capitalem ſententiam protulerunt. De his nihil legimus à maioribus definitum. Meminerant enim à Deo poteſtates has fuiſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum, & Dei eſſe miniſtrum vindicem in huiuſmodi datum. Quemadmodum igitur reprehenderent factum, quod auctore Deo viderent eſſe conceſſum? De his ergo ita vt hactenus ſeruatum eſt ſic habeamus, ne aut diſciplinam euertere, aut contra auctoritatem Domini venire videamur. Ipſis autem in ratione reddenda geſta ſua omnia ſeruabuntur.

IV. *Quòd viri cum adulteris vxoribus non conueniant.*

Et illud deſideratum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris vxoribus non conueniant, cùm contrà vxores in conſortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Chriſtiana religio adulterium in vtroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facilè de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam: viri autem liberiùs vxores adulteras apud ſacerdotes deferre conſueuerunt. & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur: virorum autem latente commiſſo, non facilè quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur. Qui vtique ſubmouebitur, ſi eius flagitium detegatur. Cùm ergo par ſit cauſa, interdum probatione ceſſante vindictæ ratio conquieſcit.

32.q.5.Chriſtiana religio.

V. *Quòd qui preces vel criminales dictant habeantur immunes.*

23.q.4. Illud etiam ſciſcitari. Illud etiam ſciſcitari voluiſti, an preces dictantibus liberum concedatur, vtique poſt baptiſmi regenerationem, à principibus poſcere mortem alicuius, vel ſanguinem de reatu: quam rem Principes nunquam ſine cognitione concedunt, ſed ad Iudices commiſſa ipſa vel crimina ſemper remittunt, vt cauſa cognita vindicentur. Quæ cùm quæſitori fuerint delegata, aut abſolutio, aut damnatio, pro negotij qualitate profertur. & dum legum in improbos exercetur auctoritas, erit dictator immunis.

V I. *Adulteros eſſe, qui diuortio intercedente aliud ineunt coniugium.*

De his etiam requiſiuit dilectio tua, qui interueniente repudio alij ſe matrimonio copularunt: quos in vtraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt. Qui verò vel vxore viuente, quamuis diſſociatum videatur eſſe coniugium, ad aliam copulam feſtinarunt, neque poſſunt adulteri non videri. in tantum vt etiam hæ perſonæ, quibus tales coniuncti ſunt, etiam ipſæ adulterium commiſiſſe videantur; ſecundum illud quod legimus in Euangelio, *Qui dimiſerit vxorem ſuam, & duxerit aliam, mæchatur: ſimiliter & qui dimiſſam duxerit, mæchatur.* Et ideò tales omnes à communione fidelium abſtinendos. De parentibus autem, aut de propinquis eorum, nihil tale ſtatui poteſt, niſi ſi incentores illiciti conſortij fuiſſe detegantur. Matth. 19. 9.

V I I. *Qui libri in canone recipiantur.*

Qui verò libri recipiantur in canone ſanctarum ſcripturarum, breuis adnexus oſtendit. Hæc ſunt ergo quæ deſiderata moneri voce voluiſti. Moyſis libri v. id eſt Geneſis, Exodi, Leuitici, Numeri, Deuteronomij: & Ieſu Naue vnus, Iudicum vnus. Regnorum libri I V. ſimul & Ruth. Prophetarum libri X V I. Salomonis libri v. Pſalterium. Hiſtoriarum, Iob liber vnus, Tobiæ vnus, Heſter vnus, Iudith vnus, Machabæorum duo, Eſdræ duo, Paralipomenon duo. Item noui Teſtamenti, Euangeliorum libri I V. Apoſtoli Pauli Epiſtolæ X I V. Epiſtolæ Ioannis I I I. Epiſtolæ Petri duæ, Epiſtola Iudæ, Epiſtola Iacobi, Actus Apoſtolorum, Apocalypſis Ioannis. Cetera autem, quæ vel ſub nomine Matthiæ, ſiue Iacobi minoris, vel ſub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt; vel ſub nomine Andreæ, quæ à Xenocharide & Leonida Philoſophis; vel ſub nomine Thomæ, & ſi qua ſunt alia, non ſolùm repudianda, verùm etiam noueris eſſe damnanda. Datum x. Kalendas Martias, Stilicone I I. & Anthemio vv. cc. Conſulibus.

ADMONITIO AD LECTOREM
De Epiſtola ſequenti.

Sequentis Epiſtolæ pars iam olim edita fuit titulo Innocentij ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. In veteribus autem libris, quibus vſi ſumus, non Toletanæ ſcriptum eſt, ſed Toloſanæ: atque hoc etiam modo citari hæc Epiſtola ſolet in antiquis Collectionibus. Qua de re etſi ambigi non iniuria poſſe intelligebam, ſatius tamen viſum eſt, illam, cùm mutila præſertim hactenus fuerit, integram vel alieno hîc loco extare, quàm ſuo fortaſſe deſiderari. De anno quia non conſtabat, in eum coniecimus, qui ſuperiores proximè ſequebatur.

INNOCENTII PAPÆ EPISTOLA III.

Ad Epiſcopos Synodi Toloſanæ.

De diſſenſione, corruptáque diſciplina Eccleſiarum Hiſpaniæ.

TITVLI CAPITVM.

1. Quòd Epiſcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab hæreſi conuerſos perperam diſſideant.
2. De Epiſcopis à Rufino & Minicio in alienis Eccleſiis contra canones ordinatis.
3. Vt Ioannis Epiſcopi cauſa examinetur, aliorúmque, qui communionis conſortium refugiebant.
4. De vitioſis multorum ordinationibus, ita diſſimulari quæ hactenus vſurpata ſunt, vt in poſterum prohibeantur.
5. Vt Gregorij Emeritenſis Epiſcopi querela diſcutiatur.
6. Quoſnam ad clericatus ordinem admittere liceat: qualeſque eligendi ſint. Et quod bigamum faciat etiam illa quæ ante baptiſmum vxor fuit.

INNOCENTIVS VNIVERSIS EPISCOPIS IN Toloſana Synodo conſtitutis dilectiſſimis fratribus in Domino ſalutem.

Epiſt. 13. Innoc.

SÆPE me & nimia cùm teneret cura ſollicitum ſuper diſſenſione & ſchiſmate Eccleſiarum, quod per Hiſpanias latiùs in dies ſerpere, & citariore gradu incedere fama proloquitur, neceſſarium tempus emerſit, quo non poſſet emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina prouideri. Nam fratres noſtri, coepiſcopus Hilarius & Elpidius presbyter, partim vnitatis amore permoti, partim qua laborat prouincia pernicie vt oportuit excitati, ad Sedem Apoſtolicam commearunt, & in ipſo ſinu fidei violatam intra prouinciam pacem, diſciplinæ rationem eſſe confuſam, & multa contra canones patrum, contempto ordine; regulíſque neglectis, in vſurpatione Eccleſiarum fuiſſe commiſſa, nec concordiam, in qua fidei noſtræ ſtabilitas tota conſiſtit, poſſe retineri, cum dolore & gemitu proſecuti ſunt: quæ in conſeſſu presbyterij actorum confectione retinentur, & poſſunt vobis lectione monſtrari.

I. *Quòd Epiſcopi nonnulli ab aliis ob receptos ab hæreſi conuerſos perperam diſſideant.*

Iam primùm, quòd ad ipſam fidem attinet, quòd Bætici vel Carthaginenſes Epiſcopi propter Galliciorum communionem à pace omnium diſſederunt, orta diſſenſio eſt: quæ non ſolùm non minuitur, verùm etiam per dies ſingulos ſtudio contentionis augetur, cùm obtinendi propoſito vnuſquiſque quod voluit, æternum orbem mali, & circulum quendam de tali animoſitate fecerunt. cùm vtique bono cuique in rebus talibus vinci melius ſit, quàm malo more prauum propoſitum quod ſemel placuit obtinere. Nam quæ alia cauſa & ſuperioribus temporibus illius Luciferi præter pertinaciam fuit, quæ eum retraxit à concordia illorum, qui Arrianorum hæreſim prudenti conuerſione damnauerant? Eodem ſtudio poſt Priſcilliani deteſtabilem ſectam omnium meritò deteſtatione damnatam, receptos in catholicam fidem eos qui cõſilio ſaniore conuerſi

ſunt, ægerrimè aliquos tuliſſe cognouimus. quibus factum vtile, & ipſam Eccleſiarum pacem diſplicuiſſe detegitur. Nam cùm vnitatis propoſito atque concordiæ, ipſi quoque Symphoſius atque Dictinius damnantes prauam hæreſim ſint recepti, vt perſonis talibus amputatis extingueretur penitus innata diſſenſio, inuenti ſunt quibus rectè facta ipſa correctio diſpliceret. Et nunc Eccleſiæ diſſident, quæ non modica à ſe animoſitate diſſimulant. Quòd ſi ſaniore conſilio à ſacerdotibus fuiſſet cuſtodita correctio, & ſtatus catholicæ fidei integer permaneret, & nullum ſcandalum concordiam rebus omnibus vtilem corrupiſſet. Quæro enim, quare doluerint Symphoſium atque Dictinium, alióſque qui deteſtabilem hæreſim damnauerunt, receptos in fidem catholicam tunc fuiſſe? Num quid nam aliquid de honoribus amiſerint quos habebant? Quòd ſi quos hoc pungit aut ſtimulat, legant Petrum Apoſtolum poſt lacrymas hoc fuiſſe quod fuerat. conſiderent Thomam poſt dubitationem illam nihil de prioribus meritis amiſiſſe. denique Dauid prophetam egregium poſt manifeſtam confeſſionem ſuam prophetiæ ſuæ meritis non fuiſſe priuatum. Quòd ſi emendatio conuerſionis & errores ipſos amputat, & retinet dignitates; quæ malùm ratio eſt, viam recti, & iter quod dirigat ad ſalutem, propoſito pertinaciæ nolle retinere? Quare incumbendum eſt dilectioni veſtræ, & bonis ſacerdotibus adnitendum, quatenus præeunte doctrina in vnitatem catholicæ fidei omnes qui diſperſi ſunt congregentur, & eſſe inexpugnabile vnum corpus incipiat, quod ſi ſeparetur in partes, ad omnes patebit lacerationis iniurias, & ex ſeſe peſtem patietur internam, quando ſecum compago ipſa confligit. Sed hæc generaliter de vnitatis reformatione omnes, tanquam ſingulis ſcripta ſint, accipiant ſacerdotes. Dehinc in partes animum ſuper omnibus dilectio veſtra quæ proponentur intendat.

II. *De Epiſcopis à Rufino & Minicio in alienis Eccleſiis contra canones ordinatis.*

Non enim latere potuit, quòd Rufinus atque Minicius Epiſcopi in alienis Eccleſiis, contra Nicænos canones, Epiſcopos vſurpauerunt ordinare. Hæc ne quis ſibi audeat vindicare, ſaltem nunc à nobis eſt ſalubriter prouidendum, ne improba vſurpatione diſſimulatio in deterius conualeſcat, & fiat de conſuetudine regula, quæ non veniat ab ipſa quæ litteris mandata eſt diſciplina. Qua in re Hilari fratris & conſacerdotis noſtri querela primitus audiatur, qui aſſeruit Rufinum contra Eccleſiarum pacem omni oppugnatione fuiſſe verſatum, & dudum in Concilio Toletano erroris ſui veniam poſtulaſſe, & nunc, cùm Metropolitano Epiſcopo ordinandi ſacerdotis pontificium deberetur, contra populi voluntatem, & diſciplinæ rationem, Epiſcopum locis abditis ordinaſſe, Eccleſias ſcandalis miſcuiſſe. Dehinc Tarraconenſium Epiſcoporum eſt cauſa tractanda, qui pari modo Minicium in Gerundenſi Eccleſia Epiſcopum ordinaſſe conqueſti ſunt; & iuxta Nicænos canones ferenda eſt de tali vſurpatione ſententia. Illorum etiam Epiſcoporum, qui à Rufino vel à Minicio contra regulas ordinati ſunt, habeatur plena diſcuſſio; vt quia perperam facti ſunt, intelligant id quod vitioſo initio adepti ſunt ſe diutius obtinere non poſſe.

gandum eſt, ad quam primùm ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cuius fonte totæ Galliæ fidei riuulos acceperunt, directus eſt: idcirco quaſcumque parochias in quibuſlibet territoriis, etiam extra parochias ſuas, vt antiquitus habuit, intemerata auctoritate poſſideat. Ad cuius notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen. Data XI. Kal. Apriles, Honorio Auguſto XI. & Conſtantio II. Conſulibus.

ZOSIMI PAPÆ EPISTOLA II. AD EPISCOPOS Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ.

De Vrſo & Tuentio Epiſcopis à Proculo Maſſilienſi in Eccleſiæ Arelatenſis præiudicium illicitè ordinatis.

ZOSIMVS Aurelio & vniuerſis Epiſcopis per Africam conſtitutis, vniuerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem Prouincias conſtitutis, vniuerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis, à pari. Epiſt. 6. Zoſimi.

CVM aduerſus ſtatuta patrum venitur, non tantùm illorum prudentiæ atque ſententiæ, qui in æuum victura ſanxerunt, ſed ipſi quodammodo fidei & catholicæ diſciplinæ irrogatur iniuria. Quid enim tam ſanctum atque venerabile eſt, quàm penitus non exorbitare ab itinere maiorum, quorum canonica inſtituta veluti quædam fundamenta ſunt ferendis fidei iacta ponderibus? Sed nihil minus ab Vrſo & Tuentio. quorum vnus aſſidua Sedis huius medicina curatus, ad emendati erroris peruenire non potuit ſanitatem: alter verò ante aliquot annos obiecta criminatione ſummotus, ſicut ciuium ſcripta teſtantur, vel ingeſta docuerunt, etiam ab eo ipſo gradum ſummi ſacerdotis accepit, à quo fuerat antè damnatus. Cæcus error in vtroque, vt quod eſt potiſſimum in omnibus, nec velit aliorum de Tuentio, nec ſuam de Vrſo tenere ſententiam. Sed fac vt honeſti mores hominibus eſſent, & probata ſuffragia. Quid illud, quòd prætermiſſo fratre noſtro Patroclo Metropolitano Epiſcopo Arelatenſium ciuitatis, ſine cuius auctoritate, iuxta maiorum canones, nulla penitus potuit ordinatio celebrari, tumultuosè & turbidè indebitis ſacerdotia impinguntur? Nec ſaltem comprouinciales Epiſcopi corrogantur, vt error velamento aliquo tegeretur: ſed Lazarus, dudum in Taurinenſi Concilio grauiſſimorum Epiſcoporum ſententiis pro calumniatore damnatus, cùm Bricij innocentis Epiſcopi vitam falſis obiectionibus appetiſſet; pòſt verò indebitum ab eodem Proculo, qui inter ceteros in Synodo damnationis eius aſſederat, ſacerdotium conſequutus, à quo ſe ipſe vitæ ſuæ conſcientia, datis litteris in abdicationem ſui, ſponte ſubmouit. Reuera incongruum fuit, vt illicitum ſacerdotio, omiſſo Metropolitano, ſua confeſſione ſpoliatus ſacerdotem pariter ordinaret. Et ne nihil non intempeſtiuè fieret, ne dies quidem legitimus ordinationis adſciſcitur: ſcilicet vt quibus cuncta deerant, etiam legitimum tempus deeſſet. Quid his tot tantiſque improba vſurpatione poſthabitis addi poteſt, niſi illud extremum, quod totum tranſcendit errorem, vt territoriis indebitis ad Arelatenſem ciuitatem antiquitus pertinentibus locarentur? Vnum vitium ſi in

cauſis talibus eueniſſet, Apoſtolicæ Sedis auctoritas etiam cetera deſtruxiſſet. Hîc multa concurrunt, improborum & damnatorum ordinatio, prætermiſſio Metropolitani, necnon & prouincialium ſacerdotum, locorúmque alienorum impudentiſſima vſurpatio, nec ſaltem diei cuſtodita ſolemnitas, & Lazarus in conſortio illicitæ ordinationis adſcitus. Hæc omnia apud nos geſtis teſtimoniiſque diſcuſſa ſunt. Atque vtinam in Tuentio praui tantùm mores, non etiam Priſcilliana ſuperſtitio patuiſſet: quæ Sedis huius dudum humanitas & miſericordia in hoc illi conſulere voluit, vt emendatior de cetero permaneret. Quod beneficium, ſibi penè præter exemplum præſtitum, ſi diligentiùs obſeruare voluiſſet, erroris illum anteacti oportuit pœnitere, non ita præcipiti impetu ad ſacerdotium feſtinare; vt nec diei veterem ſolemnitatem, quæ præcipuè cuſtodienda fuerat, obſeruaret, nec indebito loco crederet abſtinendum. Qua de re ad ſanctitatem veſtram, & per totum orbem, vbicumque, & in quacumque terrarum ſonus catholicæ religionis exiit, ſcripta direximus, fratres cariſſimi, ne Tuentium & Vrſum in communione Eccleſiæ, in quocumque Eccleſiaſtico gradu, à qua in totum anathematizati ſunt, ſuſcipiendos eſſe ducatis. Dicuntur enim circulatores eſſe, quod nos ex ſententiis agnouimus in eorum damnatione ſacerdotali auctoritate prolatis, quas in diuerſis regionibus exceperunt. Remouendæ ſunt à ſancto corpore putridæ carnes, & à maſſa ſanctificationis acidum execrandúmque fermentum. De quibus plura ſcribere pudoris fuit, cùm illis pudori non ſit tanta feciſſe. Data ſub die x. Kal. Octob. Honorio Aug. xi. & Conſtantio II. Conſulibus.

ZOSIMI PAPÆ EPISTOLA III. AD EPISCOPOS prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis II.

Vt Metropolitanus Arelatenſis in prouincia Viennenſi, & in vtraque Narbonenſi, ordinandorum Epiſcoporum habeat poteſtatem.

ZOSIMVS EPISCOPIS PROVINCIÆ VIENNENSIS & Narbonenſis ſecundæ, à pari.

Epiſt. 7. Zoſimi. MVLTA contra veterem formam Proculus vſurpaſſe detectus eſt in ordinationibus nonnullorum indebitè celebrandis, quas proximè numeroſa cognitione diſcuſſimus: licèt ipſe diu expectatus faſtidioſè ferens ſibi inducias attributas conuenire diſſimulet. Attamen illa præſumptio nos admodum mouit, quòd in Synodo Conc. Taurin. cap. 1. Taurinenſi, cùm longè aliud ageretur, in Apoſtolicæ Sedis iniuriam ſubripiendum putauit, vt ſibi Concilij illius emendicata præſtaret obreptio ordinandorum ſacerdotum, veluti Metropolitano, in Narbonenſi ſecunda prouincia poteſtatem. Et ne ſolus impudenter indebita poſtulando huic Sedi videretur intuliſſe conuitium, ſocium ſibi Simplicium Viennenſis ciuitatis adſciuit: qui non diſſimili impudentiâ poſtularet, vt ſibi quoque in Viennenſium prouincia creandorum ſacerdotum permitteretur arbitrium. Indecens auſus, & in ipſo veſtibulo reſecandus, hoc ab Epiſcopis ob

certas cauſas Concilium agitantibus extorquere, quod contra ſtatuta patrum, & S. Trophimi reuerentiam, qui primus Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis ex hac Sede directus eſt, concedere vel mutare ne huius quidem Sedis poſſit auctoritas. Apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta patrum ſanxere reuerentiam. Et quia redire in ordinem ſuum intermiſſa præcipimus, Metropolitanus Arelatenſis ciuitatis Epiſcopus, iam indè à Trophimo ordinationis ſeriem temporibus roboratam inuiolabili in vtraque Narbonenſi & Viennenſi auctoritate poſſideat. Data III. Kal. Octob. Honorio Aug. XI. & Conſtantio II. Conſulibus. Iuo P. IV. cap. 226.

ZOSIMI PAPÆ EPISTOLA IV. AD HILARIVM Epiſcopum Narbonenſem.

Prima Narbonenſis Epiſcopos à Metropolitano Arelatenſi ordinandos eſſe.

ZOSIMVS HILARIO EPISCOPO NARBONENSIS primæ prouinciæ.

MIRATI admodum ſumus, dum nobis ſtudioſiùs requirentibus relatio tua de ordinandis in prouincia Narbonenſi prima ſacerdotibus legeretur, quòd dum aſſertioni & deſideriis tuis cupis eſſe conſultum, prætermiſſa veri fide, relationem tuam ſub honeſtatis ſpecie colorâſti, aſſerens in aliena prouincia ab alio non debere fieri ſacerdotes: cùm vtique debueris, non quid tibi rectum videatur, ſed quid habuerit antiqua conſuetudo, ſuggerere. Ideóque vacuato eo quod obtinuiſſe à Sede Apoſtolica ſubreptitiè comprobaris, quia ſatis conſtitit Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdoti priſca id inſtitutione conceſſum, vt non ſolùm in prouincia Viennenſi, ſed etiam per duas Narbonenſes, Epiſcopos faciat. Nam ſanctæ memoriæ Trophimus, ſacerdos quondam Arelatenſi vrbi ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus, ad illas regiones tanti nominis reuerentiam primus exhibuit, & in alios non immeritò ea quam acceperat auctoritate transfudit. Atque hanc ordinandi conſuetudinem, & pontificatum loci illius, quem obtinuerat primus & iuſtus, cuſtoditum vſque in proximum tempus, geſtis apud nos habitis, multorum cóſacerdotum teſtimoniis approbatur. Ergò licèt ſola, quę in Sede Apoſtolica habita ſunt, potuiſſent geſta ſufficere; tamen etiam hac te auctoritate conſtringimus, vt præſumptioni tuæ, quam extuliſſe contra veterem conſuetudinem videbaris, modum noueris iuſtæ pręſcriptionis indictum. neque æſtimes tibi vlteriùs pontificatum de ordinandis ſacerdotibus vindicandum: cùm hoc videas Arelatenſis Epiſcopo ciuitatis, & per Apoſtolicam Sedem, & per S. Trophimi reuerentiam, & per veterem conſuetudinem, & noſtra recenti euidentiſſima definitione deferri. Si quid contra hæc, frater cariſſime, quæ à nobis ſunt ſub Dei iudicio ſtatura, tentaueris, non ſolùm quos faciendos credideris, Epiſcopatum obtinere non poſſe, ſed etiam ipſe catholica communione diſcretus, ſerò de illicitis pręſumptionibus ingemiſcas. Data ſub die III. Kal. Octobr. Honorio Aug. XI. & Conſtantio II. Conſulibus. Epiſt. 8. Zoſimi.

ZOSIMI PAPÆ EPISTOLA V. AD PATROCLVM Epiſcopum Arelatenſem.

Aduerſus Proculum, & repentinas neophytorum promotiones.

ZOSIMVS PATROCLO EPISCOPO ARELATENSI.

Epiſt. 9. Zoſimi. QVID de Proculi damnatione cenſuerim, tenet conſcienria tua, cùm meo intereſſes examini, nec te geſtorum noſtrorum auctoritas latet, vel ſcriprorum, quæ de ipſius dãnatione per rerrarum diuerſa loca direximus. Vnde Metropolitani in te dignirarem arque perſonam, etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritare conſidera, in quem furtiuè locum pro indebita Synodo Proculus vſurpatum irrepſerar. Quicumque igitur ex Gallicanis vndeunde regionibus veniunt, ſub quouis Eccleſiaſtico nomine vel gradu, formatas per re commoniti mitrendas eſſe cognoſcant. alioquin ſibi imputabũr, ſi inefficacirer, hac ſolemnitate poſtpoſita, te inconſulro ad nos venire rẽtauerint. quod ab Epiſcopis vſque ad vlrimum Eccleſiaſticum gradum obſeruari conueniet, frater cariſſime. Er quia nonnulli ex quacumque militia ſe ad Eccleſiam conferentes, ſtatim ſaltu quodam ſummatem locum religionis affectant, qui gradatim per Eccleſiaſtica ſtipẽdia venientibus explorata ſoler diſcuſſione differri: idcirco quoniam in nõnullis factum infirmare non poſſumus, ſi qui iam ordinati ſunt, in eo gradu, ad quem ſalru ſubiro peruenerunt, perdurare debebunt.
1. Tim. 3. Si enim Apoſtolus neophytum ſacerdotio non ſtarim cumulari iubet, & hoc idem canonum ſtatuta ſanxerunt: hoc addimus noſtra ſententia, vt quiſquis de cetero vel ſummo ſacerdorio, vel preſbyterij gradu, vel diaconatus crediderit cumulandum, ſciat & ſe gradus ſui ſubire iacturam, nec in illum valitura eſſe quæ contulit: vt ſaltem ab ordinarione pręcipiti merus iſte ſummoueat, quos examinata diſcuſſio coërcere debuiſſet. Scripta noſtra in omnium facies notiriam peruenire, vt nec hoc quidem ipſum tibi, quod omnibus inrerdictum eſt, licere cognoſcas. Dara III. Kal. Octobris Honorio XI. & Conſtanrio II. Conſulibus.

ZOSIMI PAPÆ EPISTOLA VI. AD PATROCLVM Epiſcopum Arelatenſem.

Aduerſus Proculum eundem, eiuſque ordinationes.

ZOSIMVS PATROCLO EPISCOPO ARELATENSI.

Epiſt: 11. Zoſimi. CVM & in præſenti cognoueris, & frequentibus à nobis litteris ipſe ſis monitus, vt auctoritate Metropolitani, quam ribi Apoſtolicæ Sedis pronunciatione firmauimus, Proculi auſibus conatibuſque illis, quibus adhuc ſe putat aliqua poſſe turbare, huius rei oppreſſu occurreres, renirens rigore cenſuráque, quam pro regularum confirmatione ſuſceperas: quippe cùm & tibi noſtram delegatum noſſes officium, & illum ſcires eſſe damnatum: miror quid poſt iſta

Proculo liceat, ac vacet illa quæ conſueuerat, aut peiora committere. Quidnam putant vnde iſtam habeas poteſtatem tuam, frater cariſſime, vt cenſuerimus cenſeamúſque quicumque de illis ad noſtras regiones veniunt, ſine tua non ſuſcipiendos eſſe formata, nec probandum, quem non in prouincia poſitus ipſe probaueris? Poſt iſtam ecce delegationem ad nos rumor aduenit, Proculum quaſi conſuetis ludere, & vti moribus ſuis, iunxiſſe ſibi quoſdam idoneos turbationibus homines, & poſt illa quæ illi interdiximus ordinaſſe. Sed ſciant, quibus hanc epiſtolam volumus in notitiam peruenire, ſuſcipi ſe nullatenus poſſe, qui aut contra regulas repentè, aut poſtquàm interdiximus illi, ſunt ordinati. Data III. Nonas Martias, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Auguſtis Conſulibus.

ZOSIMI PAPÆ EPISTOLA VII. ad Maſſilienſes.

Patroclo eſſe commiſſum, vt Proculi loco alium Epiſcopum accipiant.

ZOSIMVS CLERO, ORDINI, ET PLEBI conſiſtenti Maſſiliæ.

NON miror Proculum in conſueta adhuc fronte durare, & oblitum penitus pudoris quotidie digna damnatione committere, nec aliquando deſiſtere, vt toties commonitus, prohibitúſque non ceſſet. Ecce cœtum veſtræ dilectionis ſua, qua ſola notus eſt, turbatione confundit: nec Eccleſiam patitur eſſe concordem, cùm ſuis id agat ſemper officiis, quatenus aggerens poſtrema prioribus, malum aliquod quod antè commiſerat in peius emendet. Cùm ipſe iam non ſit Epiſcopus, Epiſcopos facit, & humanus largitor aliis ſe dicit poſſe præſtare, quod datum ſibi aliquando immeritò, tenere non potuit. Addens ſibi iungitque inquietæ mentis homines, & qui ſoli poſſunt fauere damnato, per quos quæcumque turbarum ſtudioſus cogitat, hac ſua fidens ſocietate conficiat. Sed habeo, fratres cariſſimi, veſtrî curam, moleſtè ferens, quicquid ille quotidianis auſibus facit, id vos Chriſtianum populum, & qui in noſtra caritate perſiſtat, poſſe perferre, nec eius obuiare factis, aut repugnare conatibus. Idcirco curam veſtrî licet & prioribus commiſerim litteris veſtræ Metropolitano prouinciæ, fratri & coepiſcopo noſtro Patroclo, tamen iterum committo, vt ipſius tuti conſilio, & pro diſciplinarum ratione formati, eius obtemperantes nutibus dignum poſſitis accipere ſacerdotem. Data III. Nonas Martias, Honorio XII. & Theodoſio VIII. Aug. Conſulibus.

Epiſt. II. Zoſimi.

ANNO CHRISTI 419.

BONIFACIVS PAPA.

HONORII IMP. 25.

BONIFACII PAPÆ EPISTOLA I. Ad Epiſcopos Galliæ.

De Maximo Valentinæ ciuitatis Epiſcopo variis criminibus accuſato, vt in Synodo prouinciæ illius cauſa diſcutiatur.

Epiſt. 1. Boniſac.

BONIFACIVS Epiſcopus Patroclo, Remigio, Maximo, Hilario, Seuero, Valerio, Iuliano, Caſtorio, Leontio, Conſtantino, Ioanni, Montano, Marino, Mauricio, & ceteris Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutis. VALENTINÆ nos clerici ciuitatis adierunt, proponentes per libellum crimina, quæ Maximum teſte tota prouincia aſſerunt commiſiſſe. Delegata toties cognitione, illum conſtituta ſemper ſubterfugiſſe iudicia, nec confiſum conſcientia feſtinaſſe, vt ſi eſſet innocens examinatis omnibus purgaretur. quæ toties decreta, ex veſtrarum quoque chartarum inſtructione cognouimus. Qui è contrario probauit de ſe illa quæ dicta ſunt, qui ad ea confutanda, cùm eſſent innumera, à deceſſoribus meis prouinciali delegata cognitione, conuentus etiam dicitur euitaſſe, & adeſſe minimè voluiſſe. Et nullus dubitat quòd ita iudicium nocens ſubterfugit, quemadmodum vt abſoluatur qui eſt innocens quærit. Sed aſtuta cauillatio eorum, qui verſutis agendum credunt eſſe conſiliis, numquam innocentiæ nomen accipiet. Confitetur enim de omnibus quiſquis ſe ſubterfugere iudicium dilationibus putat. Veniet tamen aliquando ille, qui talis perhibetur, in medium, nec proderit illi toties latuiſſe, toties ſubterfugiſſe, quem ſui actus & commiſſa, quocumque fugerit, ea quæ obiiciuntur illi, ſi vera ſunt, crimina perſequuntur. Debueram quidem iam nunc digná pro eius accuſatis in noſtro iudicio actibus, qui cognitionem & decretum iudicium ſæpè declinando credidit illudendum, ferre ſententiam. At ne aliquis præcoquam forſitan iudicaret, & ſibi qui abſens eſt, licèt ſit quæſitus à nobis, reſeruatum eſſe nihil diceret; maluimus intercapedine temporis data differri: cùm hæc etiam eius accuſatores aſſererent, de quorum intentionibus & moribus ſit ſecurum, Maximum tanto magis damnanda committere, quanto tardiùs ſe conſtituto iudicio præſentarit. Quem Manichæorum inuolutum caligine, arguunt turpi ſecta olim, ita ne eum poſſit abluere, animum ſordidaſſe, in probationem obiectæ rei geſta Synodalia proferentes: & commiſſis inuolutum vndique flagitiis, nullum eum ſanitatis habuiſſe reſpectum. quem furore ſuo & inſana temeritate ad ſæcularium quoque iudicum tribunalia ſubditum quæſtioni, quod in vili quoque perſona turpiſſimum eſt, obiicerent perueniſſe, & homicidij damnatum aſſerunt geſtis prolatis in medium. Et hunc talem, poſt tanta taliáque commiſſa, Epiſcopatus adhuc ſibi nomen in ſuis latibulis vindicare, in propriæ ciuitatis infamiam, nimiis doloribus conqueruntur, & ſanctum

Iuo P. v. cap. 271.

ſanctum nomen vindicando ſibi velle polluere. Idcóque, fratres cariſſimi, quia audiendus hîc præſentare ſe noluit, ne conuictus forſitan ab accuſantibus ſe clericis, poſſet digna tandem aliquando præſentatus Epiſcopali iudicio pronunciationis congruæ feriri ſententia: (quanquam illi, cùm hæc edocta fuerint, quæ poteſt huius nominis eſſe iactura, qui pudorem nunquam ſacerdotij habuiſſe perhibetur, & locum ſuum ne modico quidem tempore cuſtodiſſe?) dilationem tamen dedimus, & decreuimus veſtrum debere intra prouinciam eſſe iudicium, & congregari Synodum ante diem Kalendarum Nouembrium: vt ſi adeſſe voluerit, præſens ſi confidit ad obiecta reſpondeat: ſi verò adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur. Nam manifeſtum eſt, confiteri eum de crimine, qui indulto & toties delegato iudicio, purgandi ſe occaſione non vtitur. Nihil enim intereſt, vtrum in præſenti examine omnia quæ dicta ſunt comprobentur, cùm ipſa quoque pro confeſſione procurata toties conſtet abſentia. Nos autem per omnes prouincias litteras dirigemus, ne excuſationem ſibi ignorationis obtendat, vt ad prouinciam venire cogatur, & illic ſe conſtituto præſentare iudicio. Quicquid autem veſtra caritas de hac cauſa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, noſtra, vt condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur. Data ſub die Idus Iunias, Monaxio v. c. Conſule. 3. q. 9. Decernimus veſtrum.

BONIFACII PAPÆ EPISTOLA II. AD Hilarium Epiſcopum Narbonenſem.

De Patroclo Arelatenſi, qui Epiſcopum in Eccleſia Luteuenſi ordinarat, vt nullus contempto Metropolitano ordinetur Epiſcopus.

BONIFACIVS EPISCOPVS VRBIS ROMÆ HILARIO Epiſcopo Narbonenſi ſalutem.

DIFFICILEM quidem fidem querimoniis commodamus, quarum ſacerdotes Domini pulſat intentio: maximè cùm eos loquuntur quippiam contra patrum ſtatuta tentaſſe. Sed frequenter has aſſerit, ſicut nunc, multitudo cauſantum. Ecce enim, vt caritas tua recognoſcit ex ſubditis, Lutubenſis Eccleſiæ cleri ordo, vel plebis, preces ſuas & lacrymas ad nos, quantum datur intelligi, magno cum dolore miſerunt, dicentes coepiſcopum noſtrum Patroclum, ſua petitione ceſſante, in locum decedentis Epiſcopi neſcio quem in alia prouincia, prætermiſſo Metropolitano, contra patrum regulas ordinaſſe. Quod nequaquam poſſumus ferre patienter, quia conuenit nos paternarum ſanctionum diligentes eſſe cuſtodes. Nulli etenim videtur incognita Synodi conſtitutio Nicænæ, quæ ita præcipit, vt eadem propriè verba ponamus, Per vnamquamque prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere, nec cuiquam duas eſſe ſubiectas. Quod illi, quia aliter credendum non eſt, ſeruandum ſancto Spiritu ſuggerente ſibimet cenſuerunt. Vnde, frater cariſſime, ſi ita res ſunt, & Eccleſiam ſupradictam prouinciæ Epiſt. 3. Bonifac. Synod. Nicæna can. 6.

tuæ limes includit, noſtra auctoritate commonitus, quod quidem facere ſponte deberes, deſideriis ſupplicantum & voluntate reſpecta, ad eundem locum, in quo ordinatio talis celebrata dicitur, Metropolitani iure munitus, & præceptionibus noſtris fretus accede: intelligens arbitrio tuo ſecundum regulas patrum quæcumque facienda ſunt à nobis eſſe conceſſa: ita vt peractis omnibus Apoſtolicæ Sedi quicquid ſtatueris te referente clareſcat, cui totius prouinciæ ſuæ ordinationem liquet eſſe mandatam. Nemo ergo eorum terminos audax temerator excedat: nec aliquis in illorum contumeliam partibus ſuis, quæ ſibi ab his non videntur conceſſa defendat. Ceſſet huiuſmodi preſſa noſtra auctoritate præſumptio eorum, qui vltra licitum ſuæ limitem dignitatis extendunt. Quod idcirco dicimus, vt aduertat caritas tua, adeò nos canonum cautiùs præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra definiat, quatenus Metropolitani ſui vnaquæque prouincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet. Data v. Idus Februarias, DD. NN. Honorio XIII. & Theodoſio X. Auguſtis Conſulibus.

LEPORII MONACHI
LIBELLVS EMENDATIONIS,

Quem Maſſilia ob hæreſim eiectus, cùm in Africa reſipuiſſet, ibi conſcripſit, atque indè in Galliam ad Epiſcopos miſit, circa annum Chriſti CCCCXXV.

De hoc Leporio tunc monacho, poſtea presbytero, præter Caſſianum lib. I. *de Incarnatione Domini cap.* IV. *& Gennadium de viris illuſtribus cap.* LIX. *ſcribit etiam Facundus Hermianenſis Epiſcopus lib.* I. *de tribus capitulis Synodi Calchedonenſis, ad Iuſtinianum Imp. his verbis.*

CVM quidam Leporius preſbyter apud Gallias, deprauatus à vera & antiqua Eccleſiæ fide, eadem dicere præſumeret quæ poſtea Neſtorius docuit, atq; inde pro tali errore depulſus in Africam docendus veniret, illic inſtructus, vt docet Apoſtolus, in ſpiritu manſuetudinis à ſpiritalibus patribus Aurelio Carthaginienſi, & Auguſtino, atque aliis Africanis Epiſcopis, prauiſſimam nouitatem ſui dogmatis abdicauit. Scripſit autem libellum ſatisfactionis idem Leporius ad Gallos Epiſcopos, quem memorati venerabiles patres, Aurelius atque Auguſtinus, & ceteri ſic probauerunt, vt ad faciendam veritatis fidem etiam ſuas ei ſubſcriptiones adiicerent. In quo libello poſt multa ſic dixit: Naſcitur ergo propriè de Spiritu ſancto ex Maria virgine Deus homo IESVS Chriſtus, &c.

EPISTOLA EPISCOPORVM AFRICAE, quam cum Leporij Libello miſerunt ad Epiſcopos Galliæ, Proculum videlicet Maſsilienſem, & alios.

Nunc primùm edita ex MS. codice S. Laurentij Leodienſis.

DILECTISSIMIS ET HONORABILIBVS FRATRIbus & conſacerdotibus, Proculo & Cylinnio, Aurelius, Auguſtinus, Florentius, & Secundinus, in Domino ſalutem.

FILIVM noſtrum Leporium apud veſtram ſanctitatem pro ſui erroris præſumptione meritò idoneéque correptum, cùm ad nos poſteaquàm indè exturbatus eſt veniſſet, ſalubriter perturbatum corrigendum ſanandúmque ſuſcepimus. Nam ſicut vos 1. Theſſ. 5. 14. obediſtis Apoſtolo vt corriperetis inquietos, ita & nos vt conſolaremur puſillanimes, ac ſuſciperemus infirmos. Cùm enim præoccupatus eſſet, ſicut homo, in aliquo delicto, eodémque non paruo, vt de vnigenito filio Dei, quod erat in principio verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, cùm autem venit plenitudo temporis, Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, non recta quædam ſaperet, nec vera ſentiret, negans Deum hominem factum; ne videlicet ſubſtantiæ diuinæ, quæ æqualis eſt patri, indigna mutatio vel corruptio ſequeretur: nec videns quartam ſe ſubintroducere in Trinitate perſonam, quod à ſanitate Symboli, catholicæque veritatis prorſus alienum eſt: eum ſicuti potuimus adiuuante Domino inſtruximus in ſpiritu lenitatis. præſertim quia cùm hoc admoneret vas electionis, adiecit, *Intendens teipſum, ne & tu tenteris*. ne ita ſe Gal. 6. 1. & 2. quidam ad prouectum ſpiritalem perueniſſe gauderent, vt ſe iam non poſſe tentari tanquam homines putarent, addiditque ſalubrem pacificamque ſententiam, vt alter alterius onera portemus, quoniam ſic adimplebimus legem Chriſti. Qui enim putat ſe eſſe aliquid, cùm ſit nihil, ſeipſum ſeducit, dilectiſſimi & honorabiles fratres. Quam tamen eius emendationem nequaquam fortè implere poſſemus, niſi vos antè quæ in eo mendoſa fuerant damnaretis. Idem igitur & dominus & medicus noſter vtens vaſis ac miniſtris ſuis, qui dixit, *Ego percutiam, & ego ſanabo*, per vos percuſſit tu- Deut. 32. 39. mentem, per nos ſanauit dolentem. Idem ſuæ domus adminiſtrator atque prouiſor, per vos deſtruxit malè conſtructa, per nos benè compoſita reſtaurauit. Idem diligens agricola poſſeſſionis ſuæ ſterilia per vos eradicauit, & noxia; vtilia per nos & fœcunda plantauit. Non itaque nobis, ſed eius miſericordiæ demus gloriam, in cuius manu ſumus & nos & ſermones noſtri. Et ſicut in ſupradicto filio noſtro miniſterium veſtrum humilitas noſtra laudauit, ſic etiam ſanctitas veſtra noſtro miniſterio gratuletur. Paterno igitur & fraterno corde ſuſcipite à nobis miſericordi ſeueritate correctum. Etſi enim aliud per nos, aliud per vos, vtrumque tamen fraternæ ſaluti neceſſarium vna caritas fecit. vnus ergo Deus fecit, quoniam Deus caritas eſt. Proinde ſicut per ſuam præſentiam ſuſceptus eſt à

nobis, ſic per ſuam epiſtolam ſuſcipiatur à vobis. cui quidem epiſtolæ noſtra etiam manu ſubſcribendum putauimus, ipſius eſſe teſtantes. Hanc eius correctionem dilectionem veſtram minimè dubitamus, & gratanter accipere, & eis notam facere quibus eius error ſcandalum fuit. quia & illi qui cum eo venerunt ad nos, cum illo correcti atque ſanati ſunt, ſicut eorum ſubſcriptionibus, quæ coram nobis factæ ſunt, tenetur expreſſum. Supereſt vt de fraterna ſalute lætati, reſcriptis beatitudinis veſtræ nos viciſſim lætificare dignemini. Optamus vos, dilectiſſimi & honorabiles fratres, in Domino benè valere memores noſtri.

EPISTOLA, SEV LIBELLVS EMENDATIONIS Leporij monachi ad Epiſcopos Galliæ.

Integra non exſtat. quæ autem ſequuntur, ex Caſſiano decerpta ſunt lib. 1. de Incarnatione Domini, vbi flebiles confeſſionis & planctus Leporij literas vocat.

QVID in me primùm, ô domini mei venerandi & beatiſſimi ſacerdotes, accuſem neſcio, & quid in me primùm excuſem, non inuenio. Sic imperitia & ſuperbia, ſic ſtulta ſimplicitas cum perſuaſione noxia, ſic feruor cum intemperantia, ſic, vt veriùs dicam, cum ſui diminutione debilis fides, ſimul in me omnia recepta viguerunt, vt tot & tantis ſimul ſit & obediſſe confuſio, & hæc eadem ab animo potuiſſe cedere, mihi ſtupenda gratulatio. ET POST PAVCA. Si ergo minimè percipientes hanc potentiam Dei, ſenſu noſtro & propria ratione ſapientes, quaſi in inferiora ſe Deus agere videatur, ita hominem cum Domino natum eſſe dicamus, vt ſeorſum quæ Dei ſunt ſoli Deo demus, & ſeorſum quæ ſunt hominis ſoli homini reputemus; quartam manifeſtè introducimus in Trinitate perſonam, & de vno filio Dei non vnum, ſed facere incipimus duos Chriſtos: quod à nobis ipſe Dominus Deus Chriſtus auertat. Ergo confitemur Dominum ac Deum noſtrum IESVM Chriſtum, vnicum filium Dei, qui ſibi ante ſæcula natus ex patre eſt, nobis à tempore de Spiritu ſancto ex Maria ſemper virgine factum hominem, natum Deum: & confitentes vtramque ſubſtantiam, carnis ac verbi, vnum eundémque Deum atque hominem inſeparabilem ſemper pia fidei credulitate ſuſcipimus: & ex tempore ſuſceptæ carnis ſic omnia dicimus quæ erant Dei tranſiſſe in hominem, vt omnia quæ erant hominis in Deum venirent: & hac intelligentiâ verbum factum ſit caro, non vt conuerſione aut mutabilitate cœperit eſſe quod non erat, ſed vt potentia diuinæ diſpenſationis verbum patris numquam à patre diſcedens, homo propriè fieri dignaretur, incarnatuſque ſit vnigenitus ſecreto illo myſterio, quo ipſe nouit. noſtrum namque eſt credere, illius noſſe. Ac ſic ipſe Deus verbum totum ſuſcipiens quod eſt hominis homo ſit, & aſſumptus homo totum accipiens quod Deus eſt, aliud quàm Deus eſſe non poſſit. Non tamen, quia incarnatus dicitur & immixtus, diminutio eius

eſt accipienda ſubſtantiæ. Nouit enim Deus ſine ſui corruptione miſceri, & tamen in veritate miſceri: nouit in ſe ita ſuſcipere, vt nihil ei creſcat augmenti, ſicut ſeipſum totum nouit infundere, vt nihil accidat detrimenti. Non ergo ad intelligentiam imbecillitatis noſtræ, ſecundum experimentorum viſibilia documenta, facientes coniecturam de æqualibus ſe inuicem ingredientibus creaturis, putemus Deum hominémque commixtum, & tali confuſione carnis & verbi quaſi aliquod corpus effectum. Abſit ita credere, vt conflatili quodammodo genere duas naturas in vnam redactas arbitremur eſſe ſubſtantiam. Huiuſmodi enim commixtio partis vtriuſque corruptio eſt. Deus enim, qui capax non capabilis eſt, penetrans non penetrabilis, implens non implebilis, qui vbique ſimul totus eſt, & vbique diffuſus eſt, per infuſionem potentiæ ſuæ miſericorditer naturæ eſt mixtus humanæ. Et post pavca. Naſcitur ergo nobis propriè de Spiritu ſancto & Maria ſemper virgine Deus homo Iesvs Chriſtus filius Dei: ac ſic in alterutrum vnum fit verbum & caro, vt manente in ſua perfectione naturaliter vtraque ſubſtantia, ſine ſui præiudicio & humanitati diuina communicent, & diuinitati humana participent; nec alter Deus, alter homo, ſed idem ipſe Deus qui & homo, & viciſſim homo, qui & Deus Iesvs Chriſtus, vnus Dei filius nuncupetur & verè ſit. Et ideò id agendum nobis ſemper eſt & credendum, vt Dominum noſtrum Iesvm Chriſtum filium Dei Deum verum, quem cum patre ſemper, & æqualem patri ante ſæcula confitemur, eundem à tempore ſuſceptæ carnis factum Deum hominem non negemus: nec quaſi per gradus & tempora proficientem in Deum, alterius ſtatus fuiſſe ante reſurrectionem credamus, alterius poſt reſurrectionem, ſed eiuſdem ſemper plenitudinis atque virtutis. Et item pavlo post. Sed quia verbum Deus in hominem dignanter hominem ſuſcipiendo deſcendit, & per ſuſceptionem Dei homo aſcendit in verbum, totus Deus verbum factus eſt totus homo. Non enim Deus pater homo factus eſt, nec Spiritus ſanctus, ſed vnigenitus patris. ideóque vna perſona accipienda eſt carnis & verbi, vt fideliter ſine aliqua dubitatione credamus vnum eundémque Dei filium inſeparabilem ſemper, geminæ ſubſtantiæ etiam gigantem nominatum, in diebus carnis ſuæ, & verè omnia ſemper geſſiſſe quæ ſunt hominis, & verè ſemper poſſediſſe quæ Dei ſunt: quoniam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. *Cetera deſiderantur.*

Ioannes II. Papa epiſt. 3. Fœcundus lib. 1.

Pſal. 18.

2. Cor. 13.

VALENTINIANI III. CAES.
CONSTITVTIO

De diuerſis Eccleſiaſticis capitibus in Galliam miſſa Theodoſio Aug. XI. & Valentiniano Cæſare Conſulibus, anno Chriſti CCCCXXV.

I. *Vt priuilegia Eccleſiis ſeruentur.* II. *Clerici ad ſæculares iudices non trahantur.* III. *Vt pellantur Epiſcopi Pelagiani.* IV. *Manichæi item, omnéſque hæretici, cum Mathematicis.* V. *Vt Iudæis cauſas agere, aut militare non liceat, nec mancipia Chriſtiana habere.*

IMP. THEODOSIVS AVG. ET VALENTINIANVS CÆS. Armatio V. INL. Præfecto Prætorio Galliarum.

I. Cod Theod. D Epiſcop. Eccleſ. & cler. l. 47.

PRIVILEGIA Eccleſiarum, vel clericorum omnium, quæ ſæculo noſtro Tyrannus inuiderat, prona deuotione reuocamus, ſcilicet vt quicquid à Diuis principibus ſinguli quique Antiſtites impetrarunt, iugi ſolidara æternitate ſeruetur: nec cuiuſquam audeat titillare præſumptio, in quo nos nobis magis præſtitum confitemur. II. Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares iudices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruamus: his manentibus, quæ circa eos ſanxit antiquitas. Fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Inluſtris auctoritas tua omni æuo manſura quæ iuſſimus in prouinciarum miſſa notitiam præcipiet etiam ſub pœna ſacrilegij cuſtodiri; ſpecialiter id inluſtribus comprehenſura præceptis, vt in omnibus circa Eccleſiaſtica priuilegia veterum principum ſtatuta ſeruentur. III. Diuerſos verò Epiſcopos nefarium Pelagiani & Cæleſtiani dogmatis errorem ſequentes, per Patroclum ſacroſanctæ legis Antiſtitem præcipimus conueniri. Quos quia confidimus emendari, niſi intra viginti dies ex conuentionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeſéque catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco ſacerdotium fidelius ſubrogari: quatenus præſentis erroris macula de populorum animis tergeatur, & futuræ bonū diſciplinæ iuſtioris inſtituatur. IV. Sanè quia religioſos populos nullis decet ſuperſtitionibus deprauati, Manichæos, omneſque hæreticos, vel ſchiſmaticos, ſiue Mathematicos, omnémque ſectam catholicis inimicam, ab ipſo aſpectu vrbium diuerſarum exterminari debere præcipimus, ne præſentiæ quidem criminoſorū contagione fœdentur. V. Iudæis quoque, vel Paganis, cauſas agendi vel militandi licētiam denegamus. quibus Chriſtianæ legis nolumus ſeruire perſonas, ne occaſione dominij ſectā venerandę religionis immutent. Omnes igitur perſonas erroris infauſti iubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubuenerit. Data VII. Idus Iulias Aquileiæ, Conſſ. D.N. Theodoſio Aug. XI. & Valentiniano Cæſ. Coss.

Cod. Theod. De hæreticis l. 64.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 428.

CAELESTINVS PAPA.

VALENTINIANI III. IMP. 3.

CÆLESTINI PAPÆ EPISTOLA I.

Ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis.

TITVLI DECRETORVM.

1. *De quibuſdam ſacerdotibus, qui amicti pallio, & lumbos præcincti, in Eccleſia miniſtrabant.*
2. *Quòd nulli ſit in morte vltima pœnitentia deneganda.*
3. *Quòd per gradus Eccleſiaſticos promouendi ſint Epiſcopi, non ex laicis aſſumendi, neque crimino ſi.*
4. *Vt Metropolitanus in aliena prouincia nihil præſumat. & vt in creandis Epiſcopis extranei emeritis in ſua Eccleſia clericis non præponantur.*
5. *Quòd inuito clero vel populo Epiſcopus ordinari non debeat. neque ex altera Eccleſia peti, ſi in ipſa, cui creandus eſt, ſit idoneus.*
6. *Quòd ab illicitis ſit ordinationibus abſtinendum, & ſi quæ facta ſunt remouendæ.*
7. *Danieli Epiſcopatus, ad quem clanculum obrepſerat, abrogatus.*
8. *Epiſcopi Maſſilienſis, qui de alterius Epiſcopi cæde gratulatus dicebatur, cauſa Epiſcopis delegata.*

CÆLESTINVS VNIVERSIS EPISCOPIS PER Viennenſem & Narbonenſem prouincias conſtitutis in Domino ſalutem.

CVPEREMVS quidem de veſtrarum Eccleſiarum ita ordinatione gaudere, vt congratularemur potiùs de profectu, quàm aliquid admiſſum contra diſciplinam Eccleſiaſticam doleremus. Ad noſtram enim lætitiam & benefacta perueniunt, & mœroris aculeis nos quæ fuerint malè facta compungunt. Nec ſilere poſſumus, cùm ad hoc vt ab illicitis reuocemus aliquos, officij noſtri prouocemur inſtinctu, in ſpeculis à Deo conſtituti, vt vigilantiæ noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coërcenda ſunt reſecemus, & quæ obſeruanda ſunt ſanciamus. Circa quamuis longinqua ſpiritalis cura non deficit; ſed ſe per omnia, quâ nomen Dei prædicatur, extendit: nec notitiam noſtram ſubterfugiunt, quæ in euerſionem regularum nouellæ præſumptionis auctoritate tentantur.

I. *De quibuſdam ſacerdotibus, qui amicti pallio, & lumbos præcincti, in Eccleſia miniſtrabant.*

Didicimus enim, quoſdam Domini ſacerdotes ſuperſtitioſo potiùs cultui inſeruire, quàm mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, ſi contra Eccleſiaſticum morem faciunt qui in Eccleſia non creuerunt; ſed alio venientes itinere, ſecum hæc in Eccleſiam, quæ in alia conuerſatione habuerant, intulerunt. Amicti pallio, & lumbos præcincti, credunt ſe ſcripturæ fidem, non per ſpiritum, ſed per literam completuros. Nam ſi ad hoc iſta Luc. 12. 35. præcepta ſunt, vt taliter ſeruarentur; cur non fiunt pariter quæ ſequuntur, vt lucernæ ardentes in manibus vnâ cum baculo teneantur? Habent ſuum

iſta myſterium, & intelligentibus ita clara ſunt, vt ea magis qua decet ſignificatione ſeruentur. Nam in lumborum præcinctione caſtitas, in baculo regimen paſtorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur, *Opera veſtra luceant*, indicantur. Habeant tamen iſtum forſitan cultum, morem potiùs quàm rationem ſequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul à ceteris degunt. Vnde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, vt tot annorum, tantorumque pontificum, in alterum habitum conſuetudo vertatur? Diſcernendi à plebe vel ceteris ſumus doctrina, non veſte; conuerſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam ſi ſtudere incipiamus nouitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, vt locum ſuperuacuis ſuperſtitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potiùs ſunt, quàm illudendi. Nec imponendum eſt eorum oculis, ſed mentibus infundenda præcepta ſunt. Erant quidem multa, quæ pro diſciplina Eccleſiaſtica, vel ipſius rei dicere ratione poſſemus: ſed ab his ad alia deuocamur.

Matth. 5. 16.

II. *Quòd nulli ſit in morte vltima pœnitentia deneganda.*

16. q. 6. Agnouimus pœnitentiam.

Agnouimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum deſideriis annui, qui obitus ſui tempore hoc animæ ſuæ cupiunt remedio ſubueniri. Horremus, fateor, tantæ impietatis aliquem reperiri, vt de Dei pietate deſperet: quaſi non poſſit ad ſe quouis tempore concurrenti ſuccurrere, & periclitantem ſub onere peccatorum hominem pondere, quo ſe expediri deſiderat, liberare. Quid hoc rogo aliud eſt, quàm morienti mortem addere, eiúſque animam ſua crudelitate, ne abſoluta eſſe poſſit, occidere? cùm Deus ad ſubueniendum paratiſſimus, inuitans ad pœnitentiam ſic promittat, *Peccator*, inquiens, *quacumque die conuerſus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei.* & iterum, *Nolo mortem peccatoris, ſed tantùm conuertatur, & viuat.* Salutem ergo homini adimit, quiſquis mortis tempore ſperatam pœnitentiam denegarit. Et deſperat de clementia Dei, qui eum ad ſubueniendum morienti ſufficere vel in momento poſſe non credit. Perdidiſſet latro præmium in cruce ad Chriſti dexteram pendens, ſi illum vnius horæ pœnitentia non iuuiſſet. Cùm eſſet in pœna pœnituit, & per vnius ſermonis profeſſionem habitaculum paradiſi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conuerſio in vltimis poſitorum mente potiùs eſt æſtimanda, quàm tempore, propheta hoc taliter aſſerente, *Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.* Cùm ergo ſit Dominus cordis inſpector, quouis tempore non eſt deneganda pœnitentia poſtulanti, cùm ille ſe obliget iudici, cui occulta omnia nouerit reuelari.

Ezech. 18. 23. & 33. 11.

Eſa. 30. apud Septuag.

III. *Quòd per gradus Eccleſiaſticos promouendi ſint Epiſcopi, non ex laicis aſſumendi, neque criminoſi.*

D. LXI. Ordinatos verò quoſdam.

Ordinatos verò quoſdam, fratres cariſſimi, Epiſcopos, qui nullis Eccleſiaſticis ordinibus ad tantæ dignitatis faſtigium fuerint inſtituti, contra patrum decreta, huius vſurpatione, qui ſe hoc recognoſcit feciſſe, didicimus; cùm ad Epiſcopatum his gradibus, quibus frequentiſſimè cautum eſt, debeat perueniri, vt minoribus initiati officiis ad maiora firmentur. Debet enim antè eſſe diſcipulus quiſquis doctor eſſe deſiderat, vt poſſit docere

quod

quod didicit. Omnis vitæ inſtitutio hac ad id quò tendit ſe ratione confirmat. Qui minimè litteris operam dederit, præceptor eſſe non poteſt litterarum. Qui non per ſingula ſtipendia creuerit, ad emeritum ſtipendij ordinem non poteſt peruenire. Solum ſacerdotium inter iſta, rogo, vilius eſt, quod faciliùs tribuitur, cùm difficiliùs impleatur? Sed iam non ſatis eſt laicos ordinare, quos nullus fieri ordo permittit: ſed etiam ij, quorum crimina longè latéque per omnes pene ſunt nota prouincias, ordinantur. Daniel enim, nuper miſſa relatione ex orientalibus ad nos partibus, ab omni quod tenuerat virginum Monaſterio nefariis eſt obiectionibus accuſatus. Multa à multis obiecta flagitia. in quánam lateret terrarum parte quęſitus eſt, vt ſi ſuæ innocentiæ confideret, contra ſe iudicium poſtulatum minimè declinaret. Miſſa ad Arelatenſem Epiſcopum per Fortunatum ſubdiaconum noſtrum, vt ad iudicium Epiſcopale deſtinaretur, epiſtola. Tantis grauatus teſtimoniis, tanta facinorum accuſatione pulſatus, ſacrarum vt dicitur virginum pollutus inceſto, Epiſcopus aſſeritur ordinatus. In noſtris libelli ſcriniis continentur, quorum ad vos quoque exemplaria direximus. In Pontificij dignitatem hoc tempore, quo ad cauſam dicendam miſſis à nobis litteris vocabatur, obrepſit. Sacro nomini abſit iniuria. Facilius eſt, vt hanc dignitatem tali dando ipſe amiſerit ordinator, quàm eam obtineat ordinatus. Cui conuictus ſociabitur, qui eum ſibi credidit largiendo pontificium ſociandum. Qualis enim ipſe ſit, quiſquis tales ordinarit oſtendit. His ergo in medium nunc deductis, cùm plerique veſtrûm ſint, qui Apoſtolicæ Sedis ſtatuta cognouerint, nobiſcum tempore aliquanto verſati, ad diſciplinæ normam noſtris conuenta adhortationibus omnia fraternitas veſtra reuocare feſtinet.

D. lxxxi. Tantis Daniel grauatus.

IV. *Vt Metropolitanus in aliena prouincia nihil præſumat. & vt in creandis Epiſcopis extranei emeritis in ſua Eccleſia clericis non præponantur.*

Primùm, vt iuxta canonum decreta, vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano contenta ſit, vt deceſſoris noſtri data ad Narbonenſem Epiſcopum continent conſtituta, nec vſurpationis locus alicui ſacerdoti in alterius concedatur iniuriam. Sit conceſſis ſibi contentus vnuſquiſque limitibus: alter in alterius prouincia nihil præſumat: nec emeritis in ſuis Eccleſiis clericis peregrini & extranei, & qui antè ignorati ſint, ad excluſionem eorum, qui benè de ſuorum ciuium merentur teſtimonio, præponantur: ne nouum quoddam, de quo Epiſcopi fiant, inſtitutum videatur eſſe collegium.

Bonifacij ad Hilarium.

D lxi. Nec emeritis.

V. *Quòd inuito clero vel populo, Epiſcopus ordinari non debeat: neque ex altera Eccleſia peti, ſi in ipſa, cui creandus eſt, ſit idoneus.*

Nullus inuitis detur Epiſcopus: cleri, plebis, & ordinis conſenſus ac deſiderium requiratur. Tunc alter de altera eligatur Eccleſia, ſi de ciuitatis ipſius clericis, cui eſt Epiſcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non credimus, poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi ſunt, vt aliqui de alienis Eccleſiis meritò præferantur. Habeat vnuſquiſque clericorum ſuæ fructum militiæ in Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè alter obrepat: nec alij debitam, ſibi alter audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, ſi ſe

D. lxi. Nullus inuitis detur.

D. lxv. Cleri, plebis, ordinis.

viderint prægrauari: & quos ſibi ingeri ex tranſuerſo agnouerint, non timeant refutare. Qui etſi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere iudicium.

VI. *Quòd ab illicitis ſit ordinationibus abſtinendum, & ſi quæ factæ ſunt, remouendæ.*

Abſtineatur etiam ab illicitis ordinationibus. Nullus ex laicis, nullus digamus, nullus qui ſit viduæ maritus, aut fuerit, ordinetur: ſed irreprehenſibilis, & qualem elegit Apoſtolus fiat. Per Moyſem Dominus præcepit, Leuit. 21. 1. Tim. 3. *Virginem accipiat ſacerdos vxorem.* Subſequitur & ſupplet Apoſtolus, eodem locutus ſpiritu, vnius vxoris virum debere Epiſcopum conſecrari. Ad hanc ergo eligantur formulam ſacerdotes: & ſi quæ factæ ſunt ordinationes illicitæ remoueantur, quoniam ſtare non poſſunt: nec diſcuſſionem noſtram ſubterfugere poterũt, quamuis latere ſe æſtiment, qui taliter peruenerunt. Vt nulla religionis reuerentia obſcuritate fuſcetur, non ſit vana gloriatio palliatis: Epiſcopalem morem qui Epiſcopi ſunt ſequantur.

VII. *Danieli Epiſcopatus, ad quem clanculùm obrepſerat, abrogatus.*

Daniel, vt diximus, qui accuſationem pontificali honore ſubterfugere poſſe ſe credidit, & ad faſtigium tantum accuſatores ſuos latendo peruenit, à ſanctitatis veſtræ cœtu interim ſe nouerit ſegregatum: qui ſe noſtro iudicio debet obiicere, ſi conſcientiæ ſuæ nouit confidentiam ſe habere.

VIII. *Epiſcopi Maſſilienſis, qui de alterius Epiſcopi cæde gratulatus dicebatur, cauſa Epiſcopis delegata.*

Maſſilienſis verò Eccleſiæ ſacerdotem, qui dicitur, quod dictu nefas eſt, in necem fratris ſui taliter gratulatus, vt huic qui eius ſanguine cruentatus aduenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, veſtro eum audiendum collegio delegamus. Data VIII. Kalendas Auguſtas, Flauiis Felice & Tauro viris clariſſimis Conſulibus.

CÆLESTINI PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Epiſcopos Galliæ.

I. *Vt ab Epiſcopis reprimantur presbyteri quidam, qui Eccleſiam nouis quæſtionibus turbabant.*
II. *Quòd S. Auguſtini vitam & doctrinam magni ſemper fecerit Sedes Apoſtolica.*

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VENERIO, MARINO, Leontio, Auxonio, Arcadio, Sillucio, & ceteris Galliarum Epiſcopis Cæleſtinus.

Epiſt. 8. Cæleſtini. 1. Cor. 10. 32. APOSTOLICI verba precepti ſunt, apud Iudæos atque Gentiles ſine offenſione nos eſſe debere. Hoc quiſquis Chriſtianus eſt tota animi virtute cuſtodit. Quod cùm ita ſit, non parum periculi illi manere poterit ante Deum, qui hoc detrectat etiam fidelibus exhibere. Nam qualiter nos, qui neminem perire volumus, iſta contriſtent, quæ auctoribus Chriſtianis percellunt animos Chriſtianos,

Dominicus in Euangelio ſermo teſtatur. Ait enim ipſe Saluator, quòd expediat ſcandalizanti vnum de puſillis, in maris profundum demergi. Ideo quæ ſit iam eius pœna quæramus, cui tale ſupplicium legimus expedire. Matth. 18. 6. Marc. 9. 41. Luc. 17. 2.
I. Filij noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſolicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, vt indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduerſantia veritati. Sed veſtræ dilectioni iuſtiùs imputamus, quando illi ſupra vos habent copiam diſputandi. Legimus, ſuper magiſtrum non eſſe diſcipulum, hoc eſt non ſibi debere quemquam ad iniuriam doctorum vendicare doctrinam. Nam & hos ipſos à Deo noſtro poſitos nouimus ad docendum, cùm ſit dicente Apoſtolo eis tertius locus intra Eccleſiam deputandus. Quid illic ſpei eſt, vbi magiſtris tacentibus hi loquuntur, qui ſi ita eſt eorum diſcipuli non fuerunt? Timeo ne conniuere ſit hoc tacere. Timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret. Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faueamus errori. Ergo corripiantur huiuſmodi. Non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem. Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere nouitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare. Conantur ſæpè naufragio mergere, quos intra portum ſtantes ſtatio facit fida ſecuros. Fida quippe eſt omnium ſtatio, quorum perfectis greſſibus veſtigia non mouentur. Recurrerunt ad Apoſtolicam prædicti Sedem, hæc ipſa nobis quæ tentat perturbatio conquerentes. Habetote, fratres cariſſimi, pro catholicæ plebis pace tractatum. Sciant ſe, ſi tamen cenſeantur presbyterij dignitate, vobis eſſe ſubiectos. Sciant omnes qui malè docent, quòd ſibi diſcere magis ac magis competat, quàm docere. Nam quid in Eccleſiis vos agitis, ſi illi ſummam teneant prædicandi? Niſi fortè illud obſiſtat, quod non auctoritate, non adhuc ratione colligitur, vt aliqui è fratrum numero, nuper de laicorum conſortio in collegium noſtrum fortaſſe admiſſi, neſciant quid ſibi debeant vendicare. Super his multa iam dicta ſunt eo tempore, quo ad fratris Tuentij dedimus ſcripta reſponſum. Nunc tamen repetentes ſæpiùs admonemus, vt vitentur huiuſmodi, qui laborant per terras aliud, quàm ille noſter iuſſit agricola, ſeminare. Nec tamen mirari poſſumus, ſi hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quieſcentium fratrum memoriam diſſipare. II. Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam antè à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt; vt pote qui vtique cunctis & amori fuerit, & honori. Vnde reſiſtatur talibus, quos malè creſcere videmus. Nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione, quia membra noſtra ſunt, nos quoque conuenit macerari: quamuis maneat hos beatitudo promiſſa, quicumque probantur perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere. Quibus quid promittat Dominus in futurum, ſequens ſermo declarat. Non eſt agentium cauſa ſolorum, quando vniuerſalis Eccleſia

Matth. 10. 24.

1 Cor. 12. 28. Epheſ. 4. 11.

quacumque nouitate pulſatur. Intelligamus hæc ipſa vobis, quæ nobis non placent, diſplicere. Quod ita demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio de tali re in poſterum querela ceſſauerit. Dominus incolumes vos cuſtodiat, fratres cariſſimi.

PRAETERITORVM SEDIS APOSTOLICÆ EPISCOPORVM auctoritates,

De gratia Dei & libero voluntatis arbitrio.

TITVLI SENTENTIARVM.

1. *Quòd Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi gratia poſſe ſaluari.*
2. *Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione eius qui ſolus eſt bonus.*
3. *Quòd niſi gratia Dei continua iuuemur, inſidias diaboli ſuperare non poſſumus.*
4. *Quòd per Chriſtum libero bene vtamur arbitrio.*
5. *Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.*
6. *Quòd omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.*
7. *Quòd gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adiuuat ne committantur, & præſtat vt lex impleatur, non ſicut ait Pelagius facilè, quaſi ſine gratia Dei difficiliùs poſſit impleri.*
8. *Quòd præter ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, quæ genus humanum ab æterna damnatione reparatur.*
9. *Quòd gratiam Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis, & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi.*
10. *Quòd profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus aſſerendæ.*

QVIA nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, in damnatis hæreticorum ſenſibus, ſeu prauitate, ſeu imperitia demorantes, piiſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt; & cùm Pelagium atque Cæleſtium anathematizare non dubitent, magiſtris tamen noſtris, tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur, eáque tantummodo ſequi & probare profitentur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Sedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit & docuit. Neceſſarium igitur fuit diligenter inquirere, quid rectores Romanæ Eccleſiæ de hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicauerint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores, quid de gratia Dei ſentiendum eſſe cenſuerint: ita vt etiam Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vrique ſuas fecerunt Apoſtolici antiſtites cùm probarunt. Vt ergo pleniùs qui in aliquo dubitant inſtruantur, conſtitutiones ſanctorum Patrum compendioſo manifeſtemus indiculo. Quòd ſi quis non nimium eſt contentioſus, agnoſcat omnium diſputationum connexionem ex hac ſubditarum auctoritatum breuitate pendere, nullámque ſibi contradictionis ſupereſſe rationem, ſi cùm catholicis credat & dicat.

I. *Quòd Adam omnes homines læſerit, nec quemquam niſi gratia poſſe ſaluari.*

In præuaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe conſurgere, niſi eum gratia Dei miſerantis erexerit, pronunciante beatæ memoriæ Innocentio Papa, atque dicente in epiſtola ad Carthaginenſe Concilium: *Liberum enim arbitrium olim ille perpeſſus, dum ſuis inconſultiùs vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda demerſus eſt, & nihil quemadmodum exinde reſurgere poſſet inuenit: ſuáque in æternum libertate deceptus, huic ruinæ ſubiacuiſſet oppreſſus, niſi eum poſtea Chriſti per ſuam gratiam releuaſſet aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem, præteritum omne vitium ſui baptiſmatis lauacro purgauit.* Epiſt. 17 In requirendis.

II. *Quòd nemo ſit bonus ſuis viribus, niſi participatione eius qui ſolus eſt bonus.*

Neminem eſſe per ſemetipſum bonum, niſi participationem ſui ille donet, qui ſolus eſt bonus. Quod in eiſdem ſcriptis eiuſdem pontificis ſententia proteſtatur, dicens: *Nunquid nos de eorum poſt hac rectum mentibus æſtimemus, qui ſibi ſe putant debere quòd boni ſunt, nec illum conſiderant, cuius quotidie gratiam conſequuntur, qui ſine illo tantum ſe aſſequi poſſe confidunt?* In ead. epiſt.

III. *Quòd niſi gratia Dei continua iuuemur, inſidias Diaboli ſuperare non poſſumus.*

Neminem, etiam baptiſmatis gratia renouatum, idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad euincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adiutorium Dei perſeuerantiam bonæ conuerſationis acceperit. Quod eiuſdem Antiſtitis in eiſdem paginis doctrina confirmat, dicens: *Nam quamuis hominem redemiſſet à præteritis ille peccatis, tamen ſciens iterum poſſe peccare, ad reparationem ſibi, quemadmodum poſſet illum & poſt iſta corrigere, multa ſeruauit, quotidiana præſtans illi remedia, quibus niſi freti confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.* In ead. epiſt.

IV. *Quòd per Chriſtum libero bene vtamur arbitrio.*

Quòd nemo niſi per Chriſtum libero bene vtatur arbitrio, idem magiſter in epiſtola ad Mileuitanum Concilium data prædicat, dicens: *Aduerte tandem, ô prauiſſimarum mentium peruerſa doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipſa decepit, vt dum indulgentiùs frænis eius vtitur, in præuaricationis præſumptionem conciderit. Nec ex hac potuit erui, niſi prouidentia ei regenerationis ſtatum priſtinæ libertatis Chriſti Domini reformaſſet aduentus.* Epiſt. 24. Inter ceteras.

V. *Quòd omnia Sanctorum merita dona ſint Dei.*

Quòd omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriam laudémque referenda ſunt; quia nemo aliundè ei placet, niſi ex eo quod ipſe donauerit. In quam nos ſententiam dirigit beatæ recordatio-

nis Papæ Zoſimi regularis auctoritas, cùm ſcribens ad totius orbis Epiſcopos ait: *Nos autem inſtinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem ſuum referenda ſunt, vnde naſcuntur,) ad fratrum & coepiſcoporum noſtrorum conſcientiam vniuerſa retulimus.* Hunc autem ſermonem, ſinceriſſimæ veritatis luce radiantem, tanto Afri Epiſcopi honore venerati ſunt, vt ita ad eundem virum reſcriberent. *Illud verò quod in literis, quas ad vniuerſas prouincias curaſti eſſe mittendas, poſuiſti dicens,* Nos tamen inſtinctu Dei, & cetera, *ſic accipimus dictum, vt illos, qui contra Dei adiutorium extollunt humani arbitrij libertatem, diſtricto gladio veritatis, velut curſim tranſiens, amputares. Quid enim tam libero feciſti arbitrio, quàm quòd vniuerſa in noſtræ humilitatis conſcientiam retuliſti? Et tamen inſtinctu Dei factum eſſe fideliter ſapienterque vidiſti, veraciter fidenterque dixiſti. Ideo vtique, quia præparatur voluntas à Domino, & vt boni aliquid agant, paternis inſpirationibus ſuorum ipſe tangit corda fidelium. Quotquot enim ſpiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt: vt nec noſtrum deeſſe ſentiamus arbitrium, & in bonis quibuſque voluntatis humanæ ſingulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.*

Proſper contra Collatorem cap. 10.

VI. *Quòd omnis ſancta cogitatio, & motus piæ voluntatis ex Deo ſit.*

Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operetur arbitrio, vt ſancta cogitatio, pium conſilium, omníſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus. Ad hanc enim nos profeſſionem idem doctor inſtituit, qui cùm ad totius orbis Epiſcopos de diuinæ gratiæ opitulatione loqueretur: *Quod ergo tempus,* ait, *interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, vt quicquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo,* Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed contra principes & poteſtates aëris huius, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. *Et ſicut ipſe iterum dicit,* Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum. *Et iterum,* Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum.

Zoſimus in ead. epiſtola, quæ non extat.

Epheſ. 6. 12.

Rom. 7. 24.

1. Cor. 15. 10.

VII. *Quòd gratia Dei non ſolùm peccata dimittat, ſed etiam adiuuat ne committantur, & præſtat vt lex impleatur, non ſicut ait Pelagius facilè, quaſi ſine gratia Dei difficilius poſſit impleri.*

Illud etiam, quod intra Carthaginenſis Synodi decreta conſtitutum eſt, quaſi proprium Apoſtolicæ Sedis decretum amplectimur, quòd ſcilicet tertio capitulo definitum eſt: *Vt quicumque dixerit gratiam Dei, qua iuſtificamur per* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quæ iam commiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema ſit.* Et iterum quarto capitulo: *Vt ſi quis dixerit gratiam Dei per* IESVM *Chriſtum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipſam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt ſciamus quid appetere, & quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præſtari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus,*

Epiſcoporum ccxiv. anno 418.

anathema ſit. Cùm enim dicat Apoſtolus, Scientia inflat, caritas verò ædificat, 1.Cor.8.1.
valdè impium eſt, vt credamus, ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, &
ad eam quæ ædificat non habere: cùm ſit vtrumque donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante caritate ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de Deo ſcriptum eſt, Qui docet hominem ſcientiam, *ita* Pſal.93.10.
etiam ſcriptum eſt, Caritas ex Deo eſt. Item quinto capitulo: *Vt quiſquis* 1.Ioan.4.7.
dixerit, ideò nobis gratiam iuſtificationis dari, vt quod facere per liberum arbitrium iubemur, faciliùs poſſimus implere per gratiam, tanquam etſi gratia non daretur, non quidem facilè, ſed tamen poſſimus etiam ſine illa diuina implere mandata, anathema ſit. De fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait, Sine me difficiliùs poteſtis facere, ſed ait, Sine me nihil po- Ioan.15.5.
teſtis facere.

VIII. *Quòd præter ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, omnes orationes Eccleſiæ Chriſti gratiam reſonant, qua genus humanum ab æterna damnatione reparatur.*

Præter eas autem beatiſſimæ & Apoſtolicæ Sedis inuiolabiles ſanctiones, quibus nos piiſſimi patres, peſtiferæ nouitatis elatione deiecta, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis vſque in finem perſeuerantiam, ad Chriſti gratiam referre docuerunt, obſecrationum quoque ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni Eccleſia catholica vniformiter celebrantur, vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cùm enim ſanctarum plebium præſules mandata ſibimet legatione fungantur, apud diuinam clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum congemiſcente Eccleſia poſtulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ caritatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedium conferatur, vt denique catechumenis ad regenerationis ſacramenta perductis, cæleſtis aula miſericordiæ reſeretur. Hæc autem non perfunctoriè neque inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus: quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum transferat in regnum filij caritatis ſuæ, & ex vaſis iræ faciat vaſa miſericordiæ. Quod adeò totum diuini operis eſſe ſentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro illuminatione talium vel correctione referatur.

IX. *Quòd gratia Dei etiam baptizandorum teſtetur inſtituta purgatio, cùm exorciſmis, & exſufflatione ſpiritus ab eis abiguntur immundi.*

Illud etiam, quod circa baptizandos in vniuerſo mundo ſancta Eccle- Iuo P. 1.
ſia vniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu: cùm ſiue paruuli, cap. 105.
ſiue iuuenes ad regenerationis veniunt ſacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorciſmis & exſufflationibus clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur: vt tunc verè appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras, & quomodo priùs alligetur fortis, & deinceps vaſa eius diripiantur, in poſſeſſionem tranſlata victoris, qui captiuam duxit

captiuitatem, & dat dona hominibus. His ergo Eccleſiaſticis regulis, & ex diuina ſumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino cōformati ſumus, vt omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium ſtudiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fateamur auctorem, & non dubitemus ab ipſius gratia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni & velle incipiamus & facere. Quo vtique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur; vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, de imprudente ſit prouidum. Tanta enim erga omnes homines eſt bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his quæ largitus eſt æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult & velimus & agamus. Nec otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda non negligenda donauit, vt & nos operatores ſimus gratiæ Dei, ac ſi quid in nobis ex noſtra viderimus remiſſione langueſcere, ad illum ſollicitè recurramus, qui ſanat omnes languores noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidie dicimus, Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo.

X. *Quòd profundiores quæſtiones nec contemnendæ ſint, nec penitus aſſerendæ.*

Profundiores verò, difficilioréſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractarunt qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt, ſatis ſufficere credimus, quicquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, vt prorſus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.

Expliciunt auctoritates præteritorum Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum, de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio.

Anno Christi 432. — Valentiniani III. Imp. 7.

XYSTVS III. PAPA.

CONCILIVM

CONCILIVM REGENSE.

CVM EBREDVNI À DVOBVS CONTRA canones ordinatus eſſet Epiſcopus, ſub die III. Kalendas Decembris celebratum, Theodoſio Aug. XVII. & Feſto V.C. Coſs. anno Chriſti CCCCXXXIX. Valentiniani III. Aug. decimo quinto, Xyſti III. Papæ octauo.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt duo, qui ſoli ordinationem præſumpſerant, ab omnibus deinceps ordinationibus & Conciliis abſtineant.*
2. *Vt Ebreduni, remoto eo qui perperam fuerat aſſumptus, alia fiat legitima ordinatio.*
3. *Armentario, qui perperam fuerat ordinatus, pœna remiſſa, Chorepiſcopi nomen certis legibus indultum.*
4. *De clericis, qui ab Armentario temerè prouecti dicebantur.*
5. *Quòd presbyteris liceat priuatim benedictionem deſiderantibus impertiri.*
6. *Vt defuncto Epiſcopo, Eccleſiæ illius curam vicinus gerat Epiſcopus.*
7. *Ne quis ad ordinationem veniat, niſi Metropolitanis litteris inuitatus.*
8. *Vt ſingulis annis bini fiant conuentus.*

PRÆFATIO.

CVM in voluntate Domini apud Regenſem Eccleſiam conueniſſemus, & tranſgreſſionis apud Ebredunenſem Eccleſiam habitæ remedium quæreretur, qua ſacris Eccleſiæ canonibus, ac reuerendis patrum conſtitutionibus omni parte neglectis, abſque trium Epiſcoporum præſentia, abſque comprouincialium litteris, ſine Metropolitani auctoritate, irritam ordinationis ſpeciem à duobus temerè conuenientibus præſumptam eſſe claterebat; nonminus doloris de præſumentium lapſu, quàm de Eccleſiæ ipſius conuulſione, in pectoribus omnium diutina collatione verſatum eſt.

CANONES.

I. *Vt duo, qui ſoli ordinationem præſumpſerant, ab omnibus deinceps ordinationibus & Conciliis abſtineant.*

Primùm itaque, quia non vlciſcendi, ſed remediandi ſtudium, nutu Domini, vniuerſorum pectora prorſus ſacerdotali conſilio inſederat, canonum in ſermonibus ſingulis proprietate perſpecta, patuit quòd ſicut reprobè præſumpta eſſent in irritum deuocanda, ita

eos qui reproba præſumpſiſſent, quamuis confundere cenſura cogeret, caritati liceret abſoluere: præſertim cùm hi qui tam peruerſa incidiſſent, à primo lapſus ipſius die adhibitis paſſim precibus, culpam pœnitentes aut ignorantiæ, aut circumſcriptioni imputaſſent: quia etſi inueniabile crederetur ſacerdotem ſacerdotalia ſtatuta neſciſſe; leuius tamen erat, quàm ſi ore impudenti fateretur ſe nota calcaſſe. Itaque eos qui tam incondita, ac tam inſtabilia vſurpauerunt, placuit miſericordiæ & caritatis occurſu, ita in communionem dilectionémque recipi, vt ſcirent ſecundum recentem, & ſaluberrimam Taurinatis Synodi definitionem, ad perpetuam vitæ iſtius ſuffuſionem, nullis ſe de cetero ordinationibus, nullis ordinariis interfuturos eſſe Conciliis: quia nihil ſalubre ab illis ſtatuendum expectaretur, qui tantæ corruptionis tam deteſtanda exempla præbuerant.

Conc. Taurinenſe can. 3.

II. *Vt Ebreduni, remoto eo qui perperam fuerat aſſumptus, alia fiat legitima ordinatio.*

Ebredunenſi Eccleſiæ ante omnia maturè viſum eſt conſulendum, quia quatuor de biennio menſibus ſacerdote legitimo deſtituta hoc grauiùs ægrotauerat, quòd clerus innocens, ac diſciplinæ, vt probatum eſt, memor, quorumdam laicorum inſolentia ac varia perturbatione vexatus, etiam in ſacerdotibus ac miniſtris minas ac iurgia, & vim acerbiſſimam periculosè pernicioſa nuper cæde pertulerat: nec poterat differri bonorum ac diſciplinæ memorum expectatio, ne viderentur contumacium & inquietorum vota palpari. quorum conſpirationes iniquæ, machinationéſque, & in præteritum, quantum deprehendi poſſint, animaduerſione Eccleſiaſtica puniendæ, & in futurum anticipandæ erant. Itaque ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque euacuandam eſſe cenſuimus, in qua prætermiſſa trium præſentia, nec expetitis comprouincialium litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorſus nihil quod Epiſcopum faceret oſtenſum eſt. Itaque placuit in voluntate Domini, remoto eo qui perperam aſſumptus erat Epiſcopus, fieri omninò fratrum conſtitutionem Eccleſiaſtica traditione ſeruata.

III. *Armentario, qui perperam fuerat ordinatus, pœna remiſſa, Chorepiſcopi nomen certis legibus indultum.*

Verùm quia hæc ſancta Synodus non diſciplinæ tantùm curam, ſed & miſericordiæ geſſit: cúmque occurreret, quòd ſe Armentarius diebus proximis eidem Eccleſiæ multa adſentatorum inſolentia retuliſſet; occurrebat tamen, quòd ante admonitionem diſceſſiſſet; quòd à nonnullis ſacerdotum in hoc ipſum confirmatus, ſe

etiam priuatæ domui reddidiſſet; quòd epiſtolas ad clerum ipſum emiſerat, quibus Epiſcopatum, quem ſe non indeptum agnoſcebat, appetere nuntiauerat, eradi nomen ſuum petens, & hoc ipſum quod inſtabiliter in ſe præſumptum erat, iam tunc inordinatum & irritum futurum proteſtatum eſſe confirmans: in illam potiùs partem declinata ſententia eſt, vt iuueni educato in timore Domini plus ſuffragaretur, quòd in actu vitioſiſſimo interdum ſana ſenſiſſet, quàm quòd iuuenilibus titillationibus in aliqua parte ceſſiſſet. Itaque prætermiſſis his, quæ in regreſſu ipſius eum, abſque vllius excuſationis effugio, ſocietate culpæ reſperſerant, velut innocentem eundem præterire ſacerdotes Domini, qui huic Concilio aderat, damnatione vacuum maluerunt. Quod ergo in quibuſdam ſchiſmaticis magis, quàm hæreticis, recipiendis Nicænum Concilium ſtatuit à ſingulis per territoria ſua, hoc etiam præſens conuentus in hoc ſtatuit ab omnibus debere ſeruari. Id eſt, vt cuicúmque de fratribus tale aliquid caritatis conſilia dictauerint, liceat ei vnam parochiarum ſuarum Eccleſiam cedere, in qua aut Chorepiſcopi nomine, vt idem canon loquitur, aut peregrina, vt aiunt, communione foueatur. Primùm itaque ſtatuitur, vt hoc in qualibet prouincia, præterquàm in Alpina maritima, liceat. Quam ſi in aliqua parte acceſſerit, vt malorum incitator, & quietis impatiens, damnationi quam in ſe prouocauerat ſubiacebit. Sed & ſi quis eidem quicquam ex his quæ ſtatuta ſunt tranſgredienti communicauerit, à communione omnium fiat alienus. Deinde vt quolibet in loco præterquàm in publico egerit, ne quis ei locus decernatur, quem curiæ & ciuitatis ſpecies, aut ordo nobilitat. Additur, ne vnquam in ciuitatibus, vel ſub Epiſcoporum abſentia, offerre præſumat, nec ordinare vel vltimum clericum, nec in ea quidem Eccleſia, quæ illi cuiuſcúmque miſericordia fuerit attributa. nec vlli Epiſcoporum, vel ſuccedente ætate aſſumpto, in rudimentis ſuis huic in aliquo, quaſi pro ætatis reuerentia, cedere liceat. nec vſquam ipſi quicquam de Epiſcopalibus officiis vſurpare, præterquàm in Eccleſia, quam cuiuſquam miſericordia fuerit indeptus: in qua ei ſolùm neophytos confirmare, & ante preſbyteros offerre conceditur. Quòd ſi vnquam aliquid, caritate alterius prouocatus, de habitationis commutatione variauerit, non aliter in alia Eccleſia requiem accipiat, quàm priori renuntiauerit. nec omninò vnquam duarum Eccleſiarum gubernationem obtineat: cui etiam in ea, quæ ipſi conceditur, miniſtros à ciuitatis Epiſcopo neceſſe eſt ordinari.

Conc. Nicænum cap. 8.

IV. *De clericis, qui ab Armentario temerè prouecti dicebantur.*

Sanè quia miniſtrorum mentio facta eſt, & nonnulli ab ipſo

inuenti excommunicati, temerè in clero prouecti dicuntur: ſtatutum eſt, eos qui ita aſſumpti ſunt deponendos: quibus autem nulla conuerſationis macula præiudicauerit, provt Ebredunenſi ſacerdoti conſtituendum viſum eſſet, aut in Eccleſiæ ſuæ miniſterio tenendos, aut ad ipſum quocúmque habitaſſet transferendos. Plebi quam acceperit ex conſtitutionis huius permiſſu benedicere, & vt ſuprà definitum eſt, in vna eadémque Eccleſia neophytos confirmare, in caſtellis ac vicis totum illi ante preſbyteros ſicubi venerit liceat, quod in ciuitatibus omnino præſcribitur.

V. *Quòd presbyteris liceat priuatim benedictionem deſiderantibus impertiri.*

Burchard. lib. 11. 29. Et inter minutas has diſcuſſiones & indefinitas viſum eſt, omni preſbytero per familias, per agros, per priuatas domos, pro deſiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas iam prouincias habere ſuccurrit. Huic autem etiam in Eccleſiarum plebibus, per loca tamen magis, quàm per vrbes, hoc idem viſum eſt eſſe tribuendum. In Eccleſia quoque, in qua ordinatus fuerit, conſecrandi virginem, ſicut confirmandi neophytum, ius habebit. Et per omnia, vt ſit multæ indulgentiæ teſtimonium, ſemper ſe inferiorem Epiſcopo, ſuperiorem preſbytero agat. Mandatis votíſque omnium ſanctorum proſequentibus viuat in timore Domini, quietem colat, Deo ſeruiat, Synodi circa ſe beneuolentiæ gratias agat, ſempérque indignum ſe indultis, & negatis imparem eſſe fateatur.

VI. *Vt defuncto Epiſcopo Eccleſiæ illius curam vicinus gerat Epiſcopus.*

In commune autem, omnes qui conuenerant ſacerdotes, ſibimetipſis contra huiuſmodi ſcandala præcauendum cenſuerunt. Itaque propter eiuſmodi temeritatem, tali definitione cõſultum eſt, vt de cetero obſeruaretur, ne quis ad eam Eccleſiam, quæ Epiſcopum perdidiſſet, niſi vicinæ Eccleſiæ Epiſcopus, exequiarum tempore accederet: qui [viſitatoris vice] tamen ſtatim Eccleſiæ ipſius curam diſtrictiſſimè gereret, ne quid ante ordinationem diſcordantium in nouitatibus clericorum ſubuerſioni liceret. Itaque cùm tale aliquid accidit, vicinis vicinarum Eccleſiarum inſpectio, recenſio, deſcriptióque mandatur.

VII. *Ne quis ad ordinationem veniat, niſi Metropolitani litteris inuitatus.*

Hæc autem omnia exequiarum tempore, vſque ad ſeptimam defuncti diem aget. Exin ſe Eccleſiæ referens, mandatum Metropolitani ſimul cum omnibus ſanctis Epiſcopis opperietur. Nec quiſ-

quam ad Eccleſiam, quæ ſummum amiſerat ſacerdotem, niſi Metropolitani litteris inuitatus, accedat; ne à plebe decipiatur, & vim pati voluiſſe videatur.

VIII. *Vt ſingulis annis bini fiant conuentus.*

Quæ voluntate communi in voluntate Domini conſtituta, omnes communi conſenſu conſeruanda, neque, quod abſit, ſine offenſa omnium ac Dei à quoquam tranſgredienda definiunt: adiicientes, vt ſecundum antiquam conſtitutionem, ſi quies temporum erit, bis in anno conuentus agant. Certè inter quaſlibet anxietates, neglectis propriis ac domeſticis neceſſitatibus, quoquomodo ſimul gratias agentes Deo, quo donante quicquid ſpiritu conſiderant conſurgentes, ſolum Eccleſiæ remedium, remota vltionis prurigine, atque omni animoſitate, quæſiſſent.

SVBSCRIPTIONES.

Ego HILARIVS Epiſcopus, iuxta id quod vniuerſis ſanctis Coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, definita patrum ſequutus, his definitionibus ſub die III. Kalendas Decembris, Theodoſio Aug. XVII. & Feſto V. C. Coss. ſubſcripſi.

Ego Seuerianus Epiſcopus huic definitioni interfui & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Ego Audentius Epiſcopus his ſtatutis interfui & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Ego Iulius Epiſcopus his ſtatutis interfui & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Archadius Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Auſpicius Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Seuerus Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Claudius Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Valerianus Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Nectarius Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Aſclepius Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Theodorus Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Maximus Epiſcopus his definitionibus int. & ſubſc. die & Conſ. ſſ.

Ego Vincentius preſbyter Epiſcopi Conſtantini, ab eodem ordinatus, interfui & ſubſcripſi vice ipſius.

ANNO CHRISTI 440. VALENTINIANI III. IMP. 15.

LEO MAGNVS PAPA.

CONCILIVM ARAVSICANVM I.

CONSTITVTIONES SANCTÆ SYNODI habitæ in territorio Arauſico, in Eccleſia Iuſtinianenſi, ſub die VI. Idus Nouembris Cyro Conſule, anno Chriſti CCCCXLI. Valentiniani III. Aug. decimo ſeptimo, Leonis I. Papæ ſecundo.

TITVLI CANONVM.

1. De hæreticis, ſi in mortis diſcrimine conuertantur.
2. De non iteranda chriſmatis benedictione.
3. De pœnitentibus qui de corpore recedunt.
4. Pœnitentiam clericis non negandam.
5. Qui ad Eccleſiam confugiunt tradi non debent.
6. De iis qui Eccleſiæ mancipia occupāt pro ſuis.
7. De manumiſſis in Eccleſia, vel Eccleſiæ per teſtamentum commendatis.
8. Si quis alibi conſiſtentem clericum ordinandum putarit.
9. De iis qui alienos ciues ordinant.
10. Si quis Eccleſiam in aliena ciuitatis territorio ædificet.
11. Quòd Epiſcopus ei, qui ab alio excommunicatus eſt, communicare non debeat.
12. Subitò obmuteſcenti danda eſt pœnitentia, ſi petat.
13. Amentibus quæ pietatis ſunt conferenda.
14. Energumenis baptizatis, ſi monitis obtemperant, danda communio.
15. Energumenis catechumenis de baptiſmate conſulendum.
16. Arreptitij clerici ne fiant, & qui ordinati ſunt, ab officio repellantur.
17. Vt in vnum propoſitio ſacramenti conſecretur.
18. Vt catechumeni lectionem Euangelij audiant.
19. Vt catechumeni ad baptiſteria non accedant.
20. Vt catechumeni benedictionem cum fidelibus non accipiant.
21. Si duo Epiſcopum ordinare præſumpſerint, gradum amittant.
22. Vt clerici coniugati, niſi caſtitatem profeſſi fuerint, diaconi non fiant.
23. Vt diaconus qui ab vxore ſua non abſtinet, ab officio abiiciatur.
24. Qui priùs ordinati incontinentes fuerunt, vlteriùs non promoueantur.
25. De viris probatis, ſi qui è bigamis clerici fiant, ne vltra ſubdiaconatum proueh antur.
26. De diaconiſſis non ordinandis, & iis quæ iam ſunt reuocandis.
27. De viduis profeſſis, ſi nupſerint, aut raptæ fuerint.
28. Profeſſæ caſtitatis præuaricatoribus pœnitentia conſulendum.
29. Vt nullus conuentus ſine alterius conuentus denuntiatione ſoluatur.
30. Vt Epiſcopus infirmus non per presbyteros, ſed per alium Epiſcopum, agenda curet quæ propria ſunt Epiſcopi.

CANONES.

I. *De hæreticis, ſi in mortis diſcrimine conuertantur.*

HÆreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à presbyteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit.

II. *De non iteranda chriſmatis benedictione.*

Nullum miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate vſquam debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate quacúmque neceſſitate faciente non chriſmatus fuerit, in confirmatione ſacerdos commonebitur. Nam inter quoſlibet chriſmatis ipſius non niſi vna benedictio eſt: non vt præiudicans quicquam, ſed vt non neceſſaria habeatur repetita chriſmatio. De Conſecr. diſt. 4 Nullus miniſtrorum.

III. *De pœnitentibus qui de corpore recedunt.*

Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari. quod morientis ſufficit conſolationi, ſecundum definitiones patrum, qui huiuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quòd ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentum, & oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione percipiant. 26. q. 6. Qui recedunt de

IV. *Pœnitentiam clericis non negandam.*

Pœnitentiam deſiderantibus clericis non negandam. Ibidem.

V. *Qui ad Eccleſiam confugiunt, tradi non debent.*

Eos qui ad Eccleſiam confugerint tradi non oportere, ſed loci reuerentia & interceſſione defendi. D. LXXXVII. Eos qui ad Eccleſiam.

VI. *De iis qui mancipia Eccleſiæ occupant pro ſuis.*

Si quis autem mancipia clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Eccleſias diſtrictiſſima damnatione feriatur. Ibidem.

VII. *De manumiſſis in Eccleſia, vel Eccleſiæ per teſtamentum commendatis.*

In Eccleſia manumiſſos, vel per teſtamentum Eccleſiæ commendatos, ſi quis in ſeruitutem, vel obſequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentauerit, animaduerſione Eccleſiaſtica coërceatur. Ibidem.

VIII. *Si quis alibi conſiſtentem clericum ordinandum putarit.*

Si quis alibi conſiſtentem clericum ordinandum putauerit, priùs definiat, vt cum ipſo habitet. Sic quoque non ſine conſultatione eius Epiſcopi, cum quo antè habitauit, eum, qui fortaſſe non ſine cauſa diu ab alio ordinatus non eſt, ordinare præſumat.

IX. *De iis qui alienos ciues ordinant.*

Si qui autem alienos ciues, aut alibi conſiſtentes ordinauerint, nec ordinati in vllo accuſantur, aut ad ſe eos reuocent, aut gratiam ipſis eorum impetrent, cum quibus habitant.

X. *Si quis Eccleſiam in alienæ ciuitatis territorio ædificet.*

Si quis Epiſcoporum in alienæ ciuitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit, vel pro fundi ſui negotio, aut Eccleſiaſtica vtilitate, vel pro quacumque ſua opportunitate, permiſſa licentia ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas eſt, non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſeruatur, in cuius territorio Eccleſia aſſurgit: reſeruata ædificatori Epiſcopo hac gratia, vt quos deſiderat clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, cuius territorium eſt; vel ſi ordinati iam ſunt, ipſos habere adquieſcat. Et omnis Eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis territorio Eccleſia ſurrexerit, pertinebit. Quod ſi etiam ſæcularium quicumque Eccleſiam ædificauerit, & alium magis, quàm eum in cuius territorio ædificat, inuitandum putauerit: tam ipſe, cui contra conſtitutionem ac diſciplinam gratificari vult, quàm omnes Epiſcopi, qui ad huiuſmodi dedicationem inuitantur, à conuentu abſtinebunt. Si quis exceſſerit, in reatum deuocabitur: ſi quis exceſſerit, ordinem recognoſcat.

XI. *Quòd Epiſcopus ei, qui ab alio excommunicatus eſt, communicare non debeat.*

Placuit in reatum venire Epiſcopum, qui admonitus de excommunicatione cuiuſcúmque, ſine reconciliatione eius qui excommunicauit, ei communicare præſumpſerit, vt integra omnia, ſi reconciliatio interceſſerit, de iuſtitia vel de iniquitate excommunicationis, proximæ Synodo reſeruentur.

XII. *Subitò obmuteſcenti danda eſt pœnitentia, ſi petat.*

26. q. 6. Qui recedunt. Subitò obmuteſcens, prout ſtatus eſt, baptizari aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.

XIII. *Amentibus quæ pietatis ſunt conferenda.*

Ibidem. Amentibus quæcumque pietatis ſunt, conferenda.

XIV. *Energumenis baptizatis, ſi monitis obtemperant, danda communio.*

Iuo P. 2. cap. 147. Energumeni baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſolicitudini clericorum tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonij,

dæmonij, quo infeſtantur; vel purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior.

XV. *Energumenis catechumenis de baptiſmate conſulendum.*

Energumenis catechumenis, quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum. Iuo ibid. cap. 148.

XVI. *Arreptitij clerici ne fiant, & qui ordinati ſunt, ab officio repellantur.*

Qui palam aliquando arrepti ſunt, non ſolùm non aſſumendi ad vllum ordinem clericatus, ſed etſi iam aliqui ordinati ſunt, ab impoſito officio repellendi.

XVII. *Vt in vnum propoſitio ſacramenti conſecretur.*

Cùm capſa & calix offerendus eſt, & admixtione Euchariſtiæ conſecrandus.

XVIII. *Vt catechumeni lectionem Euangelij audiant.*

Euangelia deinceps placuit catechumenis legi apud omnes prouinciarum noſtrarum Eccleſias.

XIX. *Vt catechumeni ad baptiſteria non accedant.*

Ad baptiſterium catechumeni nunquam admittendi. Iuo P. 1. cap. 213.

XX. *Vt catechumeni benedictionem cum fidelibus non accipiant.*

A fidelium benedictione, etiam inter domeſticas orationes, in quantum caueri poteſt, ſegregandi, informandíque ſunt, vt ſe reuocent, & ſignandos vel benedicendos ſemotim offerant. Iuo ibid. cap. 214.

XXI. *Si duo Epiſcopum ordinare præſumpſerint, gradum amittant.*

In noſtris prouinciis placuit de præſumptoribus, vt ſicubi contigerit duos Epiſcopos Epiſcopum inuitum facere, auctoribus damnatis, vnius eorum Eccleſiæ ipſe, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet; & alter in alterius deiecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipſe damnabitur, quò cautiùs ea quæ ſunt antiquitus ſtatuta ſeruentur. D. LXIV. De abiectione.

XXII. *Vt clerici coniugati, niſi caſtitatem profeßi fuerint, diaconi non fiant.*

Sedit præterea, vt deinceps non ordinentur diacones coniugati, niſi qui priùs conuerſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem.

XXIII. *Vt diaconus qui ab vxore ſua non abſtinet, ab officio abijciatur.*

Si quis autem poſt acceptam benedictionem Leuiticam cum vxore ſua incontinens inuenitur, ab officio abiiciatur.

guli nobiſcum in exemplaribus ea quæ per nos ſunt conſtituta referentes: reliquos qui defuerunt, beatiſſimi fratris noſtri Hilarij ſolicitudini relinquimus, datis ad ipſos horum exemplaribus commonendos.

XXX. *Vt Epiſcopus infirmus non per presbyteros, ſed per alium Epiſcopum, agenda curet quæ propria ſunt Epiſcopi.*

Poſt omnia occurrit de imbecillitatibus fragilitatis humanæ, vt ſi quis Epiſcopus per infirmitatem debilitatémve aliquam, aut hebetudinem ſenſus inciderit, aut officium oris amiſerit, ea quæ non niſi per Epiſcopos geruntur, non ſub præſentia ſua preſbyteros agere permittat, ſed Epiſcopum euocet, cui quod in Eccleſia agendum fuerit imponat. Ivo P. v. cap. 106.

SVBSCRIPTIONES.

Ego Hilarivs Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Claudius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Conſtantinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Audentius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Agreſtius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Iulius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Auſpicius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Theodorus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Maximus Epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi, ſanctorum ſacerdotum comprouincialium meorum ſuper his expectaturus adſenſum.
Nectarius Epiſcopus ſubſcripſi.
Ingenuus Epiſcopus ſubſcripſi.
Cererius Epiſcopus ſubſcripſi.
Iuſtus Epiſcopus ſubſcripſi.
Auguſtalis Epiſcopus ſubſcripſi.
Salonius Epiſcopus ſubſcripſi.
Superuentor pro patre & Epiſcopo meo Claudio ſubſcripſi & recognoui.

CONCILIVM VASENSE I.

CONSTITVTIONES SANCTÆ SYNODI habitæ in ciuitate Vaſenſi apud Auſpicium Epiſcopum Eccleſiæ catholicæ, ſub die Iduum Nouembrium, Dioſcoro V.C. Conſule, anno Chriſti CCCCXLII. Valentiniani III. Aug. decimo octauo Leonis I. Papæ tertio.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt Gallicani Epiſcopi ſupernenientes in Galliis non diſcutiantur.*
2. *De pœnitentibus ſubitò mortuis, vt eorum oblationes recipiantur.*
3. *Vt ab alieno Epiſcopo chriſma nullus petat, ſed tantùm à proprio.*
4. *Vt qui oblationes defunctorum retinent, excommunicentur.*
5. *Vt qui ſententiæ Epiſcopi ſui non acquieuerit, recurrat ad Synodum.*
6. *De Epiſtola S. Clementis, quòd ab ÿs auerti debeant qui ſubſunt, à quibus qui præeſt auerſus eſt.*
7. *Accuſandi licentia etiam in Epiſcopis reprimenda.*
8. *De correptione in criminibus occultis.*
9. *De expoſitis collectis quid ſit obſeruandum.*
10. *De ÿs qui expoſitos per calumniam repetunt.*

CANONES.

I. *Vt Gallicani Epiſcopi ſuperuenientes in Galliis non diſcutiantur.*

PLACVIT ergo tractatu habito, Epiſcopos de Gallicanis prouinciis venientes intra Gallias non diſcutiendos: ſed ſolùm ſufficere, ſi nullus communionem alicuius interdixerit. quia inter circumhabitantes, ac ſibi penè inuicem notos, non tam teſtimonio indigent probi, quàm denotatione ac denuntiationibus deprauati.

II. *De pœnitentibus ſubitò mortuis, vt eorum oblationes recipiantur.*

Pro his qui pœnitentia accepta, in bonæ vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viuentes, ſine communione inopinato nonnunquam tranſitu, in agris, aut in itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam, Eccleſiaſtico affectu proſequendam. quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, indignos ſalutiferis myſteriis

iudicant, ac dum purgatiores reſtitui deſiderant, abſque ſacramentorum viatico intercipiuntur: quibus fortaſſe nec abſolutiſſimam reconciliationem ſacerdos denegandam putaſſet.

III. *Vt ab alieno Epiſcopo chriſma nullus petat, ſed tantùm à proprio.*

Per ſingula territoria preſbyteri, vel miniſtri, ab Epiſcopis, non provt libitum fuerit à vicinioribus, ſed à ſuis propriis, per annos ſingulos chriſma petant, appropinquante ſolennitate Paſchali: nec per quemcúmque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut miniſtrorum occupatio eſt, per ſubdiaconem: quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum autem eſt, vt ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo vſurus eſt. Si quid obſtat, ſaltem is, cuius officij eſt ſacrarium diſponere, & ſacramenta ſuſcipere. Iuo P. 1. cap 171.

IV. *Vt qui oblationes defunctorum retinent excommunicentur.*

Qui oblationes defunctorum fidelium detinent, & Eccleſiis tradere demorantur, vt infideles ſunt ab Eccleſia abiiciendi: quia vſque ad exinanitionem fidei peruenire certum eſt hanc diuinæ pietatis exacerbationem: qua & fideles de corpore recedentes votorum ſuorum plenitudine, & pauperes conlatu alimoniæ & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur. Hi enim tales, quaſi egentium necatores, nec credentes iudicium Dei habendi ſunt. Vnde & quidam patrum hoc ſcriptis ſuis inſeruit congruente ſententia, qua ait, *Amico quippiam rapere, furtum eſt: Eccleſiam fraudare, ſacrilegium.* 13.q.2.Qui oblationes. Hier. epiſt. 2. ad Nepotianum.

V. *Vt qui Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit, recurrat ad Synodum.*

Si quis Epiſcopi ſui ſentētiæ non acquieſcit, recurrat ad Synodum.

VI. *De epiſtola S. Clementis, quòd ab iis auerti debeant qui ſubſunt, à quibus qui præeſt auerſus eſt.*

Ex epiſtola S. Clementis vtilia quæque, præſenti tempore Eccleſiis neceſſaria, ſunt honorificè proferenda, & cum reuerentia ab omnibus fidelibus, ac præcipuè clericis, percipienda. Ex quibus quod ſpecialiter placuit, propter venerandam antiquitatem ſtatutis præſentibus roboramus, quod ſupraſcriptus beatus Martyr de beatiſſimi Apoſtoli Petri inſtitutione commemorat, dicens: *Quædam autem etiam ex vobiſipſis intelligere debetis, ſi qua ſint, quæ ipſe propter inſidias hominum malorum non poteſt euidentiùs & manifeſtiùs proloqui. Verbi gratia, Si inimicus eſt alicui pro actibus ſuis, vos nolite expectare, vt ipſe vobis dicat, Cum illo nolite amici eſſe: ſed prudenter obſeruare debetis, & voluntati eius, videlicet qui Eccleſiæ curam gerit, abſque commonitione obſecundare, & auerti ab eo, cui ipſum ſentitis aduerſum: ſed nec loqui his, quibus ipſe non loquitur. vt vnuſquiſque qui in culpa eſt, dum cupit omnium veſtrûm ſibi gratiam reparare, feſtinet citiùs reconciliari ei qui omnibus præeſt; vt per hoc redeat ad ſalutem, cùm* S. Clemens epiſt. 1. Iuo P. XIV. cap. 22. D. XCIII. Si inimicus.

obedire cœperit monitis præſidentis. & cætera, quæ in conſequentibus denotant amicos eorum qui veritatis inimici ſunt. Sciat itaque deinceps clerus ad reatum, ſed & populus fidelium ad culpam ſibi adſcribendum, ſi quis hoc in vitio malorum confortator, & diſciplinæ ſubuerſor agnoſcatur.

VII. *Accuſandi licentia etiam in Epiſcopis reprimenda.*

Placuit præterea accuſandi licentiam etiam in noſtri ordinis, ſi qua exiſtit, leuitate comprimere. Vt ſe Epiſcopus, ſi quem iudicat abſtinendum, & pro humiliatione & correctione fratris aſſurgit, exorari à ceteris acquieſcat, fratri, de quo agitur, correptione & comminatione adhibita. Sin autem de crimine aliquem putet eſſe damnandum, accuſatoris vice diſcutiendum ſciat. Fas eſt enim, vt quæ vni probantur, probentur omnibus.

VIII. *De correptione in criminibus occultis.*

6.q.2. Si tantum Epiſcopus. Quòd ſi ſe tantùm Epiſcopus alieni ſceleris cõſcium nouit, quamdiu poteſt nihil proferat; ſed cum ipſo ad compunctionem eius ſecretis correptionibus elaboret. Qui ſi correptus pertinacior fuerit, & ſe communioni publicæ ingeſſerit; etiamſi Epiſcopus in redarguendo illo, quem reum iudicat, probationibus deficiat, indemnatus licèt, ab his qui nihil ſciunt ſecedere ad tempus pro perſona maioris auctoritatis iubeatur, illo quamdiu probari nihil poteſt, in communione omnium, præterquàm eius qui eum reum iudicat, permanente.

IX. *De expoſitis collectis quid ſit obſeruandum.*

Iuo P. III. cap. 254. De expoſitis, quia conclamata ab omnibus querela proceſſit, eos non miſericordiæ iam, ſed canibus exponi; quos colligere calumniarum metu, quamuis inflexa præceptis miſericordiæ, mens humana detrectet: id ſeruandum viſum eſt, vt ſecundum ſtatuta fideliſſimorum, piiſſimorum, auguſtiſſimorum principum, quiſquis expoſitum colligit, Eccleſiam conteſtetur, conteſtationem colligat: nihilominus de altario Dominico die miniſter annuntiet, vt ſciat Eccleſia expoſitum eſſe collectum. vt infra dies decem ab expoſitionis die expoſitum recipiat, ſi quis ſe comprobauerit agnouiſſe: collectori pro ipſorum decem dierum miſericordia, prout maluerit, aut ad præſens ab homine, aut in perpetuum cum Deo gratia perſoluenda.

X. *De ijs qui expoſitos per calumniam repetunt.*

Sanè ſi quis poſt hanc diligentiſſimam ſanctionem expoſitorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator extiterit, vt homicida Eccleſiaſtica diſtrictione feriatur.

Anno Christi 444. Valentiniani III. Imp. 19.

CONCILIVM ARELATENSE.

IN QVO CHELIDONIVS EPISCOPVS, TANQVAM viduæ maritus, & qui capitalibus aliquando iudiciis præfuiſſet, Epiſcopatu deiectus eſt, Theodoſio Aug. XVIII. & Albino V.C. Conſulibus, anno Chriſti CCCCXLIV. Valentiniani III. Auguſti XIX. Leonis Magni Papæ III.

HVIC Concilio præfuit Hilarius Arelatenſis. interfuiſſe autem cum aliis & Germanum Autiſiodorenſem, qui tum fortè Arelatum venerat, innuit Honoratus Maßilienſis, ſeu quis alius vitæ Hilarij eiuſdem eſt auctor. Ceterùm Chelidonius in hac Synodo damnatus Romam ad Leonem Papam contendit. nec multò pòſt ſecutus eſt Hilarius: ſed ſuggeſtione Leoni oblata, moræ impatiens exitum iudicij non expectauit. Ex quo nata eſt illa Leonis in Hilarium indignatio, quam eius ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis epiſtola declarat. Chelidonium porrò abſoluit Leo, non quòd iuſtam exauctorationis cauſam non duceret illam quæ obtendebatur, ſed quòd falsò ei obiecta, nec ſatis probata videretur. Auctor vitæ Hilarij, quanquam Synodi iudicium ſic exponit, quaſi legitimæ teſtium probationi nihil defuiſſet; Hilario tamen fraudi fuiſſe non dißimulat, quòd conſcientia fretus nimia erga Leonem libertate vſus eſſet. Scribit ergo in hunc modum. Vbi ſancti Germani aduentus innotuit, flammata ad vtrumque nobilium & mediocrium ſtudia conuolarunt, adſtruentes Chelidonium interruptam ſuo adhibuiſſe conſortio, quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & canonum prohibent ſtatuta: ſimul ingerentes, ſæculi adminiſtratione perfunctum capitali aliquos condemnaſſe ſententia. Tantæ rei nouitate permoti teſtes imperant præparari. Conueniunt ex aliis locis probatiſſimi ſacerdotes: res omni ratione, prudentiáque diſcutitur, accuſatio teſtimoniis confirmatur. Adhibetur vera ſimpléxque definitio, vt quem ſcripturarum regulæ remouebant, voluntate propria ſe remouere deberet. Ille Vrbem credidit expetendam, ibique ſe iniuſto rigore adſtruit condemnatum. Quod vbi comperit vir beatus, pedibus iter aggrediens, Romam ſine equo, ſine ſagmario feſtinus intrauit. Apoſtolorum, Martyrúmque occurſu peracto, beato Leoni Papæ illico ſe præſentat, cum reuerentia impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens, vt Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret: adſtruens aliquos apud Gallias publicam meritò excepiſſe ſententiam, & in Vrbe ſacris altaribus intereſſe. Rogat atque conſtringit, vt ſi ſuggeſtionem ſuam libenter excepit, ſecretò iubeat emendari. ſe ad officia non ad cauſam veniſſe, proteſtandi ordine, non accuſandi, quæ ſunt acta ſuggerere: porrò autem ſi aliud velit, non futurum eſſe moleſtum. Et quia tantorum virorum, præſertim iam ad ſupernam gratiam vocatorum, nec in narratione audeo iudicia ventilare, hoc breuiter tetigiſſe ſufficiat, quòd ſolus tantos ſuſtinuit, quòd nequaquam minantes expauit, quòd inquirentes edocuit, quòd altercantes vi-

cit, quòd potentibus non ceſſit, quòd in diſcrimine vitæ poſitus communioni eius, quem cum tantis viris damnauerat, coniungi nullatenus adquieuit. In ciuitatis receſſu torum ſe ad placandum animum ſancti Leonis inclinata humilitate conuertit, miſſo primitus ſancto Rauennio, tunc presbytero, poſtmodum proprio ſucceſſore: deinde ſancto Nectario, ſanctóque Conſtantio præcipuis ſacerdotibus. Et quia quantum in hac cauſa dictauerit, huic operi nulla poſſum ratione connectere, Auxiliaris tunc Præfecti quæ fuerit ſententia credidi inſerendum, cuius hæc verba
» ſunt. Sanctos Nectarium & Conſtantium ſacerdotes ex beatitudinis tuæ
» parte venientes digna admiratione ſuſcepi. Cum his ſæpius ſum locutus de
» virtute animi atque conſtantia, contemptúque rerum humanarum, quo
» inter fragilitates noſtras ſemper beatus es. Nam quid poteſt in hac corpo-
» rea vita eſſe iucundum, quæ cùm ſit miſera, tamen non poteſt eſſe perpe-
» tua? Locutus ſum etiam cum ſancto Papa Leone. Hoc loco, credo, ali-
» quantum animo perhorreſcis. Sed cùm propoſiti tui tenax ſis, & ſemper
» æqualis, nullóque commotionis felle rapiaris, ſicut nullis extolleris ille-
» cebris gaudiorum, nec triſtium contagione fuſcaris. Impatienter ferunt
» homines, ſi ſic loquamur, quomodo nobis conſcij ſumus. Aures præterea
» Romanorum quadam teneritudine plus trahuntur: in quam ſi ſe ſancti-
» tas tua ſubinde demittat, plurimum nihil perditurus acquiris. Da mihi
» hoc, & exiguas nubes paruæ mutationis ſerenitate compeſce.

ANNO CHRISTI 445. VALENTINIANI III. IMP.20.

LEONIS PAPAE EPISTOLA I.

Ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis.

Aduerſus Hilarium Epiſcopum Arelatenſem, poſt eius ab Vrbe diſceſſum ſcripta.

TITVLI CAPITVM.

1. *Chelidonius Epiſcopus, quem Hilarius damnarat, retractato iudicio abſolutus.*
2. *Proiectus Epiſcopus, cui ægrotanti alterum idem Hilarius ſubſtituerat, in integrum reſtitutus.*
3. *Electiones & ordinationes Epiſcoporum per quos, & quomodo facienda ſint.*
4. *Hilario Metropolitani dignitas, & poteſtas in prouinciam Viennenſem adempta.*
5. *Quòd nulli facilè infligenda ſit excommunicatio.*
6. *Vt præter Leontij Epiſcopi conſenſum alterius prouinciæ Concilium non indicatur.*

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS EPISCOPIS per Viennenſem prouinciam conſtitutis Leo.

Epiſt.89. Leonis. D. xix. Ita Dominus. DIVINÆ cultrum religionis, quem in omnes gentes, omnéſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter IESVS Chriſtus humani generis Saluator inſtituit, vt veritas, quæ antea legis & prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam
Pſal.18.4. tubam in ſalutem vniuerſitatis exiret; ſicut ſcriptum eſt, *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed huius muneris ſacramentum

cramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt id in beatiſſimo Petro, Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret; atque ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua vellet in corpus omne manare; vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; vt æterni ædificatio templi, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret: hac Eccleſiam ſuam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ contra illam inferi præualerent. Verùm hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo, vt diximus, ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quiſquis eius poteſtatem tentat infringere, fauendo cupiditatibus ſuis, & id quod accepit à veteribus non ſequendo: cùm nulli ſe ſubditum legi, nullis inſtitutionis Dominicæ credit regulis contineri; à veſtro noſtróque per nouæ vſurpationis ambitum more deſciſcens, præſumendo illicita, & quæ cuſtodire debuit negligendo. Verùm hæc nos Deo, vt credimus, adſpirante, ſeruata circa vos noſtræ caritatis gratia, quam ſanctitati veſtræ Apoſtolica ſemper Sedes, vt meminiſtis, impendit, nitimur conſilio maturiore corrigere, & veſtrarum Eccleſiarum ſtatum communicato vobiſcum labore componere; non noua inſtituentes, ſed vetera renouantes; vt in ſtatus conſuetudine, quæ nobis à noſtris patribus eſt tradita, perduremus, & Deo noſtro per boni operis miniſterium, remotis perturbationum ſcandalis placeamus. Nobiſcum itaque veſtra fraternitas recognoſcat, Apoſtolicam Sedem, pro ſui reuerentia, à veſtræ etiam prouinciæ ſacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & per diuerſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe iudicia: adeo vt ſeruata vnitate ſpiritus in vinculo pacis, commeantibus hinc indè literis, quod ſanctè agebatur, perpetuæ proficeret caritati. Quam ſollicitudo noſtra, non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, dignitatem diuinitus datam nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum ſacerdotibus abrogabat. Sed hunc tramitem, ſemper inter maiores noſtros & benè tentum, & ſalubriter conſtitutum, Hilarius Eccleſiarum ſtatum & concordiam ſacerdotum nouis præſumptionibus turbaturus exceſſit: ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, vt ſe beato Apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubiectum: ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicans, & debitam Metropolitanis ſacerdotibus in ſuum ius transferens dignitatem. ipſius quoque beatiſſimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo; cui cùm præ ceteris ſoluendi & ligandi tradita ſit poteſtas, paſcendarum tamen ouium ſpecialiùs cura mandata eſt. cui quiſquis principatum, æſtimat denegandum, illius quidem nullomodo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in inferna demergit.

Matth. 16. 18.

I. Chelidonius Epiſcopus, quem Hilarius damnarat, retractato iudicio abſolutus.

Quæ igitur apud nos in cauſa Chelidonii Epiſcopi geſta confecta ſint, & quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem præſente ſupradicto Epi-

ſcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonſtrat. Vbi poſtquam Hilarius rationabile, quod in ſanctorum Concilio ſacerdotum poſſet reſpondere, non habuit, ad ea ſe occulta cordis ipſius tranſtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus ſacerdotum poſſet audire. Doluimus fateor, fratres, & hunc eius mentis tumorem medelis patientiæ noſtræ curare tentauimus. Nolebamus enim ea illi exacerbare vulnera, quæ ſuæ animæ inſolentibus ſubindè ſermonibus infligebat: & quem ſuſceperamus vt fratrem, delinire magis, quamuis ipſe ſuis reſponſionibus innodaret, quàm contriſtare noſtris interlocutionibus nitebamur. Abſolutus eſt Chelidonius Epiſcopus, quoniam ſe iniuſtè ſacerdotio fuiſſe deiectum, manifeſta teſtium reſponſione, ipſo etiam præſente, monſtrauerat: ita vt quod Hilarius nobiſcum reſidens poſſet opponere non haberet. Remotum eſt ergo iudicium, quod prolatum in hac ſententia legebatur, quòd tanquam viduæ maritus ſacerdotium tenere non poſſet. Quod nos quidem ſeruantes legalia conſtituta ſollicitiùs voluimus cuſtodiri, non ſolùm circa ſacerdotes, ſed circa clericos quoque minoris officij, ne ad ſacram militiam hi permittantur accedere, quibus ſit tale coniugium, vt contra Apoſtolicam diſciplinam non vnius tantùm vxoris viri fuiſſe monſtrentur. Sed ſicut eos, quos factum ſuum non poteſt excuſare, aut non admittendos, aut ſi admiſſi fuerint, decernimus remouendos: ita quibus hoc falsò obiicitur, habita neceſſe eſt examinatione purgemus, & ſuum officium perdere non ſinamus. Manſiſſet nãmque in illum prolata ſententia, ſi obiectorum veritas extitiſſet. Redditus itaque eſt Eccleſiæ ſuæ, & huic quam amittere non debuit dignitati, coepiſcopus noſter Chelidonius, ſicut geſtorum ſeries, & poſt decurſam cognitionem ſententia, quæ à nobis eſt prolata, teſtatur.

II. *Proiectus Epiſcopus, cui ægrotanti alterum idem Hilarius ſubſtituerat, in integrum reſtitutus.*

Huic negotio ſic finito fratris & coepiſcopi noſtri Proiecti querelà ſucceſſit: cuius ad nos litteræ lacrymabiles, & dolendæ de ſuperordinato ſibi Epiſcopo ſunt directæ. Epiſtola quoque ingeſta eſt ciuium, ipſius, & numeroſa ſingulorum ſubſcriptione firmata, inuidioſiſſimis contra Hilarium plena querimoniis, quòd Proiecto Epiſcopo ſuo ægrotare liberum non fuiſſet; eiúſque ſacerdotium in alium præter ſuam notitiam eſſe tranſlatum, & tanquam in vacuam poſſeſſionem ab Hilario peruaſore heredem viuentis inductum. Quid hîc fraternitas veſtra ſentiat, cuperemus audire. quanquam de veſtris animis noſtra non debeat ſententia dubitare, cùm fratrem in lectulo conſtitutum, non tam infirmitate corporis aggrauari, quàm alio videatis dolore torqueri. Quæ ſpes illi de vita relinquitur, cui de ſacerdotio ſuo deſperatio, dum illi alter ſubſtituitur, irrogatur? Apparet quàm mitis ſit corde Hilarius, qui obeſſe præſumptioni ſuæ fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in re fuit, is illi ſubtraxit lucem, abſtulit vitam, qui hunc ei dolorem, in locum eius alterum ſubrogando, ne ad ſalutem illi recurſus eſſet, iniecit. Eſto vt breuis fratri eueneri humanæ conditionis conſueta migratio: quid ſibi Hilarius quærit in aliena prouincia, & id quod nullus deceſſorum ipſius ante Patroclum habuit, cur vſurpat; cùm & ipſum, quod Patroclo à Sede Apoſtolica tempo-

raliter videbatur eſſe conceſſum, poſtmodum ſit ſententia meliore ſublatum? Expectarentur certè vota ciuium, teſtimonia populorum; quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in ſacerdotum ſolent ordinationibus ab his qui norunt patrum regulas cuſtodiri: vt Apoſtolicæ auctoritatis norma in omnibus ſeruaretur, quæ præcipit, vt ſacerdos Eccleſiæ præfuturus, non ſolùm atteſtatione fidelium, ſed etiam eorum qui foris ſunt teſtimonio muniatur; neque vllius ſcandali relinquatur occaſio, cùm per pacem, & Deo placitam concordiam conſonis omnium ſtudiis qui doctor pacis futurus eſt ordinatur. Sed ille inſperatus neſcientibus ſuperuenit, & improuiſus abſceſſit, curſu, vt didicimus, celeri itinera multa conficiens, & per longinquas prouincias tanta immaturitate diſcurrens, vt videatur gloriam de ſcurrili velocitate potiùs, quàm de ſacerdotali moderatione captaſſe. Hæc enim directarum ad nos ciuium verba ſunt litterarum, Ante abſceſſit, quàm eum veniſſe noſſemus. Non eſt hoc redire, ſed fugere: nec ſalubritatem impendere diligentiæ paſtoralis, ſed vim inferre latronis & furis, dicente Domino, *Qui non intrat per ianuam in cortem ouium, ſed aſcendit aliunde, hic fur & latro eſt.* Non ergo Hilarius tam ſtuduit Epiſcopum conſecrare, quàm eum potiùs qui ægrotabat occidere, & ipſum quem ſuperpoſuit malè ordinando decipere. Nos tamen, quod vobis credimus, Deo iudice, placiturum, in cõmune cunctis fratribus conſulentes, & malè ordinatum ſubmoueri, & Epiſcopum Proiectum in ſuo ſacerdotio permanere debere decreuimus: id ſtatuentes, vt ſi quiſquam fratrum noſtrorum in quacumque prouincia de hac vita deceſſerit, is ſibi ordinationem vindicet ſacerdotis, quem illius prouinciæ Metropolitanum eſſe conſtiterit. Duæ vt videmus cauſæ tranſactæ ſunt, in quibus tamen multa ſunt, quæ præter rationem Eccleſiaſticam videantur eſſe commiſſa, & iuſti iudicij debeant expectare cenſuram. Sed nos diutiùs hîc non poſſumus immorari, cùm ad alia, quæ nobis cum veſtra ſanctitate ſollicitiùs conferenda ſunt, prouocemur.

D. LXIII. Vota ciuium.

Ioan 10. 1.

III. *Electiones & ordinationes Epiſcoporum, per quos & quomodo faciendæ ſint.*

Militaris manus, vt didicimus, per prouincias ſequitur ſacerdotem, & armati præſidij præſumptione ſuffulto, ad inuadendas per tumultum famulatur Eccleſias, quæ proprios amiſerint ſacerdotes. Trahuntur ordinandi ante hoc officium his, quibus præficiendi ſunt, ciuitatibus ignorati. Vt enim notus qui fuerit & probatus, per pacem petitur: ita per vim neceſſe eſt, qui ignotus adducitur, imponatur. Obteſtor, obſecro, & ſub Dei vos inuocatione conuenio, prohibete fratres talia, & omnem diſſenſionis materiam de veſtris prouinciis remouete. Certè nos ante Deum abſoluimus, qui vos ne permittatis vltrà hæc fieri conuenimus. Per pacem & quietem ſacerdotes qui præfuturi ſunt poſtulentur. Teneatur ſubſcripto clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus, & plebis: qui præfuturus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. Ordinationem ſibi, vt antè iam diximus, ſinguli Metropolitani ſuarum prouinciarum, cum his qui ceteros ſacerdotij antiquitate præueniunt, reſtituto ſibi per nos iure defendant. Alienum ius alter ſibi non audeat vindicare. Suis limitibus,

D. LXIII. Vota ciuium.

ſuis terminis ſit vnuſquiſque contentus; & priuilegium ſibi debitum in alium transferre ſe poſſe nouerit non licere. Quòd ſi quis negligens Apoſtolicas ſanctiones, plus gratiæ tribuens perſonali, ſui honoris deſertor eſſe voluerit, priuilegium ſuum in alium transferre ſe poſſe credens; non is cui ceſſerit, ſed is qui intra prouinciam antiquitate Epiſcopali ceteros præuenit, ſacerdotes ordinandi ſibi vindicet poteſtatem. Non paſſim, ſed die legitimo ordinatio celebretur: nec ſibi conſtare ſtatus ſui nouerit firmitatem, qui non die ſabbati veſpere, quod luceſcit in primam ſabbati, vel ipſo Dominico die fuerit ordinatus. Solùm enim maiores noſtri reſurrectionis Dominicæ diem hoc honore dignum iudicarunt, vt ſacerdotes qui ſumuntur hoc die potiſſimum tribuantur.

IV. *Hilario Metropolitani dignitas, & poteſtas in prouinciam Viennenſem adempta.*

Suis vnaquæque prouincia ſit contenta Conciliis, nec vltra Hilarius audeat conuentus indicere Synodales, & ſacerdotum Domini iudicia ſe interſerendo turbare. qui non tantùm nouerit ſe ab alieno iure depulſum, ſed etiam Viennenſis prouinciæ, quam malè vſurpauerat, poteſtate priuatum. Dignum eſt enim, fratres cariſſimi, antiquitatis ſtatuta reparari, cùm is, qui ſibi ordinationem prouinciæ indebitæ vindicabat, talis in præſenti etiam probatus fuerit extitiſſe, vt cùm ipſe frequentiùs temerariis & inſolentibus verbis ſententiam damnationis expeteret, ſuæ tantùm ciuitatis illi ſacerdotium, pro Sedis Apoſtolicæ pietate, præceptio noſtra ſeruauerit. Nòn ergo interſit vlli ordinationi, non ordinet, qui meriti ſui conſcius, cùm quæreretur ad cauſam, turpi fuga ſe credidit ſubtrahendum, exſors Apoſtolicæ communionis, cuius particeps eſſe non meruit: Deo vt credimus hoc agente, qui illum inopinantibus nobis, & ad iudicia noſtra pertraxit, & inter examinationes habitas, ne communionis noſtræ conſors fieret, vt abſcederet latenter effecit.

V. *Quòd nulli facilè infligenda ſit excommunicatio.*

Nulli Chriſtianorum facilè communio denegetur: nec ad indignantis fiat hoc arbitrium ſacerdotis, quod in magni reatus vltionem, inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commiſſis & leuibus verbis quoſdam à gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſæui ſupplicij ſauciatam, & inermem quodammodo, exutámque omni munimine, diabolicis incurſionibus, vt facilè caperetur, obiectam. Certè ſi quando cauſa talis emerſerit, vt pro commiſſi criminis qualitate aliquem iuſtè faciat communione priuari, is tantùm pœnæ ſubdendus eſt, quem reatus inuoluit, nec particeps debet eſſe ſupplicij, qui conſors non docetur fuiſſe commiſſi. Sed quid mirum eum in laicos talem exiſtere, qui ſoleat ſacerdotum damnatione gaudere?

VI. *Vt præter Leontij Epiſcopi conſenſum alterius prouinciæ Concilium non indicatur.*

Vnde quia noſtra longè alia videtur intentio, (nam omnium Eccleſiarum ſtatum, & concordiam cuſtodiri cupimus ſacerdotum) ad vnitatem

vos vinculo caritatis hortantes, & obteſtamur, & affectione congrua commonemus, vt ea quæ à nobis Deo inſpirante, & beatiſſimo Petro Apoſtolo,diſcuſſis probatiſque nunc omnibus cauſis,decreta ſunt,pro veſtra pace & dignitate ſeruetis; certi non tam noſtro, quàm veſtro honori proficere, quòd talia ſtatuiſſe cognoſcimur. Non enim nobis ordinationes veſtrarum prouinciarum defendimus, quod poteſt forſitan ad deprauandos veſtræ ſanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri: ſed vobis per noſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati,nec præſumptori locus vltrà iam pateat priuilegia veſtra caſſandi. Noſtræ enim gratulationi hoc ſolùm creſcere profitemur, ſi & Apoſtolicæ Sedis diligentia apud vos illibata ſeruetur, & per ſacerdotalis diſciplinæ concordiam, honori veſtro perire quod ſuum eſt improbis vſurpationibus non ſinamus. Et quoniam honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & coepiſcopum noſtrum LEONTIVM probabilem ſacerdotem hac, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari, vt præter eius conſenſum alterius prouinciæ non indicatur à veſtra ſanctitate Concilium, & à vobis omnibus, quemadmodum vetuſtas eius, & probitas exigit, honoretur, Metropolitanis priuilegij ſui dignitate ſeruata. Æquum eſt enim, nec vlli de fratribus fieri videtur iniuria, ſi his qui ſacerdotij vetuſtate præcedunt, pro ætatis ſuæ merito in ſuis prouinciis à ſacerdotibus ceteris deferatur. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

VALENTINIANI III. AVG. NOVELLA.

De Epiſcoporum ordinatione.

Vnà cum præcedenti Leonis Papæ decretali de eadem re in Galliam miſſa.

IMPP. THEODOSIVS ET VALENTINIANVS AA. AETIO V. Inl. Comiti & Magiſtro vtriuſque militiæ, & Patricio.

CERTVM eſt, & nobis, & imperio noſtro vnicum eſſe præſidium in ſupernæ diuinitatis fauore, ad quem promerendum præcipuè Chriſtiana fides, & veneranda nobis religio ſuffragatur. Cùm igitur Sedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem Sedis iſtius inlicitum præſumptio adtentare nitatur. Tunc enim demum Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas. Hæc cùm hactenus inuiolabiliter fuerint cuſtodita, HILARIVS Arelatenſis, ſicut venerabilis viri LEONIS Romani Papæ fideli relatione comperimus, contumaci auſu inlicita quædam præſumenda tentauit, & ideo Tranſalpinas Eccleſias abominabilis tumultus inuaſit, quod recens maximè teſtatur exemplum. Hilarius enim, qui Epiſcopus Arelatenſis vocatur, Eccleſiæ Romanæ vrbis inconſulto Pontifice,

Digitized by Google

indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate vſurpans inuaſit. Nam alios incompetenter remouit, indecenter alios inuitis & repugnantibus ciuibus ordinauit. Qui quidem quoniam non facilè ab his qui non elegerant recipiebantur, manum ſibi contrahebat armatam, & clauſtra murorum in hoſtilem morem, vel obſidione cingebat, vel aggreſſione reſerabat, & ad ſedem quietis pacem prædicaturus per bella ducebat. His talibus & contra Imperij maieſtatem, & contra reuerentiam Apoſtolicæ Sedis admiſſis, per ordinem religioſi viri vrbis Papæ cognitione diſcuſſis, certa in eum ex his quæ malè ordinauerat, lata ſententia eſt. Et erat quidem ipſa ſententia per Gallias etiam ſine imperiali ſanctione valitura. Quid enim tāti pontificis auctoritati in Eccleſias non liceret? Sed noſtram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlteriùs vel Hilario, quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri, Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obuiare. Auſibus enim talibus fides & reuerentia noſtri violatur imperij. Nec hoc ſolùm, quod eſt maximi criminis, ſubmouemus. Verùm ne leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum, contra conſuetudinem veterem liceat, ſine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare: ſed illis omnibúſque pro lege ſit, quicquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas. Ita vt quiſquis Epiſcoporum ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouinciæ adeſſe cogatur, per omnia ſeruatis, quæ Diui parentes noſtri Romanæ Eccleſiæ detulerunt, Aeti P. K. A. Vnde inluſtris & præclara magnificentia tua, præſentis edictalis legis auctoritate, faciet quæ ſunt ſuperiùs ſtatuta ſeruari, decem librarum auri multa protinus exigenda ab vnoquoque Iudice, qui paſſus fuerit præcepta noſtra violari. *Et manu diuina,* Diuinitas te ſeruet per multos annos, Parens cariſſime. Dat. VIII. Idus Iunias Romæ. Valentiniano Auguſto VI. Conſule.

Anno Christi 446. — Valentiniani III. Imp. 21.

CONCILIVM INCERTI LOCI.

EX QVO S. GERMANVS ET S. LVPVS EPISCOPI in Britanniam ad profligandam hæreſim Pelagianam miſſi ſunt, Aëtio III. & Symmacho Conſulibus, hoc eſt anno Chriſti CCCCXLVI. Valentiniani III. Auguſti XXI. Leonis Magni Papæ V.

GRASSANTE *in Britannia hæreſi Pelagiana, cùm poſtulaſſent per legatos ab Epiſcopis Galliæ Britanni, vt fidei catholicæ periculo ſubuenirent, congregata eſt, incertum quo loco, Epiſcoporum Synodus, delectique in ea ſunt ad Britannicam expeditionem, virtute & doctrina præſtantes Epiſcopi duo, Germanus Autiſiodorenſis, & Lupus Tricaſſinus; qui totam Inſulam ab ea labe repurgarunt, vt Conſtantius presbyter in vita S. Germani*

narrat lib. I. cap. XIX. & aliis deinceps. Eodem, *inquit*, tempore ex Britanniis directa legatio Gallicanis Epiſcopis nuntiauit Pelagianam peruerſitatem in locis ſuis populos occupaſſe, & quamprimum fidei catholicæ debere ſuccurri. Ob quam cauſam Synodus numeroſa collecta eſt, omniúmque iudicio duo præclara religionis lumina vniuerſorum precibus ambiuntur, Germanus & Lupus Apoſtolici ſacerdotes, terram corporibus, cælum meritis poſſidentes. Et quanto laborioſior neceſſitas apparebat, tanto etiam promptiùs heroës deuotiſſimi ſuſceperunt, celeritatem negotij fidei ſtimulis maturantes. *& cetera quæ ſequuntur.*

LEONIS PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Epiſcopos Prouinciæ.

De electione & conſecratione Rauennij Epiſcopi Arelatenſis.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS CONSTANTINO, Audentio, Ruſtico, Auſpicio, Nicetæ, Nectario, Floro, Aſclepio, Iuſto, Auguſtali, Ynantio, & Chryſaphio, Leo Papa.

IVSTA & rationabilis nobis cauſa gaudendi eſt, cùm à ſacerdotibus Domini ea geſta cognoſcimus, quæ & paternorum canonum regulis, & Apoſtolicis congruant inſtitutis. Epiſt. 108. Leonis. Neceſſe eſt enim, vt omne corpus Eccleſiæ ſalubri creſcat augmento, ſi membra quæ præſunt, & vigore excellant auctoritatis, & tranquillitate moderaminis. Quòd ergo in Arelatenſium ciuitate defuncto ſanctæ memoriæ Hilario, virum etiam nobis probatum, fratrem Rauennium, ſecundum deſideria cleri, honoratorum, & plebis, vnanimiter conſecraſtis, bonum fraternitatis veſtræ opus noſtro iudicio roboramus. Quia electionem pacificam atque concordem, cui nec merita morum, nec ſtudia ciuium defuerunt, poſtulationis quidem humanæ, ſed inſpirationis credimus fuiſſe diuinæ. Vtatur itaque, fratres cariſſimi, Dei munere memoratus Antiſtes, & ſecundum conſonantia omnium ordinum vota, quid ex ipſo deuotionis expectetur intelligat: vt diſpenſationis ſibi creditæ diligens ac temperans executor, veſtro teſtimonio non inferior, & noſtro fauore per omnia ſit dignior. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Dat. VII. Kalendas Septembris, Aſterio & Protogene VV. CC. Conſulibus.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA III.
Ad Rauennium Epiſcopum Arelatenſem.

De ipſius ad Epiſcopatum prouectione.

DILECTISSIMO FRATRI RAVENNIO LEO.

PROVECTIONEM dilectionis tuæ, quæ ſummi ſacerdotij adepta eſt dignitatem, ita nobis placere cognoſce, vt non ſolùm tibi de honoris augmento, ſed etiam Arelatenſi Eccleſiæ, cui te Dominus præpoſuit, gaudeamus. Epiſt. 90. Leonis. Ad omnium enim fidelium decus, atque vtilitatem redundat, cùm talis habetur Antiſtes,

cuius plurimi & adiuuentur præſidio, & incitentur exemplo. Vnde quia non ignoras, quid de ſinceritate animi tui ſecundum præcedentem notitiam ſenſerimus, iuſtiſſimè nos agnoſcis exigere, vt quod præſumimus, hoc probemus, frater cariſſime. Modeſtiæ igitur tuæ non deſit auctoritas, conſtantiam manſuetudo commendet: iuſtitiam lenitas temperet, patientia contineat libertatem: & declinata ſuperbia, cui proximum eſt vt decidat, ametur humilitas, cui ſemper debetur vt creſcat. Eccleſiaſticarum legum non ignara eſt dilectio tua, vt intra earum regulas atque men-
1. Tim. 1. 9. ſuras omnia poteſtatis tuæ iura contineas. Iuſto quippe ideo dicitur lex non eſſe poſita, quia normam præceptionis implet iudicio voluntatis: cùm verus recti amor in ſemetipſo habeat, & Apoſtolicas auctoritates, & canonicas ſanctiones. Quarum deuotus ſectator, & diligens executor, in eorum proculdubio conſortio gloriaberis, qui de creditorum ſibi pro-
Matth. 25. 21. fectibus talentorum audire meruerunt, *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Vt autem fiduciam dilectionis erga te noſtræ habere non dubites, ſæpiùs nos de proceſſu actuum tuorum facias certiores: quoniam iudicij noſtri memores cupimus ſemper de tuis profectibus in Domino gloriari. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA IV.

Ad Rauennium Arelatenſem.

Vt Petronianum vagum, qui ſe Leonis diaconum iactabat, excommunicet.

DILECTISSIMO FRATRI RAVENNIO LEO.

Epiſt. 107. Leonis. CIRCVMSPECTVM te volumus eſſe, atque ſollicitum, ne quid ſibi plectenda poſſit vindicare præſumptio: quæ cùm aditum falſa ſurreptione repererit, ad maiorem ſe temeritatem nomine vſurpatæ dignitatis extendit. Petronianum quendam vagum, & ſemper erronem, certa nos clericorum tuorum ſuggeſtione didicimus, per Gallias ſe noſtrum eſſe diaconum iactitaſſe, & ſub huius honoris obtentu diuerſas eius prouinciæ Eccleſias circuire. Cuius audaciæ tàm nefandæ dilectionem tuam, frater cariſſime, ita volumus obuiare, vt eum, admonitis etiam totius prouinciæ Epiſcopis, in ſua falſitate detectum, ab omnium Eccleſiarum communione, ne vlterius hoc vſurpet, expellas. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data ſub die VII. Kalendas Septembris, Aſterio & Protogene VV. CC. Conſulibus.

LIBELLVS

LIBELLVS EPISCOPORVM PROVINCIÆ Leoni Papæ oblatus.

De renouando Eccleſiæ Arelatenſis priuilegio.

PRECES MISSÆ AB VNIVERSIS EPISCOPIS Metropolis Arelatenſis, ad Leonem Papam.

MEMORES *quantum honoris & reuerentiæ beatiſsimæ Sedi Apoſtolicæ, cui vos dominus noſter* IESVS *Chriſtus pro meritis ſanctitatis voluit præſidere, ſemper debitum fuerit, ſempérque debeatur, ordinationem, qua ſanctus frater & coepiſcopus noſter Rauennius in ciuitate Arelate, poſt tranſitum beatæ recordationis Hilarij Epiſcopi, concordantibus omnium votis ad ſummum pontificium Domino fauente prouectus eſt, miſsis continuò litteris Apoſtolatui veſtro indicare curauimus. Quibus à beatitudine veſtra tanta dignatione & caritate fuiſſe reſponſum, immenſas gratias agimus, etſi tantas, quantas debemus, referre non poſſumus. Notum licèt nobis antè iam fuerit, prædictum ſanctum fratrem & coepiſcopum noſtrum maximè coronæ veſtræ gratiam morum ſuorum manſuetudine & ſanctitate meruiſſe: perceptis nunc tamen beatitudinis veſtræ litteris, quanta eum caritate complectamini, euidenter agnouimus. Vnde præmiſsis officiis, quæ Apoſtolatui veſtro iure debentur, ſuggeſtionem noſtram, quæ iuſtitiæ partibus fungitur, audiendam à corona veſtra minimè dubitamus. Quippe cùm non aliqua noua inſtitui, ſed priſca per vos optamus & antiqua reparari. Nec enim iuſtum eſt, vt honorem eius, quem vt probauimus impensè diligitis, illa res minuat, quòd pietatem veſtram alter offendit. Et ſanè manifeſtum eſt Eccleſiæ Arelatenſi diuinæ gratiæ fauorem adeſſe, cui talem habere contigit ſacerdotem, per quem priuilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat ſibi pro tempore diminuta, gauderet in perpetuum recentioribus Apoſtolicæ Sedis auctoritatibus reformata. Omnibus etenim Gallicanis regionibus notum eſt, ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas, miſſum à beatiſsimò Petro Apoſtolo S. Trophimum habere meruit ſacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infuſum. priúſque alia loca ab hoc riuo fidei, quem ad nos Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt, meruiſſe manifeſtum eſt ſacerdotes, quàm Viennenſem ciuitatem, quæ ſibi nunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcit indebitos. Iure enim ac meritò ea vrbs ſemper apicem ſanctæ dignitatis obtinuit, quæ in S. Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſtea intra Gallias hoc, quod diuino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cuius honoris obtentu, Eccleſiam Arelatenſem omnes deceſſores, prædeceſſoréſque noſtri, velut matrem debito ſemper honore coluerunt, tenentéſque traditionem totam, ab hac ſibi ciuitatis noſtræ Sede Epiſcopos poſtularunt. Ab huius Eccleſiæ ſacerdote tam deceſſores noſtros, quàm nos ipſos, conſtat in ſummum ſacerdotium donante Domino conſecratos. Quam quidem antiquitatem ſequentes prædeceſſores beatitudinis veſtræ, hoc quod erga priuilegia Arelatenſis Eccleſiæ inſtitutio veſtra tradiderat, promulgatis, ſicut & ſcrinia Apoſtolicæ Sedis proculdubio continent, auctoritatibus confirmarunt: cre-*

dentes plenum eſſe rationis atque iuſtitiæ, vt ſicut per beatiſſimum Petrum Apoſtolorum principem ſacroſancta Eccleſia Romana teneret ſupra omnes totius mundi Eccleſias principatum, ita etiam intra Gallias Arelatenſis Eccleſia, quæ S. Trophimum ab Apoſtolis miſſum ſacerdotem habere meruiſſet, ordinandi pontificium vindicaret. His ſecundum religionem vtitur priuilegiis Eccleſia memorata. Ceterùm multa ſunt, quibus ſecundum inſtituta principum cunctis intra regiones noſtras ciuitatibus præferatur. Hæc in tantum à glorioſiſſimæ memoriæ Conſtantino peculiariter honorata eſt, vt ab eius vocabulo, præter proprium nomen, quo Arelas vocatur, Conſtantina nomen acceperit. Hanc clementiſſimæ recordationis Valentinianus & Honorius fideliſſimi principes ſpecialibus priuilegiis, & vt verbo ipſorum vtamur, matrem omnium Galliarum appellando decorarunt. In hac vrbe, quicumque intra Gallias ex tempore prædictorum oſtentare voluit inſignia dignitatis, Conſulatum ſuſcepit & dedit. Hanc ſublimiſſima Præfectura, hanc reliquæ poteſtates, velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant. Ad hanc ex omnibus ciuitatibus multarum vtilitatum cauſa concurritur. Et planè ita ſibi erga priuilegia memoratæ, vel Eccleſiæ, vel ciuitatis diuina, vt credimus, diſpenſatione omnia conſenſerunt, vt ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias primatum in ſacerdotio antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipſa principatum in ſæculo opportunitatis gratia poſſederit. Vnde factum eſt, vt non ſolùm prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum, contemplatione S. Trophimi, ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur auctoritas, Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdos ad ſollicitudinem ſemper ſuam curámque reuocarit. Cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propria gubernaret; verumetiam omnes Gallias, ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata, ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret. His itaque omnibus intimatis, & in notitiam beatitudinis veſtræ fideli aſſertione perlatis, quæſumus, & obſecramus coronam ſanctimoniæ veſtræ, per nomen Domini noſtri IESV *Chriſti, qui in vobis iuſtitiam, patientiam, tranquillitatem, & bona totius ſanctitatis ac perfectionis elegit, & per beatiſſimum Apoſtolum Petrum, quem vita & conuerſatione veſtra nobis diuino munere redditum credimus, vt quicquid Arelatenſis Eccleſia, ſicut ſuperiùs indicauimus, vel ab antiquitate ſuſcepit, vel poſtea auctoritate Sedis Apoſtolicæ vindicauit, id omne ad ſuum pontificium reuocare eiuſdem Eccleſiæ ſacerdotem beatitudinis veſtræ auctoritas in perpetuum manſura præcipiat. Ipſi autem, vel officiorum cauſa, vel huius legationis obtentu, ſanctimoniæ veſtræ nos præſentaſſemus aſpectibus, niſi alios infirmitas, alios anni præſentis penuria, ab hac votorum noſtrorum cupiditate reuocaſſet. Sed confidimus in Domino* IESV *Chriſto, qui precibus & deſideriis noſtris effectum promptiſſimæ pietatis veſtræ præſtitit, quòd qui nunc legationis officio fraudamur, gratiarum poſtea referendarum per noſmetipſos actione fungemur.*

LEONIS PAPÆ EPISTOLA V.
Ad Epiſcopos Prouinciæ.

Controuerſia inter Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiæ Antiſtites prouinciæ diuiſione compoſita.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS CONSTANTINO, Armentario, Audentio, Seuetiano, Valeriano, Vrſo, Stephano, Nectario, Conſtantio, Maximo, Aſclepio, Theodoto, Iuſto, Ingenuo, Auguſtali, Superuentori, Ynantio, Fonteio, Palladio, Leo.

LECTIS dilectionis veſtræ litteris, quas ad nos filij noſtri Petronius preſbyter & Regulus diaconus detulerunt, quàm beneuolum fratri, & coepiſcopo noſtro Rauennio impendatis affectum, euidenter agnouimus. (Epiſt. 109. Leonis.) Siquidem poſtulatis, vt ei quod deceſſor ipſius merito nimiæ præſumptionis amiſerat reformetur. Sed petitionem fraternitatis veſtræ Viennenſis Epiſcopus, miſſis litteris & legaris, ſua ſuggeſtione præuenerat; conquerens Arelatenſem Epiſcopum ordinationem ſibi Vaſenſis Antiſtitis vſurpaſſe. Cùm itaque nobis ita & paternarum reuerentia ſanctionum, & omnium veſtrûm ſeruanda ſit gratia, vt in Eccleſiarum priuilegiis nihil conuelli, nihil patiamur excidij conſequens fuit, vt ad conſeruandam intra Viennenſem & Arelatenſem prouincias pacem adhiberetur iuſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret. Conſideratis enim allegationibus vtriuſque partis præſentium clericorum, ita ſemper intra prouinciam veſtram, & Viennenſem & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe reperimus, vt quarumdam cauſarum alterna ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret; cùm tamen eiſdem commune ius quondam fuiſſe à gentibus proderetur. Vnde Viennenſem ciuitatem, quantum ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet, inhonoratam penitus eſſe non patimur; præſertim cùm de receptione priuilegij auctoritate iam noſtræ diſpoſitionis vtatur. Quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Viennenſi Epiſcopo credidimus deputandam. Qui ne repentè ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt Valentiæ, & Tarantaſiæ, & Genauæ, & Gratianopoli, vt cum his ipſa Vienna ſit quinta, ad cuius Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat: reliquæ verò ciuitates eiuſdem prouinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtant. quem pro modeſtiæ ſuæ temperantia, ita futurum credimus ſtudioſum caritatis & pacis, vt nequaquam ſibi credat ablatum, quod fratri videat eſſe conceſſum. Data III. Nonas Maij, Valentiniano Aug. VII. & Auieno V. C. Conſulibus.

Hoc præceptum domni Leonis confirmatum eſt à Sede Apoſtolica, præſidente Symmacho Papa, Probo V. C. Conſule.

M ij

LEONIS PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad Rauennium Arelatenſem.

Miſſa cum exemplo celeberrimæ Leonis epiſtolæ ad Flauianum Conſtantinopolitanum, quam à Rauennio cum Epiſcopis omnibus communicari iubet.

DILECTISSIMO FRATRI RAVENNIO LEO.

Epiſt. 110. Leonis. DIV filios noſtros, Petronium preſbyterum, & Regulum diaconum, in Vrbe tenuimus, quoniam & de noſtra hoc gratia merebantur, & fidei, quæ nunc quorumdam errore inceſſitur, ratio poſtulabat. Voluimus enim eos noſtro intereſſe tractatui, & vniuerſa cognoſcere, quæ per te cupimus ad omnium fratrum, & conſacerdotum noſtrorum notitiam peruenire: cariſſimæ hoc dilectioni tuæ ſpecialiter delegantes, vt ſollicitudine vigilantiæ tuæ epiſtola noſtra, quam ad Orientem pro fidei defenſione direximus, vel ſanctæ memoriæ Cyrilli, quæ noſtris ſenſibus tota concordat, vniuerſis fratribus innoteſcat: vt certiores effecti, contra eos qui Incarnationem Domini prauis perſuaſionibus æſtimant temerandam, ſpirituali ſe virtute præmuniant. Habes probabilem facultatem, qua cunctis Eccleſiis, & Deo noſtro Epiſcopatus tui poſſis commendare primordia, ſi hæc ita, vt credimus atque mandamus impleueris, frater cariſſime. Quæ autem committenda litteris non fuerunt, cùm prædictorum filiorum noſtrorum inſinuatione didiceris, Domini fretus auxilio efficacirer, vt diximus, ac laudabiliter exequeris. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Nonas Maij, glorioſiſſimo Valentiniano Aug. VII. & Auieno V. C. Conſulibus.

EPISTOLA CERETII, SALONII, ET VERANI
Epiſcoporum ad Leonem Papam.

De Leonis ad Flauianum epiſtola, quam laudant, eiuſque exemplar, quod ſibi confecerant, à Leone percurri & emendari rogant.

DOMINO SANCTO, BEATISSIMO PATRI, ET Apoſtolica Sede digniſſimo Papæ Leoni, Ceretius, Salonius, & Veranus.

RECENSITA epiſtola beatitudinis veſtræ, quam de fidei inſtructione conſcripram ad Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinaſtis, dignum eſſe cenſuimus, vt tantæ doctrinæ vbertate ditati, debitas gratias ſaltem oblato litterarum officio redderemus. Parernæ ſiquidem erga nos pietatis veſtræ ſollicitudinem comprobantes, anricipationi curationis veſtræ hoc nos magis obnoxios confitemur, quòd remediorum beneficia ante malorum experimenta cognouimus. Scientes namque penè ſera eſſe remedia, quæ adactis iam vul-

neribus apponuntur, vt Apoſtolicis illis munitionibus induamur, prouidæ pietatis vocibus præmonetis. Agnoſcimus planè, beatiſſime Papa, qua ad nos interiora pectoris veſtri peculiari affectione tranſmiſeritis, quorum incolumitati aliorum curatione ſuccurritis: & dum ex aliorum præcordiis infuſa antiqui ſerpentis venena producitis, quaſi in quadam caritatis ſpecula conſtitui, Apoſtolica illa cura ac ſollicitudine conclamaris, ne inopinantibus improuiſus hoſtis adueniat, ne vulneri locum præbeat incauta ſecuritas, domine ſancte, beatiſſime pater, & Apoſtolica ſede digniſſime Papa. Magna præterea & ineffabili quadam nos peculiares tui gratulatione ſuccreſcimus, quòd illa ſpecialis doctrinæ veſtræ pagina, ita per omnium Eccleſiarum conuenticula celebratur, vt verè conſona omnium ſententia declaretur, meritò illic principatum Sedis Apoſtolicæ conſtitutum, vnde adhuc Apoſtolici ſpiritus oracula referentur. Idcirco, ſi dignanter admittitis, deprecamur, vt opus, & præſentibus & futuris temporibus profuturum, quod nos aſſeruandi ſtudio foliis mandare curauimus, ſanctitas veſtra percurrere, & ſi quid librarij errore defuerit, emendare dignetur: vel ſi ſalutarem lecturis omnibus paginam aliquo ſtudij veſtri accumulaſtis augmento, idipſum addi libello huic ſollicita pietate iubearis: vt non ſolùm plures ſancti Epiſcopi fratres noſtri per Gallias, verumetiam multi ex laicis filij veſtri, qui epiſtolam iſtam magnopere pro veritatis manifeſtatione deſiderant, remiſſam ad nos, & ſancta manu veſtra emendatam, tranſcribere, legere, & tenere mereantur. In rem miſſos, ſi dignum duxeritis, redire mox cupimus. Et quia incolumitas veſtra, exultatio & ſalus noſtra eſt, citiùs ad nos relatu deſiderabili ſalutis veſtræ gaudia recurrant. *Et alia manu.* Memorem coronam veſtram humilitatis noſtræ Chriſtus Dominus longæua ætate conſeruet, domine ſancte, beatiſſime pater, & Apoſtolica ſede digniſſime Papa.

Ceretivs ſuſceptus veſter Apoſtolatum veſtrum ſaluto, commendans me orationibus veſtris.

Salonius venerator veſter Apoſtolatum veſtrum in Domino ſaluto, orationum veſtrarum ſubſidia depoſcens.

Veranus cultor veſtri Apoſtolatus, beatitudinem veſtram ſaluto, & vt pro me oretis peto.

EPISTOLA SYNODICA EPISCOPORVM GALLIÆ Ad Leonem Papam.

De eadem ipſius ad Flauianum epiſtola, quam eximiis laudibus ornant, eique ſe in omnibus aſſentiri profitentur.

Domino verè ſancto, meritò in Chriſto beatiſſimo, & Apoſtolico honore venerando Papæ Leoni, Rauennius, Ruſticus, Venerius, Conſtantinus, Maximus, Armentarius, Florus, Sabinus, Valerianus, Conſtantius, Nectarius, Maximus, Aſclepius, item Maximus, Vrſus, Ingenuus, Iuſtus, Valerius, Superuentor, Chryſaphius, Fonteius, Petronius, Ydatius, Ætherius, Eulalius, Euſtachius, Fraternus,

Victurus, Eugenius, Hilarus, Verus, Amandus, Gerontius, Proculeianus, Iulianus, Helladius, Armentarius, Honoratus, Eparchius, Anemius, Dynamius, Maximinus, Ynantius, & Palladius. Perlata ad nos epiſtola beatitudinis veſtræ, quam ad Orientem pto catholicæ fidei aſſertione miſiſtis, optaſſemus ſtatim Apoſtolatui veſtro pro tam immenſo munere gratiarum actionem referre, niſi nobis difficultatem, qua in vnum celeriter non potuimus conuenire, vel ſpatia, quibus à nobis diſparati ſumus, longa terrarum, vel auratum quæ in regionibus noſtris præter conſuetudinem fuit intemperies attuliſſet. Det ergo Apoſtolatus veſter noſtræ veniam tardirati, quæ non de otio, aut diſſimulatione, ſed de certa neceſſitate deſcendit, quæque nobis etſi celeritatis gratiam abſtulit, exultandi tamen materiam auferre non potuit. Exultauimus itaque, Chriſto propitio, lectis beatitudinis veſtræ litteris, & omni inſtructione patefacta, omnes intra Gallias conſtitutos exultare mox fecimus, dolentes pariter pro his vobiſcum, qui catholicæ fidei lumine derelicto, errorum tenebras inciderunt. Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta, ita vt ſymbolum fidei, quiſquis redemptionis ſacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores patatior ſit, memoriæ commendauit. Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes, recognouerunt fidei ſuæ ſenſum, & ita ſe ſemper ex traditione paterna tenuiſſe, vt veſter Apoſtolatus expoſuit, iure lætantur. Nonnulli ſollicitiores facti, beatitudinis veſtræ admonitione percepta, modis omnibus ſe gratulantur inſtructos, datámque ſibi occaſionem gaudent, qua liberè ac fiducialiter, ſuffragante etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate, eloquatur & aſſerat vnuſquiſque quod credit. Quis autem Apoſtolatui veſtro pro hoc tanto munere, quo non ſolùm Gallias, ſed totum mundum velut quibuſdam pretioſiſſimis gemmis ornauit, dignas æſtimet gratias poſſe perſolui? Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet fidelis, vt conſtanter teneat quod credebat: debebit etiam infidelis, vt à perfidia ſua agnita veritate diſcedat, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquat, magíſque ſequatur & credat, quòd per os veſtrum Dominus noſter Iesvs Chriſtus de ſacramento incarnationis ſuæ docet, quàm id teneat, quod Diabolus humanæ ſalutis & veritatis inimicus inſtillat. Optaſſemus etiam ad filium veſtrum, glorioſiſſimum ac fideliſſimum principem, ſuper eadem cauſa litteras dare, quibus congratulantes fidei ipſius, humilitatis quoque noſtræ ſollicitudinem, qua vos in Chriſto ſequimur, ptoderemus; niſi ad nos de Orientalibus partibus nuntio perlato, fieri hoc minimè neceſſarium putaſſemus. Meritis autem Apoſtolatus veſtri pius Dominus præſtitit, vt hæreſim iamdiu occultè nutritam veſtris temporibus proderet. Ad laudem enim ſollicitudinis veſtræ pertinet, quòd malorum error latere non potuit: ad gloriam fidei redundat, quòd praua perſuaſio participes, aut non inuenit, aut inuentos amiſit. Reſpiciat itaque, oramus, conſeruando Apoſtolatum veſtrum miſericors Dominus Eccleſiam ſuam toto orbe diffuſam. Vobis enim ita inuigilantibus, & hi qui curam animæ ſuæ gerunt, ſolliciriores in fide reddūtur, & hi qui paulò deſides ſunt, tanto ad ſollicitudinem accenduntur exemplo. Quod nos ante oculos ſemper habentes, non deſinemus Domino ac Deo noſtro gratias agere, & pariter ſupplicare,

gratulantes quòd tantæ ſanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apoſtolicæ Sedi, vnde religionis noſtræ, propitio Chriſto, fons & origo manauit, Antiſtitem dederit: petentes etiam, vt datum conceſſúmque munus pontificij veſtri longiſſima ad ædificationem Eccleſiarum ſuarum ætate cuſtodiat. Nos autem, etſi impares meritis, pari tamen fide, ſi quid quod abſit contra Eccleſiam catholicam profana infeſtatione tentetur, parati ſumus, confortante Domino, cum beatitudine veſtra pro veritate fidei animas noſtras ponere, & vitam hanc auctori ſalutis noſtræ, & largitori æternitatis impendere. *Et alia manu:* Ora pro me, Domine merito beatiſſime, & Apoſtolico honore venerande Papa.

Rvsticvs Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum in Domino venerans ſaluto, & vt digneris pro me orare ſupplex oro.
Venerius Epiſcopus te dominum in Chriſto meum reuerentiſſimè ſaluto, & vt digneris pro me orare ſupplex rogo.
Conſtantinus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Maximus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Armentarius Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Florus Epiſcopus beatitudinem veſtram in Domino venerans ſaluto, & vt ores pro me plurimùm quæſo.
Sabinus Epiſcopus beatitudini veſtræ me repræſento, & orationem Apoſtolatus veſtri noſtri memorem quæſo.
Valerianus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Nectarius Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Conſtantius Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Maximus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum ſaluto.
Ego Aſclepius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans in Domino plurimùm ſaluto.
Ego Maximus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum ſaluto.
Ego Vrſus Epiſcopus beatitudinem veſtram ſaluto.
Ingenuus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Iuſtus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Valerius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum ſaluto.
Ego Superuentor Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Verus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum reuerenter ſaluto.
Helladius Epiſcopus ſanctitatem tuam in Domino ſaluto.
Ætherius Epiſcopus ſanctitatem tuam in Domino ſaluto.
Eulalius Epiſcopus ſanctitatem tuam in Domino ſaluto.
Anemius Epiſcopus ſanctitatem tuam in Domino ſaluto.
Chryſaphius Epiſcopus ſanctitatem tuam in Domino ſaluto.
Petronius Epiſcopus ſanctitatem veſtram in Domino ſaluto, & vt pro me orare dignemini quæſo.
Ego Fonteius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum reuerenter ſaluto, & rogo vt mei meminiſſe dignemini.
Ydatius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Hilatius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum plurima in Chriſto veneratione ſaluto.

Victurus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Eugenius Epiſcopus beatitudinem tuam ſaluto.
Palladius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Ego Fraternus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Ego Amandus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Ego Gerontius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Ego Proculeianus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Ego Dynamius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Ego Iulianus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Ego Armentarius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Ego Honoratus Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.
Eparchius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Ego Euſtachius Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Ego Maximus Epiſcopus Apoſtolatum veſtrum venerans ſaluto.
Ego Ynantius Epiſcopus coronam veſtram venerans ſaluto.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA VII.
Ad Epiſcopos Galliæ.

Gratulatur ipſis orthodoxam fidem, quam ex eorum litteris cognorat. Eutychem & Dioſcorum in Synodo Calchedonenſi damnatos ſignificat.

Epiſt. 51. Leonis.

LEO Romanæ vrbis Epiſcopus Rauennio, Ruſtico, Venerio, Conſtãtino, Maximo, Armentario, Floro, Sabino, Valeriano, Conſtantio, Maximo, Aſclepio, Nectario, Maximo, Vrſo, Ingenuo, Iuſto, Valerio, Superuentori, Chryſaphio, Fonteio, Petronio, Hydatio, Ætherio, Eulalio, Euſtachio, Fraterno, Victuro, Eugenio, Hilaro, Vero, Amando, Gerontio, Proculeiano, Iuliano, Helladio, Armentario, Honorato, Eparchio, Anemio, Dynamio, Maximo, Ynantio, & Palladio, Epiſcopis per Gallias conſtitutis. OPTASSEMVS quidem fraternitatis veſtræ litteras eo tempore quo promiſeratis accipere, vt profecturis ad Orientem fratribus noſtris, quos ad ſanctam Synodum vice noſtra pro catholicæ fidei defenſione direximus, etiam veſtræ ſententiæ profeſſio iungeretur. Sed cùm multa obſtacula inopinatam nobis intulerint tarditatem, quamlibet ſeras, & diu expectatas epiſtolas, per fratrem & coepiſcopum noſtrum INGENVVM gratanter accepimus: eáſque cum gaudio recenſentes, probauimus, ſicut confidebamus, eruditione Spiritus ſancti cæleſtem in vobis vigere doctrinam: quam in Orientalibus Eccleſiis verſutia hoſtis antiqui, per eos quos ſequaces ſuos reperit, falſitáſque fatigare conata eſt, cùm catholica fides, quæ nulla ſui eſt parte mutabilis, per ipſas aduerſantium exercitationes, & validior efficiatur ſemper, & clarior: operante hæc gratia Dei, vt ſi qui fortè ad hæc ſubtilia inimici iacula declinanda minùs erant inſtructi, minúſque ſolliciti, perceptis veritatis armis fierent contra impiorum mendacia fortiores. Quod ergo, ſicut cauſa poſcebat, fiduciam noſtram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxiſtis, multa exultatione gaudemus.

Et meritò nos cognoſcimus fratribus & coepiſcopis noſtris Orientalibus intimaſſe, quòd ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam traditionem de Incarnatione Domini noſtri IESV Chriſti, vna eſſet omnium noſtrûm & indiſcreta confeſſio; neque vllis eorum diſputationibus detineri, vt aliter aliquid de ſummi & ſalutiferi ſacramenti veritate ſapiamus, quàm & ex prædicatione ſanctorum patrum, & ex auctoritate incommutabilis ſymboli didicimus & docemus, damnatis ab vniuerſali Eccleſia, & nunc Eutyche, & antea Neſtorio. Quorum ſi quis non ferendis impietatibus inhærere delegerit, ipſe ſe à corpore Chriſtianæ vnitatis abſcidit. Non enim vltra iam cuiquam excuſationis refugium de ignorantia & inſcientia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur, cùm hæc ipſa ſexcentorum ferè fratrum, coepiſcoporúmque noſtrorum Synodus congregata, nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium diſſerendi contra fundamentum fidei inſpirare permiſerit: quoniam adnitentibus per auxilium gratiæ Dei fratribus Vicariis noſtris, quorum pleniſſima extitit in omni actione deuotio, non ſolùm ſacerdotibus Chriſti, ſed etiam principibus & poteſtatibus Chriſtianis, cunctiſque clericis, plebibus, ordinibus, plenè atque euidenter apparuit, hanc eſſe verè Apoſtolicam fidem, ex diuinæ pietatis fonte manantem, quam ſincerá, & ab omni fæce totius erroris alienam, ſicut accepimus prædicamus, & vniuerſo iam mundo conſentiente defendimus, extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel præſens hæreticus auſus eſt inferre, vel ſubſequens, diſſimili quidem commento, ſed impietate compari. Nam ſicut Neſtorius non eſt toleratus, affirmans beatam Mariam hominis tantummodo fuiſſe genitricem, qui poſtmodum ſit à Verbo deitatis ſuſceptus; duabus ſcilicet naturis, & perſonis diſtinctis, vt neque ipſe eſſet filius hominis, qui filius Dei, neque vnus Chriſtus in vtraque natura, ſed alter ſempiternus ex patre, alter temporalis ex matre: cùm Euangelica auctoritas ita Verbum prædicet carnem factum, vt non duos Chriſtos, nec duos filios, ſed in vno Domino IESV Chriſto, & Dei & hominis nobis inſinuet veritatem; vt vtriuſque ſubſtantiæ, id eſt ſaluantis atque ſaluatæ, nec proprietas poſſit confundi, nec perſona geminari. Sicut ergo Neſtorius in ſuo dogmate execrabilis; ſic & Eutyches damnatum olim ſectatus errorem, alia profanitate blaſphemans, à catholicæ ſoliditatis compage reſecatus eſt: quia indoctis quibuſdam nimiúmque ſimplicibus perſuadere tentauit, quòd Verbum Dei ita caro ſit factum, vt veram carnem de ventre Virginis non ſumpſerit, nec noſtri illum generis corpus habuiſſe, ſed diuinitatis eius & carnis vnam eſſe naturam, vt vnum Dominum noſtrum IESVM & falſum hominem, & Deum diceret eſſe paſſibilem: quod nec pietas fidei, nec ratio recipit ſacramenti, vt aut in ſua natura paſſibilis fuerit deitas, aut in ſuſceptione humana mentita ſit veritas. Quæ diabolicorum ſenſuum prodigioſa commenta, ſancta nunc Synodus humilitatis noſtræ ſcriptis, auctoritate domini mei beatiſſimi Petri Apoſtoli & merito roboratis, religioſa vnanimitate conſentiens, abominando ab Eccleſia Dei amputauit. Dioſcorum quoque Alexandrinum in ſua impietate manentem: ne illa Eccleſia, quæ inter ipſa Euangelij principia beatum Marcum, beatiſſimi Petri Apoſtoli diſcipulum, in omnibus vtique doctrinis ſui doctoris magiſterio conſonantem, habuit fundato-

rem, quæque poſtea recentioribus à noſtra ætate temporibus Athanaſium, Theophilum, & proximè Cyrillum, probatiſſimos præſules habuit, indignam captiuitatem ſub hæretici dominatione pateretur. Vnde ſecundum magnam miſericordiam Dei, vniuerſos Diaboli conatus, quibus Eccleſiam Domini conturbare molitus eſt, noueritis eſſe deſtructos. Reddite igitur Deo gratias, fratres cariſſimi, & dignam gratiarum actionem: & oret nobiſcum veſtra dilectio, vt fratres noſtros, quos expectatio noſtra deſiderat, incolumes quamprimùm rediiſſe lætemur, & de omnibus, quæ Domino adiuuante ſunt geſta, pleniùs vos poſſimus inſtruere. Nam fratrem INGENVVM nolumus hac expectatione tardari, cùm ob hoc ipſum properantiùs remeare debuerit, ne diutiùs vobis eſſet incognita omnium materia gaudiorum: quæ volumus per curam dilectionis veſtræ etiam ad fratres noſtros Hiſpaniæ Epiſcopos peruenire, vt quod Deus operatus eſt nulli eſſe poſſit incognitum. Data Kalendis Februarij, Herculano V. C. Conſule.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA VIII.
Ad Epiſcopos Galliæ.

Mittit exemplar ſententiæ, quæ in Synodo Calchedonenſi à Vicarijs Papæ prolata fuerat contra Dioſcorum.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS RVSTICO, RAVENnio, Venerio, & ceteris Epiſcopis per Gallias conſtitutis Leo.

IMPLETIS per miſericordiam Dei communibus votis, dignum eſt fraternitatem veſtram ſanctorum gaudiorum habere conſortium. Nam fratres mei, qui vice mea Orientali Synodo præſederunt, quæ acta retulerint ſignifico, confirmata catholica fide, & glorificato Apoſtolicæ prædicationis triumpho: quod etiam hi, qui ad deuiandum, vel ſeducti fuerant, vel impulſi, recepta veritatis luce lætantur. Siquidem omnes Domini ſacerdotes in vnam ſententiam ſancto Spiritu docente conſenſere. & de ſacramento Dominicæ Incarnationis, in qua multorum intelligentia caligabat, ita tenebræ erroris ablatæ ſunt, vt in vno Domino noſtro, vero & Dei & hominis filio, nec de humanitatis ambigatur natura, nec de deitatis eſſentia. In impios autem nefandi erroris auctores, qui indignos ſe Dei gratia iudicantes, correctionis vti remediis noluerunt, qualis ſit lata ſententia, exemplaria quæ miſimus edocebunt: vt agnoſcat veſtra dilectio, fratres cariſſimi, in ſancto examine diuinum non defuiſſe iudicium, quo & vindicta retributa eſt obduratis, & pax impenſa correctis. Dominus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

EXEMPLAR SENTENTIÆ.

PASCASINVS Epiſcopus Lilybetanus, Lucenſis Epiſcopus Aſculanus, & Bonifacius preſbyter Eccleſiæ maximæ vrbis Romæ, Vicarij ſanctiſſimi ac beatiſſimi Papæ Leonis Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis, pronunciauerunt. Manifeſta ſunt quæ Dioſcorus Alexan-

drinæ vrbis Antiſtes contra canonum diſciplinam, reguláſque Eccleſiaſticas, inlicita præſumptione commiſit, ſicut præterita geſtorum, ſeu præſens declarauit aſſertio. Is namque, vt plura relinquamus, Eutychem conſortem perfidiæ ſuæ, à proprio Epiſcopo ſanctæ recordationis Flauiano iure damnatum, in gratiam communionis, antequam cum his qui congregati fuerant in Epheſina vrbe Epiſcopis reſideret, ſuſcepiſſe cognoſcitur. Sed illis quidem Sedes Apoſtolica veniam tribuit, quia contra votum geſſiſſe quæ patrata ſunt adprobantur: ita vt nunc vſque adhæreant & beatiſſimo Papæ, & vniuerſali ſanctóque Concilio: qua de re ſacroſanctæ communionis conſecuti ſunt medicinam. Prædictus verò, qui malorum perſeuerantia ornari ſe æſtimat, cùm debeat ſummiſſa fronte vſque ad terram cum gemitu, vt conuenit, inclinari, quoniam nec beatiſſimi Papæ epiſtolam legi permiſit ad venerandæ memoriæ Flauianum Chriſti Antiſtitem ſcriptam. quippè cùm ab his qui detulerant petitus vt legi ſineret, ſacramenti ſatisfactione quod promiſerat implere contempſit: quatenus praui dogmatis augeretur impietas, & occaſio læſionis, vel ſcandali cunctis generaretur Eccleſiis. Patratis tamen his, voluimus his ſceleribus indulgere, & veniam, quam ceteris Epiſcopis præſtitimus, dignanter impendere, cùm nec ſimilem iudicandi reperiatur habuiſſe fiduciam, * adiecit etiam accuſatorum ſupplicatio variis referta criminibus, & tertiò euocatus per reuerentiſſimos fratres & coepiſcopos noſtros admonitione canonica, venire contempſit conſcientiæ detentus arcano. Epiſcopos etiam à prouinciali Synodo, cui ſubdebantur, iure damnatos iniqua vſurpatione ſuſcipiens, ipſe contra ſe damnationis ſententiam prouocauit, veterum patrum ſæpius ſtatuta conculcans. Vnde ſanctus ac beatiſſimus Papa caput vniuerſalis Eccleſiæ Leo, per nos Vicarios ſuos, ſancta Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamen, & petra fidei, cęleſtis regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali eum dignitate nudauit, & ab omni ſacerdotali opere fecit extorrem. Supereſt vti congregata venerabilis Synodus canonicam contra prædictum Dioſcorum proferat iuſtitia ſuadente ſententiam.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA IX.
Ad Rauennium Arelatenſem.

De ſolemnitate Paſchali anni CCCCLII.

DILECTISSIMO FRATRI RAVENNIO EPISCOPO Leo Epiſcopus.

AD præcipuum religionis noſtræ pertinet ſacramentum, vt in feſtiuitate Paſchali nulla ſit toto orbe diuerſitas. Et quia hoc diuina inſtitutio, & paterna traditio ad noſtram ſollicitudinem voluit pertinere, fraternitatem tuam ſolemniter admonemus, vt Paſcha Domini celebrandum nobis die x. Kalendarum Aprilium recognoſcas; quòd manifeſta ratio patefecit ſacræ obſeruantiæ hunc Ex cod. Bonæuallis.

diem eſſe legitimum. Cuius notitiam per dilectionem quoque tuam, frater cariſſime, omnibus voluimus declarari, vt quorum in fide eſt vna confeſſio, ſit etiam in hac feſtiuitate vna deuotio.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA X.
Ad Theodorum Epiſcopum Foroiulienſem.

Non negandam eſſe pœnitentiam vel in exitu vitæ conſtitutis, ſi illam indicio aliquo deſiderare comprobentur.

DILECTISSIMO FRATRI THEODORO EPISCOPO Leo Epiſcopus.

Epiſt. 91. Leonis.

SOLLICITVDINIS quidem tuæ hic ordo eſſe debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus de eo quod quærendum videbatur eſſe conferres: ac ſi id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipſe neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis. quia in cauſis, quæ ad generalem obſeruantiam pertinent omnium Domini ſacerdotum, ſine primatibus nihil oportet inquiri. Sed vt quoquomodo inſtruatur ambiguitas conſulentis, quid de pœnitentium ſtatu Eccleſiaſtica habeat regula non tacebo. Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes, ad remiſſionem criminum peruenirent: ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum, homo Dominus IESVS Chriſtus, hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramẽtorum per ianuam reconciliationis admitterent. Cui vtique operi inceſſabiliter ipſe Saluator interuenit, nec vſquam ab his abeſt, quæ miniſtris ſuis exequenda commiſit, dicens, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Vt ſi quid per ſeruitutem noſtram bono ordine, & gratulando impletur effectu, non ambigamus per Spiritum ſanctum fuiſſe donatum. Si autem aliquis eorum, pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, à munere indulgẽtiæ præſentis exciderit, & priuſquàm ad conſtituta remedia perueniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non recipit, conſequi exutus carne non poterit. Nec neceſſe eſt nos eorum, qui ſic abierint, merita actúſque diſcutere, cùm Dominus Deus noſter, cuius iudicia nequeunt comprehendi, quod ſacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ iuſtitiæ reſeruarit: ita poteſtatem ſuam timeri volens, vt hic terror omnibus proſit, & quod quibuſdam tepidis ac negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim vtile ac neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur. His autem, qui in tempore neceſſitatis, & in periculi vrgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdi-

(Margin notes: De Pœnit. diſt. 1. Multiplex. — Matth. 28. 20. — De Pœnit. diſt. 1. Multiplex. — 26. q. 6. His qui in temp. De Pœni. d. 1. Multiplex.)

cenda eſt, nec reconciliatio deneganda. quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuerſio; dicente Dei ſpiritu per Prophetam, *Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluus eris.* & alibi: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris.* & iterum: *Quia apud Dominum miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio.* In diſpenſandis itaque Dei donis non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe gemitus lacrymáſque negligere, cùm ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam, dicente Apoſtolo: *Ne fortè det illis Deus pœnitentiam, vt reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quibus capti tenentur ad ipſius voluntatem.* Vnde oportet vnumquemque Chriſtianum conſcientiæ ſuæ habere iudicium, ne conuerti ad Deum de die in diem differat, nec ſatisfactionis ſibi tempus in fine vitæ ſuæ conſtituat: quia periculosè hac ſe conditione fragilitas & ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum ſe referuet incertum; & cùm poſſit pleniore ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, in quo vix inueniat ſpatium, vel confeſſio pœnitentis, vel reconciliatio ſacerdotis. Verùm, vt dixi, etiam talium neceſſitati ita auxiliandum eſt, vt nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia, ſi eam, etiam amiſſo vocis officio, per indicia integri ſenſus quærere poſtulant, non negetur. Quòd ſi aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulo antè poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant; teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt; vt ſimul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium conſequantur: ſeruata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccauerunt. Hæc autem, frater cariſſime, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideo reſpondi, ne aliquid contrarium ſub ignorantiæ excuſatione generetur, in Metropolitani tui notitiam facies peruenire: vt ſi qui fortè ſunt fratrum, qui de his antea putauerint ambigendum, per ipſum de omnibus quæ ad te ſcripta ſunt inſtruantur. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data IV. Idus Iunias, Herculano V.C. Conſule.

Eſa. 30. Eze. 43. Pſal. 129. 4. 2. Tim. 2. 25. 26. De Pœnit. diſt. 1. Multiplex. 26. q. 6. Quòd ſi aliqua.

ADMONITIO AD LECTOREM
De Concilio ſequenti.

De Concilio Arelatenſi II. quod ſequitur, duo paucis admonendus es, Lector. Vnum, quòd magnam in hac editione Canonum acceſſionem factam vides, ſecutos in ea nos eſſe vetuſtiſſimum exemplar S. Mariæ Remenſis, quod & Titulos & Canones hoece numero atque ordine continebat. nec dubium videbatur, quin hæc vera olim ac germana Concilij prima editio fuiſſet. Alterum, cùm exploratum hactenus de Concilij huius tempore nihil ſit, nos in eo collocando id ſpectaſſe, vt iis omnibus Conciliis, quæ priora illo fuiſſe conſtaret, ſubiiceremus.

CONCILIVM ARELATENSE II.

SVB RAVENNIO, VT VIDETVR, EPISCOPO per hæc tempora celebratum: poſt Arauſicanum videlicet, & Vaſenſe, quorum ex Canonibus Concilij huius Canones pro parte contexti ſunt.

TITVLI CANONVM.

1. *Neophytum leuitam, vel ſacerdotem non ordinandum.*
2. *Si coniugatus ad ſacerdotium fuerit electus.*
3. *Quæ mulieres in domibus habitent clericorum.*
4. *Vt puellæ ad cellarium clerici non intromittantur.*
5. *Vt Epiſcopus ſine Metropolitani epiſtola, & tribus comprouincialibus, non ordinetur. vel ſi in duas fuerit electio facta perſonas.*
6. *De eo qui ſine conſcientia Metropolitani Epiſcopus fuerit ordinatus.*
7. *De his qui ſe carnaliter abſcidunt.*
8. *Qui alterius excommunicatum receperit.*
9. *De Nouatianis non niſi damnato errore recipiendis.*
10. *De his qui in perſecutione fidem Chriſti negauerint, quantum temporis vt recipiantur pœnitentiam agant.*
11. *Si qui in perſecutione fidem negantes ſacrificare compulſi ſunt.*
12. *De his qui in pœnitentia poſiti exceſſerunt.*
13. *Nullus clericus ſuam relinquat Eccleſiam. quòd ſi in aliena Eccleſia habitans inuito Epiſcopo ſuo fuerit ordinatus, irrita ſit ordinatio.*
14. *Vt clericus pecuniam ad vſuram non donet, nec conductor alienæ rei, vel negotiator exiſtat.*
15. *Vt diaconus in ſecretario inter presbyteros non ſedeat, nec corpus Chriſti tradere præſente presbytero præſumat.*
16. *De Photiniacis, vel Paulianiſtis.*
17. *De Bonoſiacis qualiter, ſi petierint, recipiantur.*
18. *De priuilegio Arelatenſis Epiſcopi ad Synodum congregandam.*
19. *Si quis Epiſcopus ad Synodum venire diſtulerit, aut de Concilio ſine permiſſu diſceſſerit.*
20. *De agitatoribus, ſiue theatricis.*
21. *Si pœnitentiam profeſſi nupſerint.*
22. *Si coniugati pœnitentiam ſibi dari petierint.*
23. *Si in cuiuſcumque territorio arbores, fontes, vel ſaxa venerantur.*
24. *De his qui fratribus ſuis aliquid falsò obiecerint.*
25. *De his qui religione profeſſa apoſtatant, vel poſt pœnitentiam habitum ſæcularem præſumunt.*
26. *Si hæreticus moriens catholicus eſſe deſiderat.*
27. *Qui baptizandi officium accepit, ſine chriſmate non procedat.*
28. *De pœnitentibus in extremis qualiter communicent.*
29. *Si clericus pœnitentiam ſibi dari petierit.*
30. *Confugientes ad Eccleſiam tradi non oportet.*
31. *Si quis clericus relicta Synodo patrocinia ſæcularia expetierit. vt cauſa clericorum non ſæcularium, ſed Epiſcoporum iudicio terminentur.*
32. *Si quis pro eo quòd mancipia ſua in Eccleſia perdit, mancipia clericorum peruaſerit.*
33. *Si quis manumiſſum ſeruitute oppreſſerit.*
34. *Si quis manumiſſum in ſeruitutem reuocandum putarit.*

35. Si quis alienum clericum ordinare inſtituat.
36. Si quis Epiſcopus in alieno territorio Eccleſiam ædificauerit, à quo debeat conſecrari & gubernari.
37. Si quis Eccleſiam ædificat, & ad dedicandum locum ipſum alienæ Epiſcopum ciuitatis inuitat.
38. De his qui ſubitò obmuteſcunt, vel amentes ſiunt.
39. Energumenis baptizatis communionem non negandam.
40. De energumenis catechumenis.
41. Si qui palàm aliquandò arrepti ſunt.
42. Si duo, ſine epiſtola Metropolitani, Epiſcopum ordinauerint.
43. Si diaconus ordinandus fuerit coniugatus.
44. Si poſt benedictionem acceptam, cum vxore ſuâ incontinens inuenitur.
45. Vt bigami vltra ſubdiaconatum non promoueantur.
46. Profeſſæ viduæ ſi raptoribus conſenſerint.
47. Qui oblationes fidelium ſuppreſſerint.
48. Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit.
49. Qui à communione ſacerdotali auctoritate fuerit ſuſpenſus.
50. De his qui inter ſe pacem non habent.
51. De expoſitis quid obſeruandum.
52. De puellis conuerſis, ſi ad terrenas nuptias tranſierint.
53. Si ſeruus furore actus ſeipſum percuſſerit.
54. De eligendis Epiſcopis, venalitate, vel ambitione ſubmotâ.
55. Si quis ſæcularium religionis amore ſe ad ſacerdotem contulerit.
56. Vt nihil Metropolitani ſibi contra Synodi interdictum præſumant.

CANONES.

I. *Neophytum leuitam, vel ſacerdotem, non ordinandum.*

ORDINARI ad diaconatus ac ſacerdotij officium neophytum non debere.

II. *Si coniugatus ad ſacerdotium fuerit electus.*

Aſſumi aliquem ad ſacerdotium non poſſe in coniugij vinculo conſtitutum, niſi fuerit præmiſſa conuerſio. D. XXVIII. Aſſumi aliquem.

III. *Quæ mulieres in domibus habitent clericorum.*

Si quis clericus à gradu diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam ſecum vxorem, habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur. Par quoque & mulierem, ſi ſe ſeparare noluerit, pœna percellat.

IV. *Vt puellæ ad cellarium clerici non intromittantur.*

Nullus diaconus, vel preſbyter, vel Epiſcopus, ad cellarij ſecretum intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam.

V. *Vt Epiſcopus ſine Metropolitani epiſtola, & tribus comprouincialibus, non ordinetur. vel ſi in duas fuerit electio facta perſonas.*

Epiſcopum ſine Metropolitano, vel epiſtola Metropolitani, vel tribus comprouincialibus, non liceat ordinare: ita vt alij comprouinciales epiſtolis admoneantur, vt ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificent. Quòd ſi inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanus in electione conſentiat. Iuo Part. VI cap. 138.

V I. *De eo qui ſine conſcientia Metropolitani Epiſcopus fuerit ordinatus.*

Iuo Part. v. cap. 74. Conc Nic. can 6. Illud autem ante omnia clareat, eum qui ſine conſcientia Metropolitani conſtitutus fuerit Epiſcopus, iuxta magnam Synodum eſſe Epiſcopum non debere.

V I I. *De his qui ſe carnaliter abſcidunt.*

D. LV. Hi qui ſe carnali. Hos qui ſe carnali vitio repugnare neſcientes abſcidunt, ad clerum peruenire non poſſe.

V I I I. *Qui alterius excommunicatum receperit.*

Si quis excommunicatum alterius, ſiue clericum, ſiue ſæcularem, recipere poſt interdictum præſumpſerit, nouerit ſe reum fraternitatis factum cauſam in Concilio redditurum.

I X. *De Nouatianis non niſi damnato errore recipiendis.*

Nouatianum in communionem recipi non debere, niſi ſuſcepta pœnitentiæ credulitate præteritum damnet errorem.

X. *De his qui in perſecutione fidem Chriſti negauerint, quantum temporis vt recipiantur pœnitentiam agant.*

Conc. Nic. can. 11. De his qui in perſecutione præuaricati ſunt, ſi voluntariè fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus ſtatuit, vt quinque annos inter catechumenos exigant, & duos inter communicantes: ita vt communionem inter pœnitentes non præſumant. in poteſtate tamen vel arbitrio ſit Epiſcopi, vt ſi eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro Eccleſiaſtica humanitate ſuſcipiat.

X I. *Si qui in perſecutione fidem negare vel ſacrificare compulſi ſunt.*

Si qui verò dolore victi, & pondere perſecutionis, negare vel ſacrificare compulſi ſunt, duobus annis inter catechumenos, triennio inter pœnitentes habeantur à communione ſuſpenſi.

X I I. *De his qui in pœnitentia poſiti exceſſerunt.*

De his qui in pœnitentia poſiti vita exceſſerunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; ſed pro eo quòd honorauit pœnitentiam oblatio illius ſuſcipiatur.

X I I I. *Nullus clericus ſuam relinquat Eccleſiam. quòd ſi in aliena habitans inuito Epiſcopo ſuo fuerit ordinatus, irrita ſit ordinatio.*

Nullus cuiuſcumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non Epiſcopus, quacumque occaſione faciente, propriam relinquat

quat Eccleſiam: ſed omnimodis aut excommunicetur, aut redire cogatur. Quòd ſi aliquo commorationis tempore, inuito Epiſcopo ſuo, in aliena Eccleſia habitans, ab Epiſcopo loci clericus fuerit ordinatus, huiuſmodi ordinatio irrita habeatur.

XIV. *Vt clericus pecuniam ad vſuram non donet, nec conductor alienæ rei vel negotiator exiſtat.*

Si quis clericus pecuniam dederit ad vſuram, aut conductor alienæ rei voluerit eſſe, aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depoſitus à clero à communione alienus fiat.

XV. *Vt diaconus in ſecretario inter presbyteros non ſedeat, nec corpus Chriſti tradere præſente presbytero præſumat.*

In ſecretario diacono inter preſbyteros ſedere non liceat, vel corpus Chriſti præſente preſbytero tradere non præſumat. Quod ſi fecerit, ab officio diaconatus abſcedat.

XVI. *De Photiniacis, vel Paulianiſtis.*

Photiniacos, ſiue Paulianiſtas, ſecundum patrum ſtatuta baptizari oportere.

XVII. *De Bonoſiacis, qualiter recipiantur.*

Bonoſiacos autem ex eodem errore venientes, quos ſicut Arrianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt, ſi interrogati fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint, cum chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit.

XVIII. *De priuilegio Arelatenſis Epiſcopi ad Synodum congregandam.*

Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda: ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus, præcipuè Gallicanis, ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque conuentum. Si quis commonitus infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat. Conc. Arelatenſe I.

XIX. *Si quis Epiſcopus ad Synodum venire diſtulerit, aut de Concilio ſine permiſſu diſceſſerit.*

Si quis autem adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium diſſoluatur, crediderit deſerendum, alienatum ſe à fratrum communione cognoſcat: nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus. D. XVIII. Si quis autem.

XX. *De agitatoribus, ſiue theatricis.*

De agitatoribus, ſiue theatricis, qui fideles ſunt, placuit eos, quamdiu agunt, à communione ſeparari.

XXI. *Si pœnitentiam profeſſi nupſerint.*

Iuo Part. xv. cap. 72.

Pœnitens quæcumque defuncto viro alij nubere præſumpſerit, vel ſuſpecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arceatur. Hoc etiam de viro in pœnitentia poſito placuit obſeruari.

XXII. *Si coniugati pœnitentiam ſibi dari petierint.*

33. q. 4. Pœnitentiam coniugatis.

Pœnitentiam coniugatis non niſi ex conſenſu dandam.

XXIII. *Si in Epiſcopi territorio arbores, fontes, vel ſaxa infideles venerantur.*

Si in alicuius Epiſcopi territorio infideles, aut faculas accendunt, aut arbores, fontes, vel ſaxa venerantur, ſi hoc eruere neglexerit, ſacrilegij reum ſe eſſe cognoſcat. Dominus aut ordinator rei ipſius, ſi admonitus emendare noluerit, communione priuetur.

XXIV. *De his qui fratribus ſuis aliquid falsò obiecerint.*

3. q. 10. Eos qui falſa. Conc. Arelat. 2. can. 14.

Eos qui falsò fratribus ſuis capitalia obieciſſe conuicti fuerint, placuit vſque ad exitum non communicare, ſicut magna Synodus antè conſtituit, niſi digna ſatisfactione pœnituerint.

XXV. *De his qui religionem profeſſi apoſtatant, vel poſt pœnitentiam habitum ſæcularem præſumunt.*

D. 1. Hi qui poſt ſanctâ.

Hi qui poſt ſanctam religionis profeſſionem apoſtatant, & ad ſæculum redeunt, & poſt modum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitus non accipiant. quos etiam iubemus ad clericatus officium non admitti. Et quicumque ille, poſt pœnitentiam habitum ſæcularem non præſumat. quòd ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus habeatur.

XXVI. *Si hæreticus moriens catholicus eſſe deſiderat.*

Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, & ſi deſit Epiſcopus, à preſbytero cum chriſmatis benedictione conſignari placet.

XXVII. *Qui baptizandi officium accepit, ſine chriſmate non procedat.*

Nullum miniſtrum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate

vſquam debere progredi: quia inter nos, iuxta Synodi conſtitutionem, placuit ſemel chriſmari. Conc. Arauſic. 1. cap. 2.

XXVIII. *De pœnitentibus in extremis, qualiter communicent.*

De his qui in extremis periclitantur pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicari. Quòd ſi accepto hoc viatico ſuperuixerint, ſtent in ordine pœnitentum, vt oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimè reconciliatoriam manus impoſitionem recipiant.

XXIX. *Si clericus pœnitentiam ſibi dari petierit.*

Pœnitentiam deſiderantibus etiam clericis non negandam.

XXX. *Confugientes ad Eccleſiam tradi non oportere.*

Eos qui ad Eccleſiam confugerint tradi non oportet: ſed eos domini ſui promiſſa interceſſione exire perſuadeant. Quòd ſi ab Eccleſia exeuntibus pœnale aliquid intulerint, vt Eccleſiæ inimici, habeantur excommunes.

XXXI. *Si quis clericus, relicta Synodo, patrocinia ſæcularium expetierit: & vt cauſæ clericorum non ſæcularium, ſed Epiſcoporum iudicio terminentur.*

Si quis clericorum religionis negotia, vel ſpiritales cauſas Eccleſiæ ad ſæcularia patrocinia, relicta Synodo, tranſire præſumpſerit, excommunicatione omnium ac deteſtatione dignus habeatur. Simili modo ſi cauſa inter clericos orta fuerit, ne inuito Epiſcopo ad ſæculares iudices deferatur, ſed Epiſcoporum iudicio terminetur.

XXXII. *Si quis pro eo quòd mancipia ſua in Eccleſia perdit, mancipia clericorum peruaſerit.*

Si quis autem mancipia clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Eccleſias diſtrictiſſima damnatione feriatur. Iuo P. XVI. cap. 70.

XXXIII. *Si quis manumiſſum ſeruitute oppreſſerit.*

Si quis per teſtamentum manumiſſum in ſeruitute, vel obſequio, vel in colonaria conditione imprimere tentauerit, animaduerſione Eccleſiaſtica coërceatur.

XXXIV. *Si quis manumiſſum in ſeruitutem reuocandum putarit.*

Si quis in Eccleſia manumiſſum crediderit ingrati titulo reuocandum, non aliter liceat, niſi eum geſtis apud acta municipum reum eſſe antè probauerit.

XXXV. *Si quis alienum clericum ordinare inſtituat.*

Si quis alibi conſiſtentem clericum ordinandum putauerit, priùs definiat vt cum ipſo habitet. ſic quoque non ſine conſultatione eius Epiſcopi, cum quo antè habitauit, eum, qui fortè non ſine cauſa diu ab illo non ordinatus eſt, ordinare præſumat.

XXXVI. *Si Epiſcopus in alieno territorio Eccleſiam ædificauerit, à quo debeat conſecrari, & gubernari.*

Si quis Epiſcopus in alienæ ciuitatis territorio Eccleſiam ædificare diſponit, vel pro agri ſui, aut Eccleſiaſtici vtilitate, vel quacumque ſua opportunitate, permiſſa licentia, quia prohiberi hoc votum nefas eſt, non præſumat dedicationem, quæ illi omnimodis reſeruanda eſt, in cuius territorio Eccleſia adſurgit. reſeruata ædificatori Epiſcopo hac gratia, vt quos deſiderat clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is cuius territorium eſt, vel ſi iam ordinati ſunt, ipſos habere adquieſcat. & omnis Eccleſiæ ipſius gubernatio ad eum, in cuius ciuitatis territorio Eccleſia ſurrexit, pertinebit. Et ſi quid ipſi Eccleſiæ fuerit ab Epiſcopo conditore conlatum, is in cuius territorio eſt, auferendi exinde aliquid non habeat poteſtatem. Hoc ſolùm ædificatori Epiſcopo credidimus reſeruandum.

XXXVII. *Si quis Eccleſiam ædificat, & ad dedicandum locum alienæ ciuitatis Epiſcopum inuitat.*

Quòd ſi etiam quicumque Eccleſiam ædificauerit, & alium magis, quàm eum in cuius territorio ædificat, inuitandum putauerit, tam ipſe qui contra conſtitutionem, vel diſtrictionem gratificari vult, quàm omnes Epiſcopi, qui ad huiuſmodi dedicationem inuitantur, conuentu abſtinebuntur. ſi ordinem exceſſerit, in reatu reuocabitur.

XXXVIII. *De his qui ſubitò obmuteſcunt, vel amentes ſiunt.*

Subitò obmuteſcens baptizari poteſt. & amentibus quæcumque pietatis ſunt conferenda.

XXXIX. *Energumenis baptizatis communionem non negandam.*

Energumeni baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini Eccleſiaſticæ tradunt, monitiſque obtemperant, omnimodis communicent, ſacramenti ipſius virtute ab incurſu dæmonij, quo infeſtantur, purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior.

XL. *Energumenis catechumenis de baptiſmate conſulendum.*

Energumenis catechumenis, in quantum vel neceſſitas, vel opportunitas permiſerit, de baptiſmate conſulendum.

XLI. *Si qui palàm aliquando arrepti ſunt.*

Si qui palàm aliquando arrepti ſunt, non ſolùm non adſumendi ſunt ad vllum ordinem clericatus; ſed etſi iam aliqui ordinati, ab impoſito officio repellendi.

XLII. *Si duo, ſine epiſtola Metropolitani, Epiſcopum ordinauerint.*

In prouinciis noſtris placuit de præſumptoribus, vt ſicubi duo Epiſcopi auſi fuerint Epiſcopum facere, etiamſi Metropolitani Epiſcopi epiſtolam non habuerint, & is qui ordinatus eſt cum ordinatoribus excludatur.

XLIII. *Si diaconus ordinandus fuerit coniugatus.*

Placuit præterea, vt ſecundum Synodi inſtituta non ordinentur diacones coniugati, niſi qui prius conuerſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem. Conc. Arauſic. 1. can. 22.

XLIV. *Si poſt acceptam benedictionem, cum vxore ſua incontinens inuenitur.*

Si quis autem in poſterum accepta benedictione Leuitica cum vxore ſua incontinens inuenitur, ab officio abiiciatur.

XLV. *Vt bigami vltra ſubdiaconatum non promoueantur.*

De his quos clericatui alligari ipſa vitæ gratia ſuggeſſerit, ſi fortè internupta & duplicata matrimonia inciderunt, non vltra ſubdiaconatum Eccleſiaſticas capiant dignitates. Quòd ſi facti forſitan ſunt, ab Eccleſiaſtico remoueantur officio.

XLVI. *Profeſſæ viduæ ſi raptoribus conſenſerint.*

Profeſſas viduas, ſi conniuentiam præſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas.

XLVII. *Qui oblationes fidelium ſuppreſſerint.*

Secundum conſtitutionem Synodi Vaſenſis, quicumque oblationem fidelium ſuppreſſerit, aut negauerit, ab Eccleſia cui fraudem fecerit excludatur. Conc. Vaſenſe 1. can. 4.

XLVIII. *Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit.*

Si quis Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit, Synodi legibus audiendum.

XLIX. *Qui à communione ſacerdotali auctoritate fuerit ſuſpenſus.*

Secundum inſtituta ſeniorum, ſi quis à communione ſacerdotali fuerit auctoritate ſuſpenſus, hunc non ſolùm à clericorum, ſed etiam à totius populi conloquio atque conuiuio placuit excludi, donec reſipiſcens ad ſanitatem redire feſtinet.

L. *De his qui inter ſe pacem non habent.*

Hi qui publicis inter ſe odiis exardeſcunt, ab Eccleſiaſticis conuentibus remouendi, donec ad pacem recurrant.

LI. *De expoſitis quid obſeruandum.*

D lxxxvii. Si expoſitus. Si expoſitus ante Eccleſiam cuiuſcumque fuerit miſeratione collectus, conteſtationis ponat epiſtolam. & ſi is qui collectus eſt intra decem dies quæſitus agnituſque non fuerit, ſecurus habeat qui collegit. Sanè qui poſt prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida, Eccleſiaſtica diſtrictione damnabitur, ſicut patrum ſanxit auctoritas. Conc. Vaſenſe 1. can. 10.

LII. *De puellis conuerſis, ſi ad terrenas nuptias tranſierint.*

De puellis quæ ſe voucrunt Deo, & præclari decore nominis floruerunt, ſi poſt viginti & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt cum his, cum quibus ſe alligauerint, communione priuentur: ita vt eis poſtulantibus pœnitentia non negetur; cuius pœnitentiæ communio multo tempore differatur.

LIII. *Si ſeruus furore actus ſeipſum percuſſerit.*

Si quis famulorum cuiuſlibet conditionis aut generis, quaſi ad exacerbandam domini diſtrictionem, ſe diabolico repletus furore percuſſerit, ipſe tantùm ſanguinis ſui reus erit, neque ad dominum ſceleris alieni pertinebit inuidia.

LIV. *De eligendis Epiſcopis venalitate vel ambitione ſubmota.*

Placuit in ordinatione Epiſcopi hunc ordinem cuſtodiri, vt primo loco venalitate, vel ambitione ſubmota, tres ab Epiſcopis nominentur, de quibus clerici vel ciues erga vnum eligendi habeant poteſtatem.

LV. *Si quis ſæcularium religionis amore ſe ad ſacerdotem contulerit.*

Si quis ſæcularium amore religionis ſe ad quemcumque ſacerdotum crediderit conferendum, ipſe ſibi eum, quem erudiendi gratia ſuſceperit, vindicabit.

LVI. *Vt Metropolitani contra Synodum nihil præſumant.*

Hoc etiam placuit cuſtodiri, vt nihil contra magnam Synodum Metropolitani ſibi æſtiment vindicandum.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA XI.

Ad Ruſticum Epiſcopum Narbonenſem, ſubditis Reſponſionibus ad eiuſdem Conſulta reſcriptis.

LEO EPISCOPVS RVSTICO EPISCOPO Narbonenſi.

EPISTOLAS fraternitatis tuæ, quas Hermes Archidiaconus Epiſt. 92. Leonis.
tuus detulit, libenter accepi, diuerſarum quidem cauſarum
connexione multiplices, ſed non ita patientiæ legentis one-
roſas, vt aliquid earum inter concurrentes vndique ſollicitu-
dines fuerit prætermiſſum. Vnde totius ſermonis tui allegatione com-
perta, & geſtis, quæ in Epiſcoporum honoratorúmque examine confecta
ſunt, recenſitis, Sabiniano & Leoni presbyteris actionis ſuæ intelleximus
fiduciam defuiſſe: nec eis iuſtam ſupereſſe querimoniam, qui ſe ab in-
choatis diſceptationibus ſpontè ſubtraxerint. Circa quos quam formam,
quámve menſuram debeas tenere iuſtitiæ, tuo relinquo moderamini: ſua-
dens tamen caritatis hortatu, vt ſanandis ægris ſpiritalem ſtudeas adhibe-
re medicinam; & dicente Scriptura, *Noli eſſe nimium iuſtus*, mitiùs agas Eccleſ 7.17.
cum eis, qui zelo pudicitiæ videntur modum exceſſiſſe vindictæ, ne dia-
bolus, qui decepit adulteros, de adulterij exultet vltoribus. Miror autem
dilectionem tuam in tantum ſcandalorum quacumque occaſione naſcen-
tium aduerſitate turbari, vt vacationem ab Epiſcopatus laboribus optare
te dicas, & malle in ſilentio atque otio vitam degere, quàm in his quæ ti-
bi commiſſa ſunt permanere. Dicente verò Domino, *Beatus qui perſeue-* Matth.10.22.
rauerit vſque in finem. vnde erit beata perſeuerantia, niſi de virtute patien-
tiæ? Nam ſecundum Apoſtolicam prædicationem, *omnes qui voluerint in* 2.Tim.3 12.
Chriſto piè viuere, perſecutionem patientur. Quæ non in eo tantùm compu-
tanda eſt, quod contra Chriſtianam pietatem, aut ferro, aut ignibus agi-
tur, aut quibuſcumque ſuppliciis: cùm perſecutionum ſæuitiam ſuppleant
& diſſimilitudines morum, & contumaciæ inobedientium, & malignarum
tela linguarum. Quibus conflictationibus cùm omnia ſemper Eccleſiæ
membra pulſentur, & nulla piorum portio à tentatione ſit libera, ita vt
periculis nec otia careant, nec labores; quis inter fluctus maris nauem di-
riget, ſi gubernator abſcedat? quis ab inſidiis luporum cuſtodiet oues, ſi
paſtoris cura non vigilet? quis denique latronibus obſiſtet & furibus, ſi
ſpeculatorem in proſpectu explorationis locatum ab intentione ſollici-
tudinis amor quietis abducat? Permanendum ergo eſt in opere credito,
& in labore ſuſcepto. conſtanter tenenda eſt iuſtitia, & benignè præſtan-
da clementia. Odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tu- D. lxxxvi. Odio habeantur peccata.
midi, tolerentur infirmi: & quod in peccatis ſeueriùs caſtigari neceſſe eſt,
non ſæuientis plectatur animo, ſed medentis. At ſi vehementior tribula-
tio incubuerit, non ita expaueſcamus, quaſi illi aduerſitati propriis ſit vi-
ribus reſiſtendum; cùm & conſilium noſtrum, & fortitudo ſit Chriſtus, ac
ſine quo nihil poſſumus, per ipſum cuncta poſſimus. Qui confirmans præ-
dicatores Euangelij, & ſacramentorum miniſtros, *Ecce ego*, inquit, *vobiſ-* Matth.28.20.

Ioan.16.33. *cum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſaculi.* & iterum: *Hæc,* inquit, *locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. in hoc autem mundo tribulationem habebitis: ſed bono animo eſtote, quia ego vici mundum.* Quæ pollicitationes, quia ſine dubitatione manifeſtæ ſunt, nullis debemus ſcandalis infirmari, ne electioni Dei videamur ingrati, cuius tam potentia ſunt adiutoria, quàm vera promiſſa. De conſultationibus autem dilectionis tuæ, quas ſeparatim conſcriptas Archidiaconus tuus detulit, quid ſentiendum ſit inter præſentes opportuniùs quæreretur, ſi nobis tui cóſpectus copia proueniret. Nam cùm quædam interrogationes modum diligentiæ videantur

D.xiv.Sicut quædam. excedere, intelligo eas colloquiis aptiores eſſe, quàm ſcriptis. quia ſicut quædam ſunt, quæ nulla poſſint ratione conuelli: ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum, oporteat temperari: illa ſemper conditione ſeruata, vt in his quæ dubia fuerint vel obſcura, id nouerimus ſequendum, quod nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum patrum inueniatur diuerſum.

RESPONSIONES LEONIS PAPÆ ad Inquiſitiones Ruſtici Narbonenſis.

IN Q. I. *De presbytero, vel diacono, qui ſe Epiſcopos eſſe mentiti ſunt: & de his quos ipſi clericos ordinarunt.* RESP.

D.lxii.Nulla ratio. NVLLA ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à prouincialibus Epiſcopis cum Metropolitani iudicio conſecrati. Vnde cùm ſæpè quæſtio de malè accepto honore naſcatur, quis ambigat nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum? Si

1.q.1. Si qui clerici. qui autem clerici ab iſtis pſeudoepiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum cum conſenſu & iudicio præſidentium facta eſt, poteſt rata haberi; ita vt in ipſis Eccleſiis perſeuerent. Aliter autem vana habenda eſt ordinatio, quæ nec loco fundata eſt, nec auctoritate munita.

IN Q. II. *De presbytero, vel diacono, qui ſi cognito crimine ſuo pœnitentiam publicam petat, vtrum eis per manus impoſitionem danda ſit.* RESP.

D.1.Alienum eſt à conſuet. Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut in diaconij gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. quod ſine dubio

1.Reg.2.25. ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt, *Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro eo?* Vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda receſſio, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.

IN Q. III. *De his qui altario miniſtrant, & coniuges habent, vtrum eis licitò miſceantur.* RESP.

D. xxxi.Lex continentiæ. Lex continentiæ eadem eſt miniſtris altaris, quæ Epiſcopis, atque presbyteris. Qui cùm eſſent laici, ſiue lectores, licitè & vxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cùm ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non

non licere quod licuit. Vnde vt de carnali fiat ſpiritale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quaſi non habeant ſic habere: quo & ſalua ſit caritas connubiorum, & ceſſent opera nuptiarum.

INQ. IV. *De presbytero, vel diacono, qui filiam ſuam virginem illi viro in coniugium dederit, qui iam habebat coniunctam mulierem, ex qua etiam filios ſuſceperat.* RESP.

Non omnis mulier viro iuncta vxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt patris. Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales; multo priùs hoc ipſum Domino conſtituente, quàm initium Romani iuris exiſteret. Itaque aliud eſt vxor, aliud concubina, ſicut aliud ancilla, aliud libera. Propter quod etiam Apoſtolus, ad manifeſtandam harum perſonarum diſcretionem, teſtimonium ponit ex Geneſi, vbi dicitur Abrahæ, *Eijce ancillam & filium eius: non enim heres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Vnde cùm ſocietas nuptiarum ita ab initio conſtituta ſit, vt præter ſexuum coniunctionem, haberet in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum; dubium non eſt, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuiſſe myſterium. Igitur cuiuſlibet loci clericus ſi filiam ſuam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum eſt, quaſi eam coniugato dederit; niſi fortè illa mulier & ingenua facta, & dotata legitimè, & publicis nuptiis honeſtata videatur.

32. q. 2. Non omnis mulier. — Gen. 21. 10. — 27. q. 2. Cùm ſocietas.

INQ. V. *De puellis quæ viris concubinas habentibus nupſerint.* RESP.

Paterno arbitrio viris iunctæ carent culpa, ſi mulieres, quæ à viris habebantur, in matrimonio non fuerunt: quia aliud eſt nupta, aliud concubina.

32. q. 2. Non omnis.

INQ. VI. *De his qui mulieres ex quibus filios habent relinquunt, & vxores accipiunt.* RESP.

Ancillam à toro abiicere, & vxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio coniugij, ſed profectus eſt honeſtatis.

32. q. 2. Ancillam à toro.

INQ. VII. *De his qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cùm reualuerint agere eam nolunt.* RESP.

Culpanda eſt ſanè talium negligentia, ſed non penitus deſerenda: vt crebris cohortationibus incitati, quod neceſſariè expetierunt fideliter exequantur. Nemo enim deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus eſt: quia nonnunquam quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur.

De Pœnit. diſt. 7. Nemo deſperandus.

INQ. VIII. *De his qui animo iam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem moriuntur.* RESP.

Horum cauſa Dei iudicio reſeruanda eſt, in cuius manu fuit, vt talium obitus vſque ad communionis remedium differretur. Nos autem, quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non poſſumus.

14. q. 2. De cõmunione.

Inq. IX. *De his qui dolore nimio perurgente rogant dari ſibi pœnitentiam, & cùm venerit presbyter daturus quod petebant, ſi dolor parum perquieuerit, excuſant, & nolunt accipere quod offertur.* Resp.

De Pœnit. diſt. 1. Pœnitentia quæ.

Diſſimulatio hæc poteſt non de contemptu eſſe remedij, ſed de metu grauiùs delinquendi. Vnde pœnitentia quæ dilata eſt, cùm ſtudioſiùs petita fuerit, non negetur, vt quoquomodo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perueniat.

Inq. X. *De his qui pœnitentiam profeſsi ſunt, ſi in foro litigare cœperint.* Resp.

De Pœnit. diſt 1. Aliud quidem. & 11.q.1. Aliud. 1.Cor.6.12.

Aliud quidem eſt debita iuſta repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oporret multis etiam licitis abſtinere, dicente Apoſtolo, *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Vnde ſi quis pœnitens habet cauſam, quam negligere fortè non debeat, meliùs expetit Eccleſiaſticum, quàm forenſe iudicium.

Inq. XI. *De his qui in pœnitentia, vel poſt pœnitentiam negotiantur.* Resp.

De Pœnit. diſt 5. Qualitas lucri.

Qualitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit; quia eſt & honeſtus quæſtus, & turpis. verumtamen pœnitenti vtilius eſt diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi: quia difficile eſt inter ementis vendentíſque commercium non interuenire peccatum.

Inq. XII. *De his qui poſt pœnitentiam ad militiam reuertuntur.* Resp.

De Pœnit. diſt. 5. Contrarium. 2. Tim. 2. 4.

Contrarium eſt omnino Eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem, cùm Apoſtolus dicat, *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus.* Vnde non eſt liber à laqueis Diaboli, qui ſe militia mundana voluerit implicare.

Inq. XIII. *De his qui poſt pœnitentiam vxores accipiunt, vel concubinas ſibi coniungunt.* Resp.

In adoleſcentia conſtitutus, ſi vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo, pœnitentiam geſſit, & poſtea timens lapſum incontinentiæ iuuenilis, copulam vxoris elegit, ne crimen fornicationis incurreret; rem videtur feciſſe venialem, ſi præter coniugem nullã omnino aliam cognouerit. In quo tamen non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus. Nam ſecundum veram cognitionem, nihil magis ei congruit qui pœnitentiam geſſit, quàm caſtitas perſeuerans & mentis & corporis.

Inq. XIV. *De monachis, qui aut militare cœperint, aut vxores accipere.* Resp.

20.q.3. Propoſitum Monachi.

Propoſitum monachi, proprio arbitrio aut voluntate ſuſceptum, deſeri non poteſt abſque peccato. Quod enim quis vouit Deo, debet & reddere. Vnde qui relicta ſingularitatis profeſſione ad militiam, vel ad nuptias deuolutus eſt, publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt: quia etſi innocens ſit militia, & honeſtum poteſt eſſe coniugium, electionem tamen meliorum deſeruiſſe tranſgreſſio eſt.

IN Q. XV. *De puellis, quæ aliquandiu in habitu religioſo fuerunt, non tamen conſecratæ, ſi poſtea nupſerint.* RESP.

Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo iudicio virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligunt, præuaricantur, etiamſi conſecratio non acceſſit: cuius vtique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent. Ambigi verò non poteſt, crimen magnum admitti, vbi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſſunt impunè calcari, quid eos manebit, qui corruperint fœdera diuini ſacramenti? 20.q.1.Puellæ quæ.

IN Q. XVI. *De his qui à parentibus Chriſtianis paruuli derelicti ſunt, & vtrum baptizati ſint non poteſt inueniri, an debeant baptizari.* RESP.

Si nulla extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos, quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur; agendum eſt, vt renaſcantur: ne manifeſtè pereant, in quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit vt videatur iteratum. De Conſecr. diſt. 4. Si nulla.

IN Q. XVII. *De his qui paruuli ab hoſtibus capti ſunt, & non ſe ſapiunt baptizatos, ſed ſciunt ſe aliquotiens ad Eccleſiam à parentibus ductos; vtrum poßint, vel debeant, cùm ad Romaniam venerint, baptizari?* RESP.

Qui poſſunt meminiſſe quòd ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur acceperint. Sed ſi etiam hoc ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis videtur quod collatum eſſe neſcitur; quia non temeritas interuenit præſumptionis, vbi eſt diligentia pietatis. De Conſecr. diſt. 4. Si nulla.

IN Q. XVIII. *De his qui ex Africa, vel de Mauritania venerunt, & neſciunt in qua ſecta ſint baptizati, quid circa eos debeat obſeruari.* RESP.

Non ſe iſti baptizatos neſciunt, ſed cuius fidei fuerint, qui eos baptizauerunt, ſe neſcire profitentur. Vnde quolibet modo formam baptiſmatis acceperint, baptizandi non ſunt; ſed per manus impoſitionem, inuocata virtute Spiritus ſancti, quam ab hæreticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi ſunt. De Conſecr. diſt. 4. Hi de quibus.

IN Q. XIX. *De his qui paruuli quidem baptizati à gentilibus capti ſunt, & cum illis gentiliter conuixerunt; cùm ad Romaniam adhuc iuuenes venerint, ſi communionem petierint, quid erit obſeruandum?* RESP.

Si conuiuio ſolo gentilium, & eſcis immolatitiis vſi ſunt, poſſunt ieiuniis, & manus impoſitione purgari, vt deinceps ab idolothytis abſtinentes ſacramentorum Chriſti poſſint eſſe participes. Si autem aut idola adorauere, aut homicidiis, vel fornicationibus contaminati ſunt, ad communionem eos, niſi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti.

CONCILIVM ANDEGAVENSE.

IN ORDINATIONE TALASII EPISCOPI celebratum IV. Nonas Octobris, Opilione V. C. Conſule, anno Chriſti CCCCLIII. Valentiniani III. Auguſti XXVIII. Leonis I. Papæ XIII.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt clerici Epiſcoporum iudicio acquieſcant: illis inconſultis ſæcularia iudicia non expetant, nec ad alium locum tranſeant; & ſine illorum litteris non peregrinentur.*
2. *Vt diaconi presbyteris humiliter deferant.*
3. *A violentia & perputatione abſtinendum.*
4. *Vt qui ab extraneis feminis reuocare ſe nolunt, non miniſtrent, & vlteriùs non prouehantur. Qui verò tradendis vel capiendis vrbibus interfuerint, à communione & conuiuiis arceantur.*
5. *Vt qui accepta pœnitentia reſiliunt, & ſanctimoniales quæ decidunt, communione priuentur.*
6. *De iis qui alienis vxoribus coniugii nomine abutuntur.*
7. *Qui relicto clero ad ſæcularem militiam ſe conferunt, ab Eccleſia eiiciendi.*
8. *Vt monachi, qui propoſitum deſerunt, & ſine litteris vagantur, ad communionem non recipiantur.*
9. *Alieno clerico Epiſcopus gradum nè augeat.*
10. *De laicis excommunicare non liceat, niſi probatis criminibus.*
11. *Qui digami fuerunt, diaconi vel presbyteri non ordinentur.*
12. *Vt pœnitentia conuerſis omnibus pateat, & pro Epiſcopi æſtimatione venia concedatur.*

PRÆFATIO.

CVM ad ordinandum Epiſcopum in ciuitate Andegauorum Epiſcopi conueniſſent, & TALASIVS eſſet Epiſcopus ordinatus, omnibus pariter reſidentibus, Leone, Euſtochio, Chariatone, Rumorido, Viuentio, Victorio, & Talaſio Epiſcopis, pari conſilio atque tractatu deciſionem, quam verbis decreuerant, etiam ſcripturæ mandare voluerunt: vt ab hac die, hoc eſt IV. Nonas Octobris, Opilione V. C. Conſule, hæ regulæ Eccleſiaſticæ ſeruarentur, quæ à ſenioribus iuxta auctoritatem ſcripturarum iam fuerant conſtitutæ.

CANONES.

I. *Vt clerici Epiſcoporum iudicio acquieſcant; illis inconſultis ſæcularia iudicia non expetant, nec ad alium locum tranſeant; & ſine illorum litteris non peregrinentur.*

Primùm vt contra Epiſcopale iudicium clericis non liceat proſilire: neque inconſultis ſacerdotibus ſuis ſæcularia iudicia expetere.

ſed nec de loco ad alium ſine Epiſcopi permiſſione tranſire: nec ſine commendatitiis ſacerdotum ſuorum litteris commeare.

II. *Vt diaconi presbyteris humiliter deferant.*

Vt diaconi preſbyteris nouerint omni humilitate deferendum.

III. *A violentia & perputatione abſtinendum.*

Vt à violentia & crimine perputationis abſtineantur.

IV. *Vt qui ab extraneis feminis reuocare ſe nolunt, non miniſtrent, & vlterius non proueb antur. Qui verò tradendis vel capiendis vrbibus interfuerint, à communione, & conuiuiis arceantur.*

Familiaritatem extranearum feminarum nouerint eſſe vitandam. Sed ſi qui ſunt cœlibes, non niſi à ſororibus, aut amitis ſuis, aut à matribus conſolentur. Quia ſicut bonum non eſt homini ſolum eſſe, ita familiares eſſe clericos feminis non oportet extraneis: quia frequenter plurimorum ruinas ſub hac occaſione deflemus. Si quis autem poſt hoc interdictum à prædictis familiaritatibus ſe reuocare noluerit, nequaquam gradu altiore donabitur: & ſi iam ordinatus fuerit, non miniſtret. Tum ſi qui tradendis vel capiendis ciuitatibus fuerint interfuiſſe detecti, non ſolùm à communione habeantur alieni, ſed nec conuiuiorum quidem admittantur eſſe participes.

V. *Vt qui accepta pœnitentia reſiliunt, & ſanctimoniales quæ decidunt, communione priuentur.*

Quod etiam de his qui accepta pœnitentia reſilierint debita ſeueritate ſeruabitur. quæ forma etiam circa eas quæ de virginitate ſanctimoniali crimine proprio deciderunt, ſtatuto rigore permaneat.

VI. *De iis qui alienis vxoribus coniugij nomine abutuntur.*

Hi quoque qui alienis vxoribus, ſuperſtitibus ipſarum maritis, nomine coniugij abutuntur, à communione habeantur extranei.

VII. *Qui relicto clero ad ſæcularem militiam ſe conferunt, ab Eccleſia eijciendi.*

Clerici quoque, qui relicto clero ſe ad ſæcularem militiam, & ad laicos contulerint, non iniuſtè ab Eccleſia, quam reliquerunt, amouentur.

VIII. *Vt monachi, qui propoſitum deſerunt, & ſine litteris vagantur, ad communionem non recipiantur.*

Monachi quoque, qui cœptam obſeruationis viam relinquunt, & abſque epiſtolis, & abſque certis negotiis vel neceſſitatibus, per regiones vagantur alienas, cognita diſtrictione, ſi ſe non emendauerint, ab Abbatibus ſuis, vel à Sacerdotibus, ad communionem non recipiantur.

IX. *Alieno clerico Epiſcopus gradum ne augeat.*

Aliis quoque Epiſcopis aliorum clericis gradum augere non liceat.

X. *De laicis, excommunicare non liceat, niſi probatis criminibus.*

Quicumque autem vel de laicis, vel de clero, miniſtri fuerint ordinati, & obſeruare noluerint; ſi laicus, communicare non liceat, niſi fortè reprobauerint criminoſos.

XI. *Qui digami fuerunt, diaconi vel presbyteri non ordinentur.*

Non niſi vnius vxoris viri, iidémque virginibus copulati, diaconi vel preſbyteri ordinentur.

XII. *Vt pœnitentia conuerſis omnibus pateat, & pro Epiſcopi æſtimatione venia concedatur.*

Pœnitentiæ ſanè locus omnibus pateat, qui conuerſi errorem ſuum voluerint confiteri. quibus, perſpecta qualitate peccati, ſecundum Epiſcopi æſtimationem erit venia largienda.

Quod ita inter prædictos viros pari conſilio, & ordinatione decretum eſt, vt ſi quis ex ipſis contra hanc ordinationem agendum eſſe præſumpſerit, obuius fuiſſe regulæ Eccleſiaſticæ iudicetur: aduerſus quem ceteris fratribus ſuis, quaſi aduerſus contemptorem, licebit exſurgere.

LEONIS PAPÆ EPISTOLA XII.
Ad Epiſcopos Galliæ & Hiſpaniæ.

De ſolemnitate Paſchali anni CCCCLV.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS EPISCOPIS catholicis per Gallias & Hiſpanias conſtitutis Leo.

Epiſt. 95. Leonis.

CVM in omnibus diuinorum præceptorum regulis exequendis ſacerdotalem obſeruantiam oporteat eſſe concordem, maximè nobis & principaliter prouidendum eſt, ne in Paſchalis feſti die vel ignoranria, vel præſumptio, peccarum diuerſitatis incurrat. Vnde quia tempus ſacrariſſimæ ſolemnitaris ita diſpoſitos habet limites ſuos, vt ſalutare ſacramentum nunc citiùs, nunc tardius oportear celebrari; non deſinit Apoſtolicæ Sedis ſollicitudo proſpicere, ne deuotio Eccleſiaſtica aliquo turbetur incerto. Cùm autem in quibuſdam adſcriptionibus patrum, futurum proximè Paſcha Domini, ab aliis in diem XV. Kalendas Maias, ab aliis in diem VIII. Kalendas eaſdem inueniretur adſcriptum; tantùm me diuerſitas iſta permouit, vt clementiſſimo principi Marciano curam de hac re animi mei panderem; vt præcipiente ipſo, ab his qui habent huius ſupputationis peritiam, diligentiùs illic diſcuſſa ratione quæreretur, quo die poſſit veneranda ſolemnitas rectiùs celebrari. Quo reſcribente, VIII. Kalendas Maias definitus eſt dies. Quia ergo ſtudio vnitatis

& pacis malui Orientalium definitioni acquieſcere, quam in tantæ feſtiuitatis obſeruantia diſſidere, nouerit fraternitas veſtra die VIII. Kalendas Maias ab omnibus reſurrectionem Dominicam celebrãdam: & hoc ipſum per vos aliis fratribus eſſe intimandum, vt diuinæ pacis conſortio, ſicut vna fide iungimur, ita vna ſolemnitate feriemur. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Data P. C. Opilionis v. Kalendas Auguſtas.

Pascha Valentiniano III. & Anthemio Coss. VIII. Kalendas Maias.

EPISTOLA EPISCOPORVM LEONIS, VICTVRII, & Euſtochij ad Epiſcopos Prouinciæ tertiæ.

Vt clerici non expetant ſæcularia iudicia.

DOMINIS FRATRIBVS MERITO BEATISSIMIS, IN Chriſto venerabilibus, Sarmationi, Chariatoni, Deſiderio, Epiſcopis, & preſbyteris omnium Eccleſiarum, quæ ſunt intra Prouinciam tertiam conſtitutæ, Leo, Victurius, & Euſtochius Epiſcopi.

TANTAM ſæculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reuerentiam præualere voluerunt, vt etiam ij, quos ſub Imperiali nomine terris diuina potentia præeſſe præcepit, ius diſtringendorum negotiorum Epiſcopis iuxta diualia conſtituta permiſerint. Quod cùm & iuris antiqui formulis, & inlatis frequentiùs ſit legibus confirmatum, præſenti tempore à pleriſque inuenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali iudicio, paſſim ad examen ſæculare tranſierunt. Idcirco nobis viſum eſt, vt hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciſceretur plena diſtrictio, & obſeruandam formulam conſtitueret in futurum. Cenſuimus itaque, vt quicumque prætermiſſo ſacerdote Eccleſiæ ſuæ, ad diſceptationem venerit ſæcularium, ſacris liminibus expulſus à cæleſti arceatur altario. Neque vllus poſt hanc definitionem, quæ communi ſedit arbitrio, quicquam ſibi vltra præſcriptum vindicare nitatur. Ita fiet, vt & hi qui antè errauerunt congrua emendatione ſe corrigant, & quiſquis ſub obſeruatione clericali cæleſti ſeruire probatur officio, ex clerico habendum ſe norit, ſi prætermiſſo ſacerdotum iudicio ſæcularem adierit poteſtatem. Quod ideo ſingulos, vniuerſoſque voluimus agnoſcere, vt quod pleno iuſtitiæ & iuris ordine conſtitutum eſt, effectum totius firmitatis in omnibus clericorum negotiis ſortiatur. Sanè ſi clericum laicus pulſet, priùs audiri ſe ab Epiſcopo poſcat. tum ſi petitioni ſuæ laicum viderit obuiare, ex permiſſu Epiſcopi ſui in ſæculi moderatoris diſceptatione confligat.

Leo Epiſcopus ſubſcripſi.
Victurius Epiſcopus ſubſcripſi.
Euſtochius Epiſcopus ſubſcripſi.

CONCILIVM ARELATENSE III.

A RAVENNIO EPISCOPO IN CAVSA FAVSTI Abbatis Inſulæ Lirinenſis & Epiſcoporum celebratum, Leonis I. Papæ temporibus, circa annum Chriſti CCCCLV.

Nunc primùm editum ex codice Eccleſiæ Lugdunenſis.

Exemplar epiſtolæ generalis, quæ ad Epiſcopos inuitandos in cauſa Inſulæ Lirinenſis miſſa eſt.

QVOTIENS membrum aliquod quolibet infirmitatis genere laborat, fieri non poteſt, quin eiuſdem corporis etiam cetera membra condoleant. Et ideo cauſam quæ inter ſanctum Epiſcopum Theodorum, & ſanctum Valerianum, vel ſanctum Maximum item Epiſcopos, atque Abbatem Fauſtum, nec non & reliquos fratres Inſulæ Lerinenſis acciderat, abſque dubio omnes nos, qui in Chriſto vnum ſumus, differre non poſſumus, niſi id agamus qualiter curetur & abſtergatur. Ad hoc itaque remediandum ſcandalum orationibus veſtris tertio Kalendas Ianuarias audientiæ dies eſt conſtitutus. Rogamus ergo, vt ſanctitas veſtra ſe vſque Arelate fatigare dignetur: quatinus tantum malum, quod dilatione plus creſcit, beatitudinis veſtræ præſentia terminetur. Talis enim cauſa, quæ tam grande ſcandalum gignit, ſicut atrocitate ſui multos inuoluit, ita plures qui in Chriſto medeantur expoſcit. *Ad eos qui in ipſa Inſula ſunt.* Beatitudinem verò veſtram præcipuè adeſſe conuenit, quos Inſula ipſa velut ſinu quodam genetricis fouens, ad eam gratiam, quæ nunc in vobis eſt, Domino inſtigante produxit. *Ad ſanctum Ruſticum.* Ac præcipuè beatitudo veſtra vt adſit primùm deprecamur; quia grauior infirmitas neceſſariò medicos peritiſſimos inquirit.

INSTITVTIO SANCTORVM EPISCOPORVM Rauennij, Ruſtici, Nectarij, Flori, Conſtantij, Aſclepij, Maximi, Iuſti, Salonij, Ingenui, Ynanti, Zotici, Chryſanthi, in cauſa Inſulæ Lirinenſis.

CVM Arelate in ſecretario Eccleſiæ conueniſſemus, præmiſſa prece ad Dominum, nullo extrinſecùs arbitro interueniente reſedimus, de remedio ſcandali, quod in Monaſterio in Inſula

Inſula Lerinenſe obortum fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis ſancto, vt credimus, Spiritu gubernante, vt omnibus quæ in querelam venerant ſollicitè ventilatis atque diſcuſſis, ſanctus ac beatiſſimus frater Theodorus Epiſcopus primùm exoraretur à nobis, vt ſcandalum quod, & ipſe, ſicut & nos, grauiter dolebat exortum, differendo in tempora manere diutius non pateretur: ſed potius ad recipienda ſatisfactionum remedia feſtinaret; & ſanctum preſbyterum Fauſtum, Abbatem Monaſterij ſupradicti, indulta ſi qua illa eſſet culpæ venia, in priſtina pace toto caritatis affectu reciperet, & ad Inſulam, ac congregationem ipſi Deo diſpenſante commiſſam, cum ſua gratia & caritate remitteret. Nec quicquam deinceps ex his, quæ ſibi fratrem Fauſtum arguebat feciſſe, aut verbis repeteret, aut animo retineret. Quin potiùs conlationem, vt pote antiquus Abba & Epiſcopus, ei vt piam ac neceſſariam perpetuò exhiberet, & ſolatia ſecutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipſis, in quo vſus exigeret, pleniſſimè exhiberet. Hoc tamen ſibi tantummodo vindicaturus, quod deceſſor ſuus ſanctæ memoriæ Leontius Epiſcopus vindicauerat. id eſt, vt clerici atque altaris miniſtri, à nullo niſi ab ipſo, vel cui ipſe iniunxerit, ordinentur: chriſma non niſi ab ipſo ſperetur: neophyti ſi fuerint, ab eodem confirmentur: peregrini clerici abſque ipſius præcepto in communionem, vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterij verò omnis laica multitudo ad curam Abbatis pertineat: neque ex ea ſibi Epiſcopus quicquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, niſi Abbate petente, præſumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum eſt, vt clerici ad ordinationem Epiſcopi debita ſubiectione reſpiciant: laica verò omnis Monaſterij congregatio ad ſolam ac liberam Abbatis proprij, quem ſibi ipſa elegerit, ordinationem, diſpoſitionémque pertineat: regula, quæ à fundatore ipſius Monaſterij dudum conſtituta eſt, in omnibus cuſtodita.

Anno Christi 461. — Severi Imp. I.

HILARVS PAPA.

EPISTOLA SANCTORVM LVPI TRICASSINI, & Euphronij Auguſtodunenſis Epiſcoporum, ad Talaſium Epiſcopum Andegauenſem.

De ſolemnitatibus, & de bigamis clericis, & iis qui coniugati aſſumuntur.

DOMINO SANCTO, ET IN CHRISTO CVLTV atque honore venerando, beatiſſimo fratri Talaſio Epiſcopo, Lupus & Euphronius Epiſcopi pariter poſiti.

Ex MSS. codicibus.

COMMONITORIVM, quod per ſubdiaconum Archontium miſſum fuerat, inſpeximus. ad quod ſanctitati tuę, ſicut popoſcilti, reſpondere curauimus. Vigilia Natalis Domini longè alio more, quàm Paſchæ vigilia, celebrāda: quia hîc Natiuitatis lectiones legendæ ſunt, illic autem paſſionis. Epiphaniæ quoque ſolemnitas habet ſuum ſpecialem cultum. Quæ vigiliæ vel maximè, aut perpete nocte, aut certè in matutinum vergente, curandæ ſunt: Paſchalis autem vigilia à veſpere raro in matutinum vſque perducitur. Deinde in vigilia Paſchæ diuerſorum librorum lectiones ſunt recenſendæ, quæ totæ habeant aliquid de præfiguratione, aut vaticinio paſſionis. antedicta autem vigilia, prout viſum fuerit, inter pſallendum & legendum, ſiue de prophetis, ſiue de nouo Teſtamento, quod quiſque voluerit, non legali, ſed voluntaria lectione præſumet. De clericis verò bigamis, vſque ad Oſtiarios Eccleſia permittit & patitur; & quā quis ſacerdotum regulam pro diſtrictione ſua aſſumpſerit, iure cuſtodiet. Exorciſtas verò, aut ſubdiaconos, à ſecundis nuptiis penitus excludit. Generationem verò filiorum ab his, quos coniugatos aſſumimus, melius eſſet, ſi fieri poſſit, arceri. quos melius eſt non aſſumi, quàm de his poſtea ſub diuerſa ſenſuum varietate certari: cùm melius ſit omnes diſceptationum cauſas excludi; vt qui non vult in clericatu generari, non conſtituat in altario coniugatos. Hæc pro conſuetudine Eccleſiarum noſtrarum, quarum vna eſt regula, paginæ huius ſermone texuimus. Si quid verò pro honore Domini poteſt diſtrictionis adcreſcere, & ſi imitari non poſſumus, pro Domini honore laudabimus. Nam iam Eccleſiæ obſequiis adgregatos ad ſecundas nuptias tranſire non patimur: quos, poſtquam adſumpti fuerint, etiam à primis penitus arcemus; Exorciſtas duntaxat, atque ſubdiaconos. In Auguſtodunenſi autem Eccleſia, vel Oſtiarius in imo officio conſtitutus, ſi vxorem aliam acceperit, ab officio penitus abdicatur. Subdiaconos autem ad pacem inter ſe in ſacrario oportet accedere: in altario autem, non niſi dum porrigunt pallas diacono, aut ſuſcipiunt quod refertur; ad pacem autem nequaquam eis permiſſum eſt. Si autem illius amentiæ fuerit, vel Exorciſta, vel Subdiaconus, vel etiam, ſicut ſupra memoratum eſt, Oſtiarius, vt ſecundis ſe nuptiis illigarit, non ſolùm ab officio, ſed etiam à communione penitus arcetur.

CONCILIVM TVRONICVM I.

PERPETVI EPISCOPI TEMPORE CELEBRATVM, Seuerino V. C. Conſule, ſub die XIV. Kalendas Decembris, anno Chriſti CCCCLXI. Seueri Aug. & Hilari Papæ primo.

TITVLI CANONVM.

1. De ſanctitate ſacerdotum, & miniſtrorum Eccleſiæ.
2. Quòd ſacerdotes & diaconi ab vxoribus ſuis abſtinere, atque ebrietatem vitare clerici omnes debeant.
3. De familiaritate extranearum feminarum clericis interdicta.
4. Vt clericus, cui vxorem ducere licet, viduam non accipiat.
5. De clericis qui ad laicam vitam redeunt.
6. De iis qui virginibus ſacratis matrimonio iunguntur, vel religionem profeſſam deſerunt.
7. Cum homicidis non communicandum.
8. Si pœnitentes derelicta pœnitentia ad ſæculares illecebras reuertantur.
9. De præſumptoribus Epiſcopis, qui aliorum diœceſes peruadunt, aut illorum clericos promouent.
10. De illicitis ordinationibus.
11. De vagantibus clericis.
12. Clericus ſine commendatitiis non ambulet.
13. Vt clerici vſurarij non ſint.

PRÆFATIO.

SEVERINO V. C. Conſule, ſub die XIV. Kalendas Decembris, cùm ad ſacratiſſimam feſtiuitatem, qua domni Martini receptio celebratur, in ciuitate Turonorum beatiſſimi ſacerdotes, quorum ſubſcriptio ſubter adiecta eſt, conueniſſent, neceſſariò crediderunt, vt quia per longam incuriam in aliquo de rebus Eccleſiaſticæ diſciplinæ regula fuiſſet vitiata, definitionem ſuam, quæ cum patrum auctoritate concordat, præſentis ſcripturæ emiſſione firmarent: non quæ priùs illicitè admiſſa ſunt reuoluentes; ſed in poſterum vniuerſorum vtilitati proſpicientes: vt ſecundum Euangelica præcepta, & Apoſtolicam doctrinam patrum ſtatuta ſeruantes, Eccleſia Domini pura & immaculata permaneat.

CANONES.

I. *De ſanctitate ſacerdotum, & miniſtrorum Eccleſiæ.*

Primo ergo in loco ſacerdotes vel miniſtri Eccleſiæ, de quibus dictum eſt, *Vos eſtis lux mundi,* ita in omni ſancta conuerſatione à Matth. 5. 14. Dei timore actus ſuos dirigant, vt & diuinæ poſſint placere clemen-

tiæ, & bonum fidelibus præbeant exemplum. quia ſicut væ eis, per quos nomen Dei blaſphematur, ita illi immortalitatis gloriam conſequentur, per quorum actus nomen Dei benedicitur. Si enim vni-
1.Cor.7.29. uerſis fidelibus ſecundum Apoſtolicam doctrinam caſtitas cuſtodienda indicitur, vt qui habent vxores ita ſint quaſi non habentes; quanto magis ſacerdotes Dei ac leuitæ diuino mancipati altario cuſtodire debent, vt non ſolùm cordis, verumetiam corporis puritatem ſeruantes, pro plebe ſupplicaturi preces ſuas ad diuinum introi-
Rom.8.8.9. re mereantur auditum? quia ſecundum auctoritatem Apoſtoli, *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: vos autem non eſtis in carne,*
Tit.1.15. *ſed in ſpiritu.* & iterum, *omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum, & mens & conſcientia.* Cùm ergo laico abſtinentia imperetur, vt poſſit orationi vacans & Deum deprecans exaudiri; quanto magis ſacerdotibus, vel leuitis, qui omni momento parati Deo eſſe debent, in omni munditia & puritate, ſecuri ne aut ſacrificium offerre, aut baptizare, ſi id temporis neceſſitas popoſcerit, cogantur? Qui ſi contaminati fuerint carnali concupiſcentia, qua mente excuſabunt, quo pudore vſurpabunt, qua conſcientia, quo merito exaudiri ſe credent?

II. *Quòd ſacerdotes & diaconi ab vxoribus ſuis abſtinere, atque ebrietatem vitare clerici omnes debeant.*

Et licet à patribus noſtris emiſſa auctoritate id fuerit conſtitutum, vt quicumque ſacerdos vel leuita filiorum procreationi operam dare fuiſſet conuictus, à communione Dominica abſtineretur: nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & iuſtam conſtitutionem molientes, id decreuimus, vt ſacerdos vel leuita coniugali concupiſcentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non deſinens, ad altiorem gradum non aſcendat; neque ſacrificium Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantùm, vt à communione non efficiantur alieni. Sed vt hæc valeant obſeruari, fomitem omnium vitiorum oportet abſcidi, Apoſtolo præci-
Ephes.5.18. piente, *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Et quàm graui ebrie-
1.Cor.6.12. tas ſupplicio expietur, idem Apoſtolica manifeſtat doctrina, inter cetera dicens, neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque ebrioſos regnum Dei poſſeſſuros. Si quis verò in omni officio clericali Deo militans ab ebrietate ſe non abſtinuerit, ſecundum ſtatus ſui ordinem competens in eum vindicta tribuatur.

III. *De familiaritate extranearum feminarum clericis interdicta.*

Iuo P.vi. cap.191. Et quia nullum Diabolo locum dari oportet, hoc præcipuè cuſtodiendum decreuimus, vt nullam clerici cum extraneis feminis habeant familiaritatem, ne vllum malè loquendi vel ſentiendi homi-

nibus aditum tribuant. quia frequenter per hanc indecentem occaſionem contigit, vt Diabolus, qui inſidiatur ſicut leo in cubili ſuo, de ruina ſeruorum Dei inſultet. Si quis verò clericus, poſt interdictum Epiſcopi ſui, illicitis familiaritatibus extranearum feminarum voluerit inhærere, à communione habeatur alienus.

IV. *Vt clericus, cui vxorem ducere licet, viduam non accipiat.*

Vt clericus, cui nubendi datur licentia, internuptam non accipiat vxorem. quòd ſi fecerit, vltimum in officio clericali teneat locum.

V. *De clericis qui ad laicam vitam redeunt.*

Si quis verò clericus, relicto officij ſui ordine, laicam voluerit agere vitam, vel ſe militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.

VI. *De ijs qui virginibus ſacratis matrimonio iunguntur, vel religionem profeſſam deſerunt.*

Qui verò ſe ſacratis virginibus per coniunctionem nefandam miſcuerint, vel propoſitum profeſſæ religionis dereliquerint, vtrique à communione habeantur alieni; quia ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus: donec reſipiſcentes à laqueo Diaboli, à quo capti tenentur ad ipſius voluntatem, ad auxilium pœnitentiæ reuertantur.

VII. *Cum homicidis non communicandum.*

Homicidis penitus non communicandum, donec per confeſſionem pœnitentiæ ipſorum crimina diluantur.

VIII. *Si pœnitentes, derelicta pœnitentia, ad ſæculares illecebras reuertantur.*

Si quis verò poſt acceptam pœnitentiam, ſicut canis ad vomitum ſuum, ita ad ſæculares illecebras, derelicta quam profeſſus eſt pœnitentia, fuerit reuerſus, à communione Eccleſiæ, vel à conuiuio fidelium extraneus habeatur: quo faciliùs & ipſe compunctionem per hanc confuſionem accipiat, & alij eius terreantur exemplo.

IX. *De præſumptoribus Epiſcopis, qui aliorum diœceſes peruadunt, aut illorum clericos promouent.*

De præſumptoribus etiam placuit obſeruari, vt ſi quis Epiſcopus in ius fratris ſui ſuam conatus fuerit inſerere poteſtatem, vt aut diœceſes alienas tranſgrediendo terminos à patribus conſtitutos peruadat, aut clericos ab aliis ordinatos promouere præſumat, ab vniuerſorum fratrum & conſacerdotum ſuorum communione ſe alienum efficiendum non dubitet. quia Apoſtolo dicente cognoſcimus, nul- 1. Theſſ. 5. 4.

lam nos cum fratribus inordinatè ambulantibus, & non ſecundum traditionem à patribus conſtitutam, poſſe habere participationem.

X. *De illicitis ordinationibus.*

Ordinationes verò illicitas in irritum deuocamus, niſi ſatisfactione quæ ad pacem pertinent componantur.

XI. *De vagantibus clericis.*

Si quis verò clericus, abſque Epiſcopi ſui permiſſu, derelicta Eccleſia ſua, ad alium ſe transferre voluerit locum, alienus à communione habeatur.

XII. *Clericus ſine commendatitiis non ambulet.*

Et vt clerici non abſque ſacerdotum ſuorum commendatione ad alias prouincias, ſiue ciuitates, ambulare diſponant.

XIII. *Vt clerici vſurarij non ſint.*

Illud etiam ſecundum ſcripturarum auctoritatem, vel patrum conſtitutionem, addendum credidimus, vt ne quis clericus, qui negotiandi ſtudium habere voluerit, vſuras accipiat, quia ſcriptum eſt,
Pſal. 14.5. Pſal. 54.12. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram,* & alio loco, *In plateis eius vſura & dolus.* Manifeſtum eſt enim, beatitudinis non poſſe conſequi gloriam, qui à præceptis diuinis deuiauerit.

Et vt humilitatis noſtræ conſtitutio, adiuuante Domini miſericordia, valeat cuſtodiri, ſancti ac beatiſſimi ſacerdotis domni Martini, quæ Deo accepta eſt, obtinebit interceſſio. Confidimus enim ſacerdotum Domini conſenſu definitionem noſtram firmandam, quæ cum patrum noſtrorum auctoritate concordat.

SVBSCRIPTIONES.

Perpetuus Turonicæ ciuitatis Epiſcopus interfui & ſubſcripſi.
Victorius Epiſcopus Cenomannicæ ciuitatis huic definitioni interfui & ſubſcripſi.
Leo Epiſcopus Bituricæ ciuitatis interfui & ſubſcripſi.
Euſebius Epiſcopus Namneticæ ciuitatis interfui & ſubſcripſi.
Amandinus Epiſcopus Catalaunicæ ciuitatis interfui & ſubſcripſi.
Germanus Epiſcopus Rotomagenſis ciuitatis interfui & ſubſcripſi.
Athenius Epiſcopus Redonicæ ciuitatis interfui & ſubſcripſi.
Manſuetus Epiſcopus Britannorum interfui & ſubſcripſi.
Iocundinus preſbyter iuſſu domni mei Venerandi Epiſcopi, quia ipſe non cerneret, ſubſcripſi.
Talaſius peccator hanc definitionem dominorum meorum Epiſcoporum ab ipſis ad me tranſmiſſam, in ciuitatula mea relegi, ſubſcripſi, & conſenſi.

Digitized by Google

ANNO CHRISTI 462. SEVERI IMP. I.

HILARI PAPAE EPISTOLA I.

Ad Leontium Epiſcopum Arelatenſem.

De Epiſcopatus ſui primordiis.

DILECTISSIMO FRATRI LEONTIO Hilarus Papa.

QVANTVM reuerentiæ in ſpiritu Dei, qui ſubditos ſibi inhabitat ſacerdotes, beato Petro Apoſtolo & Sedi ipſius deferatur, omnibus arbitror eſſe compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta cuſtodia eſt. Quos cùm volumus de noſtræ ordinationis primordiis gratulari, opera, quæ in nos diuinæ pietatis dignatio oſtendit, ſanctitati tuæ duximus indicanda: vt ipſe primùm pro eo quem nobis inuicem ſemper impendimus præſtante Domino læteris affectu. deinde vt diſpoſitione tuæ fraternitatis omnibus per vniuerſam prouinciam fratribus & conſacerdotibus innoteſcat, quòd humilitatem meam dextera Domini viſitare dignata ſit, & mihi Apoſtolicæ Sedis regimen non pro merito, ſed pro ſuæ gratiæ abundantiſſima largitate commiſerit. Proinde, frater cariſſime, quod ſanctitati tuæ præſenti ſermone patefecimus, in omnium fratrum, quemadmodum diximus, notitiam deferre dignaberis: vt ſupplicaturi Domino noſtro IESV Chriſto, ſicut exultationis gaudia, ita profutura vniuerſali Eccleſiæ orationum ſuarum nobis vota coniungant. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data VIII. Kalend. Februarias DN. Seuero Auguſto Conſule. Epiſt. 5. Hilari.

HILARI PAPÆ EPISTOLA II.

Ad Leontium.

Reſpondet ad litteras Leontij, quas ſcripſerat cùm præcedentem Hilari epiſtolam nondum accepiſſet.

DILECTISSIMO FRATRI LEONTIO Hilarus Papa.

DILECTIONI meæ, quæ circa Eccleſias Gallicanas, omnéſque in eis Domini ſacerdotes, etiam in inferiori gradu poſitos, abundat, multum accedit augmenti, quòd per virum ſpectabilem Pappolum filium noſtrum ſermonis tui ad me ſunt delata principia. Ex quo tamen coniicio, paginam meam, quam dudum de Epiſcopatus mei primordiis miſi, necdum traditam tibi fuiſſe cùm ſcriberes; de qua vtique non ſiluiſſes, niſi perlatorem aliqua cau- Epiſt. 6. Hilari.

ſa tardaſſet. Vnde quod & conſuetudo poſcebat, & caritas, iampridem me exequutum fuiſſe ſignifico, & hoc ipſis literarum exemplaribus, quæ direxi, pleniùs noſſe vos cupio; vt officio fraterno in nullo intelligatis fuiſſe me deſidem, & ita viciſſim frequentandis ſtudeamus alloquiis, vt vicem nobis communis præſentiæ ſcribendi cura compenſet, frater cariſſime. Affectus itaque tui gratiam perire non paſſus es, quòd ei ſollicitudini intentum te eſſe cognoſco, vt cuſtodiendis paternorum canonum regulis ſtudere me cupias. Quo deſiderio nihil concipi ſalubrius poteſt, quàm vt in vna Eccleſia, cui oportet nec maculæ aliquid ineſſe, nec rugæ, vna ſit in omnibus obſeruatio diſciplinæ. Cui ſi aliquid eruditionis aut correptionis addendum eſt, rectiſſimè per veſtram diligentiam conſuletur, ſi quemadmodum es dignatus ſcribere, tam inſtructa ad nos fuerit perſona directa, quæ inquiſitionem noſtram plenè ex omnibus poſſit inſtruere. Spondeo enim, quantum gratia Dei donat vt ſpondeam, hoc me ad vniuerſalem ſacerdotum Domini concordiam prouiſurum, vt omnes non ſua audeant quærere, ſed quæ ſunt Chriſti ſtudeant obtinere. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime.

HILARI PAPÆ EPISTOLA III.
Ad Leontium.

Monet vt relationem mittat de Herme, qui Eccleſiæ Narbonenſis Epiſcopatum temere vſurpaſſe dicebatur.

DILECTISSIMO FRATRI LEONTIO
Hilarus Papa.

Epiſt. 7. Hilari.

MIRAMVR fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem eſſe, vt quæque iniqua, & contra patrum noſtrorum ſtatuta, in prouincia, quæ ad monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentij tui taciturnitate permittas corrigere. Siquidem quod & rumore cognouimus, & quantum diligenter à diacono Ioanne, qui à magnifico viro filio noſtro Friderico litteris ſuis nobis inſinuatus eſt, requiſiuimus, quòd iniquiſſima vſurpatione quidam Hermes Epiſcopatum ciuitatis Narbonenſis execrabili temeritate præſumpſerit. Quam rem decuerat ſanctitatem tuam vt nobis in veſtigio indicaret. Qua de re, frater cariſſime, monemus, vt ſi fides adhibeatur aſſertis, ſepoſita excuſatione, ad nos tam tuæ dilectionis, quàm fratrum noſtrorum, aut per portitorem litterarum, aut per quem ipſi elegeritis, ſubſcriptam manuum veſtrarum relationem tranſmittatis; vt quod definire poſſimus recurrenti pagina poſſitis agnoſcere. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Nonas Nouembris.

HILARI

HILARI PAPÆ EPISTOLA IV.

Ad Epiſcopos diuerſarum prouinciarum Galliæ.

TITVLI CAPITVM.

1. *Hermem Narbonenſi Eccleſiæ præſidere ita permittit, vt ordinandorum Epiſcoporum careat poteſtate.*
2. *Vt Concilia quotannis fiant ex quibus prouinciis poterunt, & à Leontio conuocentur.*
3. *Vt ſine Metropolitani litteris Epiſcopi in aliam prouinciam non proficiſcãtur. Quòd ſi eas impetrare non poterunt, cauſam diſcutiet Epiſcopus Arelatenſis.*
4. *De parochiis Eccleſiæ Arelatenſis, quas repetebat Leontius, iudicium ad Epiſcopos remittit.*
5. *Vt prædia Eccleſiaſtica non alienentur, niſi apud Concilium alienationis cauſa priùs doceatur.*

DILECTISSIMIS FRATRIBVS EPISCOPIS PROVINCIÆ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpium Pœninarum, Hilarus Epiſcopus.

QVAMQVAM notitiam dilectionis veſtræ quanta vel qualia in Narbonenſi ac Biterrenſi Eccleſia dudum ſint admiſſa non lateant, & præſumptionis improbitas ad nos vſque perueniens proculdubio regionibus manifeſta ſit Gallicanis: Apoſtolicæ tamen ſollicitudinis intereſt, culpas in noſtro deprehenſas examine non tacere; ne per incongruum ſilentium, cum iniqua agentibus habere videamur conniuentiæ portionem. Olim igitur vrbium præſides prædictarum ſanctæ memoriæ deceſſori meo, non minus quàm nobis, etiam tunc attulerunt doloris, illicitis petitionibus audendo proſequi, quod vix apud patientiam noſtram ſola neceſſitatum potuit deploratione leniri. Quibus enim, ſicut etiam vos probatis, factum conſtat exemplis, & qua non obiurgatione digniſſimum eſt, quod ſanctorum patrum decretis, & ipſis repugnat canonum inſtitutis? cùm ideo ſe frater iam & coepiſcopus noſter Hermes à Narbonenſi Eccleſia credidit iure ſuſcipi, quia indignè à Biterrenſibus, quibus ordinatus eſt, dicebat excludi. Qui ſi verè hoc in ſe factum doleret, & legitimo remedio ſubuenire propriæ ſciſſet iniuriæ, vindictam magis debuit ſperare perpeſſis, quàm veniam perpetratis. Denique ſi nunc ſaltem communi omnium Domini ſacerdotum vtatur animo, ſi imitetur exemplum, ſi ad hæc, quæ Eccleſiaſticæ quietis contemplatione vtcumque ſopita ſunt, oculis cordis intendat, & pro totius Eccleſiæ pace, vel fide, quæ ſunt multipliciter errata conſideret: nihil eſt profectò, quod non etiam ipſe reprehendat, & erubeſcat ſibi annui, quod in altero laudabiliter improbarit. Scimus enim, & iam diu de memorati fratris conuerſatione nihil habemus ambiguum, cùm anteactæ vitæ ipſius curſum, & retro antepoſitum noſtro reuoluentes animo, hos illum, quos in eo arguimus, incurriſſe potiùs, quàm feciſſe, æſtimamus exceſſus. De quibus præſidente fratrum numeroſo Concilio, & ex diuerſis prouinciis ad diem natalis noſtri in honorem beati Petri Apoſtoli per Dei gratiam congregato, præſidentibus fratribus & coepiſcopis noſtris Fauſto & Auxanio, Epiſt. 8. Hilari.

atque agentibus plurimis, quæ vigorem reſpiciunt auctoritatémque iudicij, id à nobis pacis eſt amore conſtitutum, vt in ſententia, quam ſub aduerſione vtriuſque legationis inde directæ, Chriſto Domino noſtro inſpirante, protulimus, neque caritas Euangelicæ indulgentiæ, neque Apoſtolicæ virga defuerit diſciplinæ. Namque in totum nec remittere nos fecit indulgentia, nec affectio coërcere.

I. *Hermem Narbonenſi Eccleſiæ præſidere ita permittit, vt ordinandorum Epiſcoporum careat poteſtate.*

Ei qui nunc Eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum, ob hæc quæ prauè facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem. quam ita ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Conſtantium Vceticæ Eccleſiæ Antiſtitem, quia æuo honoris primas eſſe dicitur, pertinere cenſuimus; vt ſi ſuperſtite Herme Epiſcopo defunctus fuerit, illum hæc cura reſpiciat, quem repererit Epiſcopalis ordo primatem. Herme autem Epiſcopo deficiente, faciendorum mos Antiſtitum Narbonenſi mox reddatur Eccleſiæ, quem non ciuitas, ſed cauſa præſumptionis amiſit. Vnde veſtræ fraternitatis in Domino ſincera dilectio, ſollicitudinem paſtoralis curæ in ſuis ſedibus partita nobiſcum, commiſſarum ſibi Eccleſiarum diligentiam vigilanter exerceat, & eorum taliter quæ in Narbonenſi prouincia emerſere meminerit, vt deteſtetur factum potiùs, quàm ſumat exemplum. Quod ita deinceps eſſe nolumus, ſicut nouimus non fuiſſe. Itaque, fratres cariſſimi, neceſſariis ſtudiis eſt agendum, ne error, quem iuuante Chriſto Domino noſtro nuper aboleuimus, aut in ſimiles, aut in nouos vnquam prodire poſſit exceſſus. Quod vtique non aliter poterit præcaueri, niſi ſtatuta venerandorum canonum in faciendis conuentibus, quos hactenus omitti fecit certa neceſſitas, exequamur: in quibus poſſint, pro emergentium neceſſitate cauſarum, ad Eccleſiaſticæ obſeruantiam diſciplinæ, & quæ ſecus facta fuerint corrigi, & ſequenda conſtitui.

II. *Vt Concilia quotannis fiant ex quibus prouinciis poterunt, & à Leontio conuocentur.*

Per annos itaque ſingulos, ex prouinciis quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale Concilium: ita vt opportunis locis atque temporibus, ſecundum diſpoſitionem fratris & coepiſcopi noſtri Leontij, cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegauimus, Metropolitanis per litteras eius admonitis celebretur: vt ſi quid vſquam vel in ordinandis Epiſcopis, vel preſbyteris, aut cuiuſlibet loci clericis faciendis, contra præcepta Apoſtolica reperitur admiſſum, aut in eorum conuerſatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate reſecetur. In ea præcipuè celebritate conueniatur, quæ præſidente Chriſto Domino noſtro, & veneranda ſit ſanctis, & formidanda peruerſis. Nec cuiquam licebit à regulis euagari, quas ſibi iuxta canonum definitiones vnita fraternitas in commune præfixerit: cùm imminente quotannis examine ita ſinguli actus ſuos dirigent, vt his diſcuſſio iudicij optari magis debeat, quàm timeri. In dirimendis ſanè grauioribus cauſis, & quæ illic non potuerint terminari, Apoſtolicæ Sedis ſententia conſulatur.

III. *Vt ſine Metropolitani litteris Epiſcopi in aliam prouinciam non proficiſcantur. Quòd ſi eas impetrare non poterunt, cauſam diſcutiet Epiſcopus Arelatenſis.*

Illud etiam non poſſumus præterire, quòd ſollicitudine diligentiore curandum ſit, ne præter Metropolitanorum ſuorum litteras aliqui ad quamlibet prouinciam audeant proficiſci. quod etiam in omni genere officij clericalis per ſingulas debet Eccleſias cuſtodiri. Quibus è contrario hac ratione proſpicimus, vt ſi hoc impetrare per aliquam non meruerint ſimultatem, cùm duobus Metropolitanis prouinciarum, quæ congruæ ſunt, Arelatenſis Epiſcopus cuncta diſcutiens, pro cauſæ qualitate obſeruanda conſtituat: nec in iniuriam alterius alienum clericum ſuſcipi præter teſtimonium proprij Antiſtitis ſecundum canonum ſtatuta præcipiet. Singuli autem fratres, vniuerſique cognoſcant parendum eſſe præſentibus conſtitutis. quibus etiam commonitio noſtra denuntiat in eos Chriſti Domini noſtri iudicium minimè defuturum, qui declinando ſuperba rebellione conuentus, conſcientiæ ſuæ teſtimonio confutantur ſacerdotalis innocentiæ fiduciam non habere.

IV. *De parochiis Arelatenſis Eccleſiæ, quas Leontius repetebat, iudicium ad Epiſcopos remittit.*

Præterea eiuſdem fratris libellus oblatus eſt nobis, quo perhibet parochias Arelatenſis Eccleſiæ à prædeceſſore ſuo Hilario in alios, quod non licuit, fuiſſe tranſlatas, petens illas priſtino iuri noſtra auctoritate reſtitui. Sed moderaminis Apoſtolici memores fraternitati veſtræ querelam ipſius remiſimus audiendam: vt in veſtro conuentu ea quæ à nobis ſperata ſunt allegentur, & quæ Eccleſiaſticis regulis congruunt decernantur.

V. *Vt prædia Eccleſiaſtica non alienentur, niſi apud Concilium alienationis cauſa priùs doceatur.*

Simul etiam ſuper hoc vniuerſam fraternitatem volumus eſſe commonitam, ne prædia, quæ neque deſerta, neque damnoſa ſunt, & ad Eccleſiam pertinent, ex quibus plurimorum conſueuit neceſſitatibus ſubueniri, aliquo iure in alterum transferantur, niſi priùs apud Concilium alienationis ipſius cauſa doceatur, vt quid fieri debeat communi omnium deliberatione tractetur. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Data III. Nonas Decembris. GL. P. Seuero Aug. Conſule.

HILARI PAPÆ EPISTOLA V.
Ad Leontium.

De Mamerto Epiſcopo, qui extra ſuos fines Deenſibus Epiſcopum ordinarat, vt illius cauſam in Synodo examinet.

DILECTISSIMO FRATRI LEONTIO HILARVS.

QVALITER contra Sedis Apoſtolicæ veniens conſtituta ſacerdotalem modeſtiam Mamertus Epiſcopus Viennenſis exceſſerit, dilectionis tuæ debuimus relatione cognoſcere, vt auſibus talibus maturum & iuxta Eccleſiaſticarum ordinem regularum congruum iudi- Epiſt. 9. Hilari.

cium proferremus. Quantum enim filij noſtri, viri illuſtris, Magiſtri militum Gunduici ſermone eſt indicatum, prædictus Epiſcopus inuitis Dienſibus, & qui ad Eccleſiarum eius numerum, quem ei Apoſtolicæ Sedis deputauit auctoritas, ſicut in ſcriniis noſtris legimus, minimè pertinebant, hoſtili more, vt dicitur, occupans ciuitatem, Epiſcopum conſecrare præſumpſit. In quo, frater cariſſime, ſi ita eſt, quàm multiplex culpa ſit, pronuntiare poſſimus, niſi iudicij, vt diximus, & moderatio nobis eſſet, & ordo ſeruandus. Atque ideo memor ſollicitudinis, quam dilectioni tuæ ſcis eſſe commiſſam, quicquid nunc ad notitiam noſtram breui inſinuatione delatum eſt, in conuentu Synodali, qui ſecundum ſtatuta noſtra annis ſingulis te ſibi præſidente eſt congregandus, diſcutere quæ ſunt acta debebis, & à prædicto rationem facti ſui ſub vniuerſo cœtu fraternitatis exigere; ac deinde omnium litteris noſtræ intimare notitiæ; vt quod ſancto Spiritu dictante eſt faciendum, ad comprimendos conatus illicitos ordinemus. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data VI. Idus Octobris Baſilio V.C. Conſule.

HILARI PAPÆ EPISTOLA VI.

Ad Epiſcopos qui de Mamerti cauſa in Synodo cognorant.

Præceptum Hilari Papæ de Eccleſia Dienſe, vbi Epiſcopus indebitè à Vienneſi Epiſcopo ordinatus eſt.

TITVLI CAPITVM.

1. Vt per Veranum Epiſcopum moneatur Mamertus, vt ab ordinationibus indebitis ordinis ſui, & priuilegiorum periculo in poſterum abſtineat.

2. Vt qui Deenſibus à Mamerto conſecratus eſt, Leontij Arelatenſis Epiſcopi, à quo conſecrari debuit, arbitrio confirmetur.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VICTVRO, INGENVO, Ydatio, Euſtaſio, Fonteio, Viuentio, Eulalio, Verano, Fauſto, Auxanio, Proculo, Auſonio, Paulo, Memoriali, Cæleſtio, Proiecto, Eutropio, Auitiano, Vrſo, & Leontio, Hilarus.

Epiſt. 11. Hilari.

SOllicitis admodum nobis, & ex his, quæ proxima ad nos relatio certa detulerat, multa expectatione ſuſpenſis, litteræ dilectionis veſtræ, fratre & coepiſcopo noſtro Antonio, quem dignum tanta legatione probamus interpretem, deferente ſunt traditæ, quæ nos ab ipſis contextus ſui contriſtauere principiis. Nam qui requieſcere ſollicitudinem noſtram, & magna ex parte releuari in his, quæ à ſanctæ memoriæ deceſſore meo de Viennenſi Epiſcopo præfixa ſunt, credebamus, euidenti aſſertione cognouimus, & non ſine dolore miramur, definitiones illas à Mamerto Epiſcopo nunc potuiſſe tranſcendi, per quas Eccleſiæ priuilegium probarat acquiri. cùm præcipuè ſancti fratris & coepiſcopi noſtri Leontij moderatio formam continentiæ præbere debuerit ambienti: aut ſi ſpiritu æmulationis inflatus, eum, quod non oportuit, arbitratus eſt negligendum; deceſſoris ſui ſaltem inſtructus

exemplo, illius imitaretur temperantiam, cuius honore perfungitur; nec tranſgrediendo violaret, quod iam nunc, niſi patientiæ moderamina teneremus, poſſet amittere. Cui vnquam profuit mens rebellis? aut quem ſuperbiæ non inclinauit elatio? Altior eſt humilitatis gratia, cui paupertate ſpiritus ad præmium promiſſæ beatitudinis iter regni cæleſtis aperitur. Nec perfunctorium præuaricator exiſtimet eſſe quod fecit, ſi eruditus doctrinis Eccleſiaſticis quid vterque mereatur agnoſcit: cùm alter ſecundum propheticam vocem in medio Dominicæ domus habitare prohibetur; alter reſpiciente ſe Deo ſemper iunctus aſſeritur, cuius conſolatione ſaluatur. Poſſent venerabilium veterum multa replicari, quæ iuxtà veritatem dicta monſtrantur: ſed ab eadem cauſa, quæ ſe vt loqueremur ingeſſit, recentiora ſunt exempla ſumenda. Nam dignitatem Viennenſis Eccleſiæ Mamertus Epiſcopus meminit Arelatenſis Antiſtitis quondam tranſgreſſione creuiſſe, & pro corrigendis quæ perperam gerebantur, inuiolabili poſtea definitione compoſitum, ne alter inglorius, alter in totum veteri honore per vitium præceſſoris reperiretur exutus. Sicut ergo & veſtræ dilectionis relatio, & fratris & coepiſcopi noſtri Antonij inſinuatio reſerauit, claret prædictum priuilegia certis concluſa terminis velle perdere plus volendo: qui abuſus fratris & conſacerdotis Leontij moderantia, Dienſibus contra fas Epiſcopum, etiamſi eſt meritus, non timuit conſecrare. In quo factum eius conuenerat ſic reſolui, vt iuxta eorum quæ perpetrata ſunt qualitatem, non ſine iactura proprij ordinis, etiam illum à ſacerdotali conſortio ſubmoueri cerneret, quem creauit indebitè, quemque indigniſſimè feciſſe conuincitur, correptum iuſta vltione ſentiret, ne conceptę audaciæ incaſtigata temeritas licentiæ ſe peperiſſe putaret exemplum. Verùm ad Eccleſiarum quietem tantæ tranſgreſſionis vulnera, memores Apoſtolicæ ſapientiæ, curari volumus antè fomentis; vt corporis noſtri membrum fortè ſanandum in integritatem priſtinam per mitiorà medicamenta reuocetur; nec credatur negligi, quod interim non monetur abſcindi. Præuia medendi ſemper auſteritatis eſt lenitas, nec omnis ferro ſtatim culpa compeſcitur, aut inexplorato vel quod facilè prodeſſe poſſit offertur. Nunc enim temporis opportunitas, nũc languentis neceſſitas, nunc medicinæ ipſius & modus eſt quærendus & qualitas; vt omnis per ſapientiam facta in vitiis reprimendis ſollicitudo curantis gaudeat reparatione quod ſaluat, nec careat moderatione quod reſecat. His igitur veſtra fraternitas grauiter prudentérque perpenſis, talia apud nos diſſimulari poſſe non æſtimet, in quorum ſe maximè contumeliam, qui non immerito pulſatur erexit. Fratri enim noſtro Leontio nihil conſtituti à ſanctæ memoriæ deceſſore meo iuris potuit abrogari, nihil valuit quod honori eius debetur auferri. quia Chriſtianorum quoque principum lege decretum eſt, vt quicquid Eccleſiis earumque rectoribus, pro quiete omnium Domini ſacerdotum, atque ipſius obſeruantia diſciplinæ, in auferendis confuſionibus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes ſuo pronuntiaſſet examine, veneranter accipi, tenaciterque ſeruari, cum ſuis plebibus caritas veſtra cognoſceret: nec vnquam poſſent conuelli, quæ & ſacerdotali Eccleſiaſtica præceptione fulcirentur, & regia. Vnde, fratres cariſſimi, præſumptionem prædicti, quæ in fratris & coepiſcopi noſtri Leontij proceſſit iniuriam, ita

Pſal. 100. 7.

conuenit tolerari dignæ nunc interim vltionis immunem, vt ſi tranſgreſſor remediis abutitur ſatisfactionis & veniæ, nec culpam præſentis exceſſus curandam futuræ obſeruantiæ ſedulitate promittit, redeunte querimonia, eo priuilegia Viennenſis Eccleſiæ ad Arelatenſem Antiſtitem transferantur exemplo, quo migrauere principio.

I. *Vt per Veranum Epiſcopum moneatur Mamertus, vt ab ordinationibus indebitis, ordinis ſui & priuilegiorum periculo in poſterum abſtineat.*

Vnde noſtræ moderationis nomen tenentes, ad Veranum fratrem & coepiſcopum noſtrum ſcripta direximus, vt prædictum ex noſtra delegatione conueniat, quatenus quid de eo retuleritis agnoſcat: quia onerosum eſſe non debet, delinquentem fratrem de propriis exceſſibus increpare, quibus præceptum conſtat frequenter ignoſcere. Neceſſe eſt autem, ſi nullum correctionis eius indicium ſumpſerimus, (quod illa eſt profeſſione retinendum, qua definitionem Sedis Apoſtolicæ periculo ordinis ſui ſemper conſeruandam ſine vlla deinceps tranſgreſſione teſtetur) ad Arelatenſem Eccleſiam eaſdem quatuor ciuitates, quarum non fuit, aut non fuerit Mamertus Epiſcopus ordinatione contentus, eſſe reuocandas. Quod etiam tunc oportebit fieri, ſi vllus vnquam poſt eum; quem nunc caritate corripimus, & vlteriùs ab illicitis confidimus abſtinere, præſumptionis huius imitator extiterit.

II. *Vt qui Deenſibus à Mamerto indebitè conſecratus eſt, Leontij Arelatenſis Epiſcopi, à quo conſecrari debuit, arbitrio confirmetur.*

De hoc ſanè, qui, licet indebitè, Deenſibus cognoſcitur ordinatus, iuſtitiæ ratione cenſuimus, vt ſacerdotium eius fratris & coepiſcopi noſtri Leontij confirmetur arbitrio, à quo ritè debuit conſecrari. Deus vos cuſtodiat, fratres cariſſimi, æuo longiore. Data VI. Kalendas Martias P. C. Baſilij V. C. Conſulis.

HILARI PAPÆ EPISTOLA VII.

Ad Epiſcopos diuerſarum prouinciarum Galliæ.

Ne quiſquam ſuos terminos tranſcendat, & vt Concilia quotannis Leontij Epiſcopi opera conuocentur.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS EPISCOPIS Prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, Alpinæ, Hilarus Epiſcopus.

Epiſt. 10. Hilari.

ETSI meminerimus fraternitatem veſtram ea quæ ſunt à nobis ſtatuta retinere, nec aliquid ex his diſſimulare quæ ſcripſimus: vt ſcilicet pro diſciplina Eccleſiaſtica, & pro cauſis quas inter Domini ſacerdotes oboriri plerumque non dubium eſt, Synodalia quotannis Concilia, quorum maximè in fratre & coepiſcopo noſtro LEONTIO Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdote ſummam placuit eſſe, celebrentur: nec aliud fieri poſſe credamus, quàm quod pro communis Do-

mini domo noſtra ordinatio vobis placitura conſtituit. tamen repetitis litteris eadem nunc quoque obſeruanda decernimus; præcipuè cùm grauiſſima Viennenſis ciuitatis Epiſcopus inuoluatur offenſa, in iniuriam fratris & coepiſcopi noſtri Leontij Deenſibus Antiſtitem conſecrando. De cuius facto vindictæ congruæ ſententiam differentes, relationi fratrum quæ interim fuerant viſa reſpondimus. Sed quoniam tanti exceſſus maiorem nobis ſollicitudinis materiam detulerunt, hæc ad vniuerſam caritatem veſtram, etiam per fratrem & coepiſcopum noſtrum Antonium ſcripta direximus, quibus admonita communis omnium ſollicitudo procuret, ne quiſquam fratrum in alterius proruptuus iniuriam tranſcendat terminos à venerandis patribus conſtitutos. Vnde omnia quæ à nobis ſunt per fratres & coepiſcopos noſtros Fauſtum & Auxanium definita roborantes, congregationes annuas, ordinante fratre & coepiſcopo noſtro Leontio, admonitis Metropolitanis, quod ſæpè dicendum eſt, iis locis celebrare dignemini, ad quæ conueniendi nulla ſit cuiquam commeantium difficultas. Cui diligentiæ etiam prouiſio adhibenda eſt, vt opportunitas quemadmodum locorum, ita conſtituatur & temporum: vt inexcuſabilior, quiſquis tam neceſſarium & ſalubre conſtitutum noſtrum negligendum putaret, appareat, fratres cariſſimi. Illius autem confirmationem, quem Viennenſis Epiſcopus alienum, & ad ſe minimè pertinentem, grauiter ordinare præſumpſit, fratris & coepiſcopi noſtri Leontij reliquimus voluntati; quem confidimus non præter humanitatem penſare quæ iuſta ſunt. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

Hincmarus epiſt. 6. c. 9.

HILARI PAPÆ EPISTOLA VIII.

Ad Leontium, Veranum, & Victurum Epiſcopos.

Delegat illis Ingenui & Auxanij Epiſcoporum controuerſiam, ſtatuitque, vt Cemelenenſis ciuitas & Nicaenſe caſtellum ad vnius Epiſcopi regimen reuertantur.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS, LEONTIO, Verano, & Victuro Epiſcopis, Hilarus Papa.

MOVEMVR ratione iuſtitiæ, quæ licet ab omnibus, qui recta ſapiunt, debeat cuſtodiri, tum præcipuè Domini ſacerdotibus non eſt temerè negligenda, quorum ceteros informari conuenit inſtitutis. Frater igitur & coepiſcopus noſter Ingenuus Ebredunenſis, Alpium maritimarum prouinciæ Metropolitani ſemper honore ſubnixus, in præiudicium ſuum, ſicut adnexa declarant, quædam nos, petente fratre & coepiſcopo noſtro Auxanio, ſtatuiſſe commemorat, quæ vniuerſis in hac eadem cauſa defenſionibus contrairent. Siquidem relationibus in noſtro iudicio recenſitis, quas frater & coepiſcopus noſter Veranus ad ſanctæ memoriæ deceſſorem meum cum ceteris prouinciæ ſacerdotibus miſit, & Apoſtolicæ Sedis, quæ tunc directa fuerat, reſponſione patefacta manifeſtum eſt, nihil poſtea debuiſſe tentari, nec ad iniu-

Epiſt. 4. Hilari.

tiam Synodalium regularum quicquam per obreptionem, quæ proximè facta eſt, oportere conſtitui. Nam licet ex hoc etiam quod à nobis eſt elicitum cenſeatur infirmum, quia & ipſum inſinuatum eſt exequi noluiſſe qui meruit; tamen ne odio vel gratia moueamur, quæ in cauſarum diſceptationibus eſſe non debet, ita veſtræ caritati cognitionem adnexæ querimoniæ delegamus, vt nihil aduerſum venerandos canones, nihil contra ſanctæ memoriæ deceſſoris mei iudicium valeat, quicquid obreptum nobis eſſe conſtiterit. Nolumus namque, fratres cariſſimi, Eccleſiarum priuilegia, quæ ſemper ſunt ſeruanda, confundi: nec in alterius prouincia ſacerdotis alterum ius habere permittimus: quia per hoc non minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur, cuius expectatio fructus noſtri miniſterij non in latitudine regionum, ſed in adquiſitione ponitur animarum. Habeat itaque pontificium frater & coepiſcopus noſter Ingenuus prouinciæ ſuæ, de cuius dudum ab Apoſtolica Sede eſt illicita ceſſione culpatus: & cuſtoditis omnibus, quæ ſuper Eccleſiis Cemelenenſis ciuitatis, vel caſtelli Nicaenſis, ſicut diximus, ſanctæ memoriæ deceſſoris mei definiuit auctoritas, nihil Eccleſiarum iuri noceat, quod in altera memoratarum à prædicto fratre, ad excludendam cupiditatem, quemadmodum perhibuit, ambitionis alienæ, proximè eſt Epiſcopus conſecratus: ſed ſtatutæ correctionis forma permaneat, vt ad vnius Antiſtitis regimen prædicta loca reuertantur, quæ in duos diuidi non decuit ſacerdotes. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

Hincmarus epiſt. 6. c. 9.

ADMONITIO AD LECTOREM
De Conciliis Turonico & Venerico.

Concilium Veneticum, quod præponi hactenus ſolebat, Turonico ſubiecimus, non ſolùm quia in codice Remenſi, & in aliis poſtponitur, ſed hoc præcipuè ducti argumento, quòd Nunechius Epiſcopus, qui Concilio Venetico ſubſcribit, ſucceſſor Euſebij Namnetenſis fuerit, qui Turonico ſubſcripſerat. Simili etiam modo, Turonicum ipſum anno Chriſti CCCCLXI. quo Conſulatum Dagalaifo collega geſſit Seuerinus, reſtituendum deprehendimus. Nam qui ad Seuerini alterius tempora, qui Conſul fuit anno CCCCLXXXII. referendum in poſtremis Conciliorum editionibus cenſuerunt, non animaduerterunt Leonem Bituricenſem Epiſcopum, qui Concilio Turonico interfuit & ſubſcripſit, ad illius, quem volunt, Seuerini Conſulatum minimè perueniſſe, ſed multis antè annis vita exceſſiſſe. quod quidem ex iis quæ de Simplicij, quarti à Leone Biturigum Epiſcopi, electione poſtmodum ex Sidonio referentur, liquidò patefiet.

CONCILIVM

CONCILIVM VENETICVM.

IN PATERNI VENETENSIS EPISCOPI ORDI-natione, à Perpetuo Metropolitano celebratum, circa annum Chriſti CCCCLXV. Seueri Aug. & Hilari Papæ IV.

TITVLI CANONVM.

1. *De homicidis & falſis teſtibus.*
2. *De iis qui relictis vxoribus alias ducunt.*
3. *De iis qui ſuſceptam pœnitentiam deſerunt.*
4. *De virginibus profeſſis quæ mœchantur.*
5. *Vt clerici ſine cõmendatitiis non vagentur.*
6. *Vt monachi ſine commendatitiis non vagentur.*
7. *Vt monachi ſolitarias cellas ſine Abbatis ſui licentia non petant.*
8. *Vni Abbati plura monaſteria habere non liceat.*
9. *Vt clerici ſæcularia iudicia non adeant.*
10. *Epiſcopi alienos clericos ne promoueant.*
11. *Vt clerici nuptiarum conuiuia deuitent.*
12. *Vt clerici Iudæorum conuiuia declinent.*
13. *Vt clerici ebrietatem euitent.*
14. *Vt clerici, qui in ciuitate fuerint, matutinis hymnis interſint.*
15. *Vt idem ordo ſacrorum & pſallendi obſeruetur intra prouinciam.*
16. *De auguriis, & ſortibus Sanctorum.*

Epiſtola Synodi ad Epiſcopos eiuſdem prouinciæ, qui Concilio non interfuerant.

DOMINIS BEATISSIMIS, ET NOBIS IN CHRISTO omni caritatis honore venerandis fratribus, Victorio & Talaſio Epiſcopis, Perpetuus, Paternus, Albinus, Athenius, Nunechius, & Liberalis, Epiſcopi.

CVM ſemper à nobis cura religionis haberi debeat in promptu, nec aliunde debeat eſſe meditatio; eo præcipuè tempore, quo nos aut voluntas, aut occaſio congregarit: vt communis ex multorum collatione tractatus, conſentiente in Chriſto ſpiritu, multarum ſententiarum auctoritate firmetur: ne ſingulorum pro arbitrij ſui qualitate definitio, aut imperitiæ decipiatur errore, aut tumore præſumptionis vel iracundiæ deprauetur: & dum vnuſquiſque, ſine fratrum collatione, ſuo tantùm credit arbitrio, ſtatuat quod meritò poſſit omnibus diſplicere. Itaque quoniam nos in Eccleſia Venetica cauſa ordinandi Epiſcopi congregauit, rectum eſſe credidimus, de regula Eccleſiaſtica, quæ nobis donante Domino credita eſt, & de diſtrictione, cuius cura non ſine culpa noſtra omittetur, habita conſultatione, vt quæ in prioribus patrum ſtatutis videmus omiſſa, & proce-

dente tempore licentia ex nimia prolabentis ſæculi libertate præſumpta, ſtatutis ſaluberrimis ſancitemus. Quod in notitiam beatitudinis veſtræ, quia præſentia veſtra nobis neceſſitate faciente fraudata eſt, credidimus deferendum: vt ſi probabile duxeritis, id quoque & veſtra auctoritate firmetur, & diſtrictione ſeruetur.

CANONES.

I. *De homicidiis, & falſis teſtibus.*

Conc. Agath. can. 37. Itaque cenſuimus homicidas, & falſos teſtes, à communione Eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

II. *De iis qui relictis vxoribus alias ducunt.*

Matth. 5. 32. Eos quoque, qui relictis vxoribus ſuis, ſicut in Euangelio dicitur, excepta cauſa fornicationis, ſine adulterij probatione alias duxerint, ſtatuimus à communione ſimiliter arcendos: ne per indulgentiam noſtram prætermiſſa peccata alios ad licentiam erroris inuitent.

III. *De iis qui ſuſceptam pœnitentiam deſerunt.*

Pœnitentes quoque, qui ſuſceptam publicè pœnitentiam intermiſerint, & ad prioris erroris conſuetudinem reuoluti, vitæ ſe ſæculari conuerſationique reddiderint, non ſolùm à cōmunione dominicorum ſacramentorum, ſed etiam à conuiuiis fidelium ſubmouēdos.

IV. *De virginibus profeſſis quæ mœchantur.*

Eas etiam, quæ virginitatem profeſſæ, & benedictionem fuerint per manus impoſitionem ſub conteſtatione huius propoſiti conſecutæ, ſi fuerint in adulterio deprehenſæ, cum adulteris ipſarum arcendas à communione cenſemus.

V. *Vt clerici ſine commendatitiis non vagentur.*

Clericis ſine commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui licentia non pateat euagandi; & in omni loco, ad quem ſine epiſtolis Epiſcopi ſui, vt dictum eſt, venerint, à communione habeantur alieni.

VI. *Vt monachi ſine commendatitiis non vagentur.*

In monachis quoque par ſententiæ forma ſeruetur: quos ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri.

VII. *Vt monachi ſolitarias cellas ſine Abbatis ſui licentia non petant.*

Seruandum quoque de monachis, ne eis ad ſolitarias cellulas liceat à congregatione diſcedere, niſi fortè probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem aſperior ab Abbatibus regula

remittatur. Quod ita demum fiet, vt intra eadem monaſterij ſepta manentes, tamen ſub Abbatis poteſtate ſeparatas habere cellulas permittantur.

VIII. *Vni Abbati plura monaſteria habere non liceat.*

Abbatibus quoque ſingulis diuerſas cellas, aut plura monaſteria habere non liceat; niſi tantùm propter incurſum hoſtilitatis intra muros receptacula collocare. Conc.Agath. can.38.

IX. *Vt clerici ſæcularia iudicia non adeant.*

Clericis, niſi ex permiſſu Epiſcoporum ſuorum, ſæcularia iudicia adire non liceat. Sed ſiquis fortaſſe Epiſcopi ſui iudicium cœperit habere ſuſpectum, aut ipſi de proprietate aliqua aduerſus ipſum Epiſcopum fuerit nata contentio, aliorum Epiſcoporum audientiam, non ſæcularium poteſtatum, debebit ambire. Aliter à communione habeatur alienus.

X. *Epiſcopi alienos clericos ne promoueant.*

Epiſcopi quoque ab aliis Epiſcopis ordinatos clericos, ſine permiſſu eorum à quibus fuerint ordinati, promouere ad ſuperiorem ordinem non præſumant, ne concordiam fraternam iniuria illata contaminet.

XI. *Vt clerici nuptiarum conuiuia deuitent.*

Preſbyteri, diaconi, atque ſubdiaconi, vel deinceps quibus ducendi vxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, nec iis cœtibus admiſceantur, vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obſcœni motus corporum choris & ſaltibus efferuntur: ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputatus, turpium ſpectaculorum atque verborum contagio polluatur. Conc.Agath. can.39.

XII. *Vt clerici Iudæorum conuiuia declinent.*

Omnes deinceps clerici Iudæorum conuiuia euitent, nec eos ad conuiuium quiſquam excipiat. quia cùm apud Chriſtianos cibis communibus non vtantur, indignum eſt atque ſacrilegum eorum cibos à Chriſtianis ſumi: cùm ea quæ Apoſtolo permittente nos ſumimus ab illis iudicentur immunda, ac ſic inferiores incipiant eſſe clerici quàm Iudæi, ſi nos quæ ab illis apponuntur vtamur, illi à nobis oblata contemnant. Conc.Agath. can.40. 1.Cor.10 25.

XIII. *Vt clerici ebrietatem euitent.*

Ante omnia à clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt; nec quis poteſt liberum corporis ſui ac mentis habere iudicium, cùm captus vino à ſenſu probetur alienus, & procliuis Conc.Agath. can.41.

ad vitium mente labefacta ducatur, ac plerumque poſſit peccatum, aut crimen dum neſcit incurrere. Sed ignorantia talis non poteſt non ſubiacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manaſſe conſtiterit. Itaque eum, quem ebrium fuiſſe conſtiterit, vt ordo patitur, aut xxx. dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio.

XIV. *Vt clerici, qui in ciuitate fuerint, matutinis hymnis interſint.*

Iuo P. vi. cap. 144. Clericus, quem intra muros ciuitatis ſuæ manere conſtiterit, & à matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis inuentus fuerit defuiſſe, ſeptem diebus à communione habeatur extraneus: quia miniſtrum ſacrorum eo tempore, quo non poteſt ab officio ſuo vlla honeſta neceſſitas occupare, fas non eſt à ſalubri deuotione ceſſare.

XV. *Vt idem ordo ſacrorum & pſallendi obſeruetur intra prouinciam.*

Rectum quoque duximus, vt vel intra prouinciam noſtram ſacrorum ordo & pſallendi vna ſit conſuetudo: & ſicut vnam cum Trinitatis confeſſione fidem tenemus, vnam & officiorum regulam teneamus: ne variata obſeruatione in aliquo deuotio noſtra diſcrepare credatur.

XVI. *De auguriis, & ſortibus Sanctorum.*

Conc. Agath. can. 42. Ac ne id fortaſſe videatur omiſſum, quod maximè fidem catholicæ religionis infeſtat, quòd aliquanti clerici ſtudent auguriis, & ſub nomine fictæ religionis, quas Sanctorum ſortes vocant, diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarũ inſpectione futura promittunt; hoc quicumque clericus detectus fuerit vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus. Incolumem coronam veſtram Eccleſiæ ſuæ Deus protegat, domini fratres.

SVBSCRIPTIONES.

Perpetuus Epiſcopus hanc definitionem noſtram relegi & ſubſcripſi, & ea quæ à patribus noſtris, vel à nobis priùs ſtatuta ſunt, cenſeo obſeruanda.
Paternus Epiſcopus ſubſcripſi.
Albinus Epiſcopus ſubſcripſi.
Athenius Epiſcopus ſubſcripſi.
Nunechius Epiſcopus ſubſcripſi.
Liberalis Epiſcopus ſubſcripſi.

Anno Christi 467. Anthemii Imp. 1.

SIMPLICIVS PAPA.

ELECTIO IOANNIS EPISCOPI CABILLONENSIS,

Cui præfuit Patiens Lugdunenſis Merropolitanus, cum Euphronio Auguſtodunenſi, & reliquis prouincialibus Epiſcopis, circa annum Chriſti CCCCLXX.

Ex libro IV. Epiſtolarum Sidonij Epiſcopi Aruernorum, epiſt. vltima.

SIDONIVS DOMNVLO SVO SALVTEM.

NEQVEO differre, quin grandis communione te gaudij feſtinus impertiam: nimirum noſſe cupientem quid pater noſter in Chriſto pariter & pontifex Patiens, Cabillonum profectus, more religionis, more conſtantiæ ſuæ fecerit. Cùm veniſſet in oppidum ſupraſcriptum, prouincialium ſacerdotum præuio partim, partim comitante collegio, ſcilicet vt municipio ſummus aliquis antiſtes ordinaretur, cuius Eccleſiæ diſciplina nutabat, poſtquam iunior Epiſcopus Paulus diſceſſerat, deceſſerátque: exceperunt Pontificale concilium variæ voluntates oppidanorum, nec non & illa, quæ bonum publicum ſemper euertunt, ſtudia priuata; quæ quidam triumuiratus accenderat competitorum: quorum hic antiquam natalium prærogatiuam reliqua deſtitutus morum dote ructabat: hic per fragores paraſiticos, culinarum ſuffragio comparatos, Apicianis plauſibus ingerebatur: hic apice votiuo ſi potiretur, tacita pactione promiſerat Eccleſiaſtica plauſoribus ſuis prædæ prædia fore. Quod vbi viderunt ſanctus Patiens, & ſanctus Euphronius, qui rigorem firmitatémque ſententiæ ſanioris, præter odium gratiámque primi tenebât; conſilio cum coepiſcopis priùs clàm communicato, quàm palàm prodito, ſtrepitúque deſpecto turbæ furentis, iactis repentè manibus arreptum, nihilque tum minus, quàm quæ agebantur, optantem ſuſpicantémque, ſanctum Ioannem, virum honeſtate, humanitate, manſuetudine inſignem, (lector hic primùm, ſic miniſter altaris, idque ab Infantia; pòſt laborum, temporúmque proceſſu, archidiaconus; in quo ſeu gradu, ſeu miniſterio, multum retentus propter induſtriam, diu dignitate non potuit augeri, ne poteſtate poſſet abſolui) attamen hunc iam ſecundi ordinis ſacerdotem, diſſonas inter partium voces, quæ differebant laudare non ambientem, ſed nec audebant culpare laudabilem; ſtupentibus factioſis, erubeſcentibus malis, acclamantibus bonis, reclamantibus nullis, collegam ſibi conſecrauere. Nunc ergo Iurenſia ſi te remittunt iam monaſteria, in quæ libenter ſolitus aſcendere, iam cæleſtibus ſuperníſque præludis habitaculis; gaudere te par eſt de communium patrum vel patronorum, ſeu ſic ſentiente concordia, ſeu ſic concordante ſententia. Illius quoque nomine exulta, quem creauerunt Euphronius teſtimonio, Patiens manu, ambo iudicio. In quo fecit Euphronius, quod conueniret non ſenectuti modò ſuæ, verùm etiam dignitatis longæuitati:

fecit & Patiens, vir quamlibet magnis par tamen laudibus, quod ſatis decuit facere perſonam, quæ caput eſt ciuitati noſtræ per ſacerdotium, prouinciæ veſtræ per ciuitatem. Vale.

ELECTIO SIMPLICII EPISCOPI BITVRICENSIS,

Cui præfuit Sidonius Epiſcopus Aruernorum, facta illi ab omnibus deſignandi, creandique Antiſtitis poteſtate, circa annum Christi CCCCLXXII.

Ex epiſtolis Sidonij eiuſdem.

Agrœcium Metropolitanum Senonenſem ad Bituricenſis electionem propterea inuitat, quòd prouincialium Epiſcoporum numerus deficeret.

SIDONIVS DOMINO PAPÆ AGROECIO S.

Lib. VII. epiſt. 5.

BITVRICAS decreto ciuium petitus adueni. cauſa fuit euocationis titubans Eccleſiæ ſtatus; quæ nuper ſummo viduata Pontifice, vtriuſque profeſſionis ordinibus quoddam claſſicum cecinit. Fremit populus per ſtudia diuiſus: pauci alteros, multi ſeſe non offerunt ſolùm, ſed inferunt. Si aliquid pro virili portione ſecundum Deum conſulas, veritatémque, omnia occurrunt leuia, varia, fucata. & quid dicam? ſola eſt illic ſimplex impudentia. Et niſi me immeritò queri iudicaretis, dicere auderem tam præcipitis animi eſſe pleroſque, támque periculoſi, vt ſacroſanctam ſedem dignitatémque affectare pretio oblato non reformident: & rem iam dudum in nundinam mitti auctionémque potuiſſe; ſi quàm paratus inuenitur emptor, venditor tam deſperatus inueniretur. Proinde quæſo, vt officij mei nouitatem, pudorem, neceſſitatem, ſpectatiſſimi aduentus tui ornes contubernio, tureris auxilio. Nec te, quanquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia ſubtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum: quia minimum refert, quòd nobis eſt in habitatione diuiſa prouincia, quando in religione cauſa coniungitur. His accedit, quòd de vrbibus Aquitanicæ primæ ſolum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerunt. Quapropter in conſtituendo præfatæ ciuitatis Antiſtite prouincialium collegarum deficimur numero, niſi Metropolitanorum reficiamur aſſenſu. De cætero, quod ad honoris veſtri ſpectat prærogatiuam, nullus à me hactenus nominatus, nullus adhibitus, nullus electus eſt: omnia cenſuræ tuæ ſalua, illibata, ſolida ſeruantur. Tantùm hoc meum duco, veſtras inuitare perſonas, exſpectare voluntates, laudare ſententias: & cùm in locum ſtatúmque Pontificis quiſque ſufficitur, vt à vobis præceptum, à me procedat obſequium. Sed ſi (quod tamen arbitror minimè fore) precibus meis apud vos maleſuadus obſtiterit interpres, poteritis præſentiam veſtram potiùs excuſare, quàm culpam: ſicut è diuerſo, ſi veniris, oſtenditis quia terminus potuerit poni veſtræ quidem regioni, ſed non potuerit caritati. Memor noſtri eſſe dignare domine Papa.

II.

Euphronium Auguſtodunenſem ad eandem electionem inuitat, aut conſilium certè petit de Simplicio, quem populus Biturix Epiſcopum ſibi ordinari flagitabat.

SIDONIVS DOMINO PAPÆ EVPHRONIO S.

QVANDOQVIDEM me clericalis officij vincula ligant, feliciſſimum mediocritatis meæ ſtatum pronuntiarem, ſi nobis haberentur, quàm territoria vicina, tam mœnia. De minimis videlicet rebus coronam tuam maximíſque conſulerem: fieretque actionum mearum quaſi cuiuſdam fluuij placidiſſimus curſus atque inoffenſus, ſi è tractatu tuo veluti è ſaluberrimo fonte manaret. Proculdubio tunc ille non eſſet, aut ſpumoſus per iactantiam, aut præceps per iuuentutem. Quin potiùs in illo ſqualidum ſi quid ac putre ſorderet, totum id admixta conſilij tui vena dilueret. Sed quod huiuſcemodi votis ſpatia ſunt longa interpoſita præpedimento, ſedulò precor, vt conſulentem de ſcrupulo incurſæ ambiguitatis expedias: & quia Simplicium, ſpectabilem virum, Epiſcopum ſibi flagitat populus Biturix ordinari, quid ſuper tanto debeam negotio facere decernas. Huius es namque vel erga me dignationis, vel erga reliquos auctoritatis, vt ſi quid fieri voles, (voles autem quicquid æquiſſimum eſt) non ſuadere tam debeas, quàm iubere. De quo tamen Simplicio ſcitote narrari plurima bona, atque ea quidem à plurimis bonis. Quæ teſtimonia mihi prima fronte colloquij non ſatis grata, quia ſatis gratioſa iudicabantur. At poſtquam æmulos eius nihil vidi ampliùs quàm ſilere, atque eos maximè qui fidem fouet Arrianorum; neque quippiam nominato, licet necdum noſtræ profeſſionis, illicitum opponi: animum aduerti exactiſſimum virum poſſe cenſeri, de quo ciuis malus loqui, bonus tacere non poſſet. Sed cur ego iſta hæc ineptus adieci, tanquam darem conſilium qui popoſci? Quin potiùs omnia ex veſtro nutu, arbitrio, literíſque diſponentur, ſacerdotibus popularibúſque manifeſtabuntur. Neque enim ita deſipimus in totum, vt euocandum te primùm, ſi venire poſſibile eſt, deinde ſi quid ſecus, certè conſulendum decerneremus, niſi in omnibus obſequuturi. Memor noſtri eſſe dignare domine Papa. Lib. VII. epiſt. 8.

III.

Perpetuo Turonenſi Epiſcopo, ipſius rogatu, mittit orationem, quam habuerat in electione Epiſcopi Bituricenſis.

SIDONIVS DOMINO PAPÆ PERPETVO S.

DESIDERIO ſpiritualium lectionum, quarum tibi tam per authenticos, quàm per diſputatores bibliotheca fidei catholicæ perfamiliaris eſt, etiam illa quæ maximè tuarum ſcilicet aurium minimè digna ſunt occupare cenſuram, noſcere cupis. Siquidem iniungis, vt orationem, quam videor ad plebem Biturigis in Lib. VII. epiſt. 9.

Eccleſia ſermocinatus, tibi dirigam. cui non rhetorica partitio, non oratoriæ minæ, non grammaticales figuræ congruentem decorem diſciplinámque ſuppeditauerunt. neque illic, vt exactè perorantibus mos eſt, aut pondera hiſtorica, aut poëtica ſchemata, ſcintillaſve controuerſalium clauſularum libuit aptari. Nam cùm me partium ſeditiones, ſtudia, varietates in diuerſa raptarent; ſic dictandi mihi materiam ſuggerebat iniuria, quòd tempus occupatio ſubtrahebat. Etenim tanta erat turba competitorum, vt cathedræ vnius numeroſiſſimos candidatos nec duo recipere ſcamna potuiſſent. omnes placebant ſibi, omnes omnibus diſplicebant. Neque enim valuiſſemus aliquid in commune conſulere, niſi iudicij ſui faciens plebs lenita iacturam, ſacerdotali ſe potiùs iudicio ſubdidiſſet. Preſbyterorum ſanè paucis angulatim fringultientibus: porrò autem palàm ne muſſitantibus quidem: quia plerique non minus ſuum, quàm reliquos ordines pertimeſcebant. Igitur dum publicè totos ſinguli cauent, factum eſt, vt omnes non aſpernanter audirent, quod deinceps ambienter exponerent. Itaque paginam ſume ſubditis voluminibus adiunctam. quam duabus vigiliis vnius noctis æſtiuæ, Chriſto teſte, dictatam plurimum vereor ne ipſi amplius lectioni, quæ hoc de ſe probat, quàm mihi credas. Memor noſtri eſſe dignare domine Papa.

SIDONII CONCIO, SIVE ORATIO,

Quam in Eccleſia Bituricenſi habuit, cùm Simplicium deſignatum arbitrio ſuo Epiſcopum renuntiaret.

Refert hiſtoria ſæcularis, dilectiſſimi, quendam philoſophorum diſcipulis aduenientibus priùs tacendi patientiam, quàm loquendi monſtraſſe doctrinam: & ſic incipientes quoſque inter diſputantium conſectaneorum cathedras mutum ſuſtinuiſſe quinquennium, vt etiam celeriora quorumpiam ingenia non liceret antè laudari, quàm deceret agnoſci. Ita fiebat, vt eoſdem poſt longam taciturnitatem loquutos quiſque audire cœperat non taceret: quia donec ſcientiam natura combiberit, non maior eſt gloria dixiſſe quod noueris, quàm ſiluiſſe quod neſcias. At nunc mediocritatem meam manet longè diuerſa conditio: cui per ſuſpirioſas voragines, & flagitiorum volutabra gradienti profeſſionis huiuſce pondus impactum eſt. Et priuſquam vlli bonorum reddam diſcentis obſequium, cogor debere cæteris docentis officium. Adiicitur huic impoſſibilitati pondus pudoris; quòd mihi peculiariter paginæ decretalis oblatu Pontificis eligendi mandaſtis arbitrium, coram ſacroſancto & pontificatu maximo digniſſimo Papa. qui cùm ſit ſuæ prouinciæ caput, ſit etiam mihi inſtitutione, facundia, priuilegio, tempore, ætate præſtantior; ego déque, corámque Metropolitano verba facturus & prouincialis & iunior, pariter fero imperiti verecundiam, procacis inuidiam. Sed quoniam veſtro ſic libitum errori, vt ipſe prudentia carens prudentem vobis, in cuiuſque perſonam bona multa concurrant, ſub ope Chriſti Epiſcopum exquiram, noueritis huiuſmodi aſſenſu multum me honoris plus oneris excipere. Primo loco grandem publicæ opinionis ſarcinam penditote, quòd iniunxiſtis incipienti conſummata iudicia; atque ab hoc

ab hoc rectum conſilij tramitem poſtulatis, in quo recolitis adhuc nuper erratum. Igitur quia vobis id fuit cordi, obſecro vt quales nos fide creditis, tales interceſſione faciatis: atque dignemini humilitatem noſtram orationibus potiùs in cælum ferre, quàm plauſibus. Primùm tamen noſſe vos par eſt, in quas me obloquiorum ſcyllas, & in quos linguarum, ſed humanarum, latratus quorundam vos infamare conantum turbo coniecerit. Eſt enim hæc quædam vis malis moribus, vt innocentiam multitudinis deuenuſtent ſcelera paucorum: cùm tamen è diuerſo bonorum raritas flagitia multorum nequeat excuſare virtutibus communicatis. Si quempiam nominauero monachorum, quamuis illum Paulis, Antoniis, Hilarionibus, Macariis conferendum, ſectatæ anachoreſeos prærogatiua comitetur, aures illico meas incondito tumultu circumſtrepitas ignobilium pumilionum murmur euerberat conquetentium. Hic qui nominatur, inquiunt, non Epiſcopi, ſed potiùs Abbatis complet officium; & intercedere magis pro animabus apud cæleſtem, quàm pro corporibus apud terrenum iudicem poteſt. Sed quis non exacerbeſcat, cùm videat ſordidari virtutum ſinceritatem criminatione viriorum? Si eligimus humilem, vocatur abiectus: ſi proferimus erectum, ſuperbire cenſetur: ſi minus inſtitutum, propter imperitiam creditur irridendus: ſi aliquatenus doctum, propter ſcientiam clamatur inflatus: ſi ſeuerum, tanquam crudelis horretur: ſi indulgentem, facilitate culpatur: ſi ſimplicem, deſpicitur vt brutus: ſi acrem, vitatur vt callidus: ſi diligentem, ſuperſtitioſus decernitur: ſi remiſſum, negligens iudicatur: ſi ſolertem, cupidus; ſi quietum, pronuntiatur ignauus: ſi abſtemium producimus, auarus accipitur: ſi eum qui prandendo paſcat, edacitatis impetitur. Libertatem pro improbitate condemnant, verecundiam pro ruſticitate faſtidiunt, rigidos ab auſteritate non habent caros: blandi apud eos communione vileſcunt. Ac ſic vtrolibet genere viuatur, ſemper hîc tamen bonarum partium mores pungentibus linguis maledicorum, veluti bicipitibus hamis, inuncabuntur. Inter hæc monaſterialibus diſciplinis ægrè ſubditur, vel popularium ceruicoſitas, vel licentia clericorum. Si clericum dixero, ſequentes æmulantur, derogant antecedentes. Nam ita ex iis pauci, quod reliquorum pace dictum ſit, ſolam clericatus diuturnitatem pro meritis autumant calculandam, vt nos in Antiſtite conſecrando non vtilitatem velint eligere, ſed ætatem. tanquam diu potius quàm bene viuere debeat accipi ad ſummum ſacerdotium adipiſcendum pro omnium gratiarum priuilegio, decoramento, lenocinamento. Et ita quipiam in miniſtrando ſegnes, in obloquendo celeres, in tractatibus otioſi, in ſeditionibus occupati, in caritate infirmi, in factione robuſti, in æmulationum conſeruatione ſtabiles, in ſententiarum aſſertione nutantes, nituntur regere Eccleſiam, quos iam regi neceſſe erit per ſenectam. Sed nec diutius placet propter paucorum ambitus multorum notare perſonas. hoc ſolùm adſtruo, quòd cum nullum proferam nuncupatim, ille confitetur repulſam, qui profitetur offenſam. Sanè id liberius dico, de multitudine circumſtantium multos Epiſcopales eſſe, ſed totos Epiſcopos eſſe non poſſe: & cum ſinguli diuerſorum chariſmatum proprietate potiantur, ſufficere omnes ſibi, omnibus neminem. Si militarem dixero forte perſonam, protinus in hæc verba conſurgitur: Si-

donius ad clericatum quia de ſæculari profeſſione tranſlatus eſt, ideo ſibi ſſaumere Metropolitanum de religioſa congregatione diſſimulat. natalibus turget, dignitatum faſtigatur inſignibus, contemnit pauperes Chriſti. Quapropter in præſentiarum ſoluam quam non tam bonorum caritati, quàm maledicorum ſuſpicioni debeo fidem. Viuit Spiritus ſanctus, omnipotens Deus noſter, qui Petri voce damnauit in Simone mago, cur opinaretur gratiam benedictionis pretio ſeſe poſſe mercari; me in eo, quem vobis opportunum cenſui, nec pecuniæ fauere, nec gratiæ: ſed ſtatu ſatis ſupérque trutinato perſonæ, temporis, prouinciæ, ciuitatis, virum cuius in conſequentibus raptim vita replicabitur competentiſſimum credidiſſe. Benedictus Simplicius hactenus veſtri, iámque ab hinc noſtri (modò per vos Deus annuat) habendus ordinis comes, ita vtrique parti vel actu, vel profeſſione reſpondet, vt & reſpublica in eo quod admiretur, & Eccleſia poſſit inuenire quod diligat. Si natalibus ſeruanda reuerentia eſt, quia & hos non omittendos Euangeliſta monſtrauit, (nam Lucas laudationem Ioannis aggreſſus, præſtantiſſimum computauit, quòd ſacerdotali de ſtirpe veniebat, & nobilitatem vitæ prædicaturus, priùs tamen extulit familiæ dignitatem) parentes ipſius, aut cathedris, aut tribunalibus præſederunt. Illuſtris in vtraque conuerſatione proſapia, aut Epiſcopis floruit, aut Præfectis. Ita ſemper huiuſce maioribus, aut humanum, aut diuinum dictare ius vſui fuit. Si verò perſonam ſuam tractatu conſilioſiore penſemus, inuenimus eam tenere iſtic inter ſpectabiles principes locum. Sed dicitis viros Eucherium & Pannychium illuſtres haberi ſuperiores. Quod hactenus eos eſto putatos. ſed præſentem iam modò ad cauſam illi ex canone non requiruntur, qui ambo ad ſecundas nuptias tranſierunt. Si annos ipſius computemus, habet efficaciam de iuuentute, de ſenectute conſilium. Si literas vel ingenium conferamus, certat natura doctrinæ. Si humanitas requirenda eſt, ciui, clerico, peregrino, minimo, maximóque etiam ſupra ſufficientiam offertur; & ſuum ſæpius panem ille qui non erat redditurus agnouit. Si neceſſitas accipiendæ legationis incubuit, non ille ſemel pro hac ciuitate ſtetit ante pellitos reges, vel ante principes purpuratos. Si ambigitur quo magiſtro rudimentis fidei fuerit imbutus; vt prouerbialiter loquar, domi habuit vnde diſceret. Poſtremò iſte eſt ille, cariſſimi, cui in tenebris ergaſtularibus conſtituto multipliciter obſerata barbarici carceris diuinitus clauſtra patuerunt. Iſtum, vt audiuimus, tam ſocero quàm patre poſtpoſitis, ad ſacerdotium duci oportere vociferabamini. quo quidem tempore plurimum laudis domum retulit, quando honorari maluit parentum dignitate, quàm propria. Pene tranſieram quod præteriri non oportuerat. Sub Moſe quondam, ſicut pſalmographus ait, in diebus antiquis, vt tabernaculi fœderis forma conſurgeret, totus Iſraël in eremo ante Beſelcelis pedes oblati ſymbolum coacervauit impendij. Salomon deinceps, vt templum ædificaret in Solymis, ſolidas populi vires in opere concuſſit; quamuis Palæſtinorum captiuas opes, & circumiectorum regum tributarias functiones auſtralis reginæ Sabaitis gaza cumulauerit. Hic vobis Eccleſiam iuuenis, miles, tenuis, ſolus, adhuc filius familias & iam pater exſtruxit. Nec illum à propoſita deuotione ſuſpendit vel tenacitas ſenum, vel intuitus paruulorum: & tamen

fuit morum factura quæ taceret. Vir eſt namque, ni fallor, totus popularitatis alienus. gratiam non captat omnium, ſed bonorum: non indiſcreta familiaritate vileſcens, ſed examinata ſodalitate pretioſus: & bonouiratu æmulis ſuis magis prodeſſe cupiens, quàm placere: ſeueris partibus comparandus, qui iuuenum filiorum non tam cogitant vota, quàm commoda. In aduerſis conſtans, in dubiis fidus, in proſperis modeſtus; in habitu ſimplex, in ſermone comis, in contubernio æqualis, in conſilio præcellens. Amicitias probatas enixè expetit, conſtanter retinet, perenniter ſeruat. Inimicitias indictas honeſtè exercet, tardè credit, celeriter deponit. maximè ambiendus, quia minimè ambitioſus: non ſtudet ſuſcipere ſacerdotium, ſed mereri. Dicet aliquis: Vnde tibi de illo tam citò tanta comperta ſunt? Cui reſpondeo: Prius Bituriges noueram, quàm Biturigas. Multos in itinere, multos in commilitio, multos in tractatu, multos in contractu, multos in ſua, multos in noſtra peregrinatione cognoſcimus. Plurima notitiæ dantur & ex opinione compendia: quia non tam paruos terminos poſuit famæ natura, quàm patriæ. Quocirca ſi vrbium ſtatus non tam murorum ambitu, quàm ciuium claritate taxandus eſt, non modò primùm qui eſſetis, ſed vbi eſſetis agnoui. Vxor illi de Palladiorum ſtirpe deſcendit, qui aut literarum, aut altarium cathedras cum ſui ordinis laude tenuerunt. Sanè quia perſona matronæ verecundam, ſuccinctámque ſui exigit mentionem, conſtanter adſtruxerim, reſpondere illam feminam ſacerdotiis vtriuſque familiæ, vel vbi educata creuit, vel vbi electa migrauit. Filios ambo bene & prudenter inſtituunt: quibus comparatus pater inde felicior incipit eſſe, quia vincitur. Et quia ſententiam paruitatis meæ in hac electione valituram eſſe iuraſtis, (ſiquidem non eſt validius dicere ſacramenta, quàm ſcribere) In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Simplicius eſt, quem prouinciæ noſtræ Metropolitanum, ciuitati veſtræ ſummum ſacerdotem fieri debere pronuntio. Vos autem de viro, de quo loquimur, ſi nouam ſententiam meam ſequimini, ſecundum veſtram veterem conſonate.

Anno Christi 475. Nepotis Imp. 2.

CONCILIVM ARELATENSE.

QVOD A LEONTIO ARELATENSI EPISCOPO ad condemnandum prædeſtinationis errorem congregatum eſt circa annum Chriſti CCCCLXXV. Simplicij Papæ, & Eurici Veſogothorum in Gallia regis temporibus.

QVo conſilio coacta fuerit hæc Synodus, & quæ in ea tractata ſint, declarant Fauſti Epiſcopi Reienſis libri duo de gratia Dei, & humanæ mentis libero arbitrio, quos ex Synodi Arelatenſis ſenſu ac ſententia ſcriptos à ſe; & à Synodo ipſa ſubſcriptos teſtatur in prologo ad Leontium Arelatenſem, qui Synodo præſederat. Sic enim illum affatur. Do-

Digitized by Google

mino beatiſſimo & reuerentiſſimo Leontio Papæ Fauſtus. Quòd pro ſollicitudine paſtorali, beate Papa Leonti, in condemnando prædeſtinationis errore, Concilium ſummorum Antiſtitum congregaſtis, vniuerſis Galliarum Eccleſiis præſtitiſtis. Quòd verò ad ordinanda ea, quæ conlatione publica doctiſſimè protuliſtis, operam infirmis humeris, curamque mandaſtis, parum vt reor tanto negotio, parum ſanctæ exiſtimationi veſtræ conſuluiſtis, & me iudicio caritatis, vos periculo electionis onerastis. Quia ergo veſtram laborare perſonam ſub impoſito nobis faſce cognoſcitis, communem cauſam hoc loco agitis, ſi ei quem opinioni veſtræ imparem cernitis, manum ſuffragij porrigatis. *Et in fine prologi.* In quo quidem opuſculo, poſt Arelatenſis Concilij ſubſcriptionem, nouis erroribus deprehenſis, adiici aliqua Synodus Lugdunenſis exegit. *Prædeſtinationis porrò errorem, ad quem expugnandum hac Synodus congregata eſt, prædeſtinatorum hæreſim illam interpretor, quæ, vt Proſper & Sigebertus in Chronicis tradunt, Honorij orta principatu, ex libris S. Auguſtini malè intellectis initium ſumpſiſſe ferebatur. Hi de prædeſtinatione ita diſſerebant, quaſi fatalem quandam neceſſitatem afferret, quæ bonorum operum ſtudium omne præcideret, quippe qui nec mala opera obeſſe hominibus poſſe dicerent, ſi eſſent prædeſtinati, nec bona prodeſſe, ſi non eſſent. Cui abſurdo quia nonnullis quorumdam librorum ſuorum ſententiis viam munire, aut vim addere S. Auguſtinus quorumdam in Gallia Epiſcoporum, aliorúmque iudicio videbatur, ab illo propterea, cùm in ceteris maximi facerent, vehementer hac in parte diſſidebant. At contrà qui pro S. Auguſtini placitis cum Proſpero dimicabant, eius aduerſarios, quòd naturæ humanæ plus æquo tribuere viderentur, vt Semipelagianos inſimulabant. Quæ nota in his etiam libris ſuis Fauſtus non caruit. Nam & à Gelaſio Papa hoc nomine inter apocryphos relati ſunt, & ab Auito Viennenſi, atque à Fulgentio, & aliis pluribus oppugnati. Ceterùm graui ac diuturnæ contentioni, quæ ſanctiſſimos & doctiſſimos vtrimque viros in Gallia centum ampliùs annos exercuit, finem poſtea tandem attulit Synodus Arauſicana II. quæ totam de gratia & libero arbitrio controuerſiam ex S. Auguſtini ſententia compoſuit.*

FAVSTI REIENSIS EPISCOPI EPISTOLA ad Lucidum presbyterum è ſecta Prædeſtinatorum, in qua illi ſententias proponit, quas reijcere, quaſque amplecti ac profiteri debeat; Synodi Arelatenſis tempore ſcripta, & à multis Epiſcopis, atque à Lucido ipſo ſubſcripta.

DOMINO deuinctiſſimo, & mihi ſpeciali affectu venerando ac ſuſpiciendo fratri, Lucido presbytero Fauſtus. GRANDIS caritas eſt, parum cauti fratris errorem per Dei adiutorium & gratiam magis velle curare, quàm ſicut ſummi Antiſtites meditantur à bonitate ſuſpendere. Quid poſſum de hoc ſenſu ſicut vis cum vnanimitate tua per litteras loqui, cùm te præſens multa & blanda & humili conlocutione nunquam potuerim ad viam veritatis attrahere? Loquen-

tes ergo de gratia Dei, & obedientia hominis, id omnino ſtatuere debemus, vt neque proni in ſiniſtram, neque importuni in dexteram, regiam magis gradiamur viam. Illud autem venerationem tuam dixiſſe miratus ſum, quòd nullus vnquam ſub religioſa profeſſione contra catholicam fidem vel ſcripſerit, vel prædicauerit: cùm plurimi multiplices & profanos errores ſuos etiam ſcriptorum monumentis crediderint inſerendos, qui tamen Chriſtiano nomine gloriabantur. Breuiter ergo dicam, quantum cum abſente loqui poſſum, quid ſentire cum catholica Eccleſia debeas. id eſt, vt cum gratia Domini operationem baptizati famuli ſemper adiungas, & eum qui prædeſtinationem excluſo labore hominis aſſerit, cum Pelagij dogmate deteſteris.

Anathema ergo illi, qui inter reliquas Pelagij impietates hominem ſine peccato naſci, & per ſolum laborem poſſe ſaluari damnanda præſumptione contenderit; & qui eum ſine gratia Dei liberari poſſe crediderit. Item anathema illi, qui hominem cum fideli confeſſione ſolemniter baptizatum, & aſſerentem catholicam fidem, & poſtmodum per diuerſa huius mundi oblectamenta prolapſum, in Adam & originale peccatum periiſſe aſſeruerit. Item anathema illi, qui per Dei præſcientiam in mortem deprimi hominem dixerit. Item anathema illi, qui dixerit illum qui periit, non accepiſſe vt ſaluus eſſe poſſet: id eſt de baptizato, vel de illius ætatis pagano, qui credere potuit & noluit. Item anathema illi, qui dixerit quòd vas contumeliæ non poſſit aſſurgere, vt ſit vas in honorem. Item anathema illi, qui dixerit quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit, nec omnes homines ſaluos eſſe velit.

Cùm autem ad nos in Chriſti nomine veneris, aut cùm à ſanctis ſacerdotibus euocatus fueris, tunc opportunè, ſi Dominus iuſſerit, locis ſuis teſtimonia proferemus, quibus & quæ catholica ſunt manifeſtentur, & quæ catholicis ſunt contraria deſtruantur.

Nos autem per illuminationem Chriſti veraciter & confidenter aſſerimus, & eum qui periit per culpam, ſaluum eſſe potuiſſe per gratiam, ſi gratiæ ipſi famuli laboris obedientiam non negaſſet: & eum qui per gratiam ad bonæ conſummationis metas ſeruitio obſequente peruenit, cadere per deſidiam, & perire potuiſſe per culpam. Nos ergo per medium Chriſto duce gradientes, poſt gratiam ſine qua nihil ſumus, laborem officioſæ ſeruitutis aſſerimus. Sed omni modo arrogantiam & præſumptionem laboris excludimus: vt totis viribus deſudantes, ne gratia in nobis euacuetur, quicquid de manu Domini ſuſceperimus, donum pronuntiemus eſſe, non pretium: ſcientes laboris ipſius fructum officij rem eſſe, non meriti. cum Euangeliſta dicentes: *Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Luc. 17. 10.

Hæc quæ ſtrictim pro epiſtolæ breuitate memorata ſunt, aut recipere ſe, aut reſpuere vnanimitas tua recurrente ſermone reſpondeat. Ceterùm qui hanc veritatis mẽſuram, gratia præcedente, & conatu aſſurgente, non ſequitur, dignus erit qui à ſacris liminibus arceatur. Ego tamen indiuiduam mihi bonitatem tuam toto ſinceræ benignitatis amplexu in via retinens, in matris Eccleſiæ gremio permanere repudiato hoc errore deſidero. Qui ſi citò reſpuatur, ignorantiæ fuiſſe videbitur: blaſphemia verò reputabitur, ſi pertinaciter defendatur. Grauem namque in auctorem re-

torquemus inuidiam, ſi dicamus quòd ei poſſibilitatem capeſſendæ ſaluti noluerit dare qui petiit, ei dunraxat, qui capere iam poſſit arbitrij libertatem: cùm minimè negare poſſimus, quòd mandati præuaricatorem in iudicij ſui examinatione damnabit. Qui enim non eſt obnoxius de ſuſcepro, neſcio quo modo reus poſſit eſſe de perdito. Ac ſic peccantes in Deum, cuius in primis incautiùs aſſeruimus gratiam, in poſttemis eius videbimur impugnate iuſtitiam. Huius autem epiſtolæ exemplar mecum retineo, in conuentu ſanctorum Antiſtirum, ſi ita neceſſe fuerit, proferendum. Quòd ſi eam ſubſcriptam, vt dixi, tranſmittere noluetis, apertè adhuc te in errore perſiſtere ipſo ſilentio comprobabis. ac proinde iam neceſſitatem mihi facies ad perſonam tuam publicis conuenribus exponendam. Et ideo ſecundum hæc quæ à me ſunt directa reſcribe, vtrum ea remotis circuitionibus aut agnoſcas, aut reſpuas.

Auxanius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Fauſtus exemplar epiſtolæ meæ relegi & ſubſcripſi.

Paulus Epiſcopus in Chriſti nomine relegi & ſubſcripſi.

Eutropius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Pragmatius in Chriſti ſigno Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Patiens in Chriſto Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Eufronius relegi, & admiratus ſum plenitudinem ſanctam.

Megerius Epiſcopus relegi & ſubſctipſi.

Claudius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Leucadius in nomine Chriſti Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Iulianus in nomine Chriſti Epiſcopus ſubſcripſi.

Lucidus preſbyter relegi & ſubſcripſi.

LVCIDI PRESBYTERI ERROREM EMENdantis libellus ad Epiſcopos, in quo fidei ſuæ profeſſionem, iuxta Synodi Arelatenſis ſtatuta, & ſuperiorem Fauſti epiſtolam depromit.

DOMINIS beatiſſimis & in Chriſto reuerentiſſimis patribus Leontio, Eufronio, Fonreio, Viuentio, Mamerto, Patienti, Veriano, Auxanio, Fauſto, Paulo, Megethio, Græco, Euttopio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Baſilio, Claudio, Vrſicino, Prætextato, Pragmatio, Theoplaſto, Leocadio, Viuentio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni, & Licinio Epiſcopis Lucidus preſbyter. CORREPTIO veſtra ſalus publica, & ſententia veſtra medicina eſt. Vnde & ego ſummum remedium duco, vt præteritos errores accuſando excuſem, & ſalutifera confeſſione me diluam. Proinde iuxta prædicandi recentia ſtatuta Concilij, damno vobiſcum ſenſum illum, qui dicit humanæ obedientiæ laborem diuinæ gratiæ non eſſe iungendum. Qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum. Qui dicit quòd Chriſtus & Saluator noſter mortem non pro omnium ſalute ſuſceperit. Qui dicit quòd præſcientia Dei hominem violenter compellat ad

mortem, vel quòd cum Dei pereant voluntate qui pereunt. Qui dicit quòd poſt acceptum legitimè baptiſmum in Adam moriatur quicumque deliquerit. Qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos. Qui dicit ab Adam vſque ad Chriſtum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id eſt per legem naturæ, in aduentum Chriſti fuiſſe ſaluatos, eo quòd liberum arbitrium in primo parente perdiderint. Qui dicit Patriarchas ac Prophetas, vel ſummos quoſque ſanctorum, etiam ante redemptionis tempora, intra paradiſum deguiſſe. Hæc omnia quaſi impia, & ſacrilegiis repleta condemno. Ita autem aſſero gratiam Dei, vt anniſum hominis & conatum gratiæ ſemper adiungam, & libertatem voluntatis humanæ non extinctam, ſed attenuatam & infirmatam eſſe pronuntiem: & periclitari eum qui ſaluus eſt, & eum qui periit potuiſſe ſaluari. Chriſtum etiam Deum & ſaluatorem noſtrum, quantum pertinet ad diuitias bonitatis ſuæ, pretium mortis pro omnibus obtuliſſe: & quia nullum perire velit, qui eſt ſaluator omnium, maximè fidelium, diues in omnibus qui inuocant illum. Et quia in tantis rebus conſcientiæ ſatisfaciendum, memini me antè dixiſſe, quòd Chriſtus pro his tantùm, quos credituros præſciuit, aduenisſet, ſententias Dominicas ſequens quibus ait ſic, *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam redemptionem dare pro multis.* & illud: *Hic eſt calix ſanguinis mei noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſione peccatorum.* vel illud Apoſtoli: *Sicut ſemel ſtatutum eſt hominibus mori, ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorũ exhaurienda peccata.* Nunc verò ſacrorum teſtimoniorum auctoritate, quæ abundè per ſpatia diuinarũ inueniuntur ſcripturarũ, ex ſeniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor Chriſtũ etiam pro perditis aduenisſe, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas eſt circa eos ſolùm qui videntur eſſe ſaluati, immenſæ diuitias bonitatis ac beneficia diuina concludi. Nam ſi Chriſtum his tantùm remedia attuliſſe dicimus qui redempti ſunt, videbimur abſoluere non redemptos, quos pro redemptione contempta conſtat eſſe puniendos. Aſſero etiam, per rationem & ordinem ſæculorum alios lege gratiæ, alios lege Moyſi, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus ſcripſit, in ſpe aduentus Chriſti fuiſſe ſaluatos: tamen ex initio mundi ab originali nexu, niſi interceſſione ſacri ſanguinis, non abſolutos. Profiteor etiam æternos ignes, & infernales flammas factis capitalibus præparatas: quia perſeuerantes humanas culpas meritò ſequitur diuina ſententia, quam iuſtè incurrunt, qui hæc non toto corde crediderint. Orate pro me, Domini ſancti & Apoſtolici patres.

Matth. 20. 28.
Matth. 26. 28.
Hebr. 9. 27. 28.

Lucidus preſbyter hanc epiſtolam manu propria ſubſcripſi; & quæ in ea adſtruuntur aſſerò, & quæ ſunt damnata damno.

Anno Christi 475. Nepotis Imp. 2.

CONCILIVM LVGDVNENSE.

PAVLO POST SYNODVM ARELATENSEM ſupraſcriptam, ſub Patiente Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopo celebratum.

DE hac Synodo vnicum exſtat Fauſti Reienſis teſtimonium, quod paulò antè citauimus ex eius epiſtola ad Leontium Epiſcopum, vbi ſignificat ſe poſt Arelatenſis Concilij ſubſcriptionem, nouis erroribus deprehenſis aliqua libris ſuis adieciſſe iuſſu Synodi Lugdunenſis. Quid præterea in hoc conuentu actum ſit ignoramus. Niſi fortè ad hanc Synodum referri placeat, quod in vetuſto codice Conciliorum adnotatum legitur his verbis : De libro Eccleſiaſticorum dogmatum, quem S. Patiens protulit : *vt quemadmodum in Synodo Arelatenſi approbati fuerant libri Fauſti Epiſcopi Reienſis ; ſic in Lugdunenſi prolatum à Patiente intelligamus, receptúmque à Synodo librum de Eccleſiaſticis dogmatibus, cuius auctor vulgo creditur Gennadius presbyter Maſſilienſis. Qua de re quia non liquet, haud facilè pronuntiarim.*

CLODOVEVS REX.

ANNO CHRISTI CCCCXXCII.

GELASII

GELASII PAPAE
EPISTOLA
Ad Æonium Epiſcopum Arelatenſem.
De Epiſcopatus ſui primordiis.

DILECTISSIMO FRATRI ÆONIO GELASIVS.

INTER difficultates varias copiam nos reperiſſe gratulamur, qua per diuinam gratiam Sedis Apoſtolicæ regimen nos adiſſe pandentes, prætermiſſum diu cum tua miſceremus fraternitate ſermonem; & ſalutatione directa, mutua caritate ſolliciti dilectionis quoque tuæ proſpera quæreremus. Quanto enim totius ouilis curam, Chriſto domino delegante ſuſceptam, beati Petri Apoſtoli gubernatio principalis vniuerſo regi debet in orbe terrarum, tanto pietatis affectu cunctas Eccleſias earúmque rectores amplectitur: & inter diuerſos mundi turbines, ſi paterna fide vel traditione firmiter perſeuerant, vbi primùm facultas arriſerit, & quærit anxia, & gauiſa cognoſcit. Quapropter, frater cariſſime, inſtantius religioſis viris filiis noſtris, Euphronio preſbytero, & Reſtituto viro religioſo, qui ad Italiæ partes ad prouidendam congregationi ſanctæ ſubſtantiam commearant, remeantibus ad propria, ſilere nequiuimus: ſed omni voto dilectionem tuam duximus admonendam, quatenus & vigere apud nos alternæ viſcera gratiæ, fratres & coepiſcopi noſtri per Gallias conſtituti, caritate tua vulgante, cognoſcerent; & deſiderantibus omnium, per quos tua caritas voluiſſet, referret mutuò ſoſpitatem: conſtaretque nullatenus quantumlibet ſæculo detrahente diuelli; ſed catholicam profeſſionem manere ſemper vbique coniunctam. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data x. Kalendas Septembris, Aſterio & Præſidio VV.CC. Conſulibus. Epiſt. 10. Gelaſij.

AVITI EPISCOPI VIENNENSIS
EPISTOLA I.
Ad Clodoueum regem Francorum.
De ſuſcepta ab eo Chriſti fide, atque baptiſmo.

AVITVS VIENNENSIS EPISCOPVS Chlodoueco Regi.

VESTRÆ ſubtilitatis acrimoniam quorumcumque ſchiſmatum ſectatores ſententiis ſuis, variis opinione, diuerſis multitudine, vacuis veritate, Chriſtiani nominis viſi ſunt obumbratione velare. At dum ſtatus noſtros æternitati committimus, dum quid recti vnuſquiſque ſentiat futuro examini reſeruamus, etiam in præſenti- Ex MSS. Epiſtolis Auiti.

bus interlucentis radius veritatis emicuit. Inuenit quippe tempori noſtro arbitrum quendam diuina prouiſio. dum vobis eligitis, omnibus iudicatis; veſtra fides noſtra victoria eſt. Solent plerique in hac eadem cauſa, ſi pro expetenda ſanitate credendi, aut ſacerdotum hortatu, aut quorumcumque ſodalium ſuggeſtione moneantur, conſuetudinem generis, & ritum parernæ obſeruationis opponere. Ita ſaluti nocentem verecundiam præferentes, dum parentibus in incredulitatis cuſtodia inutilem reuerentiam ſeruant, confitentur ſe quodammodo neſcire quid eligant. Diſcedat igitur ab hac excuſatione poſt talis facti miraculum noxius pudor. De toto priſcæ originis ſtemmate ſola nobilitate contenti, quicquid omnis poteſt faſtigium generoſitatis ornare, proſapiæ veſtræ à vobis voluiſtis exſurgere. Habetis bonorum auctores: voluiſtis eſſe meliorum. reſpondetis proauis quòd regnatis in ſæculo: inſtituitis poſteros quòd regnatis in cælo. Gaudeat ergo quidem Græcia, habere ſe principem legis noſtræ: ſed non iam quæ tanti muneris dono ſola mereatur illuſtrari; quòd non deſit & reliquo orbi claritas ſua. Si quidem & occiduis partibus in rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat. Cuius ſplendorem congruè Redemptoris noſtri natiuitas inchoauit: vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vnda vos pareat, quo natum redemptioni ſuæ cæli dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt natalis Domini, ſit & veſtri. quo vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo: in quo vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis. Quid iam de ipſa glorioſiſſima regenerationis veſtræ ſolennitate dicatur? cuius miniſteriis etſi corporaliter non acceſſi, gaudiorum tamen communione non defui. Quandoquidem hoc quoque regionibus noſtris diuina pietas gratulationis adiecit, vt ante baptiſmum veſtrum ad nos ſublimiſſimæ humilitatis nuntius perueniret. Vnde nos poſt hanc expectationem iam ſecuros veſtrî ſacra nox reperit. Conferebamus namque, nobiſcúmque tractabamus, quale eſſet illud, cùm adunatorum numerus pontificum, manus ſancti ambitione ſeruitij membra regia vndis vitalibus confoueret. cùm ſe Dei ſeruis inflecteret timendum gentibus caput. cùm ſub caſſide crines nutritos ſalutaris galea ſacræ vnctionis indueret. cùm intermiſſo regmine loricarum immaculati artus ſimili veſtium candore fulgerent. Faciet, ſi quid creditis, regum florentiſſime, faciet inquam indumentorum iſta mollities, vt vobis deinceps plus valeat rigor armorum: & quicquid felicitas vſque huc præſtitit, addet hinc ſanctitas. Vellem verò præconiis veſtris quiddam exhortationis annectere, ſi aliquid vel ſcientiam veſtram, vel obſeruantiam præteriret. Nunquid fidem perfecto prædicabimus, quam ante perfectionem ſine prædicatione vidiſtis? an forrè humilitatem, quam iam dudum nobis deuotione impenditis, qui nunc primùm deuotione debetis? an miſericordiam, quàm ſolutus à vobis adhuc nuper populus captiuus gaudiis mundo inſinuat, lacrymis Deo? Vnum ergo quod vellemus augeri. vt quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, vlterioribus quoque gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla prauorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis fidei ſemina porrigaris. nec pudeat pigeatque etiam directis in rem legationibus adſtruere partes Dei, qui tantum veſtras

erexit. Quatenus externi quoque populi paganorum, pro religionis vobis primitus imperio ſeruituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potius gentem, quàm principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi vindicet totis quos honorum gradibus attollitis. conſtat vos eſſe, quo communis vno Solis iubare omnia perfruuntur. vicina quidem plus gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore. Quapropter radiate perpetuùm præſentibus diademate, abſentibus maieſtate. Succeſſus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, cuncta concelebrant. Tangit etiam nos felicitas. quotieſcumque illic pugnatis, vincimus. Inter hæc tamen catholicæ religionis affectum ſeruat in vobis cura miſerendi: & in apice rerum omnium gubernacula continente non minus eminet ſanctitas, quàm poteſtas. Ex qua vtique factum eſt, vt dirigi ad vos ſerui veſtri, viri illuſtris, Laurentij filium principali oraculo iuberetis. Quod apud domnum meum, ſuæ quidem gentis regem, ſed militem veſtrum, obtinuiſſe me ſuggero. Nihil quippe eſt in quo ſeruire non poteſt. Commendat directum. Congaudi miſſo, inuidi vos viſuro. cui minus computandum eſt ad vtilitatem parenti proprio reſtitui, quàm patri omnium præſentari.

REMIGII REMORVM EPISCOPI

EPISTOLA I.

Ad eumdem Clodoueum Regem.

Conſolatoria in obitu Alboſledis ſororis eius, quæ non multo poſt ſuſceptum baptiſmum è vita migrarat.

DOMINO ILLVSTRI MERITIS, CHLODOVEO Regi Remigius Epiſcopus.

ANGIT me, & ſatis angit, veſtræ cauſa triſtitiæ, quòd glorioſæ memoriæ germana veſtra tranſiit Alboſledis. Sed conſolari poſſumus, quia talis de hac luce diſceſſit, vt recordatione magis ſuſpici debeat, quàm lugeri. Illius enim vitæ fuit, quòd adſumpta credatur à Domino, quæ à Deo electa migrauit ad cælos. Viuit veſtræ fidei, etſi eſt conſpectus deſiderio recepta. Chriſtus impleuit, vt benedictionem virginitatis acciperet; quæ ſacrata non eſt lugenda, quæ fragrat in conſpectu Domini flore virgineo. quo ſcilicet & corona tecta, quam pro virginitate ſuſcepit. Abſit vt à fidelibus lugeatur, quæ bonus Chriſti odor eſſe promeruit, vt per eum cui placet auxilium poſſit conferre poſcentibus. Dominus meus, repelle de corde tuo triſtitiam: animo rite compoſito regnum ſagaciùs gubernate, erectiora ſumentes ſtudio ſerenitatis conſilia. Læto corde membra conforta. mœroris torpore diſcuſſo acriùs inuigilabis ad ſalutem. Manet vobis regnum adminiſtrandum, & Deo auſpice procurandum. Populorum caput eſtis, & regimen ſuſtinetis. Acerbitate ne te videant in luctu affici, qui per te felicia videre conſueuerunt. Eſto ipſe tuæ animæ conſolator, vigorem illius prouiden- Greg. Turon. lib. II. Hiſt. cap. 31.

tiæ continens ingenitæ, ne triſtitia candorem tuæ menti ſubducat. De eius præſente tranſitu, quæ choris eſt iuncta virgineis, vt credo, Rex gaudet in cœlo. Salutans gloriam veſtram, commendo familiarem meum preſbyterum Maccolum quem direxi. Quæſo vt tanti habeatis ignoſcere, quòd qui occurſum debui, exhortatoria deſtinare verba præſumpſi. Tamen per harum baiulum ſi iubetis vt vadam, contempta hyemis aſperitate, frigore neglecto, itineris labore calcato, ad vos auxiliante Domino peruenire contendam.

SYMMACHI PAPAE

EPISTOLA I.

Ad Æonium Arelatenſem.

Vt ipſe & Epiſcopus Viennenſis Romam certos homines mittant, qui de ipſorum controuerſiis inſtructi Sedi Apoſtolicæ allegandа ſuggerant.

DILECTISSIMO FRATRI ÆONIO Symmachus.

Epiſt. 1. Symmachi.

MOVIT equidem nos quod dilectionis tuæ relatio declarauit. Namque contra regulas Eccleſiaſtici conſtituti, & aduerſum reuerendorum canonum tractatum, per ſubreptionem Viennenſis Eccleſiæ pontificem de Apoſtolica, præſidente prædeceſſore noſtro, ſede culpabiliter aliqua meruiſſe: cùm ſi ſit vera conqueſtio, effectum non poſſint impetrata friuolè poſſidere. nec à nobis aliquid noui poterit ordinari, niſi quæ à patribus prædeceſſoribuſque noſtris in hac cauſa ſtatuta claruerint. Tamen ne facilè alterius partis abſentia præiudicabiliter videremur aliqua decreuiſſe, id magis duximus ordinandum, vt fraternitas tua competenti tempore de Eccleſiaſtico ordine inſtructum non moretur de omni cauſa dirigere, qui apud nos totius veritatem cauſæ competenter alleget: quatenus pertractatis omnibus, quod ſtatuendum eſt ſub deliberationis robore ſanciatur. Illud etiam dilectionem tuam facere debere præcipimus, vt fratrem & coepiſcopum noſtrum Viennenſis vrbis Antiſtitem miſſo nuntio & ſcriptura commoneat, vt conſtitutis diebus is quoque hominem proprium dirigat, qui partis eius allegationes competenter inſinuet. vt depromptis ab vtraque parte ſuggeſtionibus, ſecurius quæ in perpetuum ſeruanda ſint diſponantur. quia ſemper ſuſpectus iudicat, qui ſub vnius quod videtur eligit deploratione ſancire. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data ſub die III. Kalendas Nouembris, P. C. Paulini V. C.

SYMMACHI PAPÆ EPISTOLA II.

Ad Æonium eumdem.

Reſciſſis iis quæ Anaſtaſius deceſſor in Viennenſi controuerſia innouarat, antiqua Sedis Apoſtolicæ decreta obſeruari iubet.

DILECTISSIMO FRATRI ÆONIO Symmachus.

DILECTIONIS tuæ litteras mandatáque, filio noſtro Creſcentino preſbytero internuntio deferente, ſuſcepimus: quibus conſtat inter Arelatenſem & Viennenſem Eccleſiam aliquod de ordinandis Epiſcopis in vicinis ciuitatibus oriri luctamen. illa re videlicet faciente, quòd deceſſor noſter ſanctæ recordationis Anaſtaſius, tractans confuſionem prouinciæ, aliqua contra veterem conſuetudinem iuſſerit obſeruari: deceſſorum ſuorum videlicet ordinationem, quod non oportebat, ſub qualibet neceſſitate tranſgrediens. Nam dum ad Trinitatis inſtar, cuius vna eſt atque indiuidua poteſtas, vnum ſit per diuerſos Antiſtites ſacerdotium; quemadmodum priorum ſtatuta à ſequentibus conuenit violari? Huc accedit, quòd ne ſit ſententiarum varietas, ad ipſam ſacroſanctam catholicam religionem credimus pertinere: cuius omnis poteſtas infringitur, niſi vniuerſa quæ à Domini ſacerdotibus ſemel ſtatuuntur perpetua ſint. Quod alias contingere poterit, ſi ſucceſſor deceſſoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ geſta ſunt, faciat rata eſſe quæ geſſerit. Quanta enim vicariis beatiſſimi Petri Apoſtoli iudicabitur eſſe reuerentia, ſi quæ in ſacerdotio præcipiunt eiſdem tranſeuntibus diſſoluantur? Relegentes ergo veterum Antiſtitum ſuper hac cauſa ordinationes, quibus Eccleſiaſticum grauatur ſcrinium, dilectionem tuam enixiſſimè commonemus, vt in ordinandis per ſingulas vrbes ſacerdotibus cana ac reuerenda ſeruetur antiquitas, nec nouella conſtitutio vetuſtæ ſanctionis robur imminuat. quia non aliter inter vos poterit ſeruari concordia, niſi nouis cupiditatibus antiquitatis reuerentia modus prudentiori adhibeatur conſilio. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Kalendas Octobris, Iterum P. C. Paulini iunioris V. C.

Epiſt. 1. Symmachi.

Hincmarus epiſt. 6. c. 28.

Dominicum Paſcha VIII. Kalendas Aprilis.

AVITI EPISCOPI VIENNENSIS EPISTOLA II.

Communi Epiſcoporum Galliæ nomine ſcripta ad Senatores vrbis Romæ.

De Synodo Romana, in qua Epiſcopos Italiæ, qui ad eam conuenerant, culpandos docet, quòd de Pontificis Romani cauſa iudicandum inferiores ſuſceperint.

AVITVS EPISCOPVS FAVSTO ET SYMMACHO Senatoribus Vrbis.

Ex MSS. Epiſtolis Auiti.

PRIMVM fuerat talis ſtatus rerum deſiderandus, vt ipſi per nos Vrbem orbi venerabilem pro dependendis diuinis humaniſque expeteremus officiis. Sed quia iſtud iam dudum per rationem temporum fieri poſſe ceſſauit, vellemus, quod fatendum eſt, vel eò ſecuritatis accedere, vt quæ in cauſa communi ſupplicari oportet, amplitudo veſtra congregatorum Galliæ ſacerdotum relatione cognoſceret. Sed quoniam huius quoque nos voti non potes reddit prouincia præfixis regnorum determinata limitibus, quam primùm ſupplici prece poſco, ne celeberrimo ordini veſtro pagina hæc aliquod moueat quaſi ab vno directa faſtidium. quoniam à cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipſum non minùs per mandata, quàm per litteras oneratus, quæcumque à vobis omnes ambimus, vnus ſuggerenda ſuſcepi. Dum de cauſa Romanæ Eccleſiæ anxij nimis ac trepidi eſſemus; vt pote nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes; quos omnes vna criminatio vtique ſine inuidia multitudinis percuſſerat, ſi ſtatum principis obruiſſet: perlata eſt ſollicitudini noſtræ ab Italia in exemplaribus ſacerdotalis formula decreti, quam de Papa Symmacho apud Vrbem collecti Italiæ Antiſtites ediderunt. Quam conſtitutionem licet obſeruabilem numeroſi reuerendíque Concilij reddat aſſenſus, intelligimus tamen ſanctum Symmachum Papam, ſi ſæculo primùm fuerat accuſatus, conſacerdotum ſuorum ſolatium potiùs, quàm recipere debuiſſe iudicium: quia ſicut ſubditos nos eſſe terrenis poteſtatibus iubet arbiter cæli, ſtaturos nos ante reges & principes in quacumque accuſatione prædicens: ita non facilè datur intelligi, qua vel ratione, vel lege, ab inferioribus eminentio riudicetur. Nam cùm celebri præcepto Apoſtolus clamet, accuſationem vel in presbyterum recipi non debere, quid in principatum generalis Eccleſiæ criminationibus licere cenſendum eſt? Quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens, cauſam quam, quod ſalua eius reuerentia dictum ſit, pene temere ſuſceperat inquirendam, diuino potiùs ſeruauit examini: perſtringens tamen, prout breuiter potuit, nihil vel ſibi, vel glorioſiſſimo viro Theuderico regi, de his quæ Papæ dice-

1. Tim. 5. 19.

bantur obiecta patuiſſe. Quibus cognitis, quaſi Senator ipſe Romanus, quaſi Chriſtianus Epiſcopus obteſtor, (ſic diuinitatis, quam colitis, dono temporibus veſtris proſperitas optata ſuccedat; ſic dignitas, qua floretis, vniuerſo orbi ſpeciem Romani nominis mundo labente contineat) vt in conſpectu veſtro non ſit Eccleſiæ minor, quàm Reipublicæ ſtatus; quódque vobis Deus poſſe præſtitit, proſit & nobis: nec minus diligatis in Eccleſia veſtra ſedem Petri, quàm in ciuitate apicem mundi. Si profundo illo tractatus veſtri conſilio rem videtis, non ea tantummodo quæ Romæ geritur cauſa cogitanda eſt. In ſacerdotibus ceteris poteſt, ſi quid fortè nutauerit, reformari. at ſi Papa Vrbis vocatur in dubium, Epiſcopatus iam videbitur non Epiſcopus vacillare. Noſtis bene inter quas hæreſum tempeſtates, veluti ventis circumflantibus, fidei puppem ducamus. Si nobiſcum huiuſmodi pericula formidatis, expedit vt gubernatorem veſtrum participato labore tueamini. aliâs autem quæ ratio eſt, ſi nautis in magiſtrum furêtibus non ſine illorum periculo cedatur iſto diſcrimine? Reddet rationem qui ouili dominico præeſt, qua commiſſam ſibi agnorum curam adminiſtratione diſpenſet. ceterùm non eſt gregis paſtorem proprium terrere, ſed iudicis. Quapropter reddite nobis principalem, ſi tamen necdum eſt reſtituta, concordiam. quia clienti veſtro, venerabili Symmacho preſbytero, idcirco laborem huius fatigationis iniunximus, vt nobis in veſtrarum oraculo litterarum per redintegratæ pacis nuntium ſupplicationis noſtræ referret effectum.

ADMONITIO AD LECTOREM
De canonibus Concilij ſequentis.

QVod in editione ſua monuerat Laur. Surius, Synodi Agathenſis canones in codice Gemblacenſi exſtare tantùm octo & quadraginta; hoc idem à nobis in Lugdunenſi, Remenſi, Corbeienſi, Foſſatenſi, atque in aliis quibuſque antiquiſſimis exemplaribus obſeruatum eſt. Vt dubium minimè videatur, non plures hoc numero conditos primùm à Synodo ipſa fuiſſe: reliquos verò XXV. qui ſupra hunc numerum excurrunt, aliunde poſtea, ſed ex Epaunenſi potiſſimùm Synodo depromptos, atque in hanc Synodi cuiuſpiam alterius auctoritate inſertos eſſe. Quos & diuerſo propterea charactere diſtinguendos curauimus.

CONCILIVM AGATHENSE.

SYNODVS HABITA IN CIVITATE AGATHENSI, ſub die III. Idus Septembres, Meſſala V. C. Conſule, id eſt anno Chriſti DVI. Alarici Gothorum in Gallia Regis XXII. Symmachi Papæ VIII.

TITVLI CANONVM.

1. *De bigamis clericis, vt non miniſtrent.*
2. *De contumacibus clericis.*
3. *De Epiſcopis, qui vel innocentes, vel pro minimis cauſis aliquos excommunicant.*
4. *De his qui ſuas vel propinquorum oblationes Eccleſiæ defraudant.*
5. *Si clericus Eccleſiæ furtum fecerit.*
6. *Si Epiſcopo ab extraneis quicquam fuerit derelictum.*
7. *De rebus Eccleſiæ, quomodo ab Epiſcopis diſtrahantur, & de ſeruis Eccleſiæ, qualiter ab Epiſcopo manumittantur.*
8. *De clericis qui ad ſæculares confugiunt.*
9. *De presbyteris & diaconibus, qui ad coniugalem torum reuertuntur.*
10. *Vt nullus clericorum cum extraneis feminis habitet.*
11. *Ne ancillæ, aut libertæ, ſecretum clericis miniſterium impendant.*
12. *Vt omni Quadrageſimæ ſabbato ieiunetur.*
13. *Vt ſymbolum ante octo dies Paſchæ competentibus prædicetur.*
14. *Vt altare & benedicatur, & vngatur.*
15. *Qualiter maiores, qualiter minores pœnitentiam accipiant.*
16. *Qua ætate diacones ordinentur: & quo modo, ſi fuerint coniugati.*
17. *Qua ætate Epiſcopi, vel presbyteri conſecrentur.*
18. *De laicis quibus temporibus communicare debeant.*
19. *De ſanctimonialibus qua ætate velentur.*
20. *De clericis qui comam nutriunt.*
21. *Vt ſolennitates maiores in ciuitatibus, aut in parochiis celebrentur.*
22. *Vt non liceat presbytero, aut clerico rem Eccleſiæ vendere aut donare.*
23. *Vt clericus minor ſeniori non præponatur.*
24. *De expoſitis inuentis.*
25. *De ſæcularibus, qui ſuas vxores derelinquunt.*
26. *Si quis documenta Eccleſiæ ſupprimat, vel aduerſariis tradat.*
27. *Vt monaſterium nouum inconſulto Epiſcopo nullus conſtituat, & de monachis ſine Abbatis conſenſu non ordinandis.*
28. *Vt monaſteria puellarum procul à monachis conſtituantur.*
29. *De libertis, vt in neceſſitate ab Eccleſia defendantur.*
30. *Vt poſt antiphonas orationes dicantur.*
31. *De his qui propter odium ad pacem non reuertuntur.*
32. *Vt clericus inconſulto Epiſcopo ad iudicem ſæcularem non pergat.*
33. *Si Epiſcopus heredes non habens Eccleſiam, cui præfuit heredem non fecerit.*
34. *De Iudæis qui conuerti cupiunt, qualiter recipiantur.*
35. *Si Epiſcopus à Metropolitano admonitus pro Synodo, vel ordinatione Epiſcopali, venire diſtulerit.*
36. *Vt ſtipendia clericorum iuxta meritum diſtribuantur.*
37. *De homicidis & falſis teſtibus.*
38. *Vt ſine Epiſcopi ſui epiſtola non liceat clerico, vel monacho proficiſci: & de monachis vel abbatibus.*
39. *Vt clerici nuptialia vitent conuiuia.*
40. *Ne Chriſtiani Iudæorum vtantur conuiuiis.*
41. *Vt à clericis vitetur ebrietas.*

42. De

42. *De ſortilegis vel auguratoribus, vt ab Eccleſia ſeparentur.*
43. *Vt de pœnitentibus clericus non ordinetur, & ordinati non miniſtrent.*
44. *Ne presbyter benedictionem populo, vel pœnitenti, in Eccleſia dare præſumat.*
45. *Quòd Epiſcopus exiguas Eccleſiæ poſſeſſiones diſtrahere poteſt.*
46. *Vt ſeruos Eccleſiæ fugitiuos liceat vendere Epiſcopo.*
47. *Vt ante Miſſam expletam egredi populus non præſumat.*
48. *De rebus Epiſcopi propriis vel adquiſitis.*
49. *De non alienandis ab aliquo rebus Eccleſiæ, & de libertis.*
50. *De clericis capitale crimen incurrentibus.*
51. *De teſtamento Epiſcopi.*
52. *De clericis, qui ſine epiſtolis ſui Pontificis proficiſcuntur.*
53. *De presbyteris parochianis res Eccleſiæ diſtrahentibus.*
54. *De eiſdem, vt quicquid emerint, in nomine comparent Eccleſiæ.*
55. *Vt ſacerdotes, & leuitæ, canibus ad venandum, & accipitribus non vtantur.*
56. *De venditionibus, quas Abbates facere præſumunt.*
57. *Ne vnus Abbas duobus cœnobiis præponatur.*
58. *Ne monaſterium ſine notitia Epiſcopi conſtituatur.*
59. *De rebus Eccleſiæ vſui collatis, vt præſcriptionis tempore non defendantur.*
60. *De lapſis, qui de catholica fide in hæreſim tranſeunt.*
61. *De inceſtis coniugiis.*
62. *De his qui ſeruos ſuos extra iudicem necant.*
63. *De laicis qui in ſolennitatibus maioribus ad ciuitatem non occurrunt.*
64. *De clericis qui ab Eccleſiæ officio diebus ſolennibus deſunt.*
65. *De Leuitis, vt non ſine iuſſu presbyteri ſedeant.*
66. *De miniſtris, ne ſecretarium ingrediantur.*
67. *De catholicis, ne hæreticorum connubiis copulentur.*
68. *De leuitis, & clericis, ne magi vel incantatores ſint.*
69. *De ſeditionariis clericis.*
70. *De ſcurris & iocularibus clericis.*
71. *De Synodo annis ſingulis congreganda.*

PRÆFATIO.

CVM in nomine Domini, ex permiſſu domni noſtri glorioſiſſimi, magnificentiſſimi, piiſſimique regis, in ciuitate Agathenſi ſancta Synodus conueniſſet, ibíque flexis in terram genibus, pro regno eius, pro longæuitate, pro populo Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis permiſerat poteſtatem, regnum eius Dominus felicitate extenderet, iuſtitia gubernaret, virtute protegeret; in ſancti Andreæ baſilica conſedimus, de diſciplina & ordinationibus clericorum atque Pontificum, vel de Eccleſiarum vtilitatibus tractaturi.

CANONES.

I. *De bigamis clericis, vt non miniſtrent.*

In primis id placuit, vt canones & ſtatuta patrum per ordinem legerentur. Quibus lectis, placuit de bigamis, aut internuptarum maritis, quanquam aliud patrum ſtatuta decreuerint, vt qui hucuſque ordinati ſunt, habita miſeratione, preſbyterij vel diaconatus nomen tantùm obtineant; officium verò preſbyteri conſecrandi, & miniſtrandi huiuſmodi diacones non præſumant. Conc. Valentin. can. 1.

II. *De contumacibus clericis.*

Contumaces verò clerici, provt dignitatis ordo permiſerit, ab Epiſcopis corrigantur: & ſi qui prioris gradus elati ſuperbia com- D. 1. Contumaces clerici.

munionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur: ita vt, cùm eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatemque recipiant.

III. De Epiſcopis, qui vel innocentes, vel pro minimis cauſis aliquos excommunicant.

11.q.3.Epiſcopi ſi ſacerd. Epiſcopi verò, ſi ſacerdotali moderatione poſtpoſita innocentes, aut minimis cauſis culpabiles, excommunicare præſumpſerint, & ad gratiam feſtinantes recipere fortaſſe noluerint, à vicinis Epiſcopis cuiuſlibet prouinciæ litteris moneantur: & ſi parere noluerint, communio illis vſque ad tempus Synodi à reliquis Epiſcopis non negetur; ne fortaſſe ad excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præueniantur.

IV. De his qui ſuas, vel propinquorum, oblationes Eccleſiæ defraudant.

13.q.2.Clerici vel ſæcul. Clerici etiam, vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamentis relictas, retinere perſtiterint, aut id quod ipſi donauerint Eccleſiis, vel monaſteriis, crediderint auferendum, ſicut Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur. Conc.Vaſenſe can.4.

V. Si clericus Eccleſiæ furtum fecerit.

13.q.2.Clerici vel ſæcul. Si quis clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

VI. Si Epiſcopo ab extraneis quicquam fuerit derelictum.

12.q.3.Pontifices quibus. Pontifices verò, quibus in ſummo ſacerdotio conſtitutis, ab extraneis duntaxat, aliquid, aut cum Eccleſia, aut ſequeſtratim, aut dimittitur, aut donatur, quia hoc ille qui donat pro redemptione animæ ſuæ, non pro commodo ſacerdotis probatur offerre, non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum Eccleſiæ, inter facultates Eccleſiæ computabunt. quia iuſtum eſt, vt ſicut ſacerdos habet quod Eccleſiæ dimiſſum eſt, ita & Eccleſia habeat quod relinquitur ſacerdoti. Sanè quicquid per fideicommiſſum, aut ſacerdotis nomine, aut Eccleſiæ, fortaſſe dimittitur, cuicumque alij poſtmodum profuturum; id inter facultates ſuas Eccleſia computare, aut retinere non poterit.

VII. De rebus Eccleſiæ, quomodo ab Epiſcopis diſtrahantur; & de ſeruis Eccleſiæ, qualiter ab Epiſcopo manumittantur.

10.q.2.Caſellas, vel mancip. Caſellas verò, vel mancipiola Eccleſiæ, Epiſcopi, ſicut priſca canonum præcepit auctoritas, vel vaſa miniſterij, quaſi commendata,

fideli propoſito integro Eccleſiæ iure poſſideant: id eſt, vt neque vendere, neque per quoſcumque contractus res, vnde pauperes viuunt, alienare præſumant. Quòd ſi neceſſitas certa compulerit, vt pro Eccleſiæ aut neceſſitate, aut vtilitate, vel in vſufructu, vel in directa venditione aliquid diſtrahatur, apud duos vel tres comprouinciales, vel vicinos Epiſcopos, cauſa, qua neceſſe ſit vendi, primitus comprobetur: & habita diſcuſſione ſacerdotali, eorum ſubſcriptione quæ facta fuerit venditio roboretur. Aliter facta venditio, vel tranſactio, non valebit. Sanè ſi quos de ſeruis Eccleſiæ bene meritos ſibi Epiſcopus libertate donauerit, collatam libertatem à ſucceſſoribus placuit cuſtodiri, cum hoc quod eis manumiſſor in libertate contulerit. quod tamen iubemus viginti ſolidorum numerum, & modum in terrula, vineola, vel hoſpiriolo tenere. Quod amplius datum fuerit, poſt manumiſſoris mortem Eccleſia reuocabit. Minuſculas verò res, aut Eccleſiæ minus vtiles, peregrinis vel clericis, ſaluo iure Eccleſiæ, in vſum præſtari permittimus.

VIII. *De clericis qui ad ſæculares confugiunt.*

Id etiam placuit, vt clericus, ſi relicto officio ſuo propter diſtrictionem, ad ſæcularem fortaſſe confugerit, & [is ad quem recurrit] ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem de Eccleſiæ communione pellatur. 11.q.5 Placuit vt clericus

IX. *De presbyteris & diaconibus, qui ad coniugalem torum reuertuntur.*

Placuit etiam, vt ſi diacones aut preſbyteri coniugati ad torum vxorum ſuarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, & Siricij Epiſcopi auctoritas, quæ eſt his canonibus inſerta, conſeruetur.

EPISTOLA S. INNOCENTII PAPÆ. Dilectiſſimo fratri Exuperio Innocentius. Conſulenti tibi frater cariſſime, *& poſt alia.* « Propoſuiſti quid de his obſeruari debeat, quos in diaconij miniſterio, aut in officio presbyterij poſitos incontinentes eſſe, aut fuiſſe « generati filij prodiderunt. De his & diuinarum legum manifeſta eſt « diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricij Epiſcopi monita euidentia commearunt, vt incontinentes in officiis talibus poſiti omni « Eccleſiaſtico honore priuarentur, nec admitterentur accedere ad « miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri. *& poſt alia.* « Nam ſi ad aliquos forma illa Eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, « quæ à Siricio Epiſcopo ad prouincias commeauit, non probabitur « perueniſſe, his ignorationis venia remittetur: ita vt de cetero penitus incipiant abſtinere. Et ita gradus ſuos, in quibus inuenti fuerint, « ſic retentent, vt ad potiora eis non liceat aſcendere. Quibus in beneficio eſſe debet, quòd hunc ipſum locum, quem retinent, non «

„ amittunt. Si qui autem ſciſſe formam viuendi miſſam à Siricio Epi-
„ ſcopo detegentur, neque ſtatim cupiditates libidinis abieciſſe, illi
„ ſunt modis omnibus ſubmouendi, qui poſt admonitionem cogni-
„ tam præponendam arbitrati ſunt voluptatem.

X. *Vt nullus clericorum cum extraneis feminis habitet.*

Id etiam ad cuſtodiendam vitam & famam ſpeciali ordinatione præcipimus, vt nullus clericorum extraneæ mulieri qualibet conſolatione, aut familiaritate iungatur. Et non ſolùm in domo illius extranea mulier non accedat; ſed nec ipſe frequentandi ad extraneam mulierem habeat poteſtatem: ſed cum matre tantùm, ſorore, filia, & nepte, ſi habuerit, aut voluerit, viuendi habeat poteſtatem. De quibus nominibus nefas eſt aliud, quàm natura conſtituit, ſuſpicari.

XI. *Ne ancillæ, aut libertæ, ſecretum clericis miniſterium impendant.*

Ancillas vel libertas à cellario, vel à ſecreto miniſterio, & ab eadem manſione, in qua clericus manet, placuit remoueri.

XII. *Vt omni Quadrageſima ſabbato ieiunetur.*

De Conſecr. diſt.3. Placuit vt omnes.

Placuit etiam, vt omnes Eccleſiæ filij, exceptis diebus Dominicis, in Quadrageſima, etiam die ſabbato, ſacerdotali ordinatione, & diſtrictionis comminatione ieiunent.

XIII. *Vt ſymbolum ante octo dies Paſchæ competentibus prædicetur.*

De Conſecr. diſt.4. Symbolum.

Symbolum etiam placuit ab omnibus Eccleſiis vna die, id eſt ante octo dies Dominicæ reſurrectionis, publicè in Eccleſia competentibus tradi.

XIV. *Vt altare & benedicatur, & vngatur.*

De Conſecr. diſt.1. Altaria.

Altaria placuit non ſolùm vnctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari.

XV. *Qualiter maiores, qualiter minores pœnitentiam accipiant.*

D.L. Pœnitentes.

Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impoſitionem manuum & cilicium ſuper caput à ſacerdote, ſicut vbique conſtitutum eſt, conſequantur. Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint, abiiciantur: & niſi dignè pœnituerint, non recipiantur. Iuuenibus etiam pœnitentia non facilè committenda eſt propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte poſitis non negandum.

XVI. *Qua ætate diacones ordinentur: & quo modo, ſi fuerint coniugati.*

D. LXXVII. Epiſcopus benedict.

Epiſcopus benedictionem diaconatus minoribus quàm viginti

quinque annorum penitus non committat. Sanè ſi coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione præmiſſa, poſteaquàm pariter conuerſi fuerint, ordinentur.

XVII. *Qua ætate Epiſcopi, vel presbyteri conſecrentur.*

Preſbyterum verò, vel Epiſcopum, ante triginta annos, id eſt, antequam ad viri perfecti ætatem veniat, nullus Metropolitanorum ordinare præſumat; ne per ætatem, quod aliquoties euenit, aliquo errore culpentur. D. lxxvii. Epiſcopus benedict.

XVIII. *De laicis, quibus temporibus communicare debeant.*

Sæculares, qui Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſtem non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. De Conſecr. diſt. 2. Sæculares.

XIX. *De ſanctimonialibus, qua ætate velentur.*

Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur. 20. q. 1. Sanctimoniales.

XX. *De clericis qui comam nutriunt.*

Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiam ſi noluerint, inuiti detondeantur. veſtimenta vel calciamenta etiam eis, niſi quæ religionem deceant, vti vel habere non liceat. D. xxiii. Clerici qui comam.

XXI. *Vt ſolennitates maiores in ciuitatibus, aut in parochiis celebrentur.*

Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus eſt ordinariuſque conuentus, oratorium in agro habere voluerit; reliquis feſtiuitatibus, vt ibi miſſas teneat, propter fatigationem familiæ, iuſta ordinatione permittimus: Paſcha verò, Natale Domini, Epiphania, Aſcenſionem Domini, Pentecoſtem, & Natalem S. Ioannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus, aut in parochiis teneant. Clerici verò, ſi qui in feſtiuitatibus, quas ſupra diximus, in oratoriis, niſi iubente aut permittente Epiſcopo, Miſſas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur. De Conſecr. diſt. 1. Si quis etiam.

XXII. *Vt non liceat presbytero, aut clerico, rem Eccleſiæ vendere aut donare.*

Et licet ſuperfluum ſit, de re nota, & antiquis canonibus prohibita, iteratò aliquid definire; attamen, quo faciliùs cupiditas, aut improbitas reprimatur, id ſtatuimus, quod omnes canones iubent, 12. q. 2. Statuimus quod omnes.

X iij

vt ciuitatenſes ſiue diœceſani preſbyteri, vel clerici, ſaluo iure Eccleſiæ, rem Eccleſiæ, ſicut permiſerint Epiſcopi, teneant; vendere autem, aut donare, penitus non præſumant. Quòd ſi fecerint, & facta venditio non valebit, & de facultatibus, ſi quas habent proprias, indemnem Eccleſiam reddant, & communione priuentur.

XXIII. *Vt clericus minor ſeniori non præponatur.*

D. LXXIV. Epiſcoporum etiam. Epiſcopus etiam, quorum vita non reprehenditur, poſteriorem priori nullum præponat: niſi fortaſſe elatus ſuperbia, quod pro neceſſitate Eccleſiæ Epiſcopus iuſſerit, implere contemnat. Sanè ſi officium Archidiaconatus propter ſimpliciorem naturam implere, aut expedire nequiuerit, ille loci ſui nomen teneat, & ordinationi Eccleſiæ quem elegerit Epiſcopus præponatur.

XXIV. *De expoſitis inuentis.*

Conc. Vaſenſe can. 9. De expoſitis id obſeruandum, quod iam dudum Synodus ſancta conſtituit.

XXV. *De ſæcularibus, qui ſuas vxores derelinquunt.*

33. q. 2. Sæculares qui coniugale. Hi verò ſæculares, qui coniugale conſortium culpa grauiore dimittunt, vel etiam dimiſerunt, & nullas cauſas diſcidij probabiliter proponentes, propterea ſua matrimonia dimittunt, vt aut illicita, aut aliena præſumant: ſi antequam apud Epiſcopos comprouinciales diſcidij cauſas dixerint, & priùs vxores, quàm iudicio damnentur, abiecerint; à communione Eccleſiæ, & ſancto populi cœtu, pro eo quòd fidem & coniugia maculant, excludantur.

XXVI. *Si quis documenta Eccleſiæ ſupprimat, vel aduerſariis tradat.*

12. q. 2. Si quis de clericis. Si quis de clericis documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut aduerſariis fortaſſe tradere, damnabili & punienda obſtinatione præſumpſerit, quicquid per abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illatum eſt, de propriis facultatibus reddat, & communione priuetur. Hi etiam, qui in damno Eccleſiæ inſtrumenta Eccleſiæ, impiè ſollicitatis traditoribus, ſuſceperint, pari ſententia feriantur.

XXVII. *Vt monaſterium nouum inconſulto Epiſcopo nullus conſtituat, & de monachis ſine Abbatis conſenſu non ordinandis.*

18. q. 2. De monachis monaſt. 16. q. 1. Monachi vagantes. Monaſterium nouum, niſi Epiſcopo, aut permittente, aut probante, nullus incipere, aut fundare præſumat. Monachi etiam vagantes ad officium clericatus, niſi eis teſtimonium Abbas ſuus dederit, nec in ciuitatibus, nec in parœciis ordinentur. Monachum, niſi Abbatis ſui aut permiſſu, aut voluntate, ad alterum monaſterium

commigrantem nullus Abbas ſuſcipere, aut retinere præſumat: ſed vbicumque fuerit, Abbati ſuo auctoritate canonum reuocetur. Si neceſſe fuerit clericum de monachis ordinari, cum conſenſu & voluntate Abbatis præſumat Epiſcopus.

XXVIII. *Vt monaſteria puellarum procul à monachis conſtituantur.*

.Monaſteria puellarum longiùs à monaſteriis monachorum, aut propter inſidias diaboli, aut propter oblocutiones hominum, conlocentur. 18 q. 2. Monaſteria puellarum.

XXIX. *De libertis, vt in neceſsitate ab Eccleſia defendantur.*

Libertos legitimè à dominis ſuis factos Eccleſia, ſi neceſſitas exegerit, tueatur. quos ſi quis ante audientiam, aut peruadere, aut exſpoliare præſumpſerit, ab Eccleſia repellatur. D. LXXXVII. Libertos.

XXX. *Vt poſt antiphonas orationes dicantur.*

Et quia conuenit ordinem Eccleſiæ ab omnibus æqualiter cuſtodiri, ſtudendum eſt, vt ſicut vbique fit, & poſt antiphonas collectiones per ordinem ab Epiſcopis vel preſbyteris dicantur, & hymni matutini vel veſpertini diebus omnibus decantentur, & in concluſione matutinarum vel veſpertinarum Miſſarum, poſt hymnos capitella de pſalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad veſperam ab Epiſcopo cum benedictione dimittatur. De Conſecr. diſt. 1. Conuenit ordinem.

XXXI. *De his qui propter odium ad pacem non reuertuntur.*

Placuit etiam, vt ſicut plerumque fit, quicumque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem reuocari diutina intentione nequiuerint, à ciuitatis primitus ſacerdotibus arguantur. Qui ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione pellantur. D. xc. Placuit etiam, vt.

XXXII. *Vt clericus, inconſulto Epiſcopo, ad iudicem ſæcularem non pergat.*

Clericus ne quemquam præſumat apud ſæcularem iudicem, Epiſcopo non permittente, pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit, reſpondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari proponere. Si quis verò ſæcularium per calumniam Eccleſiam, aut clericum, fatigare tentauerit, & victus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus, & à catholicorum communione, niſi dignè pœnituerit, arceatur. 11 q. 1. Clericum nullus præſumat. 5. q. 6 Si quis verò ſæcul.

XXXIII. *Si Epiſcopus heredes non habens, Eccleſiam cui præfuit heredem non fecerit.*

Epiſcopus, qui filios aut nepotes non habens, alium quàm Ec- 12. q. 2. Epiſcopus qui filios.

cleſiam relinquit heredem, ſi quid de Eccleſia non in Eccleſiæ cauſa aut neceſſitate præſumpſit, quod diſtraxit, aut donauit, irritum habeatur. Qui verò filios habet, de bonis quæ relinquit, ab heredibus eius indemnitatibus Eccleſiæ conſulatur.

XXXIV. *De Iudæis qui conuerti cupiunt, qualiter ſuſcipiantur.*

De Conſecr. diſt. 4. Iudæi, quorum.

Iudæi, quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, ſi ad legem catholicam venire voluerint, octo menſibus inter catechumenos Eccleſiæ limen introëant: & ſi pura fide venire noſcuntur, tum demum baptiſmatis gratiam mereantur. Quòd ſi caſu aliquo periculum infirmitatis intra præſcriptum tempus incurrerint, & deſperati fuerint, baptizentur.

XXXV. *Si Epiſcopus à Metropolitano monitus pro Synodo, vel ordinatione Epiſcopali, venire diſtulerit.*

D. xviii. Si Epiſcopus Metrop.

Si Metropolitanus Epiſcopus ad comprouinciales Epiſcopos epiſtolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem ſummi Pontificis, aut ad Synodum inuitet, poſtpoſitis omnibus, excepta graui infirmitate corporis, aut præceptione regia, ad conſtitutam diem adeſſe non differant. Quòd ſi defuerint, ſicut priſca canonum præcipit auctoritas, vſque ad proximam Synodum, caritate fratrum & Eccleſiæ communione priuentur.

Conc. Arelat. II. can. 19.

XXXVI. *Vt ſtipendia clericorum iuxta meritum diſtribuantur.*

1. q. 2. Clerici omnes.

Clerici etiam omnes, qui Eccleſiæ fideliter vigilantérque deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui meritum, vel ordinationem canonum, à ſacerdotibus conſequantur.

XXXVII. *De homicidis & falſis teſtibus.*

24. q. 3. Itaque cenſuimus.

Itaque cenſuimus homicidas & falſos teſtes à communione Eccleſiaſtica ſubmouendos, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimina admiſſa diluerint.

XXXVIII. *Vt ſine Epiſcopi ſui epiſtola non liceat clerico, vel monacho proficiſci. & de monachis vel Abbatibus.*

20. q. 4. Monachum niſi.

Clericis ſine commendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui licentia non pateat euagandi. In monachis quoque par ſententiæ forma ſeruetur. quos ſi verborum increpatio non emendauerit, etiam verberibus ſtatuimus coërceri. Seruandum quoque de monachis, ne eis ad ſolitarias cellulas liceat à congregatione diſcedere, niſi fortè probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem, aſperior ab Abbatibus regula remittatur. Quod ita demum fiet, vt intra eadem monaſterij ſepta manentes, tamen ſub Abbatis poteſtate ſeparatas

paratas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque ſingulis diuerſas cellulas, aut plura monaſteria habere non liceat, niſi tantùm propter incurſum hoſtilitatis intra muros receptacula conlocare.

XXXIX. *Vt clerici nuptialia vitent conuiuia.*

Preſbyteri, diacones, ſubdiacones, vel deinceps, quibus ducendi vxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, nec his cœtibus admiſceantur, vbi amatoria cantantur & turpia, aut obſceni motus corporum choris & ſaltibus efferuntur: ne auditus & obtutus ſacris myſteriis deputati turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur. D. xxxiv. Preſbyteri.

XL. *Ne Chriſtiani Iudæorum vtantur conuiuiis.*

Omnes deinceps clerici, ſiue laici, Iudæorum conuiuia euitent: nec eos ad conuiuium quiſquam excipiat. Quia cùm apud Chriſtianos cibis communibus non vtantur, indignum eſt, atque ſacrilegum, eorum cibos à Chriſtianis ſumi; cùm ea, quæ Apoſtolo permittente nos ſumimus, ab illis indicentur immunda: ac ſic inferiores incipiant eſſe Chriſtiani, quàm Iudæi, ſi nos quæ ab illis apponuntur vtamur, illi verò à nobis oblata contemnant. 28. q. 1. Omnes deinceps.

XLI. *Vt à clericis vitetur ebrietas.*

Ante omnia à clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt. Itaque eum quem ebrium fuiſſe conſtiterit, vt ordo patitur, aut triginta dierum ſpatio à communione ſtatuimus ſubmouendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio. D. xxxv. Ante omnia.

XLII. *De ſortilegis, vel auguratoribus, vt ab Eccleſia ſeparentur.*

Ac ne id fortaſſe videatur omiſſum, quod maximè fidem catholicæ religionis infeſtat, quòd aliquanti clerici, ſiue laici, ſtudent auguriis, & ſub nomine fictæ religionis, per eas quas ſanctorum ſortes vocant diuinationis ſcientiam profitentur, aut quarumcumque ſcripturarum inſpectione futura promittunt: hoc quicumque clericus, vel laicus detectus fuerit, vel conſulere, vel docere, ab Eccleſia habeatur extraneus. 26. q. 5. Aliquanti clerici.

XLIII. *Vt de pœnitentibus clericus non ordinetur, & ordinati non miniſtrent.*

De pœnitentibus id placuit obſeruare, quod ſancti patres noſtri Synodali ſententia cenſuerunt, vt nullus de his clericus ordinetur, & qui iam ſunt per ignorantiam ordinati, vt ſicut bigami, aut internuptarum mariti, locum teneant, miniſtrare diaconus, aut conſecrare altare huiuſmodi preſbyter non præſumat. Conc. Carthag. IV. c. 68. 26. q. 6. Miniſtrare diac.

XLIV. *Ne presbyter benedictionem populo, vel pœnitenti in Eccleſia dare præſumat.*

16 q. 6 Miniſtrare diac. Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere preſbytero penitus non licebit.

XLV. *Quòd Epiſcopus exiguas Eccleſiæ poſſeßiones diſtrahere poteſt.*

12. q. 2. Terrulas aut. Terrulas aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus vtiles, aut longè poſitas paruas, Epiſcopus ſine conſilio fratrum, ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habeat poteſtatem.

XLVI. *Vt ſeruos Eccleſiæ fugitiuos liceat vendere Epiſcopo.*

12. q. 2. Fugitiui. Fugitiui etiam, domos ſuas aut familias deſerentes, qui etiamſi reuocati fuerint teneri non poſſunt, ſimili ratione ab Epiſcopo, ſi voluerit, aut ſi ita illi meruerint, diſtrahantur.

XLVII. *Vt ante Miſſam expletam egredi populus non præſumat.*

De Conſecr. diſt. 1. Miſſas. Miſſas die Dominico à ſæcularibus totas teneri ſpeciali ordinatione præcipimus: ita vt ante benedictionem ſacerdotis egredi populus non præſumat. Qui ſi fecerint, ab Epiſcopo publicè confundantur.

Canones qui dehinc ſequuntur vſque ad canonem LXX. etſi pro Agathenſibus agniti ſunt à Gratiano, & ab aliis, in antiquiſſimis tamen exemplaribus non extant; adiectique poſtea huic Synodo videntur ex canonibus maximè Concilij Epaunenſis, vt dictum eſt.

XLVIII. *De rebus Epiſcopi propriis vel adquiſitis.*

12. q. 1. Epiſcopi de rebus. Vt de rebus Epiſcopi propriis vel adquiſitis, vel quicquid Epiſcopus de ſuo proprio haber, heredibus ſuis, ſi voluerit, derelinquat. Quicquid verò de prouiſione Eccleſiæ ſuæ fuerit, ſiue de agris, ſiue de frugibus, ſiue de oblationibus, omnia in iure Eccleſiæ reſeruare cenſuimus.

XLIX. *De non alienandis rebus Eccleſiæ, & de libertis.*

12. q. 2. Diaconi, vel pr. Diacones, vel preſbyteri in parochia conſtituti de rebus Eccleſiæ ſibi creditis nihil audeant commutare, vendere, vel donare, quia res ſacratæ Deo eſſe noſcuntur. Similiter & ſacerdotes nihil de rebus Eccleſiæ ſibi commiſſæ, vt ſuperiùs comprehenſum eſt, alienare præſumant. Quod ſi fecerint, conuicti in Concilio, & ab honore depoſiti, de ſuo aliud tan-
12. q. 2. Si quis qualibet. tum reſtituant, quantum viſi ſunt præſumpſiſſe. Sanè ſi quis pro qualiber conditione de rebus Eccleſiæ aliquid alienare præſumpſerit, ſi de ſuo proprio tantum Eccleſiæ contulerir, quantum viſus eſt abſtuliſſe, tunc de-
12. q. 2. Diaconi, vel pr. mum iſtud ſtare licebir. Libertos tamen, quos ſacerdotes, preſbyteri, vel diaconi, de Eccleſia ſibi commiſſa facere voluerinr, actus Eccleſiæ proſequi iubemus. Quod ſi facere contempſerint, placuir eos ad proprium reuerti ſeruitium.

L. *De clericis capitale crimen incurrentibus.*

Si Epiſcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus in monaſterio retrudatur; & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat. D.1. Si Epiſcopus, presb.

LI. *De teſtamento Epiſcopi.*

Si Epiſcopus condito teſtamento aliquid de Eccleſiaſtici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, niſi tantumdem de iuris proprij facultate ſuppleuerit. 12. q. 5. Si Epiſcopus condito teſtam.

LII. *De clericis qui ſine epiſtolis ſui Pontificis proficiſcuntur.*

Presbytero, aut diacono, vel clerico, ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.

LIII. *De presbyteris parochianis res Eccleſiæ diſtrahentibus.*

Quicquid parochiarum presbyter de Eccleſiaſtici iuris proprietate diſtraxerit, inane habeatur & vacuum, vendicatione comparantis, & actione vendentis. 12. q. 2. Quicquid paroch.

LIV. *De eiſdem, vt quicquid emerint in nomine comparent Eccleſiæ.*

Presbyter, dum diœceſim tenet, de his quæ emerit ad Eccleſiæ nomen ſcripturam faciat, aut ab eius, quam tenuit, Eccleſiæ ordinatione diſcedat. 12. q. 4. Presbyter, dum.

LV. *Vt ſacerdotes & leuitæ canibus ad venandum, & accipitribus non vtantur.*

Epiſcopis, presbyteris, diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat. Quòd ſi quis talium perſonarum in hac voluntate detectus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat, presbyter duobus menſibus ſe abſtineat, diaconus vno ab omni officio vel communione ceſſabit. D. xxxiv. Epiſcopum, presbyt.

LVI. *De venditionibus quas Abbates facere præſumunt.*

In venditionibus, quas Abbates facere præſumunt, hæc forma ſeruetur, vt quicquid ſine Epiſcopi noritia venditum fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi reuocetur. Mancipia verò monachis donata ab Abbate non liceat manumitti. Iniuſtum enim putamus, vt monachis quotidianum rurale opus facientibus, ſerui eorum libertatis otio potiantur. 17. q. 4. In vẽditionibus.

LVII. *Ne vnus Abbas duobus cœnobiis præponatur.*

Vnum Abbatem duobus monaſteriis interdicimus præſidere. 21. q. 1. Vnum Abbatem.

LVIII. *Ne monaſterium ſine notitia Epiſcopi conſtituatur.*

Cellulas nouas, aut congregatiunculas monachorum, abſque notitia Epiſcopi prohibemus inſtitui. 18. q. 1. Cellulas nouas.

LIX. *De rebus Eccleſiæ vſui collatis, vt præſcriptionis tempore non defendantur.*

Clerici quilibet quæcumque diuturnitate temporis de Eccleſiæ remu- 16. q. 3. Clerici quilibet.

neratione poſſederint, in ius proprium præſcriptione temporis non vocentur, dummodo pateat Eccleſiæ rem fuiſſe: ne videantur etiam Epiſcopi adminiſtrationes prolixas, aut precatorias, quum ordinati ſunt, facere debuiſſe, aut diu retentas facultates in ius proprietatis ſuæ poſſe tranſcribere.

LX. *De lapſis, qui de catholica fide in hæreſim tranſeunt.*

Lapſis, id eſt qui in catholica fide baptizati ſunt, ſi præuaricatione damnabili pòſt in hæreſim tranſierint, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas. Quibus nos, annorum multitudine breuiata, pœnitentiam biennij conditione infraſcriptæ obſeruationis imponimus, vt præſcripto biennio tertiò ſine relaxatione ieiunent, & Eccleſiam ſtudeant frequentare. In pœnitentium loco ſtandi & orandi humilitatem ita nouerint obſeruandam, vt etiam ipſi, cùm catechumeni egredi commonentur, abſcedant. Hoc ſi obſeruare voluerint, conſtituto tempore admittendis ad altarium obſeruatio relaxetur. Quòd ſi ardua vel dura fortè putauerint, ſtatuta præteritorum canonum implere debebunt.

LXI. *De inceſtis coniugiis.*

35. q. 2. & 3. De inceſtis. De inceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ pene priùs ſoror extiterat, carnali coniunctione polluerit: ſi quis frater germanam vxoris acceperit: ſi quis nouercam duxerit: ſi quis conſobrinæ ſe ſociauerit: ſi quis relictæ vel filiæ auunculi miſceatur; aut patrui filiæ, vel priuignæ ſuæ: aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit vxorem. Quos omnes & olim, atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus, & inter catechumenos vſque ad legitimam ſatisfactionem manere, & orare præcipimus. Quod ita præſenti tempore prohibemus, vt ea quæ ſunt hactenus inſtituta non diſſoluamus. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

LXII. *De his qui ſeruos ſuos extra iudicem necant.*

Si quis ſeruum proprium ſine conſcientia iudicis occiderit, excommunicatione, vel pœnitentia biennij reatum ſanguinis emendabit.

LXIII. *De laicis, qui ſolennitatibus maioribus ad ciuitatem non occurrunt.*

Vt ciues, qui ſuperiorum ſolennitatum, id eſt Paſchæ, ac Natalis Domini, vel Pentecoſtes feſtiuitatibus cum Epiſcopis intereſſe neglexerint, (cùm in ciuitatibus communionis, vel benedictionis accipiendæ cauſa poſitos ſe noſſe debeant) triennio à communione priuentur Eccleſiæ.

LXIV. *De clericis, qui ab Eccleſiæ officio diebus ſolennibus deſunt.*

7. q. 1. Si quis in clero. Si quis in clero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolennibus defuerit, id eſt, Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha, vel Pentecoſte, dum po-

tiùs ſæcularibus luctis ſtudet, quàm ſeruitio Dei patet, conuenir vt triennio à communione ſuſpendatur. Similiter diaconus, vel preſbyter, ſi ttes hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerint, huic damnatione ſuccumbanr.

LXV. *De leuitis, vt non ſine iuſſu presbyteri ſedeant.*

Quoniam non oportet diaconem ſedere pтæſente preſbytero, ſed ex iuſſione preſbyteri ſedeat. Similiter aùtem honorificetut diaconus à miniſtris inferiotibus, & clericis. D.xcııı.Non oportet diac.

LXVI. *De miniſtris, ne ſecretarium ingrediantur.*

Quoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium, quod Græci diaconicon appellant, ingredi, & contingere vaſa dominica. D.xxııı.Non oportet inſac.

LXVII. *De catholicis, ne hæreticorum connubiis copulentur.*

Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia, & vel filios, vel filias dare, ſed potiùs accipere, ſi tamen profitentur Chriſtianos futuros eſſe ſe, & catholicos. 28.q.1. Non oportet cum.

LXVIII. *De leuitis & clericis, ne magi vel incantatores ſint.*

Quoniam non oportet miniſtros altaris, aut clericos, magos & incantatores eſſe, aut facere quæ dicunt phylacteria, quæ ſunt magna obligamenta animarum. Hos autem, qui talibus vtuntur, ptoiici ab Eccleſia iuſſimus. 26.q.5.Non oportet min.

LXIX. *De ſeditionariis clericis.*

Seditionarios nunquam ordinandos clericos, ſicut nec vſurarios, vel iniuriarum ſuarum vltores. D.xlvı.Seditionarios.

LXX. *De ſcurris & iocularibus clericis.*

Clericum ſcurrilem, & verbis turpibus ioculatorem, ab officio retrahendum. D.xlvı.Clericum ſcurr.

LXXI. *De Synodo annis ſingulis congreganda.*

Synodum etiam ſecundum conſtituta patrum annis ſingulis placuit congregari. Et quia in nomine Domini omnibus ſalubriter conſtitutis Synodus cum pace dimittitur, gratias Deo primitus, & domno noſtro regi agamus, orantes diuinam clementiam, vt hæc eadem facere & docere per multos annos in honorem Domini poſſimus.

SVBSCRIPTIONES.

EGO CÆSARIVS in Chriſti nomine Epiſcopus Arelatenſis, iuxta id quod vniuerſis ſanctis coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, ſtatuta patrum ſecutus, his definitionibus ſubſcripſi. Not. ſub die III. Idus Septembris, Meſſala V.C. Conſule, anno xxii. regni domni noſtri Alarici regis.

Cyprianus Epiſcopus de Burdigala Metropoli ſubſcripſi.

Clarus Epiſcopus de ciuitate Eluſa Metropoli ſubſcripſi.
Tetradius Epiſcopus de Biturica Metropoli ſubſcripſi.
Heraclianus Epiſcopus Toloſanæ ciuitatis ſubſcripſi.
Sophronius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Agathenſis ſubſctipſi.
Sedatus in nomine Domini Nemauſenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Quintianus Epiſcopus Rutenæ ciuitatis ſubſcripſi.
Sabinus Epiſcopus Albigenſis ciuitatis ſubſcripſi.
Boëtius Epiſcopus de Cadurcis ſubſcripſi.
Gratianus Epiſcopus de Aquis ſubſcripſi.
Nicetius propitio Deo Epiſcopus de Auſciis ſubſcripſi.
Suauis Epiſcopus de Conuenis ſubſcripſi.
Galactorius Epiſcopus de Benarno ſubſcripſi.
Gratus Epiſcopus de ciuitate Olorone ſubſcripſi.
Vigilius Epiſcopus de ciuitate Lactorenſi ſubſcripſi.
Maternus in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Luteuenſis ſubſcripſi.
Petrus Epiſcopus de Palatio ſubſcripſi.
Glycerius in Chriſti nomine Epiſcopus Conſoranicæ ciuitatis ſubſcripſi.
Chronopius Epiſcopus de ciuitate Petrocorica ſubſcripſi.
Probatius in Chriſti nomine Epiſcopus de Vcetia ſubſcripſi.
Agrœcius in Chriſti nomine Epiſcopus de Antipoli ſubſcripſi.
Marcellus Epiſcopus de Sanetio ſubſcripſi.
Pentadius Epiſcopus de Dinia ſubſcripſi.
Auilius presbyter miſſus à domino meo Caprario Epiſcopo Narbonenſe ſubſcripſi.
Ioannes presbyter miſſus à domino meo Victorino Epiſcopo de ciuitate Foroiuli ſubſcripſi.
Ingenuus presbyter miſſus à domino meo Apro Epiſcopo Bigorritanæ ciuitatis ſubſcripſi.
Paulinus in Dei nomine presbyter miſſus à domno meo Eufraſio Epiſcopo ciuitatis Aruernæ ſubſcripſi.
Pompeius presbyter miſſus à domino meo Iuliano Epiſcopo de Auennica ciuitate ſubſcripſi.
Polemius presbyter miſſus à domino meo Sextilio Epiſcopo de Vaſatis ciuitate ſubſcripſi.
Petrus presbyter miſſus à domino meo Marcello Epiſcopo de ciuitate Vicoiuli ſubſcripſi.
Firminus presbyter miſſus à domino meo Pappolo Epiſcopo ſubſcripſi.
Optimus diaconus miſſus à domino meo Leonico Epiſcopo Gabalum ciuitatis ſubſcripſi.
Leo diaconus miſſus à domino meo Vero Epiſcopo Turonicæ ciuitatis ſubſcripſi.

REMIGII EPISCOPI REMORVM EPISTOLA II.
Ad Clodoueum Regem.

Hortatoria, cùm Rex ad bellum Gothicum ſe accingeret.

DOMINO INSIGNI ET MERITIS MAGNIFICO, Chlodoueo Regi, Remigius Epiſcopus.

RVMOR ad nos magnus peruenit, adminiſtrationem vos ſecundam rei bellicæ ſuſcepiſſe. Non eſt nouum, vt cœperis eſſe ſicut parentes tui ſemper fuerunt. Hoc in primis agendum, vt Domini iudicium à te non vacillet, vbi tui meriti, qui per induſtriam humilitatis tuæ ad ſummum culminis peruenit: quia quod vulgo dicitur, ex fine actus hominis probatur. Conſiliarios tibi adhibere debes, qui famam tuam poſſint ornare. Et beneficium tuum caſtum, & honeſtum eſſe debet, & ſacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum conſilia ſemper recurrere. Quòd ſi tibi benè cum illis conuenerit, prouincia tua melius poteſt conſtare. Ciues tuos erige, afflictos releua, viduas foue, orphanos nutri, ſi potius eſt quàm erudies, vt omnes te ament & timeant. Iuſtitia ex ore veſtro procedat, nihil ſit ſperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona, aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat, vt nullus exinde triſtis abſcedat. Paternas quaſcumque opes poſſides, captiuos exinde liberabis, & à iugo ſeruitutis abſolues. Si quis in conſpectu veſtro venerit, peregrinum ſe eſſe non ſentiat. Cum iuuenibus iocare; cum ſenibus tracta, ſi vis regnare nobilis iudicari.

ADMONITIO AD LECTOREM
De Epiſtola ſequenti.

QVæ ſequitur epiſtola Clodouei Regis, non ſolùm in vulgatis, ſed in antiquis etiam exemplaribus nonnullis, cum Aurelianenſi Concilio ita cohæret, quaſi ad Synodum illam pertineat, ad eamque ſcripta ſit. Vnde & alteram quoque Synodi epiſtolam ad Clodoueum, quæ initio Concilij præfixa eſt, huic epiſtolæ reſpondere arbitrati ſunt. Quorum vtrumque falſum eſſe, qui rem propiùs inſpexerit, facilè ſtatuet. Deprehendet enim huic epiſtolæ cum Synodo commune nihil eſſe, eamque multo ante Synodum, poſt expeditionem ſcilicet Gothicam, vt adnotauimus, non ad Synodum, ſed ad vniuerſos generatim Epiſcopos de alia re ſcriptam fuiſſe. Quare à Concilio ſeiungendam, ſeorſimque ſuo loco edendam curauimus.

CLODOVEI REGIS EPISTOLA AD EPISCOPOS.

Poſt bellum Gothicum ſcripta, de captiuis tum clericis, tum laicis, Epiſcoporum arbitrio & teſtimonio relaxandis.

DOMINIS SANCTIS ET APOSTOLICA SEDE digniſſimis Epiſcopis Chlothouechus Rex.

ENVNTIANTE fama, quid actum fuerit vel præceptum omni exercitui noſtro, priuſquam in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem veſtram præterire non potuit. In primo quoque de miniſterio Eccleſiarum omnium præcepimus, vt nullus ad ſubripiendum in aliquo conaretur; neque de ſanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini deuotæ eſſe probarentur. Simili conditione & de clericis, vel filiis ſupradictorum, tam clericorum, quàm viduarum, qui cum illis in domo ipſorum conſiſtere videbantur. Idem & de ſeruis Eccleſiarum, quos de Eccleſiis tractos per Epiſcoporum ſacramenta conſtiterit, præceptum eſt obſeruare, vt nullus ex ipſis aliquam violentiam vel damnum pateretur. Quod ita ad integrum eſt agnoſcendum, vt ex his ſupradictis, ſi aliquis vim captiuitatis pertuliſſet, ſiue in Eccleſia, ſiue extra Eccleſiam, omnino ſine aliqua dilatione reddendos eſſe præcipiamus. De ceteris quidem captiuis laicis, qui extra pacem ſunt captiuati, & fuerint approbati, apoſtolia cui volueritis arbitrij veſtri eſt non negandum. Nam de his qui in pace noſtra, tam clerici, quàm laici ſubrepti fuerint, ſi veraciter agnoſcitis, veſtras epiſtolas de anulo veſtro infra ſignatas ſic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte noſtra præceptionem latam noueritis eſſe firmandam. Sic tamen populus noſter petit, vt cuicumque epiſtolas veſtras præſtare fueritis dignati, cum ſacramento per Deum, & benedictione veſtra dicere non tardetis rem iſtam quæ poſcitur veram eſſe: quia multorum varietates vel falſitates inuentæ ſunt, vt comprehendatur, ſicut ſcriptum eſt, perit iuſtus cum impio. Orate pro me, Domini ſancti, & Apoſtolica ſede digniſſimi Papæ.

CONCILIVM

CONCILIVM AVRELIANENSE I.

CLODOVEI FRANCORVM REGIS EVOcatione celebratum, ſub die VI. Idus Iulias, Felice V.C. Conſule, anno Chriſti DXI. Symmachi Papæ XIII. Clodouei eiuſdem Regis XXX.

TITVLI CANONVM.

1. De criminoſis qui ad Eccleſiam confugiunt.
2. Si ad Eccleſiam raptor cum rapta cõfugerit.
3. De ſeruis, qui ad Eccleſiam confugiunt.
4. De ordinatione clericorum, & vt filij clericorum in Epiſcopi ſint poteſtate.
5. Qualiter ab Epiſcopo facultates Eccleſiæ diſpenſentur.
6. Eum qui ab Epiſcopo aliquid repetit, non excommunicandum.
7. Vt clerici ſine commendatitiis Epiſcopi ſui ad regem non accedant.
8. Si ſeruus inſcio domino fuerit ordinatus.
9. Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiſerint.
10. De clericis ab hæreſi conuerſis, & de baſilicis Gothorum.
11. De pœnitentibus qui ad ſæcularia redierint.
12. Quòd clericus pœnitẽtibus baptizare liceat.
13. De relictis clericorum, ſi alii nupſerint.
14. De oblationibus fidelium.
15. De his quæ in parochianis Eccleſiis offeruntur.
16. Vt Epiſcopus pauperes & infirmos tueatur.
17. Vt baſilicæ in cuius territorio ſunt, in eius Epiſcopi maneant poteſtate.
18. Ne quis defuncti fratris relictam, vel amiſſæ vxoris ſuæ ſororem ducat.
19. Vt Abbates Epiſcopis, monachi Abbatibus ſubſint, & de monachis vagis.
20. Vt monachi orario, vel tzangis non vtãtur.
21. Si monachus vxorem duxerit.
22. Vt monachus cellam ſibi ſine permiſſu non conſtruat.
23. Vt in terris Eccleſiæ præſcriptio locum non habeat.
24. Vt ante Paſcha Quadrageſima obſeruetur, non Quinquageſima.
25. Vt maiores feſtiuitates nullus ciuium in villa celebret.
26. Vt populus ante completam Miſſam egredi non præſumat.
27. De Litaniis ante Aſcenſionem Domini celebrandis.
28. De clericis qui ad Litanias venire contempſerint.
29. De vitanda familiaritate extranearum mulierum.
30. De diuinationibus, & ſortibus Sanctorum.
31. Vt Epiſcopus ab Eccleſia die Dominico non abſit.

EPISTOLA SYNODI AD CLODOVEVM REGEM.

DOMINO ſuo catholicæ Eccleſiæ filio, Chlothouecho glorioſiſſimo regi, omnes ſacerdotes quos ad Concilium venire iuſſiſtis. QVIA tanta ad religionis catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, vt ſacerdotalis mentis affectu ſacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in vnum colligi iuſſeritis, ſecundum voluntatis veſtræ conſultationem, & titulos

quos dediſtis, ea quæ nobis viſum eſt definitione reſpondimus; ita vt ſi ea quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe iudicio comprobantur, tanti conſenſus regis ac domini maiori auctoritate ſeruandam tantorum firmet ſententiam ſacerdotum.

PRÆFATIO.

CVM auctore Deo, ex euocatione glorioſiſſimi regis Chlothouechi, in Aurelianenſi vrbe fuiſſet Concilium ſummorum Antiſtitum congregatum, communi omnibus conlatione complacuit, vt hoc quod verbis ſtatuerunt, etiam ſcripturæ teſtimonio roborarent.

CANONES.

I. *De criminoſis, qui ad Eccleſiam confugiunt.*

De homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad Eccleſiam confugerint, id conſtituimus obſeruandum, quod Eccleſiaſtici canones decreuerunt, & lex Romana conſtituit: vt ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi, eos abſtrahi omnino non liceat, ſed nec aliter conſignari, niſi ad Euangelia datis ſacramentis de morte, de debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri: ita vt ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conueniat. Quòd ſi ſacramenta ſua quis conuictus fuerit violaſſe, reus periurij non ſolùm à communione Eccleſiæ, vel omnium clericorum, verùm etiam & à catholicorum conuiuio ſeparetur. Quòd ſi is, cui reus eſt, noluerit ſibi intentione faciente componi, & ipſe reus de Eccleſia actus timore diſceſſerit, ab Eccleſiæ clericis non quæratur.

17. q. 4. Id cõſtituimus.

II. *Si ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit.*

36 q. 1. De raptoribus.

De raptoribus autem id cuſtodiendum eſſe cenſuimus, vt ſi ad Eccleſiam raptor cum rapta confugerit, & feminam ipſam violentiam pertuliſſe conſtiterit, ſtatim liberetur de poteſtate raptoris, & raptor, mortis vel pœnarum impunitate conceſſa, aut ſeruiendi conditioni ſubiectus ſit, aut redimendi ſe liberam habeat facultatem. Si verò quæ rapitur patrem habere conſtiterit, & puella raptori, aut rapienda, aut rapta, conſenſerit, poteſtati patris excuſata reddatur, & raptor à patre ſuperioris conditionis ſatisfactione teneatur obnoxius.

III. *De ſeruis, qui ad Eccleſiam confugiunt.*

17 q. 4. Id cõſtituimus.

Seruus qui ad Eccleſiam pro qualibet culpa confugerit, ſi à domino pro admiſſa culpa ſacramenta ſuſceperit, ſtatim ad ſeruitium Domini ſui redire cogatur. ſed poſteaquam datis à domino ſacramentis fuerit conſignatus, ſi aliquid pœnæ pro eadem culpa qua ex-

cuſatur probatus fuerit pertuliſſe; pro contemptu Eccleſiæ, & præuaricatione fidei, à communione & conuiuio catholicorum, ſicut ſuperiùs comprehenſum eſt, extraneus habeatur. Sin verò ſeruus pro culpa ſua ab Eccleſia defenſatus ſacramenta domini, clericis exigentibus, de impunitate perceperit, exire nolentem à domino liceat occupari.

IV. *De ordinatione clericorum, & vt filij clericorum in Epiſcopi ſint poteſtate.*

De ordinationibus clericorum id obſeruandum eſſe decreuimus, vt nullus ſæcularium ad clericatus officium præſumatur, niſi aut cum regis iuſſione, aut cum iudicis voluntate: ita vt filij clericorum, id eſt patrum, auorum, ac proauorum, quos ſupradicto ordine parentum conſtat obſeruationi ſubiunctos, in Epiſcoporum poteſtate ac diſtrictione conſiſtant.

V. *Qualiter ab Epiſcopo facultates Eccleſiæ diſpenſentur.*

De oblationibus vel agris, quos domnus noſter Rex Eccleſiis ſuo munere conferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus Deo inſpirante contulerit, ipſorum agrorum vel clericorum immunitate conceſſa, id eſſe iuſtiſſimum definimus, vt in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis ſacerdotum, & pauperum, vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur, & clerici ad adiutorium Eccleſiaſtici operis conſtringantur. Quòd ſi aliquis ſacerdotum ad hanc curam minùs ſollicitus ac deuotus extiterit, publicè à comprouincialibus Epiſcopis confundatur. Quòd ſi nec ſub tali ſe confuſione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus.

VI. *Eum qui ab Epiſcopo aliquid repetit, non excommunicandum.*

Si quis ab Epiſcopo, vel de Eccleſiæ, vel de proprio iure, crediderit aliquid repetendum, ſi nihil conuicij, aut criminationis obiecerit, eum pro ſola conuentione à communione Eccleſiæ non liceat ſubmoueri. 2 q. 7. Si quis ab Epiſcopo.

VII. *Vt clerici ſine commendatitiis Epiſcopi ſui ad regem non accedant.*

Abbatibus, preſbyteris, omnique clero, vel in religionis profeſſione viuentibus, ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum, pro petendis beneficiis ad domnos venire non liceat. Quòd ſi quiſquam præſumpſerit, tam diu loci ſui honore & communione priuetur, donec per pœnitentiam plenam eius ſatisfactionem ſacerdos accipiat.

VIII. *Si ſeruus inſcio domino fuerit ordinatus.*

D.LIV. Si ſeruus abſente.

Si ſeruus, abſente aut neſciente domino, & Epiſcopo ſciente quòd ſeruus ſit, aut diaconus, aut presbyter fuerit ordinatus, ipſo in clericatus officio permanente, Epiſcopus eum domino duplici ſatisfactione compenſet. Sin verò Epiſcopus eum ſeruum eſſe neſcierit, qui teſtimonium perhibent, aut eum ſupplicauerint ordinari, ſimili redhibitione teneantur obnoxij.

IX. *Si presbyter, aut diaconus, crimen capitale commiſerit.*

D.LXXXI. Si diaconus aut.

Si diaconus, aut preſbyter, crimen capitale commiſerit, ſimul & officio, & communione pellatur.

X. *De clericis ab hæreſi conuerſis, & de baſilicis Gothorum.*

De hæreticis clericis, qui ad fidem catholicam plena fide ac voluntate venerint, vel de baſilicis, quas in peruerſitate ſua Gothi hactenus habuerunt, id cenſuimus obſeruari, vt ſi clerici fideliter conuertuntur, & fidem catholicam integrè confitentur, vel ita dignam vitam morum & actuum probitate cuſtodiunt, officium, quo eos Epiſcopus dignos eſſe cenſuerit, cum impoſitæ manus benedictione ſuſcipiant: & Eccleſias ſimili, quo noſtræ innouari ſolent, placuit ordine conſecrari.

XI. *De pœnitentibus qui ad ſæcularia redierint.*

De pœnit. diſt. 5. De his qui.

De his qui ſuſcepta pœnitentia religionem ſuæ profeſſionis obliti ad ſæcularia relabuntur, placuit eos & à communione ſuſpendi, & ab omnium catholicorum conuiuio ſeparari. Quòd ſi poſt interdictum cum eis quiſquam præſumpſerit manducare, & ipſe communione priuetur.

XII. *Quòd clericis pœnitentibus baptizare liceat.*

D.LXXXI. Si diaconus.

Si diaconus, aut preſbyter, pro reatu ſuo ſe ab altaris communione ſub pœnitentis profeſſione ſubmouerit, ſic quoque, ſi alij defuerint, & cauſa certæ neceſſitatis exoritur, poſcentem baptiſmum liceat baptizare.

XIII. *De relictis clericorum, ſi alius nupſerint.*

D.XXVIII. Si ſe cuiquam.

Si ſe cuicumque mulier duplici coniugio, preſbyteri vel diaconi relicta, coniunxerit, aut caſtigati ſeparentur, aut certè, ſi in criminum intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur.

XIV. *De oblationibus fidelium.*

10. q. 1. Antiquos can.

Antiquos canones relegentes priora ſtatuta credidimus renouan-

da, vt de his quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem ſibi Epiſcopus vindicet, & medietatem diſpenſandam ſibi ſecundum gradus clerus accipiat, prædiis de omni commoditate in Epiſcoporum poteſtate durantibus.

XV. *De his quæ in parochianis Eccleſiis offeruntur.*

De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum ſtatuta ſeruentur, vt omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant. De his tamen quæ in altario acceſſerint, tertia fideliter Epiſcopis deferatur. 10 q. 1. De his quæ paroch.

XVI. *Vt Epiſcopus pauperes, & infirmos tueatur.*

Epiſcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum & veſtitum, in quantum poſſibilitas habuerit, largiatur. D. lxxxii. Epiſcopus pauperibus.

XVII. *Vt baſilicæ in cuius territorio ſunt, in eius Epiſcopi maneant poteſtate.*

Omnes autem baſilicæ, quæ per diuerſa loca conſtructæ ſunt, vel quotidie conſtruuntur, placuit, ſecundum priorum canonum regulam, vt in eius Epiſcopi, in cuius territorio ſitæ ſunt, poteſtate conſiſtant. 16. q. 7. Omnes baſilicæ.

XVIII. *Ne quis defuncti fratris relictam, vel amiſſæ vxoris ſuæ ſororem ducat.*

Ne ſuperſtes frater torum defuncti fratris aſcendat, néue ſe quiſquam amiſſæ vxoris ſorori audeat ſociare. Quòd ſi fecerint, Eccleſiaſtica diſtrictione feriantur.

XIX. *Vt Abbates Epiſcopis, monachi Abbatibus ſubſint; & de monachis vagis.*

Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant; & ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur: qui ſemel in anno, in loco vbi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conueniant. Monachi autem Abbatibus omni ſe obedientiæ deuotione ſubiiciant. Quòd ſi quis per contumaciam extiterit indeuotus, aut per loca aliqua euagari, aut peculiare aliquid habere præſumpſerit; omnia quæ acquiſierit ab Abbatibus auferantur, ſecundum regulam monaſterio profutura. Ipſi autem qui fuerint peruagati, vbi inuenti fuerint, cum auxilio Epiſcopi tanquam fugaces ſub cuſtodia reuocentur. Et reum ſe ille Abba futurum eſſe cognoſcat, qui in huiuſmodi perſonas non regulari animaduerſione diſtrinxerit, vel qui monachum ſuſceperit alienum. 18. q. 2. Abbates pro hum.

XX. *Vt monachi orario, vel tzangis non vtantur.*

17. q. 1. Monacho orar. Monacho vti orario in monaſterio, vel tzangas habere non liceat.

XXI. *Si monachus vxorem duxerit.*

Monachus ſi in monaſterio conuerſus, vel pallium comprobatus fuerit accepiſſe, & poſtea vxori fuerit ſociatus, tantæ præuaricationis reus nunquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.

XXII. *Vt monachus cellulam ſibi ſine permiſſu non conſtruat.*

18. q. 2. Nullus monach. Nullus monachus, congregatione monaſterij derelicta, ambitionis & vanitatis impulſu, cellulam conſtruere ſine Epiſcopi permiſſione, vel Abbatis ſui voluntate præſumat.

XXIII. *Vt in terris Eccleſiæ præſcriptio locum non habeat.*

16. q. 3. Si Epiſcopus. Si Epiſcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas, clericis vel monachis præſtiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamſi longa tranſiſſe annorum ſpatia comprobentur, nullum Eccleſia præiudicium patiatur, nec ſæculari lege præſcriptio, quæ Eccleſiæ aliquid impediat, opponatur.

XXIV. *Vt ante Paſcha Quadrageſima obſeruetur, non Quinquageſima.*

De Conſecr. diſt. 3. Sacerdotibus. Id à ſacerdotibus omnibus decretum eſt, vt ante Paſchæ ſolennitatem, non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur.

XXV. *Vt maiores feſtiuitates nullus ciuium in villa celebret.*

De Conſecr. diſt. 3. Nulli ciuium. Vt nulli ciuium Paſchæ, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ ſolennitatem in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas probabitur tenuiſſe.

XXVI. *Vt populus ante completam Miſſam egredi non præſumat.*

De Conſecr. diſt. 1. Cùm ad celebr. Cùm ad celebrandas Miſſas in Dei nomine conuenitur, populus non antè diſcedat, quàm Miſſæ ſolennitas compleatur, & vbi Epiſcopus fuerit, benedictionem accipiat ſacerdotis.

XXVII. *De Litaniis ante Aſcenſionem Domini celebrandis.*

De Conſecr. diſt. 3. Rogationes. Rogationes, id eſt Litanias ante Aſcenſionem Domini, ab omnibus Eccleſiis placuit celebrari; ita vt præmiſſum triduanum ieiunium in dominicæ Aſcenſionis feſtiuitate ſoluatur. per quod triduum ſerui, & ancillæ ab omni opere relaxentur, quo magis plebs vniuerſa conueniat. quo triduo omnes abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis vtantur.

XXVIII. *De clericis, qui ad Litanias venire contempſerint.*

Clerici verò, qui ad hoc opus ſanctum adeſſe contempſerint, ſecundum arbitrium Epiſcopi Eccleſiæ ſuſcipiant diſciplinam. D xci. Clerici verò.

XXIX. *De vitanda familiaritate extranearum mulierum.*

De familiaritate extranearum mulierum, tam Epiſcopi, quàm presbyteri, vel diaconi, præteritorum canonum ſtatuta cuſtodiant.

XXX. *De diuinationibus, & ſortibus Sanctorum.*

Si quis clericus, monachus, ſæcularis, diuinationem, vel auguria crediderit obſeruanda, vel ſortes, quas mentiuntur eſſe Sanctorum, quibuſcumque putauerint intimandas, cum his qui eis crediderint, ab Eccleſiæ communione pellantur. 26. q. 5. Si quis clericus.

XXXI. *Vt Epiſcopus ab Eccleſia die Dominico non abſit.*

Epiſcopus ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſiæ cui proximus fuerit, die Dominico deeſſe non liceat. De Conſecr. diſt. 3 Epiſcopus ſi.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Cyprianvs in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Burdegalenſis Metropolis canonum ſtatuta noſtrorum ſubſcripſi, ſub die VI. Idus Iulias, Felice V.C. Conſule.
Terradius Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ Metropolis ſubſcripſi.
Licinius Epiſcopus Eccleſiæ Turonicæ Metropolis ſubſcripſi.
Leontius Epiſcopus Eccleſiæ Eluſanæ Metropolis ſubſcripſi.
Gildaredus Epiſcopus Eccleſiæ Roromagenſis Metropolis ſubſcripſi.
Petrus Epiſcopus Eccleſiæ Santonicæ ſubſcripſi.
Chronopius Epiſcopus Eccleſiæ Petrocoricæ ſubſcripſi.
Boëtius Epiſcopus Eccleſiæ Cadurcinæ ſubſcripſi.
Quintianus Epiſcopus Eccleſiæ Rutenicæ ſubſcripſi.
Eufraſius Epiſcopus Eccleſiæ Aruernicæ ſubſcripſi.
Sextilius Epiſcopus Eccleſiæ Vaſaricæ ſubſcripſi.
Nicetius Epiſcopus Eccleſiæ Auſcenſis ſubſcripſi.
Lupicinus Epiſcopus Eccleſiæ Ecoleſimenſis ſubſcripſi.
Adelfius Epiſcopus Eccleſiæ Pictauorum ſubſcripſi.
Heraclius Epiſcopus Eccleſiæ Pariſiacæ ſubſcripſi.
Principius Epiſcopus Eccleſiæ Cenomannicæ ſubſcripſi.
Lupus Epiſcopus Eccleſiæ Sueſſionicæ ſubſcripſi.
Nepus Epiſcopus Eccleſiæ Abrincarinæ ſubſcripſi.
Epiphanius Epiſcopus Eccleſiæ Namneticæ ſubſcripſi.
Euſtochius Epiſcopus Eccleſiæ Andegauinæ ſubſcripſi.
Camillianus Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſſinæ ſubſcripſi.
Litharedus Epiſcopus Eccleſiæ Oxomenſis ſubſcripſi.
Modeſtus Epiſcopus Eccleſiæ Veneticæ ſubſcripſi.
Melanius Epiſcopus Eccleſiæ Redonicæ ſubſcripſi.

Edibius Epiſcopus Eccleſiæ Ambianenſis ſubſcripſi.
Sofronius Epiſcopus Eccleſiæ Veromandenſis ſubſcripſi.
Maurufio Epiſcopus Eccleſiæ Ebroicinæ ſubſcripſi.
Leontianus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ ſubſcripſi.
Liuanius Epiſcopus Eccleſiæ Siluanectenſis ſubſcripſi.
Euſebius Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis ſubſcripſi.
Theodoſius Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcripſi.
Auentinus Epiſcopus Eccleſiæ Catnotenæ ſubſcripſi.

SYMMACHI PAPÆ EPISTOLA III.

Qua Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi conſultationibus reſpondet.

EXEMPLVM LIBELLI SYMMACHO PAPÆ oblati à Cæſario Epiſcopo.

SICVT à perſona beati Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium, ita neceſſe eſt, vt diſciplinis competentibus ſanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis, quid obſeruare debeant, euidenter oſtendat. In Gallia ſiquidem prouincia ab aliquibus perſonis Eccleſiaſtica prædia diuerſis titulis alienantur. Ita fit, vt pro ſuo quis arbitrio deuota mente relinquentium & egentium neceſſitatibus deputatas imminuat facultates. Hoc poſtulamus vt fieri prohibeat Apoſtolicæ Sedis auctoritas, niſi forſitan aliquid pietatis intuitu monaſteriis fuerit largiendum. Illud etiam pari ſupplicatione depoſcimus, vt de laica conuerſatione, qui in ſingulis iudicum officiis meruerint, aut certè rexerint ſub aliqua poteſtate prouincias, niſi multo antè tempore præmiſſa conuerſatione legitima, & vita examinata, nullus clericus aut Epiſcopus ordinetur. Viduas etiam iam diu religioſo habitu aſſumpto, & ſanctimoniales longo iam tempore in monaſteriis conſiſtentes, poſcimus vt vnicuique coniugij cauſa, nec volentes ſibi iungere, nec inuitas rapiendi libera ſit facultas. Illud etiam humili prece ſuggerimus, vt nulli per ambitum ad Epiſcopatum concedatur accedere, nec data pecunia ſibi potentes homines ſuffragatores adhibeant. Et vt hæc faciliùs poſſint cuſtodiri, clerici vel ciues decretum facere, vel ſubſcribere, ſine Metropolitani notitia vel conſenſu, penitus non præſumant. Hæc omnia vltione diſtrictionis veſtræ fieri prohibete; quatenus & in Eccleſia veſtra, & in ſupradicta prouincia, diſciplina bonis actibus amica ſeruetur.

Tituli Decretorum Epiſtolæ ſequentis.

1. Vt res Eccleſiæ non alienentur.
2. Vt nullus honorem præmiis accipiat.
3. Vt laici per gradus ad ſacerdotium promouantur.
4. Vt raptores viduarum, vel virginum, ab Eccleſiæ communione pellantur.
5. Vt viduæ, vel virgines, continentiam profeſſæ non nubant.
6. Vt nullus per ambitum ad Epiſcopatum accedat.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Symmachus.

Epiſt. 5. Symmachi. HORTATVR nos æquitas poſtulationis, deſiderio fraternitatis tuæ gratanter annuere de ſingulis, quæ ab Apoſtolica Sede concedi ſupplicas, quod à patrum cautela & prouiſione non diſcrepat. Et quamuis

Eccleſiaſticæ

Eccleſiaſticæ regulæ penè omnia comprehendant, tamen ſuperfluum eſſe non credimus, denuò quæ ſunt ſæpius interdicta repetere.

I. *Vt res Eccleſiæ non alienentur.*

Poſſeſſiones igitur, quas vnuſquiſque Eccleſiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuſlibet titulis atque contractibus, vel ſub quocumque argumento non patimur: niſi forſitan aut clericis honorum meritis, aut monaſteriis religionis intuitu, aut certè peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit: ſic tamen vt hæc ipſa non perpetuò, ſed temporaliter donec vixerint perfruantur. 16 q. 1. Poſſeſſiones.

II. *Vt nullus honorem præmiis accipiat.*

Illud magnopere commonentes, vt hi qui non Dei gratia, ſed promiſſione rerum Eccleſiaſticarum, præmiis ad ſacerdotium conantur accedere, deſiderio tum talium priuentur effectu. Qui aut ab huiuſmodi ſe intentione cohibeant, aut vindictis canonum ſciant ſe ſine dubitatione ſubdendos.

III. *Vt laici per gradus ad ſacerdotium proueh antur.*

De laicis perſonis decernimus, ne facilè ad ſacerdotium permittantur accedere, quibus & tempora, & gradus conſtituti ſunt, per quos ad hanc dignitatem debeant adſpirare. quia quicumque ſine inſtituto promouetur, non facilè caret offenſa, & ſine experimento non poteſt quis electionis obtinere ſententiam.

IV. *Vt raptores viduarum, vel virginum, ab Eccleſiæ communione pellantur.*

Raptores igitur viduarum vel virginum, pro immanitate tanti facinoris deteſtamur, illos vehementiùs perſequendo, qui Deo ſacratas virgines, vel volentes, vel inuitas, matrimonio ſuo ſociare tentauerint. quos pro tam nefandi criminis atrocitate à communione ſuſpendi præcipimus. 16 q. 2. Raptores.

V. *Vt viduæ, vel virgines, continentiam profeſſæ non nubant.*

Neque viduas ad nuptias tranſire patimur, quæ in religioſo propoſito diuturna obſeruatione permanſerunt. Similiter virgines nubere prohibemus, quas annis plurimis in monaſteriis ætatem peregiſſe contigerit. 27 q. 1. Neque viduas.

VI. *Vt nullus per ambitum ad Epiſcopatum accedat.*

Nullus itaque per ambitum ad Epiſcopatus honorem permittatur accedere. Nam cùm hic exceſſus in laica conuerſatione culpetur, quis dubitat quòd religioſis & Deo ſeruientibus inurat opprobrium? Si quis Epiſcopatum deſiderat, data pecunia potentes perſonas minimè ſuffragatrices adhibeat: nec ad decretum ſibi faciendum clericos vel ciues ſubſcribere, adhibito cuiuſlibet generis timore compellat, vel præmiis aliquibus hortetur. Decretum ſine Viſitatoris præſentia nemo conficiat, cuius teſtimonio clericorum ac ciuium poſſit vnanimitas declarari. Hortamur itaque, vt pro catholicæ religionis intuitu, & Eccleſiarum pace, hæc vniuerſi fideli ac deuota mente cuſtodiant: quia non eſt dubium præuaricatores interdictorum talium iuxta venerandos canones propriæ communionis 1 q. 1. Nullus itaque. 1. q. 6. Si quis autem Epiſc.

ſubire iactutam. Hæc tamen ad omnium Epiſcoporum volumus perferri notitiam. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data VIII. Idus Nouembris, Probo V. C. Conſule.

SYMMACHI PAPÆ EPISTOLA IV. Ad Epiſcopos Galliæ.

Confirmat diuiſionem prouinciæ inter Viennenſem & Arelatenſem Eccleſias à Leone Papa conſtitutam.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS EPISCOPIS per Gallias conſiſtentibus, Symmachus.

Epiſt. 10. Symmachi. SEDIS Apoſtolicæ inſtituta prædicanda ſollicitant, vt de concordia vniuerſalis Eccleſiæ, quæ toto orbe diffuſa eſt, peruigili cura tractemus. quæ tunc præcipuè efficaciùs adoleſcit, ſi ea quæ à patribus ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reuerenter obſeruet. Cæſarius ſiquidem frater & coepiſcopus noſter, Metropolitanæ Arelate ciuitatis ſacerdos, Eccleſiæ beati Apoſtoli Petri liminibus præſentatus, ea quæ pridem de priuilegiis Eccleſiarum conſtituta ſunt, noſtris poſtulauit innouari ſermonibus. Cuncta igitur inter Eccleſiás Arelatenſem & Viennenſem à deceſſore noſtro beatæ recordationis Leone Papa quæ ſuper hac parte ordinata ſunt, Eccleſiæ Romanæ fidelis declarat inſtructio. Atque ideo ne ea quę ſemper veritatis eſt æmula, ſibi aliquid vendicare queat obliuio, & prioris decreti vigor temporis diuturnitate vergat in ſenium, neceſſarium duximus olim promulgata in lucem reddere noſtris affatibus. Idcirco quemadmodum deceſſor noſter Leo Papa dudum cognitis allegationibus partium definiuit, parochiarum numerũ, vel quantitatem Arelatenſi & Viennenſi ſacerdotibus deputandam, & nos præcipimus nullius vſurpatione tranſcendi: ſed vt antè prædiximus, iuxta indulgentiam ſupradicti Pontificis, Valentiam, Taranraſiam, Geneuam, atque Gratianopolim oppida Viennenſis Antiſtes iuri ſuo vindicet; nec quicquam ampliùs ab his quæ ſemel ab Apoſtolica ſibi ſede conceſſa ſunt, æſtimet præſumendum. Alias verò parochias, vel diœceſes cunctas priuilegio & honore ſuo Arelatenſis Epiſcopus ſub temporum continuatione defendat. Nec enim obſeruatio & vetuſtatis reuerentia cuſtoditur, ſi ampliùs de humilitate gloria ſacerdotalis attollitur. Proinde, fratres cariſſimi, ſinguli honoris ſui diſtributione contenti, nec per ſæcularia patrocinia, nec per cuiuſlibet excuſationis obtentum, illicita præſumptione terminos conceſſæ poteſtatis excedant. Studere ſiquidem vnuſquiſque debet deuotionis officium magis gratia, quàm de ambitione, ne & Domini noſtri offenſam, & humanam in ſe laceſſat inuidiam. Tacere nos iſta commiſſæ diſpenſationis iura minimè patiuntur: vt & de his qui Eccleſiaſticis regulis obſecundant perſeuerantibus in concordia Sedis Apoſtolicæ gratulemur; & illi qui catholicis diſciplinis obtemperare deſtiterint, ab Eccleſiæ gratia & caritate ſe alienos oſtendant. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Data Idibus Nouembris, Probo V. C. Conſule.

SYMMACHI PAPÆ EPISTOLA V. Ad Cæſarium.

De priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis.

EXEMPLVM LIBELLI SYMMACHO PAPÆ OBLATI ab Ægidio Abbate, & Meſſiano notario.

Q VANTVM *in omnibus Eccleſiarum Pontificibus, quæ in toto orbe diffuſæ ſunt, Apoſtolica Sedes ſibimet vindicat principatum, & Synodalibus decretis firmior eius præcellit auctoritas; tantum poteſtatis ſuæ prouiſione dudũ à ſeſe conceſſa debes inconcuſſa ſeruari, quatenus Arelatenſis Eccleſia fruatur priuilegiis ſuis. Quæ nunc per Antiſtitẽ Cæſarium ſeriem ſuæ petitionis inſinuat, & quam hactenus habuit poteſtatem veſtra depoſcit auctoritate firmari; vt quod veneranda ſedes quondam perenni ſanctione cuſtodiri præcepit, & pragmaticis ſpecialiter decreta ſunt conſtitutis, beatitudinis veſtræ præceptis ſuis etiamnunc confirmet auctoritas. Aquenſis etiam ciuitatis Epiſcopum ſanctitatis veſtræ moneri præcipite conſtitutis, vt dum à Metropolitano Antiſtite Eccleſiæ Arelatenſis ad Synodale Concilium fuerit euocatus, vel aliqua ordinationis cauſa eum ſibi poſtulet religio diuina neceſſarium, minimè venire fruſtretur. quatinus ea quæ longæuis ſæculis priſcorum ſanxit auctoritas, vobis præſulibus præſenti futuræque ætati inuiolata ſeruentur. Data ab Ægidio Abbate & Meſſiano Notario.*

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO SYMMACHVS.

Q V I veneranda patrum ſtatuta cuſtodit, amicum ſe abſolutæ religionis oſtendit; & qui prouidet vt locum exceſſibus non relinquat, demonſtrat ſe de bono gratiæ cogitare. Rationabile eſt, vt ſancta Arelatenſis Eccleſia propriis priuilegiis perfruatur; & quod vetuſtas præſtitit, & patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præſumptio. Sic tamen, vt cæterarum Eccleſiarum priuilegia temporibus acquiſita non tirubent: quia nec poteſt ex parte firmum eſſe, quod generalitatis tangit iniuriam. Manentibus ſiquidem his, quæ patrum conſtituta ſingulis Eccleſiis conceſſerunt, decernimus, vt circa ea, quæ tam in Galliæ, quàm in Hiſpaniæ prouinciis de cauſa religionis emerſerint, ſolertia tuæ fraternitatis inuigilet: & ſi ratio popoſcerit præſentiam ſacerdotum, ſeruata conſuetudine, vnuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conueniat. & ſi Dei adiutorio controuerſia incidens amputari potuerit, ipſius hoc meritis applicemus: alioquin exiſtentis negotij qualitas ad ſedem Apoſtolicam te referente perueniat: vt cunctis ordine ſuo peractis, vnde inimicus bonitatis ſibi blandiatur, locum inuenire non poſſit. Igitur, quemadmodum ſupradiximus, per ſingulas Eccleſias beneficia quæ ſunt diu cuſtodita ſeruentur. Et ſi tam Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet, Metropolitano Pontifici iuxta canonum definitionem vocatus obtemperare noluerit; nouerit ſubdendum ſe, quod non optamus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Et in hac parte magnopere

Epiſt. 11. Symmachi.

Hincmarus epiſt. 6. c. 11.

te volumus eſſe ſollicitum, vt ſi quis de Gallicana vel Hiſpana regionibus, Eccleſiaſtici ordinis atque officij, ad nos venire compulſus fuerit, cum fraternitatis tuæ notitia iter peregrinationis arripiat: vt nec honor eius per ignorantiam aliquam contumeliam patiatur, & ambiguitate depulſa à nobis animo ſecuro in communionis gratiam poſſit admitti. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Idus Iunias Fl. Senatore V. C. Conſule.

HORMISDAE PAPAE EPISTOLA I.

Ad Cæſarium Arelatenſem.

Docet Dardaniæ & Illyrici Epiſcopos ad Sedis Apoſtolicæ communionem, Eutychiana hæreſi damnata, rediiſſe, & de legatione in Orientem miſſa.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO, VEL HIS QVI ſub dilectionis tuæ ordinatione conſiſtunt, Hormiſda.

Epiſt. 10. Hormiſdæ.

IVSTVM eſt vt qui catholica communione lætamini, nobiſcum de Eccleſiæ, ſi qua prouenit, concordia gaudeatis: vt quemadmodum vnus nobis conſenſus eſt fidei, ita ſit indiuidua gratulatio proſperorum. Noſtis qualiter deteſtabilis Eutychiana hæreſis per Orientales ſerpat Eccleſias: & quoties præfatæ ſuperſtitionis virus Synodus generalis extinxerit; vel quoties eius ſequaces ſalubria monita Apoſtolicæ Sedis ſpreuerint, & quaſi erubeſcentes manus dare veritati, aut Apoſtolicæ Sedis prædicationibus obedire, in hac tamen obſtinatione perſiſtunt. Elatio enim ſemper affert ſaluti periculum, per quam ipſius inuentor diabolus Angelica poteſtate priuatus eſt. Pro his nobiſcum ſæpiſſimè fraternitas veſtra condoluit, Apoſtolicæ non immemor lectionis, qua monſtratur, *Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* (1. Cor. 12. 26.) Sed Deus qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, nunc multorum ſenſus illuminans, eis deſiderium Apoſtolicæ communionis infudit, vt quod dudum intentione prædicabant, hoc nunc correctionis profeſſione condemnent. Quorum reditum ideo abſque ſuſpicionis morſu recipimus, quia qui peccatum ſine aliquo excuſationis velamine confitentur, manifeſtum deſiderium correctionis oſtendunt. Ergo Epiſcopi tam Dardani, quàm Illyrici pene omnes, ne ſint errore condemnandi præterito, petentes beati Petri Apoſtolorum principis communionem, & ſcriptis & legationibus deſtinatis ſe Apoſtolicæ Sedis regulis obedire confirmant. Pro quibus quantum nos oporteat gratulari, ſoli quorum fides feruet intelligunt. Sciendum vobis eſt igitur, anathematizari nunc ab ipſis quoque Neſtorium, qui diuidit Incarnationem Domini noſtri IESV Chriſti, & per hoc duos filios conatur aſſerere. Eutyches carnis negans veritatem, & duas naturas in vna perſona non

prædicans, vt Manichæam phantaſiam Eccleſiis Chriſti quemadmodum putauit inſereret, ſimili ratione damnatur. His adiungitur Dioſcorus Alexandrinus, qui malitiæ præfatæ conſentiens, in ſancto Calchedonenſi Concilio particeps damnationis effectus, & malorum ſeminum æquales fructus inueniens, in eam cecidit foueam, quam fidelibus parabat. Facti ſunt iſtorum ſucceſſores Timotheus Ælurus, & Petrus; quorum ſibi vbique conſentit iniquitas, & mentientes magiſtros in nullo deſerunt, ſed in omnibus prauitatibus antecedunt. Hi approbati ſunt generalis materia læſionis, quorum & manus ſacerdotalis ſanguinis maculauit effuſio, & vitam innocentium peremit interitus. Habent per vniuerſum mundum à catholicis infixa æternæ damnationis ſtigmata, quos orthodoxi non ſolùm fecerunt communionis expertes, verùm etiam eos Chriſtianorum ſpoliauere vocabulo. Petrum Antiochenum cum ſuis, ſicuti ab his de quibus loquimur factum eſt, adiungite. De quibus ne ſermonum prolixitas naſceretur, hoc tantùm dixiſſe ſufficiat, Petrum & eius ſocios in nullo ab eorum qui damnati ſunt dogmate diſcrepare. Quos Acacius aliquando condemnans, in laudes ſuas omnium Chriſtianorum ora conuerterat, & eos impugnans qui Eutychianam hæreſim vindicabant, fidem colentibus gratiſſimus apparuerat. Sed huic ſolitis inſidiator fraudibus quod fraudabatur inuidit. Nam poſtea hos ſuos complices habere deſiderans, & in catholicos arma conuertens, cum ipſis inuenit ſortem, quos optauit habere participes. Longum eſt epiſtolæ breuitate per vniuerſa diſcurrere. Vnde ex totius ſumma negotij partem aliquam pro inſtructione direximus, iudicantes quòd tanta res veſtram non poſſit latere notitiam; præcipuè cùm hoc per prædeceſſorum noſtrorum literas veſtris fuerit regionibus nuntiatum. Quod & nos pro his quæ nuper acciderunt fraternitatem veſtram curauimus inſtruendam, ne alicubi per ignorantiam fidelium locum inuenire poſſit ſubreptio perditorum; ſed qui nituntur talia vindicare ſacræ conſortio communionis attendi euidentiùs innoteſcant. Igitur vbi intereſt fidei, quidquid ad gratiam huius pertinet ſæculi reſpuatur; cùm nec naturalis affectio rebus debeat cæleſtibus anteponi. vt illud præceptum Domini compleatur: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* De cæteris quæ in religionis cauſa, confidentes diuinis beneficiis, præſenti tempore iterum de Orientis partibus ſperamus, & legatos direximus, Domino Iesv Chriſto ſupplicate, vt ipſe qui pro pietate ſua proſperum donauit initium, ſimilem concedere dignetur effectum. Vrbanum Sedis Apoſtolicæ defenſorem, etiam huic aptum negotio, ad caritatem tuam direximus: per quem de vniuerſarum effectu cauſarum reſponſo congruo cupimus quæ ſunt votiua cognoſcere. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Data IV. Idus Septembres, Florentio V.C. Conſule. Matth. 10. 37.

AVITI EPISCOPI VIENNENSIS EPISTOLA III. Ad Hormiſdam Papam.

Gratulatur de conuerſione prouinciarum Dardaniæ & Illyrici, petitque vt certior fiat de ſucceſſu legationis Conſtantinopolim miſſæ.

DOMINO SANCTIS MERITIS PRÆCELLENTISSIMO, in Chriſto glorioſiſſimo, & Apoſtolica Sede digniſſimo Papæ, Hormiſdæ Auitus.

DVM religionis ſtatui & plenis catholicæ fidei regulis perſpicitis conuenire, vt gregem per tota vobis vniuerſalis Eccleſiæ membra commiſſum, peruigil cura veſtræ adhortationis informet, Viennenſem prouinciam ſuperiore anno, ſi meminiſſe dignamini, datis ad humilitatem meam literis viſitaſtis; quæ ad me, ſecundum quod opportunitas oblata contulerat, per Arelatenſis Eccleſiæ clericos peruenerunt, & quidem pleniſſimæ ſollicitudine paſtorali. In quibus nos ſicut per conuerſionem prouinciarum, id eſt Dardaniæ, Illyrici, vel Thraciæ, ad communionem gaudij prouocatis; ſic admonitione cautiſſima, ne quid per ignorantiam præuenire poſſit inſtruitis. Eutychetis igitur, Neſtoriique damnatio, quos iam dudum per beatiſſimos prædeceſſores ſanctæ Sedis veſtræ calcauit auctoritas, ad notitiam iampridem noſtram Apoſtolicæ ad nos diligentiæ prouiſione perlata eſt. Sed illud nos modò ſuſpenſos multum redigit & anxios, quòd cùm pendere nos ad effectum legationis ſecundò Conſtantinopolim deſtinatæ omni expectationis ſtudio iuſſeritis, nec quid filius veſter, ſanctus frater meus, ENNODIVS retulerit, nec vtrum ſecura redierit indicaſtis: & promiſſionem veſtram tanta ſilentij diuturnitate ſuſpenditis, vt non minùs modò prædicatoris taciturnitas reddat attonitos, quàm antea fecerat legationis mora ſuſpectos. Vnde ſola hac cauſa ſeruos veſtros, filios meos, Alexium presbyterum, & Venantium diaconum, totius Viennenſis prouinciæ nomine, quæ Eccleſiæ ad me pertinenti ab vniuerſis prædeceſſoribus veſtris, & ab Apoſtolica Sede commiſſa eſt, cum præſentis famulatus pagina deſtinaui: per quos oraculo beatiſſimæ reſponſionis agnoſcam, vtrum feruor ſchiſmatum præfatorum, qui intra Conſtantinopolitanam vrbem vitio pernicioſæ obſtinationis exarſerat, cuique, quod magis dolendum eſt, Alexandrinam vel Antiochenam Eccleſias dicitis illigatas, vobis Chriſto fauente dicentibus digna fuerit correctione reſtinctus: aut ſi reuerſa legatio in paginis euidentibus, quod ſimplex legeretur exhibuit, an fortè nuntio magis retulit, vnde vobis adhuc qualiſcumque ſuſpicio reſeruetur. Veremur enim, ne Pontificale iudicium, dum non indicat proſpera, ſenſiſſet aduerſa. His adiicitur, quòd diuerſorum fida relatione comperimus, de reconciliatione vel concordia Eccleſiæ Romanæ iactare ſe Græciam: quod ſicut amplectendum, ſi veraciter dicitur, ita verendum eſt ne callidè ſimuletur. Quæſumus ergo ſeruitio meo iuncto, vt quid filiis veſtris fratribus meis, id eſt

Gallicanis, ſi conſulant, reſpondere debeam, inſtruatis. quia iam ſecurus, non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ deuotione pollicear, omnes veſtram ſuper ſtatu fidei captare ſententiam. Orate vt ſic nos prædictorum profeſſio fucata non fallat, ſicut ab vnitate, quam regitis, veritas comperta non ſeparat. Accepta III. Calendas Februarij, Agapito V. C. Conſule, per Alexium presbyterum & Venantium diaconum.

HORMISDÆ PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Auitum Viennenſem Epiſcopum.

Laudat in eo ſtudium cognoſcendi de ſtatu Eccleſia Orientalis. à legatis autem ob perfidiam Græcorum nihil perfectum fuiſſe ſcribit. in animo ſibi eſſe alteram ad illos legationem deſtinare.

HORMISDA EPISCOPVS AVITO EPISCOPO, & vniuerſis Epiſcopis prouinciæ Viennenſis, vel ſub tua diœceſi conſiſtentibus.

QVI de his quæ ad diſciplinam catholicam pertinent maximè ſciens inſtrui cupit, quid ſtudij circa mandata diuina habeat euidenter oſtendit. Non enim poteſt eſſe huiuſmodi cura, niſi vbi fides fuerit infucata. Atque ideo exultamus in Domino de ſinceritate propoſiti tui, dilectiſſime frater, dum te ſecundum directas per Alexium presbyterum atque Venantium diaconum literas intuemur, & de impiis tranſgreſſoribus Eutychete atque Neſtorio Sedis Apoſtolicæ conſtituta recolere, & ſi quid aduerſus eos admonitio noſtra promouerit, per quos Orientales Eccleſiæ confunduntur, inquirere. Digna planè ſollicitudo fidelibus, vt de miſerorum lapſibus ingemiſcant, & ipſi ne aliena polluantur contagione prouideant. Sed ne nos quidem hoc ſuperſediſſe credatis, vt ad notitiam veſtram, ſi quid actum fuiſſet, competens perferret inſtructio. Verùm breuiter ſilentium noſtrum, quod dilectio mordet veſtra, purgamus. Nam quòd non ſæpius noſtra admonitio vos frequentet, de conſcientia veſtra & fidei ſtabilitate confidimus. Sollicitudo impendenda fortaſſe ſit dubiis; ſatis eſt vitanda indicaſſe perfectis. Legationis verò noſtræ, quam ſemel, non ſecundò, ſicut ſcribitis, miſimus, ſi votiuus contigiſſet euentus, alacres illico vobiſcum fueramus deſiderata participaturi: ſcientes hoc rationi, hoc noſtro propoſito conuenire, vt quos participes ſollicitudinis fecimus, cum his de integritate vnitatis gaudia iungeremus. Sed quantum ad Græcos, ore potius præferunt pacis vota, quàm pectore, & loquuntur magis iuſta, quàm faciunt: verbis velle ſe iactant, quòd operibus nolle declarant: quæ fuerint profeſſi, negligunt; & quæ damnauerint, hæc ſequuntur. Nam vnde eſt, quòd cùm per Ennodium fratrem & coepiſcopum noſtrum ſacerdotales viros, ad confirmanda ea quæ ſedes Apoſtolica popoſcerat, directuros ſe eſſe promiſiſſent; multa quoque quæ ad correctionem prauitatis ſuæ à nobis quæſita fuerant pollicentes; non ſolùm non religioſos viros, penes quos cauſæ illius

Epiſt. 10. Hormiſdæ.

plena eſſe poſſet inſtructio, ſecundum conſtituta propria non miſerunt: verùm etiam, quaſi res parua gereretur, laicos & alienos ab Eccleſiaſtico corpore deſtinantes, non ſe ſtuduerunt de cœno, quo immerſi tenentur, euoluere; verùm etiam catholicæ fidei claritatem fulgentem ſua, quod abſit, ſe poſſe crediderunt obſcuritate fuſcare? Hæc fuit noſtri cauſa ſilentij, quam vos quoque ſpirituali vobis prudentia reuelante vidiſtis. Quid enim de hac cauſa poteram directis literis indicare, quam in ſtatu ſuo videbam duram pertinaciter cuſtodire perfidiam? Noui exitus ſollicitæ diligentiam relationis inquirunt: qui de rebus cognitis nihil indicat, abundè in ſtatu ſuo manere priora declarat. Quapropter, dilectiſſime frater, & vos præſentibus hortamur alloquiis, & per vos quoque, quia occaſio data eſt, alios per Gallias, quos fides eadem nobiſcum amplectitur, admonemus, promiſſam & amabilem Deo fidei ſeruare conſtantiam; & tranſgreſſorum ſocietate declinata, conſtantiam veſtram vni viro virginem caſtam, ſicut ſpopondiſtis, exhibere Chriſto. Et cauete, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita ſenſus aliquorum corrumpantur à ſimplicitate & caſtitate quæ eſt in Chriſto Iesv. Pernicioſa ſunt blandimenta nocentium, atque ideo vigilare vos conuenit, quia aduerſarius ſalutis humanæ, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. quia hoc ſpeciale habent patris ſui de cœli arce deiecti, qui veſtigia eius ſequuntur & diligunt, vt illa veritatis luce priuati, & alios gaudeant ſua obſcuritate fuſcari; & cùm peruerſitatis ſuæ pœnas luituros eſſe ſe ſciant, exultent ſi miſeros cum ſua damnatione coniungant. Nam vnde eſt, quòd cùm pro magna parte à conterminis ſuis Thracibus, Dardanis, Illyricis, cognita eorum peruerſitate deſerantur, procul poſitos ignorantiæ ſpe, fraudibus, & variis artibus nituntur allicere, niſi vt lucem, quam ipſi non habent, in aliis quoque impia contagione commaculent? Vt autem quæ ſint patrium earum ſtudia poſſitis agnoſcere; plures Thracum, licet perſequentium incurſibus atterantur, in noſtra tamen communione perſiſtunt, ſcientes fieri fidem per aduerſa clariorem. Dardania, & Illyricus vicina Pannoniæ, à nobis, quod iam fecimus vbi neceſſarium fuit, vt ſibi Epiſcopi ordinarentur experiit: in tantum ſe à communione perditorum ſeparare gaudentes, vt remedia quærerent, dummodo commune cum tranſgreſſoribus nihil haberent. Epiri Metropolitanus, hoc eſt Nicopolitanus Epiſcopus, cum Synodo ſua nuper ſegregatus ab impiis, ad Apoſtolicam cõmunionem deprompta quæ efficeret profeſſione ſe contulit. Quæ ideo ſcriptis æſtimauimus indenda præſentibus, vt ſicut fortem nos conuenit dolere pereuntium, ita lætemur pariter de ſalute remeantium; & vt fideles conſtituti ab eis longiùs inſtruantur, qua virus eorum ſollicitudine debeat effugi, quos & à ſuis videant tam iuſta deteſtatione vitari. Et nos quidem diſpenſationis noſtræ memores, neceſſe eſt eos reperitæ legationis officio conuenire: quo affectu ſaluationis ſuæ, ſi reſpectu Dei, ſi rationis intuitu non mouentur, ſaltem pulſantibus importunè & pertinaciter adquieſcant; & aut ad rectam viam declinatis erroribus reuertantur, aut propter impœnitens cor ab omnibus inexcuſabiles iudicentur, qui & moniti toties in perfidiæ obſtinatione perſiſtunt. Vos orate, & nobiſcum ad Deum preces & vota coniungite, vt per opem miſericordiæ eius noſtra actio

actio laborans pro catholicæ fidei ſtabilitate promoueat, immaculatos vos & integros ab omni tranſgreſſorum ſocietate ſeruantes: vt aut eum correctis ſenſus & corda iungamus, aut ab eorum venenis intacti eſſe mereamur. Nam qui, ſicut vos quoque conſcientiam veſtram non latere teſtamini, nouimus Eutychetem atque Neſtorium Apoſtolicæ, id eſt catholicæ ſententiæ auctoritate damnatos; quemadmodum ſalui eſſe poterimus, ſi eorum ſectatoribus ac poſteris qualibet parte communionis hæreamus, cùm Belial cum Chriſto noſtro portionem habere non poſſit? Inſtructionis autem veſtræ intereſſe credimus, vt ea quæ apud nos à Nicopolitanis vel Dardanis acta ſunt, vel quo in communionem ordine ſunt recepti, vobis nota faceremus ipſarum lectione chartarum. Data xv. Kalend. Martias, Agapito Conſule.

CONCILIVM
INCERTI LOCI.
IN QVO HÆRETICVS ARRIANVS CORAM ſancto Remigio Epiſcopo diuinitus obmuteſcens ad fidem catholicam circa hæc tempora conuerſus eſt.

SYNODI *huius meminerunt Hincmarus Archiepiſcopus in vita ſancti Remigij, & ex Hincmaro Flodoardus presbyter, cuius hæc verba ſunt libro 1. Hiſtor. Eccleſiæ Remenſis, cap. 16.* Galliæ Præſules ad Synodum fidei gratia conuenientes, beatum Remigium, vt pote virum diuinis eloquiis eruditiſſimum, & doctrinis Eccleſiaſticis exercitatiſſimum, ad idem Concilium venire petierunt. Cui conuentui Arrianus quidam Epiſcopus, acerrimus diſputator, & dialecticis propoſitionibus ac concluſionibus confiſus, hincque nimis elatus intererat. Ingrediente verò Concilium S. Remigio, & à multitudine fratrum reuerenter ei cunctis aſſurgentibus excepto, ſuperbus hæreticus illi aſſurgere dedignatur. At mox vt beatus Remigius ante ipſum tráſijt, ille locutionis officium ore obſtructo amiſit. Expectantibus vniuerſis, vt poſt allocutionem S. Remigij loqueretur, ille ne vnũ quidem verbum proferre potuit. Sicque beati viri veſtigia pronus tandem petens, nutibus veniam poſtulauit. Cui S. Remigius, In nomine, inquit, Domini noſtri IESV Chriſti veri filij Dei, ſi ſic de eo rectè ſentis, loquere, & de illo ſicut catholica credit Eccleſia crede, & confitere. Ad cuius vocem hæreticus antè ſuperbus, humilis iã factus atque catholicus, orthodoxam fidẽ de diuina & inſeparabili Trinitate, ac de Incarnatione Chriſti catholicè confeſſus, in eadem confeſſionis ſuę fide ſe permanſurum repromiſit. Sicque in anima per infidelitatem perdito, & corporali voce propter ſuperbiam iuſtè cõdemnato, virtute diuina venerabilis Pontifex & animæ reddidit & corporis ſanitatem: cunctis qui aderant, vel hæc cogniturí forent, ſacerdotibus patenter oſtendens in hoc malè ſentiente de Chriſto, qui proximus & frater nobis per humanitatem fieri dignatus eſt, qualiter contra peccantes in ipſum, vel in Eccleſiam, atque rebelles, & erga poſt recognoſcentes ac pœnitentes debeant agere.

CONCILIVM EPAONENSE.

SIGISMVNDI BVRGVNDIONVM IN GALLIA Regis tempore celebratum XVII. Kalendas Octobris, Agapito V.C. Conſule, id eſt anno Chriſti DXVII. Hormiſdæ Papæ IV. Childeberti Regis VI.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt Epiſcopi ad Concilium, vel ad ordinationem, à Metropolitano veniant euocati.*
2. *Ne digami presbyteri, aut diaconi ordinentur.*
3. *Vt pœnitentes clerici non fiant.*
4. *Vt clericis canes ad venandum, vel accipitres habere non liceat.*
5. *Ne presbyter inſcio Epiſcopo ſuo in aliena Eccleſia conſtituatur.*
6. *De clericis, qui ſine commendatitiis vagantur.*
7. *Quòd parochiarum presbyteris alienare nihil liceat.*
8. *De presbyterorum emptionibus, & Abbatum venditionibus.*
9. *Vt Abbas vni tantùm monaſterio præſit.*
10. *Vt noua monaſteria ſine Epiſcopi notitia non fiant.*
11. *Quatenus clericis ad ſæculare iudicium interpellare, aut reſpondere liceat.*
12. *Epiſcopus res Eccleſiæ ſine Metropolitano vendere non poteſt, commutare poteſt.*
13. *De clericis falſi teſtimonij conuictis.*
14. *Si clericus in alia ciuitate Epiſcopus fuerit ordinatus, Eccleſia donum ipſi præſtitum recipiet.*
15. *De hæreticorum & Iudæorum conuiuiis.*
16. *Vt presbyteris liceat hæreticos decumbentes, ſi conuerti velint, chriſmate conſignare.*
17. *De Epiſcopi teſtamento.*
18. *Vt clerici Eccleſiæ præiudicium diuturnitate poſſeſſionis non faciant.*
19. *De Abbatis peccantis correptione.*
20. *De feminarum viſitatione.*
21. *De viduis in diaconas non conſecrandis.*
22. *Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiſerit.*
23. *Qui ſuſceptam pœnitentiam deſerunt excommunicantur.*
24. *Laicus clerico verum crimen obijcere non vetatur.*
25. *Vt Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur.*
26. *Altaria niſi lapidea non conſecrentur.*
27. *Vt officium Metropolitani comprouinciales obſeruent.*
28. *Ab Epiſcopo damnatos ſucceſſori licet abſoluere.*
29. *De lapſorum pœnitentia, & reconciliatione.*
30. *De inceſtis coniunctionibus.*
31. *De pœnitentia homicidarum.*
32. *Relictæ presbyteri aut diaconi nuptiæ interdictæ.*
33. *De baſilicis hæreticorum.*
34. *Si quis ſine iudice proprium ſeruum occiderit.*
35. *Vt nobiliores ciues die Paſchæ, & Natalis Domini, Epiſcopos benedictionis cauſa expectant.*
36. *Quomodo recipiendi ſint, qui in diſcrimine mortis verſantur.*
37. *Laici niſi præmiſſa conuerſione non ordinandi.*
38. *Monaſteria puellarum quibus ingredi liceat.*
39. *De ſeruis qui ad Eccleſiam confugiunt.*
40. *De horum canonum obſeruatione.*

PROOEMIVM.

QVOD præcipientibus tantis dominis meis miniſterium proferendi ſermonis aſſumo, facio hoc non tam præſumptionis auſu, quàm ſubiectionis obſequio, dum exequi & implere contendit non audacia temeritatem, ſed obedientia iuſſionem: ſimulque tanto maior obtemperantis apparebit humilitas, quanto minor comprobatur facultas: maiorque profectò præcipientium reuerentia prodetur, quando obedientiæ nulla poſſibilitatis fiducia ſuffragatur. Sic Dominus meus mediocritatis meæ eo ampliùs honorauit imperitiam, quo minus poteſt ornare doctrinam. Caritas quoque veſtra, ſi nequaquam facundo oblectabitur aut inſtruetur eloquio, ædificetur ſaltem humilitatis exemplo. Quoniam ergo ſicut volumus tacere non ſinimur, aliquid vt poſſumus iam loquamur.

PRÆFATIO.

DEo propitio ad Epaonenſem Eccleſiam congregati, quid vel de antiquis regulis, vel de nouis ambiguitatibus ſenſerimus, expreſſis ſingillatimque diſcretis conſtitutionibus, præſentibus titulis credidimus adnotandum.

CANONES.

I. *Vt Epiſcopi ad Concilium, vel ad ordinationem, à Metropolitano veniant euocati.*

Prima & immutabili conſtitutione decretum eſt, vt cùm Metropolitanus fratres vel comprouinciales ſuos ad Concilium, aut ad ordinationem cuiuſcumque conſacerdotis, crediderit euocandos, niſi cauſa tædij euidentis extiterit, nullus excuſet.

II. *Ne digami presbyteri, aut diaconi ordinentur.*

Ne ſecundæ vxoris aut renuptæ maritus, preſbyter aut diaconus ordinetur, abundè ſufficeret ab Apoſtolo conſtitutum. Sed quia 1. Tim. 3. præceptum huiuſmodi excedi quorumdam fratrum ſimplicitate cognouimus, ſpeciali obſeruantia renouamus, ſciente eo qui contra interdictum ordinauerit, reum fratribus ſe futurum: illo autem qui contra fas honorem prohibitæ benedictionis ambierit, nihil ſe clericalis miniſterij præſumpturum.

III. *Vt pœnitentes clerici non fiant.*

Pœnitentiam profeſſi ad clericatum penitus non vocentur.

IV. *Vt clericis canes ad venandum, vel accipitres habere non liceat.*

Epiſcopis, preſbyteris, atque diaconibus canes ad venandum, & accipitres habere non liceat. Quòd ſi quis talium perſonarum in hac

fuerit voluntate deteƈtus, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat; duobus preſbyter abſtineatur, vno diaconus ab omni officio & communione ceſſabit.

V. *Ne presbyter, inſcio Epiſcopo ſuo, in aliena Eccleſia conſtituatur.*

Ne preſbyter territorij alieni, ſine conſcientia ſui Epiſcopi, in alterius ciuitatis territorio præſumat baſilicis atque oratoriis obſeruare, niſi fortè Epiſcopus ſuus illum cedat Epiſcopo illi, in cuius territorio habitare diſpoſuit. In quo ſi exceſſum fuerit, Epiſcopus cuius preſbyter fuerit fratri ſuo nouerit culpabilem ſe futurum, qui clericum iuris ſui illicita facientem ſciens, ab ſcandali admiſſione non reuocat.

VI. *De clericis, qui ſine commendatitiis vagantur.*

Preſbytero, vel diacono, ſine Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti communionem nullus impendat.

VII. *Quòd parochiarum presbyteris alienare nihil liceat.*

Quidquid parochiarum preſbyteri de Eccleſiaſtici iuris poſſeſſione diſtraxerint, inane habeatur & vacuum, in venditorem comparantis aƈtione vertenda.

VIII. *De presbyterorum emptionibus, & Abbatum venditionibus.*

Presbyter dum diœceſim tenet, de his quæ emerit, aut Eccleſiæ nomine ſcripturam faciat, aut ab eius quam tenuit Eccleſiæ ordinatione diſcedat. Similis quoque de venditionibus, quas Abbates facere præſumpſerint, forma ſeruabitur, vt quidquid ſine Epiſcoporum notitia venditum fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi reuocetur. Mancipia verò monachis donata ab Abbate non liceat manumitti. Iniuſtum enim putamus, vt monachis quotidianum rurale opus facientibus, ſerui eorum libertatis otio potiantur.

IX. *Vt Abbas vni tantùm monaſterio præſit.*

Vnum Abbatem duobus monaſteriis interdicimus præſidere.

X. *Vt noua monaſteria ſine Epiſcopi notitia non fiant.*

Cellas nouas, aut congregatiunculas monachorum, abſque Epiſcopi notitia prohibemus inſtitui.

XI. *Quatenus clericis ad ſæculare iudicium interpellare, aut reſpondere liceat.*

Clerici ſine ordinatione Epiſcopi ſui adire, vel interpellare publicum non præſumant; ſed ſi pulſati fuerint, ſequi ad ſæculare iudicium non morentur.

XII. *Epiſcopus res Eccleſiæ ſine Metropolitano vendere non poteſt, commutare poteſt.*

Nullus Epiſcopus de rebus Eccleſiæ ſuæ, ſine conſcientia Metropolitani ſui, vendendi aliquid habeat poteſtatem, vtili tamen omnibus commutatione permiſſa.

XIII. *De clericis falſi teſtimonij conuictis.*

Si quis clericus in falſo teſtimonio conuictus fuerit, reus capitalis criminis cenſeatur.

XIV. *Si clericus in alia ciuitate Epiſcopus fuerit ordinatus, Eccleſia donum ipſi præſtitum recipiet.*

Quiſquis clericus aliquid de munificentia Eccleſiæ cui ſeruierat adeptus, ad ſummum ſacerdotium alterius ciuitatis eſt aut fuerit ordinatus, quod dono accepit, vel acceperit reddat; quod vſu, vel proprietate, ſecundum inſtrumenti ſeriem probatur emiſſe, poſſideat.

XV. *De hæreticorum & Iudæorum conuiuiis.*

Si ſuperioris loci clericus hæretici cuiuſcumque clerici conuiuio interfuerit, anni ſpatio pacem Eccleſiæ non habebit. Quod iuniores clerici ſi præſumpſerint, vapulabunt. A Iudæorum verò conuiuiis etiam laicos cõſtitutio noſtra prohibuit; nec cum vllo clerico noſtro panem comedat, quiſquis Iudæorum fuerit conuiuio inquinatus.

XVI. *Vt presbyteris liceat hæreticos decumbentes, ſi conuerti velint, chriſmate conſignare.*

Presbyteros, propter ſalutem animarum, quam in cunctis optamus, deſperatis & decumbentibus hæreticis, ſi conuerſionem ſubitam petant, chriſmate permittimus ſubuenire. Quod omnes conuerſuri, ſi ſani ſunt, ab Epiſcopo nouerint expetendum.

XVII. *De Epiſcopi teſtamento.*

Si Epiſcopus condito teſtamento aliquid de Eccleſiaſtici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, niſi vel tantum de iuris proprij facultate ſuppleuerit.

XVIII. *Vt clerici Eccleſiæ præiudicium diuturnitate poſſeſſionis non faciant.*

Clerici quod etiam, ſine precatoriis, qualibet diuturnitate temporis de Eccleſiæ remuneratione poſſederint cum auctoritate domniglorioſiſſimi principis noſtri, in ius proprietarium præſcriptione temporis non vocetur, dummodo pateat Eccleſiæ rem fuiſſe: ne videantur etiam Epiſcopi adminiſtrationis prolixæ aut precatorias,

cùm ordinati ſunt, facere debuiſſe, aut diu tentas Eccleſiæ facultates proprietati ſuæ poſſe tranſcribere.

XIX. *De Abbatis peccantis correptione.*

Abbas ſi in culpa reperiatur aut fraude, & innocentem ſe aſſerens, ab Epiſcopo ſuo accipere noluerit ſucceſſorem, ad Metropolitani iudicium deducatur.

XX. *De viſitatione feminarum.*

Epiſcopo, presbytero, & diacono, vel ceteris clericis, horis præteritis, id eſt meridianis vel veſpertinis, ad feminas prohibemus acceſſum: quæ tamen, ſi cauſa fuerit, cum presbyterorum aut clericorum teſtimonio videantur.

XXI. *De viduis in diaconas non conſecrandis.*

Viduarum conſecrationem, quas diaconas vocitant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſola eis pœnitentiæ benedictione, ſi conuerti ambiunt, imponenda.

XXII. *Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiſerit.*

Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiſerit, ab officij honore depoſitus in monaſterium retrudatur, ibi tantummodo, quandiu vixerit, communione ſumenda.

XXIII. *Qui ſuſceptam pœnitentiam deſerunt excommunicantur.*

Si quis accepta profeſſaque pœnitentia, boni immemor, ad ſæcularia relabatur, prorſus communicare non poterit, niſi profeſſioni, quam illicitè prætermiſerat, reformetur.

XXIV. *Laicus clerico verum crimen obijcere non vetatur.*

Laicis, contra cuiuſlibet gradus clericum, ſi quid criminale parant obiicere, dummodo vera ſuggerant, proponendi permittimus poteſtatem.

XXV. *Vt Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur.*

Iuo Part. III. cap. 78. Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſitan clericos cuiuſcumque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui

Ex MS. Lugdunenſi. ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur. *Quòd ſi illi defuerint, non antè proprij ordinentur, quàm eis competens victus & veſtitus ſubſtantia deputetur.

XXVI. *Altaria niſi lapidea non conſecrentur.*

De Conſecr. diſt. I. Altaria niſi. Altaria niſi lapidea chriſmatis vnctione non ſacrentur.

XXVII. *Vt officium Metropolitani comprouinciales obſeruent.*

Ad celebranda diuina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, prouinciales obſeruare debebunt. Ibid.

XXVIII. *Ab Epiſcopo damnatos ſucceſſori licet abſoluere.*

Si Epiſcopus ante damnati abſolutionem obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem ſucceſſori licebit abſoluere. 11.q.3.Si Epiſcopus.

XXIX. *De lapſorum pœnitentia & reconciliatione.*

Lapſis, id eſt qui in catholica baptizati præuaricatione damnabili pôſt in hæreſim tranſierunt, grandem redeundi difficultatem ſanxit antiquitas. Quibus nos, annorũ multitudine breuiata, pœnitentiam biennij conditione infraſcriptæ obſeruationis imponimus; vt præſcripto biennio tertia die ſine relaxatione ieiunent, Eccleſiam ſtudeant frequentare, in pœnitentum loco ſtandi & orandi humilitatem nouerint obſeruandam: ac etiam ipſi, cùm catechumeni procedere commonentur, abſcedant. Hoc ſi obſeruare voluerint, conſtituto tempore admittendis ad altarium obſeruatio relaxetur. Quam ſi arduam vel duram fortè putauerint, ſtatuta præteritorum canonum complere debebunt.

XXX. *De inceſtis coniunctionibus.*

Inceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò, nec vllo coniugij nomine præuelandos, præter illos quos vel nominare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus. Si quis relictam fratris, quæ penè priùs ſoror extiterat, carnali coniunctione violauerit: ſi quis frater germanam vxoris ſuæ accipiat: ſi quis nouercam duxerit: ſi quis conſobrinæ, ſobrinæve ſe ſociet: quod vt à præſenti tempore prohibemus, ita ea quæ ſunt anteriùs inſtituta non ſoluimus. Si quis relictæ auunculi miſceatur, aut patrui, vel priuignæ concubitu polluatur. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij libertatem.

XXXI. *De pœnitentia homicidarum.*

De pœnitentia homicidarum, qui ſæculi leges euaſerint, hoc ſumma reuerentia de eis inter nos placuit obſeruari, quod Ancyritani canones decreuerunt. Conc. Ancyr. c. 21. & 22.

XXXII. *Relictæ presbyteri aut diaconi nuptiæ interdictæ.*

Relicta preſbyteri, ſiue diaconi, ſi cuicumque renupſerit, eatenus ab Eccleſia pellatur, donec à coniunctione illicita ſeparetur: marito quoque eius ſimili vſque ad correctionem ſeueritate plectendo.

XXXIII. *De baſilicis hæreticorum.*

Baſilicas hæreticorum, quas tanta execratione habemus exoſas, vt pollutionem earum purgabilem non putemus, ſanctis vſibus applicare deſpicimus. Sanè quas per violentiam noſtris tulerant, poſſumus reuocare.

XXXIV. *Si quis ſine iudice proprium ſeruum occiderit.*

Si quis ſeruum proprium ſine conſcientia iudicis occiderit, excommunicatione biennij effuſionem ſanguinis expiabit.

XXXV. *Vt nobiliores ciues die Paſchæ, & Natalis Domini, Epiſcopos benedictionis cauſa expetant.*

Vt ciues ſuperiorum natalium nocte Paſchæ, ac Natiuitatis Domini ſolennitate, Epiſcopos, nec intereſt in quibus ciuitatibus poſitos, accipiendæ benedictionis deſiderio nouerint expetendos.

XXXVI. *Quomodo recipiendi ſint, qui in diſcrimine mortis verſantur.*

Ne vllus ſine remedio, aut ſpe veniæ ab Eccleſia repellatur, néue vlli, ſi aut pœnituerit, aut ſe correxerit, ad veniam redeundi aditus obſtruatur. Sed ſi cui forſitan diſcrimen mortis immineat, damnationis conſtituta tempora relaxentur. Quòd ſi ægrotum accepto viatico reualeſcere fortaſſe contingit, ſtatuti temporis ſpatia obſeruare conueniet.

XXXVII. *Laici niſi præmiſſa conuerſione non ordinandi.*

Ne laicus, niſi religione præmiſſa, clericus ordinetur.

XXXVIII. *Monaſteria puellarum quibus ingredi liceat.*

Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, ad quaſcumque earum neceſſitates, vel miniſtrationes permittantur intrare. Ad faciendas verò Miſſas qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt. Aliàs autem nec clericus, nec monachus iuuenis, vllum ad puellarũ congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna, aut germana neceſſitudo probetur admittere.

XXXIX. *De ſeruis qui ad Eccleſiam confugiunt.*

Seruus reatu atrociore culpabilis ſi ad Eccleſiam confugerit, à corporalibus tantùm ſuppliciis excuſetur. De capillis verò, vel quocumque opere, placuit à dominis iuramenta non exigi.

XL. *De horum canonum obſeruatione.*

Quocirca hæc quæ ſuperna inſpiratione cõmuni conſenſu placuerunt, ſi quis ſanctorum Antiſtitum, qui ſtatuta præſentia ſubſcriptionibus

nibus propriis firmauerunt, nec non & quos eorum Deus eſſe voluerit ſucceſſores, relicta integritate obſeruationis exceſſerit, reum ſe diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum eſſe cognoſcat.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Avitvs Epiſcopus conſtitutiones noſtras, id eſt ſacerdotum prouinciæ Viennenſis, relegi & ſubſcripſi die xvii. Calendas menſis octaui, Agapito V. C. Conſule, Epaone.

Viuentiolus Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis, cum prouincialibus meis, conſtitutiones noſtras relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Silueſter Epiſcopus Eccleſiæ Cabillonenſis relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Gemellus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vaſenſis relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Apollinaris Epiſcopus ciuitatis Valentinæ relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Valerius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Segeſtericæ relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Victurius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Gratianopolitanæ relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Claudius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Veſontionenſis relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Gregorius in C.n. Epiſcopus ciu. Lingonicæ rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Pragmatius in C.n. Epiſc. ciu. Auguſtodunenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Conſtantius in C.n. Epiſc. ciu. Octodorenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Catulinus in C.n. Epiſcopus ciu. Ebredunenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Sanctus in C.n. Epiſcopus ciu. Darantaſienſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Maximus in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Genauenſis relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Bubulcus in C.n. Epiſcopus ciu. Vindoniſſæ rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Sæculatius in C.n. Epiſcopus ciu. Deenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Iulianus in C.n. Epiſc. ciu. Carpentoratenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Conſtantius in C.n. Epiſc. ciu. Vappincenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Florentius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Arauſicæ relegi & ſubſcripſi, die & Conſule ſupraſcripto.

Item Florentius in C.n. Epiſc. ciu. Tricaſtinæ rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Philagrius in C.n. Epiſcopus ciu. Cabellicæ rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Venantius in C.n. Epiſcopus ciu. Albenſium rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Prætextatus in C.n. Epiſcopus ciu. Aptenſis rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Tauricianus in C.n. Epiſc. ciu. Niuernenſium rel. & ſubſcripſi, die & c.ſſ.

Peladius preſbyter, iuſſu domini Salutaris Epiſcopi ciuitatis Auennicæ, huic definitioni interfui & ſubſcripſi.

CONCILIVM LVGDVNENSE I.

SYNODVS, VEL CONSTITVTIO SANCTORVM Patrum, contra Stephanum, qui oblitus diuinas & humanas leges cognatæ ſuæ auſu nefario ſe ſociauit, tempore Sigiſmundi eiuſdem Regis, & Viuentioli Epiſcopi Lugdunenſis, eodem, vt videtur, anno Chriſti DXVII.

Nunc primùm in lucem edita ex codice S. Mariæ Remenſis.

TITVLI CANONVM.

1. De inceſti crimine, & cauſa Stephani.
2. Vt Epiſcopo vno in tribulatione poſito reliqui compatiantur.
3. Si rex ab Epiſcoporum communione ſe ſuſpenderit.
4. Vt nullus alienam parochiam vſurpet, aut eius ordinationem præſumat.
5. Vt nullus in locum viuentis Epiſcopi audeat adſpirare.
6. De obſeruatione horum canonum, & Stephano conceſſa indulgentia.

CANONES.

I. *De inceſti crimine, & cauſa Stephani.*

IN nomine Trinitatis congregati iteratò in vnum, in cauſa Stephani inceſti crimine polluti, atque in Lugdunenſi vrbe degentes decreuimus, vt hoc factum noſtrum, quod in damnationem eius, vel illius, quam ſibi inlicitè ſociauit, vno conſenſu ſubſcripſimus, inuiolabiliter ſeruaremus. quod non ſolùm de præfatis eiſdem perſonis placuit cuſtodiri; ſed in omnibus, quolibet loco vel tempore in hac fuerint peruerſitate detecti.

II. *Vt Epiſcopo vno in tribulatione poſito reliqui compatiantur.*

Id quoque adiecimus, vt ſi quicumque noſtrûm tribulationem quamcumque, vel amaritudinem, aut commotionem fortaſſe poteſtatis neceſſe habuerit tolerare, omnes vno cum eodem animo compatiantur. & quidquid vel diſpendiorum obtentu cauſæ vnus ſuſceperit, conſolatio fraternæ anxietatis releuet tribulatos.

III. *Si Rex ab Epiſcoporum communione ſe ſuſpenderit.*

Quòd ſi ſe rex præcellentiſſimus ab Eccleſia, vel ſacerdotum communione, vltrà ſuſpenderit, locum ei dantes ad ſacræ matris gremium veniendi, ſancti Antiſtites in monaſteriis ſe abſque vlla dilatione, provt cuique fuerit opportunum, recipiant, donec pacem integram, ad caritatis plenitudinem conſeruandam, ſanctorum flexus precibus, reſtituere pro ſua potentia vel pietate dignetur. Ita vt non vnus quicumque prius de monaſterio, in quo elegerit habitare, diſcedat, quàm cunctis generaliter fratribus fuerit pax promiſſa vel reddita.

IV. *Vt nullus alienam parochiam vſurpet, aut eius ordinationem præſumat.*

Illud etiam iuxta ſtatuta antiquorum canonum ſpecialiter renouamus omnino, vt nullus frater, vanitatis vel cupiditatis ſtimulis incitatus, Eccleſiæ alterius aggredi vel parochias præſumere, abſque eius, ad quem pertinere noſcuntur, ceſſione vel permiſſione præſumat. Nec quiſquam ſub neceſſitate abſentante Epiſcopo, in eius qui abierit locum, aut ſacrificiorum, aut ordinationum audeat myſteria celebrare. Quòd ſi in hac temeritate vel audacia quiſque proruperit, non ſolùm ſe in Concilio redarguendum, verùm etiam communione fratrum futurum nouerit alienum.

V. *Vt nullus in locum viuentis Epiſcopi audeat adſpirare.*

Id quoque etiam, quod antiquiſſima vel celeberrima obſeruatione decretum eſt, nihilominus iteramus; vt nullus in locum viuentis ad ambiendum ſacerdotij gradum audeat adſpirare. Quòd ſi qualibet impia vel temeraria voluntate præſumpſerit, ſimul & ipſe qui fuerit ordinatus, & hi fratres, quos ordinationi eius interfuiſſe conſtiterit, perpetuæ excommunicationis ſententia feriantur.

VI. *De obſeruatione horum canonum, & Stephano conceſſa indulgentia.*

Hæc verò, quæ à nobis inſpiratione diuina tractata vel finita ſunt, quiſquis exceſſerit, aut implere, quod abſit, aduerſa perſuaſione neglexerit, quaſi diuinorum mandatorum tranſgreſſor, reum ſe Concilio fraternitatis futurum eſſe cognoſcat. Domini quoque glorioſiſſimi regis ſententiam ſecuti, id temperamenti præſtitimus, vt Stephano prædicto, vel Palladiæ, vſque ad orationem plebis, quæ poſt Euangelia legeretur, orandi in locis ſanctis ſpatium præſtaremus.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

VIVENTIOLVS Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Iulianus Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Silueſter Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Apollinaris Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Victurius Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Claudius Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Gregorius Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Maximus Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Sæculatius Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Florentius Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.
Philagrius Epiſcopus in Chriſti nomine conſenſi.

ANNO CHRISTI 523. CHILDEBERTI REGIS 12.

IOANNES PAPA.

REMIGII EPISCOPI REMORVM EPISTOLA III.

Ad tres Epiſcopos.

De Claudio presbytero, in cuius cauſa ſpretum ſe ab illis fuiſſe conqueritur.

DOMINIS VERE' SANCTIS, ET MERITO beatiſſimis in Chriſto fratribus, Heraclio; Leoni, & Theodoſio, Remigius Epiſcopus.

1. Cor. 13. 8. PAVLVS Apoſtolus in epiſtola ſua loquitur, *Caritas nunquam excidit:* quæ vt tales ad me literas mitteretis in veſtris ſenſibus non reſedit. Nam pro Claudio fudi ſimplicem precem, quem vos non preſbyterum ſcribitis, vt in me indignationem veſtri pectoris proderetis. Illum non abnego grauiter deliquiſſe: ſed vos ætati meæ, etſi non meritis, decuerat detuliſſe. Quod propitia diuinitate ſit dictum, quinquaginta & tribus annis Epiſcopali ſedi præſideo, & me appellauit tam procaciter nemo. Dicitis melius vos fuiſſe non natos. Hoc mihi fuerat opportunum, ne audiſſem tranſgreſſoris opprobrium. Ego Claudium preſbyterum feci, non corruptus præmio, ſed præcellentiſſimi regis teſtimonio, qui erat non ſolùm prædicator fidei catholicæ, ſed defenſor. Scribitis, canonicum non fuiſſe quod iuſſit. Summo fungimini ſacerdotio. Regionum præſul, cuſtos patriæ, gentium triumphator iniunxit. Tanto in me prorupiſtis felle commoti, vt nec Epiſcopatus veſtri detuleritis auctori. Rogaui vt Claudius ſacrilegij perpetrator pœnitentiæ

ſeruaretur. Legimus namque, legimus quòd excidium cæleſti denuntiatione prædictum euaſerunt per pœnitentiam Niniuitæ: quòd Ioannes præcurſor Domini in Euangelio prædicauit, vt regno appropinquante cælorum eam populi agerent ne perirent. In Apocalypſi Angelis Eccleſiarum ſcribitur ex præcepto Domini Saluatoris, vt quæ dignè minùs egerant, pœnitentiæ ſatisfactione corrigerent. De iracunda dictione ſanctitatis veſtræ intelligo, quòd lapſum non miſereamini poſt ruinam. Sed magis velle vos video, ne conuertatur & viuat, cùm Dominus dixerit, *Nolo mortem morientis, ſed vt conuertatur & viuat.* Hoc nos expedit ſequi, hanc Domini voluntatem non prætermittere, ſed tenere: quia nos poſuit non ad iracundiam, ſed ad hominum curam, & ſeruire pietati potiùs quàm furori. Ponitis in epiſtola veſtra, quòd Celſus quidam, qui Claudio credidit, quò abductus, & vtrum viuat an ſit mortuus ignoratis, atque huius inquiſitorem me eſſe præcipitis, & neſcitis ſi in ſæculo, aut ſi apud inferos ſit quærendus: & res ſuas à me vultis reſtitui, quas ſublatas fuiſſe non noui. Impoſſibilia præcipitis, vt impia peragatis. Annorum numero me eſſe ſcribitis Iubileum, irridentes potius, quàm pro dilectione gaudentes, cui vinculo caritatis irrupto inſinceriter à vobis nec parcitur, nec defertur.

Ionæ 3.10.
Matth. 3.2.
Apocal. 2.3.
Ezech. 33.11.

REMIGII EIVSDEM EPISTOLA IV.
Ad Falconem Epiſcopum Tungrenſem.

Arguit illum, quòd in Moſomagenſi Eccleſia iuriſdictionem ſibi aduerſus Remenſis Eccleſiæ iura vſurparit.

DOMINO VERE' SANCTO, ET IN CHRISTO beatiſſimo fratri, Falconi Epiſcopo, Remigius Epiſcopus.

QVANTVM comperi, rebus geſtis probaui, priùs curæ beatitudini tuæ fuit, vt mihi inferres iniuriam, quàm ſalutationem deferres. O conueniens principium quod dediſti, vt læderes Epiſcopus antè me, quàm Epiſcopum te viderem! Nimium citò pennis tenerulis euolaſti, leuitate animi, non maturitatis conſilio. In ipſo ſiquidem Epiſcopatus exordio ius ingredi tentas alienum, qui adhuc tuum verecundè debueras introire. Fas ergo fuit, vt inlicitis ordinationibus tuis à te credideris occupandam loci Moſomagenſis Eccleſiam, quam Metropolitani vrbis Remorum ſub ope Chriſti ſua ſemper ordinatione rexerunt? Adhuc arbitror tua neſcis, & iam aliena peruadis. In quam igitur cùm Leuitas feceris, preſbyteros conſecraris, Archidiaconos inſtitueris, primicerium ſcholæ clariſſimæ, militiæque Lectorum; non queror quòd me conſilio inter iſta non videris, vtinam te vidiſſes. Si enim canones tua ſanctitas ignorabat, ſatis præproperum fuit, vt tranſgredereris antequam diſceres. At verò Eccleſiarum ſtatuta ſi noueras, tantò grauiùs tantóque periculoſiùs inſipientia tua priſcorum magnificorúmque Pon-

tificum decreta calcauit. Caue qui aliena præſumis, ne quod habere videris amittas. Cùm factæ ordinationis iura non conſtent, quo potiſſimum conſilio ſacerdotalis officij tyrocinia defenſabis, ſi temerariæ tranſgreſſionis admiſſum pertinacia vel impotentia miſcueris? Maioris diſcriminis erit antiquam ſanctionem fuiſſe violatam, quàm laus ſit loco ſtare contra canones quos creaſti. Sed quid de eorum loquar ordinibus, quos à beatitudine tua non licuit promoueri? Plus illud eſt, quòd ſi iuxta maiorum ſtatuta ſeueritatémque diſcutimus, non minùs, quàm ſtatus illorum, veſter veniet Epiſcopatus in dubium. Dominus in Euangelio dicit ad Petrum: *Simon Ioannis diligis me?* & Petrus: *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te.* Cui bis terque à Domino ſub hac reſponſione præcipitur, *Paſce oues meas.* Ego quia oues Chriſti paſcere, omnimodis imperitus, alimoniæ cæleſtis vbertate non poſſum; qui es ſacris eruditionibus eruditus, eas quæ mihi Chriſto iubente traditæ ſunt, vt paſcas admoneo, vt inuadas inhibeo. Age ſemper vt te digna comitentur. Eccleſiæ, quam diuina diſpenſatione meruiſti præſidendam, deſerui, & pro ſalute gregis Dominici ſollicitus paſtor inuigila. Vtinam mediocritati meæ iſta ſuppeterent, quæ in nomine Domini habere vos cupio. Sed quia deſunt meæ, vel credita mihi ſunt obſequia Saluatoris, ſaluari mercenario non requiro. Ioannes in Apocalypſi ſeptem quippe angelis ſuis comprehendit, & vnicuique ſcribit Eccleſiæ. Facta igitur merita quæ præpoſitis: quæ probata corrigenda, caſtigat. Cùm ergo ſub vocabulo Angeli tradatur actionis forma pontificiæ, doleo ſuper tuæ præſumptionis audacia, vt iura permutes vetera nouus, cauta temerarius, diuina terrenus. Audiant nos, audiant quos elegeris ſacerdotes. Sacerdotes tui ipſi nos audiant. Creatoris confido ſententiam non pro te, ſed in te, à iudicantibus proferendam. Quis enim pro ſenſus ſui probitate non improbet eum contra Eccleſiæ regulam prorupiſſe, qui debuerat Eccleſiæ regulam cuſtodire? Mandas, vt audio, colonorum tibi tributa portari, & præcipis vt reditus deferantur agrorum. Datur intelligi, quòd Eccleſiæ rem, non Eccleſiam concupiſti; quando ſollicitus exquiſitor expoſcis, quæ ego, ad quem iure veniebant, remiſi potiùs quàm quæſiui. Nolo te lateat, Leuitas atque preſbyteros, contra ordinem quos feciſti, ab ordine iam remotos. Perpendi enim quòd à me non decebat admitti, quos à te non licuerat ordinari. Heu quantum me à cultus tui propoſito repuliſti, dum mauis perperam agere, quàm fœdera fraterna ſeruare! Optaueram namque vt clericus permanſiſſes, quia factus fueras vi ſacerdos. Sed ſi mentem tuam cura iſta non tangit, ego tamen pro ſinceritate profiteor, quòd animum non minus angit à te inexcuſabiliter erratum, quàm me fuiſſe contemptum.

Ioan. 21.

CONCILIVM ARELATENSE IV.

CONSTITVTIO SANCTORVM EPISCOPORVM, qui in ciuitate Arelatenſi ad dedicationem baſilicæ S. Mariæ conuenerunt, VIII. Idus Iunias, Opilione V. C. Conſule, id eſt anno Chriſti DXXIV. Ioannis Papæ II. Theodorici Italiæ Regis XXXII.

TITVLI CANONVM.

1. Vt Diaconus ante XXV. annos, & ſacerdos ante XXX. non ordinetur.

2. Vt laicus ante annum conuerſionis non ordinetur.

3. Vt pœnitentes & digami non ordinentur.

4. Vt qui clericum alienum ſuſceperit, communione priuetur.

PRÆFATIO.

CVM in voluntate Dei ad dedicationem baſilicæ S. Mariæ in Arelatenſi ciuitate ſacerdotes Domini conueniſſent, congruum eis, & rationabile viſum eſt, vt primùm de obſeruandis canonibus attentiſſima ſollicitudine pertractantes, qualiter ab ipſis Eccleſiaſtica regula ſeruaretur, ſalubri conſilio definirent.

CANONES.

I. *Vt Diaconus ante XXV. annos, & ſacerdos ante XXX. non ordinetur.*

Et quia in ordinandis clericis antiquorum patrum ſtatuta non ad integrum, ſicut expedit, obſeruata eſſe cognoſcuntur, ne fortè quorumcumque importunis & inordinatis precibus ſacerdotes Domini fatigentur, & ea quæ toties ſunt præcepta tranſgredi compellantur, hoc inter ſe obſeruandum eſſe definiunt, vt nullus Epiſcoporum diaconum, antequam XXV. annos impleat, ordinare præſumat. Epiſcopatus verò, vel preſbyterij honorem nullus laicus ante præmiſſam conuerſionem, vel ante XXX. ætatis annos accipiat. Ivo Part. v. cap. 70.

II. *Vt laicus ante annum conuerſionis non ordinetur.*

Et licet de laicis prolixiora tempora antiqui patres ordinauerint obſeruanda, tamen quia creſcente Eccleſiarum numero, neceſſe eſt nobis plures clericos ordinare, hoc inter nos ſine præiudicio duntaxat canonum conuenit antiquorum, vt nullus Metropolitanorum cuicumque laico dignitatem Epiſcopatus tribuat, ſed nec reliqui Pontifices preſbyterij vel diaconatus honorem conferre præſumant, niſi anno integro fuerit ab eis præmiſſa conuerſio.

III. *Vt pœnitentes & digami non ordinentur.*

D lv. Nullus pœnitentem.

Nullus pœnitentem, nullus digamum, vel internuptarum maritum, in prædictis honoribus audeat ordinare. Et licet hæc iam prope omnium canonum ſtatuta contineant; tamen ne cui ſacerdotum ſupplicantum, ſicut iam dictum eſt, importunitas vel ſuggeſtio iniqua ſubripiat, neceſſe fuit, vt nunc ſeueriorem regulam ſibi velint Domini ſacerdotes imponere. Et ideo quicumque ab hac die, contra ea quæ ſuperiùs ſunt comprehenſa, clericum ordinare præſumpſerit, ab hac die qua hoc ei potuerit approbari, anno integro Miſſas facere non præſumat. Quam rem ſi quis obſeruare noluerit, & contra conſenſum fratrum faciens, Miſſas celebrare præſumpſerit, ab omnium fratrum caritate ſe nouerit alienum: quia dignum eſt, vt ſeueritatem Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſentiat, qui toties ſalubriter à ſanctis patribus inſtituta obſeruare contemnit.

IV. *Vt qui clericum alienum ſuſceperit communione priuetur.*

21. q. 5. Si fortè aliquis.

Et ſi fortè aliquis clericorum, regulam diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſubterfugiens, fuerit euagatus, quicumque eum ſuſceperit, & non ſolùm Pontifici ſuo non reconciliauerit, ſed magis defenſare præſumpſerit, Eccleſiæ communione priuetur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Cæsarivs in Chriſti nomine Epiſcopus definitionem hanc ſanctorum fratrum meorum, vel meam, relegi & ſubſcripſi. Not. ſub d. viii. Idus Iunias, Opilione V. C. Conſule.

Contumelioſus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Philagrius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Prætextatus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Maximus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Iulianus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Florentius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Item Florentius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Cyprianus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Montanus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Cæleſtinus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Porcianus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Eucherius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Cataphronius preſbyter, directus à domnis meis Agrœcio & Seuero Epiſcopis, conſenſi & ſubſcripſi.
Deſiderius preſbyter, directus à domno meo Ioanne Epiſcopo, conſenſi & ſubſcripſi.
Leontius preſbyter, directus à domno meo Conſtantio Epiſcopo, ſubſcripſi.
Ego Emeterius, directus à domno meo Gallicano Epiſcopo, conſenſi & ſubſcripſi.

FELIX IV. PAPA.

PROSPERI EX MANICHÆO CONVERSI priſtinos Manichæorum errores deteſtantis anathematiſmi, & fidei catholicæ profeſſio.

Nunc primùm edita ex codice Eccleſiæ Lugdunenſis.

Capitula S. Auguſtini, quæ debeant publica voce relegere, & manu propria ſubſcribere, in quibus ſuſpicio eſt quòd Manichæi ſint.

I. QVI credit duas eſſe naturas ingenitas diuerſis principiis exiſtentes, vnam bonam, quod eſt Deus, alteram malam quam non creauit Deus, ſibi inuicem aduerſantes, anathema ſit.

II. Qui credit duas naturas bellum inter ſe geſſiſſe, & partem naturæ Dei in eodem bello principibus tenebrarum, & omnibus gentibus ad malam naturam pertinentibus fuiſſe permixtam, & ab eis teneri conligatam, oppreſſam, inquinatam, per quod & credi facit Dei naturam eſſe mutabilem & coinquinabilem, anathema ſit.

III. Qui credit partem Dei ligatam & inquinatam teneri in dæmonibus, & in omnibus animalibus, fructuumque generibus, & per eſcas Manichæorum electorum ſolui atque purgari; vt credatur pars Dei polluta teneri in cucumeribus, in melonibus, & radiculis, & porris, & quibuſcumque viliſſimis herbulis, & ei ſubueniri, cùm ab electis Manichæorum iſta eduntur, anathema ſit.

IV. Qui credit hominem primum non à Deo factum, ſed à principibus

tenebrarum genitum, vt pars Dei, quæ in eorum membris captiua tenebatur, copioſiùs & abundantiùs in eo teneretur, anathema ſit.

v. Qui credit eo modo creatum hominem, quòd maſculi & feminæ principes tenebrarum concubuiſſent, & fœtus ſuos maiori principi tenebrarum dediſſent, & ille omnes comediſſet, & cum ſua coniuge concubuiſſet, atque ita ex illa Atlantem quem blaſphemant patrem Adæ generaſſet, ligans in illo magnam partem Dei, quæ ligata fuerat in omnibus fœtibus principum tenebrarum, quos ei manducandos dederunt, anathema ſit.

vi. Qui credit principes tenebrarum ligatos eſſe in cælo velut in ſphæra, habentes in ſe conligatam in anguſtiis atque angoribus vitalem ſubſtantiam, hoc eſt partem Dei, & eo modo liberari de membris eorum, cùm beatus pater, qui lucidas naues habet diuerſoria & habitacula, id eſt Solem & Lunam, virtutes ſuas transfigurat in feminas pulcras, quas opponit concupiſcendas maſculis principum tenebrarum; & in maſculos pulcros, quos opponit concupiſcendos feminis principum tenebrarum, vt per ipſam concupiſcentiam ſoluatur ex eis vitalis ſubſtantia, id eſt pars Dei, & ex eorum membris liberata purgetur, anathema ſit.

vii. Qui credit partem Dei, quæ de admixtione gentis tenebrarum non potuerit liberari atque purgari, damnari eam, & in æternum affigi horribili globo, in quo globo includitur gens tenebrarum, anathema ſit.

viii. Qui credit legem quæ data eſt per Moyſem, non eſſe à bono & vero Deo datam, & ſpiritu Dei boni & veri locutos prophetas qui fuerunt in populo Iſraël, & in canone ſcripturarum diuinarum habentur apud catholicam Eccleſiam, anathema ſit.

ix. Qui credit non habuiſſe veram carnem filium Dei IESVM Chriſtum, neque ex ſemine Dauid natum eſſe de Virgine Maria, neque verum corpus habuiſſe, nec veram carne mortem fuiſſe perpeſſum, & à mortuis reſurrexiſſe: ſed tantummodo ſpiritum fuiſſe, ſic autem in carne apparere voluiſſe, vt & caro putaretur quæ non erat; atque hoc modo contradicit Euangelio, Domino ipſo dicente, *Videte manus meas & pedes meos: palpate & videte, quia ſpiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere.* Qui ergo ſic confitetur Chriſtum Deum verum, vt integrum etiam hominem neget, anathema ſit. Luc. 24. 39.

x. Quicumque aduentum ſpiritus paracliti, quem Dominus in Euangelio promittit eſſe venturum in Apoſtolos, poſt Aſcenſionem Domini, in die Pentecoſtes, non ſtatim credit impletum; ſed poſt multos annos in Mane, vel in Adimanto diſcipulo eius veniſſe credit, anathema ſit.

xi. Quicumque carnem hanc quam geſtamus, id eſt corpora humana, reſurrecturam negat, anathema ſit.

xii. Qui animas humanas transfundi iterum in aliis corporibus, vel animalibus credit, anathema ſit.

xiii. Quicumque Solem & Lunam naues eſſe cæleſtes dicit, ad animas vel Dei ſubſtantiam transferendam, & honorem eis, vel luci iſti viſibili aliquid diuinitatis adſcribit, & non ſicut reliquam creaturam ad miniſterium humanum à Domino cæli ac terræ conditam, anathema ſit.

xiv. Qui credit omnem carnem quadrupedum, ſerpentium, volatilium, & natatilium, vel omnium quæ in mundo ſunt, non à Deo vero creatam, ſed à principibus tenebrarum, anathema ſit.

xv. Qui ſymbolum vel orationem Manichæorum non deteſtans, ſed venerans, aut recordari, aut ore proferre voluerit, anathema ſit.

xvi. Qui credit animas humanas ex ſubſtantia Dei eſſe, & corpora humana à principe tenebrarum vel facta, vel fieri, anathema ſit.

xvii. Qui credit Diabolum non eſſe à Deo factum Angelum bonum, & propria voluntate per ſuperbiam lapſum factum eſſe Diabolum, eumdemque aſſerit non eſſe inter reliquos Angelos à Deo creatum, ſed ſemper coæternum Deo fuiſſe, anathema ſit.

xviii. Qui credit Manem, ſiue Manichæum, qui ſupraſcripta omnia, quæ anathemate & damnatione ſunt digna, prædicauit, Spiritum ſanctum habuiſſe paraclitum, cùm ea omnia docere non potuit ſpiritus veritatis, ſed ſpiritus falſitatis, anathema ſit.

xix. Anathema etiam ipſi Mani, vel Manichæo, qui omnes ſupradictas impietates, & alias ſacrilegas & damnabiles fabulas docuit, & conſcripſit, & credendas miſeris perſuadere conatus eſt, intendens ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dæmoniorum & mendaciloquorum.

xx. Anathema Adimanto, & omnibus diſcipulis ac ſectatoribus eius: & ſicut iam dictum eſt, qui in eum ſpiritum paraclitum veniſſe credit, anathema ſit.

xxi. Omnibus etiam ſupradictæ peruerſitatis auctoribus, & doctrinæ vel legi eorum, vel omnibus ſecretis, & catholicæ fidei contrariis, orationibus ac ſacrilegiis eorum, & cunctis ſcripturis eorum, quæ citra canonem habentur Eccleſiæ, quas fides recta non ſuſcipit, anathema ſit.

ABIVRATIO ET PROFESSIO PROSPERI.

In Chriſti nomine, ego Proſper hanc chartulam anathematis Manichæorum relegi, & anathema dicens omnibus ſupraſcriptis erroribus, manu propria ſubſcripſi, & repudiatis omnibus eorum impietatibus, fide pleniſſima doctrinis eorum & traditionibus anathema dixi, & dico: & me quæcumque Eccleſia catholica confitetur credere, & ſequi in omnibus ſub teſtificatione diuina polliceor atque promitto. Not. ſub D. XIII. Calend. Decembris, Olybrio Iuniore V. C. Conſule.

CONCILIVM CARPENTORATENSE.

CONSTITVTIO SANCTORVM EPISCOPORVM

Concilij Carpentoratenſis, ſub die VIII. Idus Nouembres, Mauortio V.C. Conſule, id eſt anno Chriſti DXXVII. Felicis IV. Papæ II. Athalarici Italiæ Regis II.

CANON VNICVS.

De eo quod parochiis fuerit à Chriſtianis conlatum, quantum aut qualiter ab Epiſcopo præſumatur.

LICET omnia quæ Eccleſiaſtica regula præcepit obſeruari, in multis canonibus contineantur inſerta, naſcuntur tamen cauſæ, pro quibus neceſſe habent ſacerdotes Domini, quod ad iuſtitiam pertinet, ſecundum diſciplinam Eccleſiaſticam ordinare. Et ideo quia Carpentorate conuenientes huiuſmodi ad nos querela peruenit, quòd ea quæ à quibuſcumque fidelibus parochiis conferuntur, ita ab aliquibus Epiſcopis præſumantur, vt aut parum, aut prope nihil Eccleſiis, quibus conlata fuerant, relinquatur: hoc nobis iuſtum & rationabile viſum eſt, vt ſi Eccleſia ciuitatis eius, cui Epiſcopus præeſt, ita eſt idonea, vt Chriſto propitio nihil indigeat; quicquid parochiis fuerit derelictum, clericis qui ipſis parochiis deſeruiunt, vel reparationibus Eccleſiarum rationabiliter diſpenſetur. Si verò Epiſcopum multas expenſas, & minorem ſubſtantiam habere conſtiterit; parochiis, quibus largior fuerit conlata ſubſtantia, hoc tantùm, quod clericis vel ſartis tectis rationabiliter ſufficiat, reſeruetur: quod autem amplius fuerit, propter maiores expenſas Epiſcopus ad ſe debeat reuocare: ita tamen vt nihil de facultatula ipſa, vel de miniſterio, clerici loci ipſius licentiam habeant minuendi. Hoc etiam placuit cuſtodiri, vt ſequenti anno in vico Vaſenſi octauo Idus Nouembres debeat Concilium congregari.

Ex Cod. Lugdun.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

CÆSARIVS in Chriſti nomine Epiſcopus conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi. Not. ſub die VIII. Idus Nouẽbres, Mauortio V.C. Conſule.

Contumelioſus conſenſi & ſubſcripſi.
Eucherius peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Lupercianus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Conſtantius peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Alethius peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Iulianus conſenſi & ſubſcripſi.
Proſper peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Vindemialis conſenſi & ſubſcripſi.
Porcianus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Heraclius peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Philagrius peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Vranius peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Cyprianus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Gallicanus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Principius peccator conſenſi & ſubſcripſi.

EPISTOLA SYNODI CARPENTORATENSIS Ad Agrœcium Epiſcopum Antipolitanum.

Suſpenditur anni ſpatio à Miſſarum celebratione Epiſcopus, qui ordinationem quandam contra canones fecerat.

DOMINO SANCTO AC VENERABILI FRATRI, Agrœcio Epiſcopo, Cæſarius Epiſcopus, & ceteri Epiſcopi in Carpentoratenſi Synodo congregati.

LICET ad Synodum aut per vos, aut per perſonam vicariam debueritis adeſſe, vt ordinationis tuæ, quam feciſſe diceris, in Synodali conuentu redderes rationem; vt ſi rectè feceras, abſolutus cum caritate Deo propitio remeares: ſin certè tranſgreſſorem te canonum eſſe conſtaret, præſenti denuntiatione cognoſceceris, vt Deo medio prolata ſententia, aut percelleret reum, aut abſolueret ſupplicantem: quia licèt ſacerdotibus canones ignorare non liceat, tamen pene leuior error fuerat, ſi per ignorantiam deliquiſſes, quàm vt eorum quibus tua, vel vicarij tui manus ſubſcripſerat, canonum tranſgreſſor exiſteres. At nunc verò duplici reatu teneris adſtrictus, cùm non ſolùm contra venerabilium patrum, ſed etiam cõtra tua veniſſe decreta temerè comprobaris. Quapropter hoc communi in Chriſto deliberatione ſanximus, vt quia filium noſtrum Protadium ſtatuta canonibus per vos inſerta, & vos ſimili ſententia conſtringunt, vſque emẽſo anno Miſſas facere non præſumas: quia æquum eſt, vt quod apud Antiſtites Deo medio ſtatuitur, inuiolabiliter Deo propitio conſeruetur. Quæ enim obſeruationis reuerentia à poſteris exhibebitur, ſi ab iis primùm lex, à quibus conſtituta eſt, violatur?

Cæſarius Epiſcopus ſubſcripſit.
Cyprianus Epiſcopus ſubſcripſit.
Conſtantius Epiſcopus ſubſcripſit.
Porcianus Epiſcopus ſubſcripſit.
Gallicanus Epiſcopus ſubſcripſit.
Alethius Epiſcopus ſubſcripſit.
Heraclius Epiſcopus ſubſcripſit.
Principius Epiſcopus ſubſcripſit.

Contumelioſus Epiſcopus ſubſcripſi.
Iulianus Epiſcopus ſubſcripſi.
Philagrius Epiſcopus ſubſcripſi.
Eucherius Epiſcopus ſubſcripſi.
Proſper Epiſcopus ſubſcripſi.
Vranius Epiſcopus ſubſcripſi.
Lupercianus Epiſcopus ſubſcripſi.
Vindemialis Epiſcopus ſubſcripſi.

FELICIS IV. PAPAE EPISTOLA

Ad Cæſarium Arelatenſem.

De laicis ad ſacerdotium ante probationem non promouendis.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO FELIX.

Legi quod inter fraternitatem veſtram eſt conſtitutum, non licere ex laica conuerſatione ad officium ſacerdotale ante probationem temere promoueri: de qua re etiam à te ad nos peruenit opinio, aliquos poſt ordinationem ad vitæ ſæcularis mores fuiſſe tranſgreſſos. Et licèt ſit talis nefanda præſumptio, plus tamen eſt periculoſa neglectio. Qui enim poteſt venienti malo reſiſtere, & hoc diſſimulans fieri permittit, ipſe magis mali auctor operis approbatur. Nemo ſe itaque per antiquam conſuetudinem ſperet eruere: quia quæ illicitè inchoata ſunt, ſi damnentur in poſterum, ſuos fructus generare non poſſunt. Nam quod gradibus eruditur, ſi ſine perfectione doctrinæ ad ſuum perueniat conſtitutum, errat per examinationem, quia non recipit firmitatem: nec honorem quis per timorem poteſt ſeruare, qui in eius gloriam ſemel labore peruenit. Et laus inanis cui tribuitur lædit, ad elationem nutriens magis, quàm prouocans ad operam veræ virtutis. Vas electionis ad ſuum vernaculum Timotheum ſcribit dicens: *Nemini citò manus impoſueris, nec communicaueris peccatis alienis.* (1.Tim.5.22.) Quid ſibi vult, Ne citiùs imponas manus? Quia dignitas quæ datur, ideo datur, vt duret immobilis. Debet enim, antequam concedatur, longa ſub deliberatione tractari. Vnde magiſter, qui elementorum ignorat initia? Vnde gubernator, qui inter nautas ſua ſeruitia non monſtrauit? Ignorat quænam ratio magiſtris debetur, qui ad obedientiam ſua corda non flexit, vnde quemadmodum in domo Dei conuerſari debeat, poſteris ſit exemplum. Sit in omnibus clericis, & in his maximè, qui ſunt ad ſacerdotia deligendi, Apoſtolicæ monitionis eloquium, qui ait: *Oportet & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt.* (1.Tim.3.7.) Quapropter communi conſenſu, ſub obſeruatione venerabilium canonum, ordinandum eligite ſacerdotem: vt & de noſtra ſimus ſalute ſolliciti, & illorum vtilitatibus conſulamus, qui fuerint ad hunc ordinem diligenter adſciti. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Nonas Februarias P. C. Mauortij V. C.

CONCILIVM ARAVSICANVM II.

DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.

IN DEDICATIONE BASILICÆ À LIBERIO Patricio conſtructæ celebratum, v. Nonas Iulias, Decio iuniore V.C. Conſule, id eſt anno Chriſti DXXIX. Felicis IV. Papæ III. Athalarici Italiæ Regis III.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. Quòd per peccatum Adæ non ſolùm corpus, ſed anima etiam læſa fuerit.
2. Quòd peccatum Adæ non ipſi ſolùm nocuit, ſed ad poſteros quoque tranſiit.
3. Quòd gratia Dei non ad inuocationem detur, ſed ipſa faciat vt inuocetur.
4. Quòd Deus vt à peccato purgemur voluntatem noſtram non expectet, ſed præparet.
5. Quòd initium fidei non ex nobis, ſed ex gratia Dei ſit.
6. Quòd ſine gratia Dei credentibus & petentibus miſericordia non conferatur, cùm gratia ipſa faciat, vt credamus & petamus.
7. Quòd viribus naturæ bonum aliquid, quod ad ſalutem pertineat, cogitare aut eligere ſine gratia non poſſimus.
8. Quòd per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi peruenire nullus poſſit.
9. De adiutorio Dei per quod bona operamur.
10. De adiutorio Dei omnibus ſemper implorando.
11. De obligatione votorum.
12. Quales nos diligat Deus.
13. De reparatione liberi arbitrij.
14. Quòd vt liberemur à miſeria miſericordia Dei præuenimur.
15. Quòd per gratiam Dei in melius mutetur fidelis.
16. Quòd ex eo quod habemus non ſit gloriandum, cùm ex Deo ſit.
17. De fortitudine Chriſtiana.
18. Nullis meritis gratiam præueniri.
19. Neminem niſi Deo miſerante ſaluari.
20. Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.
21. De natura & gratia.
22. De his quæ hominum propria ſunt.
23. De voluntate Dei & hominis.
24. De palmitibus vitis.
25. De dilectione qua diligimus Deum.

PRÆFATIO.

CVM ad dedicationem Baſilicæ, quam illuſtriſſimus Præfectus & Patticius filius noſter Liberius in Arauſica ciuitate fideliſſima deuorione conſtruxit, Deo propiriante, & ipſo inuitante conueniſſemus, & de tebus quæ ad Eccleſiaſticam tegulam pertinent, inret nos ſpiriralis fuiſſet oborta conlatio; peruenit ad nos eſſe aliquos, qui de gratia & libeto arbirrio per ſimpliciratem minùs cautè, & non ſecundum fidei catholicæ regulam, ſentire velint. Vnde id nobis, ſecundum admonitionem & auctoritatem

Sedis Apoſtolicæ, iuſtum ac rationabile viſum eſt, vt pauca capitula ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, quæ ab antiquis patribus de ſanctorum ſcripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendos eos qui aliter quàm oportet ſentiunt, ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. quibus lectis, qui huc vſque non ſicut oportebat de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei catholicæ conueniunt, animum ſuum inclinare non differat.

CAPITVLA.

I. *Quòd per peccatum Adæ non ſolùm corpus, ſed anima etiam læſa fuerit.*

Si quis per offenſam præuaricationis Adæ non totum, id eſt ſecundum corpus & animam, in deterius dicit hominem commutatum, ſed animæ libertate illæſa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduerſatur ſcri-

Ezech.18.20 Rom 6.16. pturæ dicenti: *Anima quæ peccauerit ipſa morietur*, &, *Neſcitis quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſerui eſtis eius cui*

2.Pet.2.19. *obeditis?* &, *A quo quis ſuperatur, eius & ſeruus addicitur*.

II. *Quòd peccatum Adæ non ipſi ſolùm nocuit, ſed ad poſteros quoque tranſiit.*

Si quis ſoli Adæ præuaricationem ſuam, non & eius propagini, aſſerit nocuiſſe; aut certè mortem tantùm corporis, quæ pœna peccati eſt, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ, per vnum hominem in omne genus humanum tranſiſſe teſtatur, iniuſtitiam

Rom.5.12. Deo dabit, contradicens Apoſtolo dicenti: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.*

III. *Quòd gratia Dei non ad inuocationem detur, ſed ipſa faciat vt inuocetur.*

Si quis ad inuocationem humanam gratiam Dei dicit poſſe conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, con-

Eſa 65 1. Rom.10.20. tradicit Eſaiæ prophetæ, vel Apoſtolo idem dicenti: *Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui his, qui me non interrogabant.*

IV. *Quòd Deus, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram non expectet, ſed præparet.*

Si quis vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit

Prou. 19. iuxta LXX. Philip.2.13. ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à Domino.* & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

V. Quòd

V. *Quòd initium fidei non ex nobis, ſed ex gratia Dei ſit.*

Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui iuſtificat impium, & ad generationem ſacri baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius approbatur, beato Paulo dicente: *Confidimus, quia qui cœpit in nobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri* IESV *Chriſti.* & illud: *Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.* &, *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Qui enim fidem qua in Deum credimus, dicunt eſſe naturalem, omnes eos qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt quodammodo fideles eſſe definiunt. Philip. 1. 6. Ibid 29. Ephes. 2. 8.

VI. *Quòd ſine gratia Dei, credentibus & petentibus miſericordia non conferatur, cùm gratia ipſa faciat, vt credamus & petamus.*

Si quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri diuinitus; non autem vt credamus, velimus, vel hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus, per infuſionem & inſpirationem ſancti Spiritus in nobis fieri confitetur; & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes & humiles ſimus ipſius gratiæ donum eſſe conſentit, reſiſtit Apoſtolo dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?* &, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* 1. Cor. 4. 7. & cap. 15. 10.

VII. *Quòd viribus naturæ bonum aliquid, quod ad ſalutem pertineat, cogitare aut eligere ſine gratia non poſſimus.*

Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, ſiue ſalutari, id eſt Euangelicæ prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione & inſpiratione Spiritus ſancti, qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis: *Sine me nihil poteſtis facere.* & illud Apoſtoli: *Non quod idonei ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Ioan. 15. 5. 2. Cor. 3. 5.

VIII. *Quòd per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi peruenire nullus poſſit.*

Si quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de præuaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat

eſſe vitiatum, ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, à recta fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis aſſerit infirmatum; aut certè ita læſum putat, vt tamen quidam valeant ſine reuelatione Dei, myſterium ſalutis æternæ per ſemetipſos poſſe conquirere. Quod quàm ſit contrarium, ipſe Dominus probat, qui non aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem pater attraxerit. ſicut & Petro dicit:
Ioan.6.44. Matth.16.17. *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed*
1.Cor.12.3. *pater meus qui in cælis eſt*. & Apoſtolus: *Nemo poteſt dicere Dominum* IESVM *niſi in Spiritu ſancto*.

IX. *De adiutorio Dei, per quod bona operamur.*

Diuini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia continemus. Quoties enim bona agimus; Deus in nobis atque nobiſcum vt operemur operatur.

X. *De adiutorio Dei omnibus ſemper implorando.*

Adiutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono poſſint opere perdurare.

XI. *De obligatione votorum.*

Nemo quicquam Domino rectè vouerit, niſi ab ipſo acceperit
1.Par.29.14. quod voueret, ſicut legitur: *Quæ de manu tua accepimus damus tibi.*

XII. *Quales nos diligat Deus.*

Tales nos amat Deus, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito.

XIII. *De reparatione liberi arbitrij.*

Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi, non poteſt reparari: quod amiſſum, niſi à quo potuit
Ioan.8.36. dari, non poteſt reddi. Vnde veritas ipſa dicit: *Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.*

XIV. *Quòd vt liberemur à miſeria miſericordia Dei præuenimur.*

Nullus miſer de quacumque miſeria liberatur, niſi qui Dei miſe-
Pſal.78.8. ricordia præuenitur, ſicut dicit Pſalmiſta: *Citò anticipet nos miſeri-*
Pſal.58.11. *cordia tua Domine.* & illud: *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.*

XV. *Quòd per gratiam Dei in melius mutatur fidelis.*

Ab eo quod formauit Deus mutatus eſt Adam, ſed in peius per iniquitatem ſuam: ab eo quod operata eſt iniquitas mutatur fidelis,

ſed in melius per gratiam Dei. Illa ergo mutatio fuit præuaricatoris primi: hæc ſecundum Pſalmiſtam *Mutatio eſt dextera excelſi.* Pſal.76.11.

XVI. *Quòd ex eo quod habemus non ſit gloriandum, cùm ex Deo ſit.*

Nemo ex eo quod videtur habere glorietur, tanquam non acceperit; aut ideo ſe putet accepiſſe, quia litera extrinſecùs, vel vt legeretur apparuit, vel vt audiretur ſonuit. Nam ſicut Apoſtolus dicit: *Si per legem iuſtitia, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Gal.2.21. *Aſcendens in altum captiuauit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Pſal 67.19. Ephcſ.4.8. Inde habet quicumque habet. Quiſquis autem ſe inde habere negat, aut verè non habet, aut id quod videtur habere aufertur ab eo.

XVII. *De fortitudine Chriſtiana.*

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Chriſtianorum Dei caritas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium quod eſt in nobis, ſed per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.

XVIII. *Nullis meritis gratiam præueniri.*

Nullis meritis gratiam præuenientibus, debetur merces bonis operibus ſi fiant: ſed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant.

XIX. *Neminem niſi Deo miſerante ſaluari.*

Natura humana, etiamſi in illa integritate in qua eſt condita permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adiuuante, ſeruaret. Vnde cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?

XX. *Nihil boni hominem poſſe ſine Deo.*

Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtat vt faciat homo.

XXI. *De natura & gratia.*

Sicut eis qui volentes in lege iuſtificari, & à gratia exciderunt, veriſſimè dicit Apoſtolus: *Si in lege iuſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt:* Gal.2.21. ſic eis qui gratiam, quam commendat & percipit fides Chriſti, putant eſſe naturam, veriſſimè dicitur, Si per naturam iuſtitia eſt, ergo Chriſtus gratis mortuus eſt. Iam hîc enim erat lex, & non iuſtificabat: iam hîc erat & natura, & non iuſtificabat. Ideo Chriſtus non gratis mortuus eſt, vt & lex per illum impleretur qui dixit, *Non veni legem ſoluere, ſed adimplere:* & natura per Adam perdita Matth.5.17. per illum repararetur, qui dixit veniſſe ſe quærere & ſaluare quod perierat.

XXII. *De his quæ hominum propria ſunt.*

Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo, vt ex eo quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via.

XXIII. *De voluntate Dei & hominis.*

Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo diſplicet. Quando autem id faciunt quod volunt, vt diuinæ ſeruiant voluntati, quamuis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas eſt, à quo & præparatur & iubetur quod volunt.

XXIV. *De palmitibus vitis.*

Ita ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed inde accipiant vnde viuant. ſic quippe vitis eſt in palmitibus, vt vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis. Ac per hoc & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto, diſcipulis prodeſt vtcumque, non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viua radice alius pullulare. Qui autem præciſus eſt, ſine radice non poteſt viuere.

XXV. *De dilectione qua diligimus Deum.*

Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe vt diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Diſplicentes amati ſumus, vt fieret in nobis vnde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus noſtris Spiritus Patris & Filij, quem cum patre amamus & filio.

Ac ſic ſecundum ſupraſcriptas ſanctarum ſcripturarum ſententias, vel antiquorum patrum definitiones, hoc Deo propitiante & prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ diuinæ præuenerit. Vnde & Abel iuſto, & Noë, & Abrahæ, & Iſaac, & Iacob, & omni antiquorum patrum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laude prædicat
Hebr. 11. Apoſtolus Paulus, non per bonum naturæ, quod priùs in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei credimus fuiſſe collatam. Quam gratiam, etiam poſt aduentum Domini, omnibus qui baptizari deſiderant, non in libero arbitrio haberi, ſed Chriſti nouimus ſimul & credimus largitate conferri; ſecundum illud quod ſæpe iam dictum
Philip. 1. 29. eſt, & quod prædicat Paulus Apoſtolus: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.*

& illud: *Deus qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vſque in diem Domini noſtri* IESV *Chriſti.* & illud: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* Et quod de ſeipſo ait Apoſtolus: *Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem.* Non dixit quia eram, ſed vt eſſem. & illud: *Quid habes quod non accepiſti?* & illud: *Omne datum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* & illud: *Nemo habet quicquam, niſi illi datum fuerit deſuper.* Innumerabilia ſunt ſanctarum ſcripturarum teſtimonia, quæ poſſunt ad probandam gratiam proferri: ſed breuitatis ſtudio prætermiſſa ſunt, quia & reuera cui pauca non ſufficiunt, plura non proderunt. Hoc etiam ſecundum fidem catholicam credimus, quòd accepta per baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus. Hoc etiam ſalubriter profitemur, & credimus quòd in omni opere bono non nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adiuuamur: ſed ipſe nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem ſui priùs inſpirat, vt & baptiſmi ſacramenta fideliter requiramus, & poſt baptiſmum cum ipſius adiutorio ea quæ ſibi ſunt placita implere poſſimus. Vnde manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd & illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam reuocauit, & Cornelij centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zacchæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed diuinæ largitatis donum. Et quia definitionem antiquorum patrum, noſtrámque, quæ ſupraſcripta eſt, non ſolùm religioſis, ſed etiam laicis medicamentum eſſe, & deſideramus & cupimus; placuit vt eam etiam & illuſtres ac magnifici viri, qui nobiſcum ad præfatam feſtiuitatem conuenerunt, propria manu ſubſcriberent.

Ibid. 6. Epheſ. 2. 8. 1. Cor. 7. 25. 1. Cor. 4. 7. Iacob. 1. 17. Ioan. 3. 27. Luc. 23. 42. Act. 10. 1. Luc. 19. 2.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM, & illuſtrium virorum.

CÆSARIVS in Chriſti nomine Epiſcopus conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi. Not. ſub die v. Nonas Iulias, Decio iuniore V. C. Conſule.

Iulianus amartolus Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.

Conſtantius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Cyprianus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Eucherius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Item Eucherius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Heraclius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Principius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Philagrius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Maximus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Prætextatus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Alethius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Lupercianus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Vindemialis in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Petrus Marcellinus Felix Liberius V. C. & inluſtris Præfectus prætorij Galliarum, atque Patricius, conſentiens ſubſcripſi.
Syagrius V. Inl. conſenſi & ſubſcripſi.
Opilio V. Inl. conſenſi & ſubſcripſi.
Pantagathus V. Inl. conſenſi & ſubſcripſi.
Deodatus V. Inl. conſentiens ſubſcripſi.
Cariatto V. Inl. conſentiens ſubſcripſi.
Marcellus V. Inl. conſentiens ſubſcripſi.
Namatius V. Inl. conſenſi & ſubſcripſi.

ADMONITIO AD LECTOREM
De confirmatione Synodi ſupraſcriptæ.

QVæ ſequitur epiſtola Bonifacij Papæ, approbationem continet Synodi Arauſicanæ II. Ideo illam poſt Synodum, ne ab ea longiùs diuelleretur, mox ſubiici placuit; quam alioqui, ſi temporum ordo ſpectetur, poſt Concilium etiam Vaſenſe, vt ſubſcriptiones declarant, collocari oportebat. In codice autem Foſſatenſi, vnde à nobis illa excerpta eſt, & in altero conſimili, qui exſtat in Bibliotheca S. Mariæ Laudunenſis, epiſtola Synodo ipſi propter reuerentiam Sedis Apoſtolicæ præponitur, & epiſtolæ breuis de Synodi eiuſdem auctoritate præfixa eſt adnotatio his verbis:

In hoc loco continetur Synodus Arauſica, quam per auctoritatem ſanctus Papa Bonifacius confirmauit. Et ideo quicumque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quam vel iſta auctoritas continet, vel in illa Synodo conſtitutum eſt, contrarium ſe Sedi Apoſtolicæ, & vniuerſæ per totum mundum Eccleſiæ eſſe cognoſcat.

BONIFACII II. PAPAE
EPISTOLA

Ad Cæſarium Arelatenſem, cuius rogatu confirmat ea, quæ in Synodo Arauſicana fuerant definita.

Nunc primùm edita ex codice S. Petri Foſſatenſis.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Bonifacius.

PER filium noſtrum Armenium presbyterum & Abbatem literas tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos ſub ea quâ in Deo tenemur caritate direxeras: quibus credideras poſtulandum, vt id quod à beatæ recordationis deceſſore noſtro Papa Felice pro catholicæ fidei popoſceras firmitate, mea explicaretur inſtantia. Sed quia id voluntas ſuperna diſpoſuit, vt quod per nos ab illo ſperaueras, à nobis potiùs imperrares; petitioni tuæ, quam laudabili fidei ſollicitudine concepiſti, catholicum non diſtulimus dare reſponſum. Indicas enim, quòd aliqui Epiſcopi Galliarum, cùm cætera iam bona ex Dei acquieuerint gratia prouenire, fidem tantùm, qua in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint, non gratiæ; & hominibus ex Adam, quod dici nefas eſt, in libero arbitrio remanſiſſe, non etiam nunc in ſingulis miſericordiæ diuinæ largitate conferri: poſtulans vt pro ambiguitate tollenda, confeſſionem veſtram, qua vos è diuerſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium, iuxta catholicam veritatem, per præuenientem Dei gratiam ſingulorum definitis ſenſibus inſpirari, auctoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus. Atque ideo, cùm de hac re multi patres, & præ cæteris beatæ recordationis Auguſtinus Epiſcopus, ſed & maiores noſtri Apoſtolicæ Sedis Antiſtites, ita ratione probentur diſſeruiſſe lariſſima, vt nulli vlteriùs deberet eſſe ambiguum, fidem quoque nobis ipſam venire de gratia: ſuperſedendum duximus reſponſione multiplici. maximè cum ſecundum eas, quas ex Apoſtolo direxiſti ſententias, quibus dicit: *Miſericordiam conſecutus ſum, vt fidelis eſſem*; & alibi: *Vobis datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, verùm etiam vt pro eo patiamini*; euidenter appareat fidem, qua in Chriſto credimus, ſicut & omnia bona, ſingulis hominibus ex dono ſupernæ venire gratiæ, non ex humanæ poteſtate naturæ. Quod etiam fraternitatem tuam, habita conlatione cum quibuſdam ſacerdotibus Galliarum, iuxta fidem gaudemus ſenſiſſe catholicam: in his ſcilicet, in quibus vno, ſicut indicaſti, conſenſu definierunt fidem, qua in Chriſto credimus, gratia diuinitatis præueniente conferri: adiicientes etiam, nihil eſſe prorſus ſecundum Deum boni, quod ſine Dei quis gratia aut velle, aut incipere, aut operari, aut perficere poſſit, dicente ipſo Saluatore noſtro: *Sine me nihil poteſtis facere.* Certum eſt enim atque catholicum, quia in omnibus bo-

1. Cor. 7. 25. Philip. 1. 29. Ioan. 15. 5.

nis, quorum caput eſt fides, nolentes nos miſericordia diuina præueniat, vt in fide duremus, ſicut Dauid propheta dicit: *Deus meus miſericordia eius præueniet me.* & iterum: *Miſericordia mea cum ipſo eſt.* & alibi: *Miſericordia eius ſubſequitur me.* Similiter & beatus Paulus dicit: *Aut quis prior dedit ei, & retribuetur illi? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Vnde nimis eos qui contra ſentiunt, admiramur, vſque eo vetuſti erroris adhuc reliquiis prægrauari, vt ad Chriſtum non credant Dei beneficio, ſed naturæ veniri; & ipſius naturæ bonum, quod Adæ peccato noſcitur deprauatum, auctorem noſtræ fidei dicant magis eſſe quàm Chriſtum; nec intelligant ſe Dominicæ reclamare ſententiæ dicenti: *Nemo venit ad me, niſi datum fuerit illi à patre meo.* Sed & beato Paulo ſimul obſiſtere clamanti ad Hebræos: *Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem* IESVM *Chriſtum.* Quæ cùm ita ſint, inuenire non poſſumus quid ad credendum in Chriſto, ſine Dei gratia, humanæ deputent voluntati, cùm Chriſtus auctor conſummatorque ſit fidei. Quapropter affectu congruo ſalutantes, ſupraſcriptam confeſſionem veſtram conſentaneam catholicis patrum regulis adprobamus. Illos autem, qui præcedente fide, cætera, ſicut indicas, volunt gratiæ deputare, ſua profeſſione conſtringimus, vt multo magis dono gratiæ etiam fidem cogantur adſcribere, præter quam nihil eſt boni, quod ſecundum Deum quilibet valeat operari, ſicut beatus Apoſtolus dicit: *Omne quod ex fide non eſt, peccatum eſt.* Quod cùm ita ſit, aut nullum bonum gratiæ deputabunt, ſi ei fidem ſubtrahere moliuntur; aut ſi quod bonum eſſe dicunt de gratia, ipſa neceſſariò fides erit gratiæ deputanda. Si enim nihil boni eſt ſine fide, fides autem ipſa venire negetur ex gratia; nullum, quod abſit, bonum erit gratiæ deputandum. Ait enim Iacobus Apoſtolus: *Omne donum bonum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum.* Et ipſi fatentur, vt dicis, dona cætera donari per gratiam; ipſa autem bona fide ſubſiſtere non ambigunt. Vniuerſa ergo neceſſariò fides erit gratiæ deputanda, à qua bonum, quod gratiæ tribuunt, ſeparare non poſſunt. His itaque breuiter adſignatis, contra reliquas Pelagiani erroris ineptias, quas illa videtur epiſtola continere, quam à quodam tibi mandaſti ſacerdote tranſmiſſam, reſpondendum non duximus: quia ſperamus de miſericordia diuina, quòd ita per miniſterium tuæ fraternitatis atque doctrinam, in omnium, quos diſſentire mandaſti, dignabitur cordibus operari, vt ex hoc omnem bonam voluntatem non ex ſe, ſed ex diuina credant gratia proficiſci, cùm ſe ſenſerint id iam velle defendere, quod nitebantur pertinaciter impugnare. Scriptum eſt enim, *Præparatur voluntas à Domino.* & alibi: *Scio quia non poſſum eſſe continens, niſi Deus dederit: & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet donum.* Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data VIII. Calend. Februarias, Lampadio & Oreſte VV. CC. Conſulibus.

Pſal.58.11. Pſal.88.25. Pſal.22.6. Rom.11.35.36. Ioan.6.44. Hebr.12.1.2. Rom.14.23. Iacob.1.17. Prou. 19. iuxta LXX. Sap.8.21.

CONCILIVM

CONCILIVM VASENSE II.

QVOD IN VASENSI VICO LIBERII Præfecti prætorio, atque Patricij tempore celebratum eſt, Nonis Nouembris, Decio iuniore V.C. Conſule, id eſt anno Chriſti DXXIX. Felicis IV. Papæ IV. Athalarici Italiæ Regis IV.

Vaſenſia Concilia duo tantùm agnoſcimus, quæ ſola in libris omnibus reperiuntur. Qui tertium vtroque antiquius ſibi finxerunt, his malè acceptus Adonis Viennenſis Chronicorum locus impoſuit.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt presbyteri per parochias iuniores Lectores domi nutriant & erudiant.*
2. *Vt presbyteris per parochias prædicare liceat, & vt his impeditis homiliæ patrum à diaconis recitentur.*
3. *Vt Kyrie eleiſon in Eccleſiis frequentiùs, & Sanctus, Sanctus, Sanctus in omnibus Miſſis dicatur.*
4. *Vt nomen Papæ in Eccleſiis recitetur.*
5. *Vt poſt Gloria, dicatur etiam, Sicut erat in principio.*

PRÆFATIO.

CVM ſecundum ſtatuta canonum in Vaſenſi vico ſanctorum pontificum fuiſſet Concilium congregatum, iuxta conſuetudinem antiquorum patrum regulas relegentes, propitiante Domino, nullum de præſentibus Domini ſacerdotibus aliquid contra decreta ſpiritalia, aut præteriſſe, aut præſumpſiſſe cognouimus. De qua re vberes Deo gratias egimus, quia ſeruis ſuis ſecundum pietatis ſuæ conſuetudinem præſtare dignatus eſt, vt pro ſolo perfectæ caritatis affectu, & tantùm pro deſiderio ſe videndi ad Synodum conuenirent. Et quamuis omnia quæ à ſanctis ſacerdotibus, vel clericis obſeruari debeant, & antiqui, & nouelli canones continere probentur, tamen ne congregatio ſancta ſine aliqua definitione diſcederet, vel parum aliquid, quod ad ædificationem Eccleſiarum pertinere poſſit, inſpirante Domino decreuerunt.

CANONES.

I. *Vt preſbyteri per parochias iuniores Lectores domi nutriant & erudiant.*

Hoc enim placuit, vt omnes preſbyteri, qui ſunt in parochiis conſtituti, ſecundum conſuetudinem, quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognouimus, iuniores Lectores, quantoſcumque ſine vxore habuerint, ſecum in domo, vbi ipſi habitare videntur, recipiant: & eos quomodo boni patres ſpiritaliter nutrientes, pſalmos parare, diuinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant: vt & ſibi dignos ſucceſſores prouideant, & à Domino præmia æterna recipiant. Cùm verò ad ætatem perfectam peruenerint, ſi aliquis eorum pro carnis fragilitate vxorem habere voluerit, poteſtas ei ducendi coniugium non negetur.

II. *Vt preſbyteris per parochias prædicare liceat, & vt his impeditis homiliæ patrum à diaconis recitentur.*

Iuo Part. vi. cap. 107. Hoc etiam pro ædificatione omnium Eccleſiarum, & pro vtilitate totius populi nobis placuit, vt non ſolùm in ciuitatibus, ſed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus preſbyteris poteſtatem: ita vt ſi preſbyter, aliqua infirmitate prohibente, per ſeipſum non potuerit prædicare, ſanctorum patrum homiliæ à diaconibus recitentur. Si enim digni ſunt diacones quod Chriſtus in Euangelio locutus eſt, legere; quare indigni iudicentur ſanctorum patrum expoſitiones publicè recitare?

III. *Vt Kyrie eleiſon in Eccleſiis frequentiùs, & Sanctus, Sanctus, Sanctus, in omnibus Miſſis dicatur.*

Et quia tam in Sede Apoſtolica, quàm etiam per totas Orientales atque Italiæ prouincias, dulcis & nimium ſalutaris conſuetudo eſt intromiſſa, vt Kyrie eleiſon frequentiùs cum grandi affectu, & compunctione dicatur: placuit etiam nobis, vt in omnibus Eccleſiis noſtris iſta tam ſancta conſuetudo & ad Matutinos, & ad Miſſas, & ad Veſperam Deo propitio intromittatur. Et in omnibus Miſſis, ſeu in matutinis, ſeu in quadrageſimalibus, ſeu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, ſemper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine, quo modò ad Miſſas publicas dicitur, dici debeat: quia tam ſancta, & tam dulcis, & deſiderabilis vox, etiamſi die noctuque poſſit dici, faſtidium non poterit generare.

IV. *Vt nomen Papæ in Eccleſiis recitetur.*

Et hoc nobis iuſtum viſum eſt, vt nomen domni Papæ, quicumque Sedi Apoſtolicæ præfuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur. Iuo Part. vi. cap. 30.

V. *Vt poſt Gloria, dicatur etiam, Sicut erat in principio.*

Et quia non ſolùm in Sede Apoſtolica, ſed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum aſtutiam, qui Dei filium non ſemper cum patre fuiſſe, ſed à tempore cœpiſſe blaſphemant, in omnibus clauſulis poſt Gloria, Sicut erat in principio dicitur, etiam & nos in vniuerſis Eccleſiis noſtris hoc ita dicendum eſſe decernimus.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

CÆSARIVS in Chriſti nomine Epiſcopus chartulam hanc definitionis noſtræ relegi & ſubſcripſi. Not. ſub die Nonas Nouembres, Decio iuniore V. C. Conſule.
Contumelioſus ita conſenſi in omnibus, vt cùm ſanctus Papa vrbis ſuam oblatam dederit, recitemus ante altarium Domini.
Conſtantius in Chriſti nomine Epiſcopus relegi conſenſi & ſubſcripſi.
Cyprianus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Maximus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Porcianus peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Heraclius Epiſcopus ſubſcripſi.
Eucherius peccator relegi & ſubſcripſi.
Gallicanus peccator relegi & ſubſcripſi.
Proſper peccator conſenſi & ſubſcripſi.
Vindemialis peccator conſenſi & ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 532. CHILDEBERTI REGIS 21.

IOANNES II. PAPA.

CONCILIVM AVRELIANENSE II.

CHILDEBERTI FRATRVMQVE REGVM

præceptione celebratum IX. Kalendas Iulias, anno Chriſti DXXXIII. Ioannis II. Papæ I. ſupradictorum Regum XXII.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt nullus ad Concilium, vel ad ordinationem vocatus venire diſſimulet.*
2. *Vt Metropolitanus ſingulis annis prouinciales ad Concilium vocet.*
3. *Vt Epiſcopi de ordinationibus nihil accipiant.*
4. *Vt nullus ſacerdotium pecunia appetat.*
5. *Vt nullus ad ſepeliendum ſacerdotem venire diſſimulet.*
6. *Vt qui ſepelit Epiſcopum, deſcriptam domum Eccleſiæ relinquat.*
7. *De ordinatione Metropolitanorum.*
8. *De captiuis diaconis, ne matrimonio copulentur.*
9. *Ne presbyter cum ſæcularibus habitet.*
10. *Ne quis cum nouerca iungatur.*
11. *Ne infirmitate coniugium reſoluatur.*
12. *Ne in laſciuiis vota Deo reddantur.*
13. *Ne vllus præter Epiſcopum apoſtolia dare præſumat.*
14. *De clericis qui officium implere deſpiciunt.*
15. *De oblationibus interfectorum.*
16. *De his qui literas, aut baptizandi ordinem neſciunt.*
17. *De diaconiſſis quæ coniugio copulantur.*
18. *De iiſdem, ne ordinentur.*
19. *Ne Chriſtianus Iudæam, aut Iudæus Chriſtianam accipiat.*
20. *De his qui ad idola redeunt, vel immolatis, aut ſuffocatis veſcuntur.*
21. *De contumacibus Abbatibus.*

PRÆFATIO.

Cvm ex præceptione glorioſiſſimorum Regum in Aurelianenſem vrbem, de obſeruatione legis catholicæ tractaturi, Deo auxiliante conueniſſemus, ibi quid de antiquis regulis, quid de nouis ambiguitatibus, pro captu intelligentiæ, illuminante Domino ſenſerimus, expreſſimus ſingulatim, deſcriptiſque conſtitutionibus, quæ Deo propitio in poſterum ſint obſeruanda, ex veterum canonum auctoritate conſcripſimus.

CANONES.

I. *Vt nullus ad Concilium, vel ad ordinationem vocatus venire diſſimulet.*

Id ergo eſt conſtitutum, vt nullus Epiſcoporum, admonente Metropolitano Epiſcopo, niſi certa tædij cauſa detentus, ad Con-

cilium, vel ordinationem conſacerdotis venire penitus vlla excuſatione detrectet.

II. *Vt Metropolitanus ſingulis annis prouinciales ad Concilium vocet.*

Vt Metropolitani ſingulis annis comprouinciales ſuos ad Concilium euocent.

III. *Vt Epiſcopi de ordinationibus nihil accipiant.*

Ne quis Epiſcopus de quibuſlibet cauſis, vel Epiſcoporum ordinationibus, cæterorumque clericorum, aliquid præſumat accipere: quia ſacerdotem nefas eſt cupiditatis venalitate corrumpi.

IV. *Vt nullus ſacerdotium pecunia appetat.*

Si quis ſacerdotium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quæſierit, abiiciatur vt reprobus: quia Apoſtolica ſententia donum Dei eſſe præcipit pecuniæ trutina minimè comparandum. Act. 8. 18

V. *Vt nullus ad ſepeliendum ſacerdotem venire diſſimulet.*

Nullus Epiſcopus ad ſepeliendum Epiſcopum venire conficta occaſione diſſimulet, ne cuiuſlibet corpuſculum diutius inhumatum negligentia interueniente ſoluatur. Is verò Epiſcopus, qui defunctum aduenerit ſepelire, præter expenſam neceſſariam, nihil pretij pro fatigatione depoſcat.

VI. *Vt qui ſepelit Epiſcopum, deſcriptam domum Eccleſiæ relinquat.*

Vt Epiſcopus qui ad ſepeliendum Epiſcopum venerit, euocatis preſbyteris in vnum, domum Eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integra diligentia derelinquat, vt res Eccleſiæ vllorum improbitate non pereant.

VII. *De ordinatione Metropolitanorum.*

In ordinandis Metropolitanis Epiſcopis antiquam inſtitutionis formulam renouamus, quam per incuriam omnimodis videmus amiſſam. Itaque Metropolitanus Epiſcopus à comprouincialibus Epiſcopis, clericis, vel populis electus, congregatis in vnum omnibus comprouincialibus Epiſcopis ordinetur, vt talis Deo propitio ad gradum huius dignitatis accedat, per quem regula Eccleſiæ in melius aucta plus floreat.

VIII. *De captiuis diaconis, ne matrimonio copulentur.*

Si quis diaconus in captiuitate redactus vxori fuerit copulatus, reuerſus ab officij omnino miniſterio remouendus eſt. Cui ſufficere debet pro actus ſui leuitate impleta pœnitentia pro ſatisfactione communio.

IX. *Ne presbyter cum ſæcularibus habitet.*

Nullus presbyterorum ſine permiſſione Epiſcopi ſui cum ſæcularibus habitare præſumat. Quòd ſi fecerit, ab officij communione pellatur.

X. *Ne quis cum nouerca iungatur.*

Nullus nouercæ ſuæ, id eſt vxori patris ſui, vlla copulatione iungatur. Quòd ſi quis præſumpſerit, nouerit ſe anathematis ſupplicio feriendum.

XI. *Ne infirmitate coniugium reſoluatur.*

Contracta matrimonia accedente infirmitate nulla voluntatis contrarietate ſoluantur. Quòd ſi qui ex coniugibus fecerint, nouerint ſe communione priuandos.

XII. *Ne in laſciuiis vota Deo reddantur.*

Ne quis in Eccleſia votum ſuum cantando, bibendo, vel laſciuiendo diſſoluat, quia Deus talibus votis irritatur potiùs quàm placetur.

XIII. *Ne vllus præter Epiſcopum apoſtolia dare præſumat.*

Abbates, martyrarij, recluſi, vel presbyteri, apoſtolia dare non præſumant.

XIV. *De clericis qui officium implere deſpiciunt.*

Clerici qui officium ſuum implere deſpiciunt, aut vice ſua ad Eccleſiam venire detrectant, loci ſui dignitate priuentur.

XV. *De oblationibus interfectorum.*

Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere cenſemus, ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur propriis manibus intuliſſe.

XVI. *De iis qui literas, aut baptizandi ordinem neſciunt.*

Presbyter, vel diaconus, ſine literis, vel ſi baptizandi ordinem neſciat, nullatenus ordinetur.

XVII. *De diaconiſſis quæ coniugio copulantur.*

Feminæ quæ benedictionem diaconatus hactenus contra interdicta canonum acceperunt, ſi ad coniugium probantur iterum deuolutæ, à communione pellantur. Quòd ſi huiuſmodi contubernium admonitæ ab Epiſcopo cognito errore diſſoluerint, in communionis gratiam acta pœnitentia reuertantur.

XVIII. *Vt diaconiſſæ in poſterum non ordinentur.*

Placuit etiam, vt nulli poſtmodum feminæ diaconalis benedictio pro conditionis huius fragilitate credatur.

XIX. *Ne Chriſtianus Iudæam, aut Iudæus Chriſtianam accipiat.*

Placuit vt nullus Chriſtianus Iudæam, neque Iudæus Chriſtianam in matrimonio ducat vxorem, quia inter huiuſmodi perſonas illicitas nuptias eſſe cenſemus. Qui ſi commoniti à conſortio hoc ſe ſeparare diſtulerint, à communionis gratia ſunt ſine dubio ſubmouendi.

XX. *De his qui ad idola redeunt, vel immolatis aut ſuffocatis veſcuntur.*

Catholici, qui ad idolorum cultum non cuſtodita ad integrum accepti baptiſmi gratia reuertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis guſtu illicitæ præſumptionis vtuntur, ab Eccleſiæ cœtibus arceantur. Similiter & hi, qui beſtiarum morſibus extincta, vel quolibet morbo aut caſu ſuffocata veſcuntur.

XXI. *De contumacibus Abbatibus.*

Abbates qui Epiſcoporum præcepta deſpiciunt ad communionem nec penitus admittantur, niſi contumaciam ſuſcepta humilitate deponant.

Sanè ſi qui poſt hanc diligentiſſimam ſanctionem non obſeruauerint quæ ſunt ſuperiùs comprehenſa, reos ſe diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futuros eſſe cognoſcant.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

HONORATVS in Chriſti nomine Epiſcopus Bituricenſis ſubſcripſi, ſub die IX. Kalendas Iulias, anno XXII. domni Childeberti Regis.
Leontius Epiſcopus Aurelianenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.
Aſpaſius Epiſcopus Eloſenſis ſubſcripſi.
Eleutherius Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcripſi.
Importunus Epiſcopus ſubſcripſi.
Chronopius Epiſcopus Petrocoricenſis ſubſcripſi.
Iniurioſus Epiſcopus Eccleſiæ Turonenſis ſubſcripſi.
Lupicinus Epiſcopus Ecoliſmenſis ſubſcripſi.
Flauius Epiſcopus Rotomagenſis ſubſcripſi.
Agrippinus Epiſcopus Æduorum ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus Carnotenſis ſubſcripſi.
Eumerius Epiſcopus Namnetenſis ſubſcripſi.
Calliſtus Epiſcopus ſubſcripſi.
Amelius Epiſcopus Eccleſiæ Pariſienſis ſubſcripſi.
Marcus Epiſcopus ſubſcripſi.

Suſtratius Epiſcopus Cadurcenſis ſubſcripſi.
Perpetuus Epiſcopus Abrincatenſis ſubſcripſi.
Euſebius Epiſcopus ſubſcripſi.
Præſidius Epiſcopus Conuenarum ſubſcripſi.
Paſſiuus Epiſcopus Sagienſis ſubſcripſi.
Proculeianus Epiſcopus Auſcienſis ſubſcripſi.
Clarentius Epiſcopus ſubſcripſi.
Iulianus Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis ſubſcripſi.
Innocentius Epiſcopus ſubſcripſi.
Marcellus Epiſcopus ſubſcripſi.
Lauto Epiſcopus Conſtantienſis ſubſcripſi.
Orbatus preſbyter pro Leone Epiſcopo Senonenſi ſubſcripſi.
Aſclepius preſbyter pro Adelphio Epiſcopo Rauracenſi ſubſcripſi.
Laurentius preſbyter pro Gallo Epiſcopo Aruernorum ſubſcripſi.
Eledius preſbyter pro Sebaſtio Epiſcopo ſubſcripſi.
Præſidonius preſbyter pro Artemio Epiſcopo ſubſcripſi.

QVAE SEQVVNTVR AD CAVSAM PERTINENT CONTVMELIOSI Epiſcopi Regenſis, qui ob admiſſi criminis notam ab Epiſcopatu deiectus eſt.

Nunc primùm in lucem edita ex antiquis exemplaribus.

IOANNIS II. PAPÆ EPISTOLA I. Ad Cæſarium Arelatenſem.

Cum ſubiectis canonibus ab eo miſſis ad examinandam cauſam Contumelioſi Epiſcopi.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Ioannes.

CARITATIS tuæ literas animo libenti ſuſcepimus, in quibus corporeas neceſſitates allegans, etiam quæ ſacrius ille, qui lapſus eſt, fecerit indicaſti. Dolemus de amiſſione Pontificis, rigorem tamen canonum ſeruare neceſſe eſt. Atque ideo prædictum ab Epiſcopatus ordine noſtra ſuſpendit auctoritas. Neque enim, fas eſt pollutum criminibus ſacris miniſteriis deſeruire. Sed te ordinante in monaſterio dirigatur: vbi delictorum memor in pœnitentia lacrymas effundere non omittat, vt ab eo qui omnibus miſeretur Domino noſtro IESV Chriſto miſericordiam valeat promereri. In cuius locum Viſitatorem conſtituite, donec proprium Eccleſia, quæ euacuata eſt eius ſacerdotio, merere valeat ſacerdotem. Communibus tamen precibus exorare Deum noſtrum debemus, vt puros cunctos præſtet Antiſtites. Si qui tamen pontificatus immemores criminibus ſe fortaſſis inuoluerint, & eorum

rum perſonas vulgus cognoſcat: facilius enim à delictis cauent, ſi non videant etiam hominibus ſecreta eſſe quæ fecerint. Quæ verò de his canones præcipiunt, ſubteradiecimus, vt quæ facienda ſunt poſſitis agnoſcere. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime.

Hi tituli canonum, quos nobis ſupraſcriptus ſanctus & domnus meus Ioannes Papa Sedis Apoſtolicæ cum præfata auctoritate direxit.

EX Epiſtola Siricij Papæ vrbis Romæ Emetio Epiſcopo Tarraconenſi inter cætera ad locum, Capit. VII. *Et quia aliquanti, de quibus loquimur, & tua ſanctitas retulit, ignoratione lapſos eſſe ſe deflent; id eſt, vt ad vxores proprias redierint: his ea conditione miſericordiam dicimus non negandam, vt ſine vllo honoris augmento, in hoc quo detecti ſunt, quandiu aduixerint, officio perſeuerent, ſi tamen poſt hæc continentes ſe ſtuduerint exhibere. Ii verò, qui illiciti priuilegij excuſatione nituntur, vt ſibi adſerant veteri hoc lege conceſſum, nouerint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indigni ſunt, Apoſtolica Sedis auctoritate deiectos; nec vnquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, priuauerunt. Et quia exempla præterita cauere nos præmonent in futuro; quilibet Epiſcopus, presbyter, atque diaconus, quod non optamus, deinceps fuerit talis inuentus, iam nunc ſibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obſeratum. Quia ferro neceſſe eſt excidantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam.*

Ex canonibus Apoſtolorum capitulo XXV. *Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio captus eſt, deponatur, non tamen communione priuetur. Dicit enim ſcriptura*, Non vindicabit Dominus bis in idipſum. D. LXXXI. Presbyter. Num. 1.

Ex canonibus ſupraſcriptis capitulo XXIX. Quòd officium priſtinum damnati pro criminibus vſurpare non debeant. *Si quis Epiſcopus, presbyter, aut diaconus, depoſitus iuſtè ſuper certis criminibus, auſus fuerit adtrectare miniſterium dudum ſibi commiſſum, hic ab Eccleſia penitus abſcidatur.*

Ex canonibus Antiochenis capitulo IV. De damnatis & miniſtrare tentantibus. *Si quis Epiſcopus damnatus à Synodo, vel presbyter, aut diaconus à ſuo Epiſcopo, auſi fuerint aliquid de miniſterio ſacro contingere; ſiue Epiſcopus iuxta præcedentem conſuetudinem, ſiue presbyter, aut diaconus; nullomodo liceat ei nec in alia Synodo reſtitutionis ſpem, aut locum habere ſatisfactionis. Sed & communicantes ei omnes abijci de Eccleſia: maximè ſi poſteaquàm didicerunt aduerſum memoratos prolatam fuiſſe ſententiam, eiſdem communicare temptauerint.* 11. q. 3. Si quis Epiſcopus.

Ex canonibus ſupraſcriptis capitulo XV. De Epiſcopis ab eiuſdem prouinciæ Epiſcopis conſonanter excluſis. *Si quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus condemnatur ab omnibus Epiſcopis eiuſdem prouinciæ, cunctique conſonanter eandem contra eum formam decreti protulerint; hunc apud alios nullo modo iudicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum prouinciæ manere ſententiam.* 6. q. 4. Si quis Epiſcopus.

Expliciunt tituli canonum à ſancto Ioanne Papa tranſmiſſi.

Tituli infraſcripti ad hoc de canonibus excerpti ſunt, vt vnuſquiſque breuiter poßit agnoſcere, quòd clerici poſt crimina capitalia non poßint ad honorem priſtinum reuocari.

Can. 9. AD locum, de Synodo Nicæna, id eſt CCCXVIII. Epiſcoporum. *Si qui forte indiſcretè ad ſacerdotium prouecti, poſtmodum vel ipſi aliquid de ſe criminoſum profeßi ſunt, vel ab aliis reuicti, abijciantur.*

INCIPIVNT TITVLI CANONVM GALLICANI.

Can. 4. De Synodo Valentinæ ciuitatis Epiſcoporum XVIII. IV. Idus Iulias, Gratiano III. & Equitio Conſulibus. *Nec illud fratres ſcribere alienum ab Eccleſiæ vtilitate cenſuimus, vt ſciretis quicumque ſub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterij, vel Epiſcopatus, mortali crimine dixerint ſe eſſe pollutos, à ſupradictis ordinationibus ſubmouendos: reos ſcilicet vel veri confeßione, vel mendacio falſitatis. Neque enim ſolui ab his poteſt ſi in ipſos ſe dixerint, quod dictum in alios puniretur. cùm omnis qui ſibi fuerit mortis cauſa homicida ſit. Diuina vos pietas in æternum protegat, fratres dilectißimi.*

Conc. Aurel. 1. can 9. Item ad locum de Synodo Aurelianenſi Epiſcoporum XXX. *Si diaconus, aut presbyter crimen capitale commiſerint, ſimul ab officio & communione pellantur.*

Conc. Arauſ. 1. can. 23. Item ad locum de Synodo Iuſtianenſi. *Si quis diaconus, aut presbyter, poſt acceptam benedictionem Leuiticam, cum vxore ſua incontinens inuenitur, ab officio abijciatur.*

Can. 22. Item de Synodo Epaonenſi Epiſcoporum XXXIV. *Si quis diaconus, aut presbyter crimen capitale commiſerit, ab officij honore depoſitus in monaſterium detrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit communione ſumenda.*

D. 1. cap. 19. Si quis diaconus. ECCE manifeſtiſſimè conſtat, quia ſecundum quod & tituli antiquorum patrum à ſancto Ioanne Papa tranſmiſſi, & trecentorum decem & octo Epiſcoporum ſententia, ſed & canones Gallicani continere videntur, clerici in adulterio deprehenſi, aut ipſi confeſſi, aut ab aliis reuicti, ad honorem redire non poſſunt. Et quia fortè non deerunt, quibus pro nimia pietate ſupraſcripta ſanctorum patrum ſeueritas minimè placeat, ſciant ſe & trecentorum decem & octo Epiſcoporum præcepta, & ſancti Papæ auctoritatem, & illorum Pontificum, qui ordinantibus CCCXVIII. Epiſcopis reliquos canones ſtatuerunt, ſententias reprehendere vel damnare. Sed fortè maior in illis eſt pietas, quàm in ſupradictis CCCXVIII. Epiſcopis; maior in illis miſericordia, quàm in ſancto Ioanne Apoſtolico Papa; maior caritas, quàm in reliquis ſanctis ſacerdotibus, qui hoc pro exemplo vel remedio Eccleſiarum ſuis definitionibus deliberauerunt. Et ideo aut plena voluntate præceptis illorum conſentiant; aut ſi non fecerint, omnibus ſe contrarios & inimicos eſſe cognoſcant. Quæ eſt iſta iuſtitiæ inimica benignitas, palpare criminoſos, & vulnera eorum vſque ad diem iudicij incurata ſeruare? Quòd ſi etiam duriſſimam eos pœnitentiam per plures annos agere videremus, ſic nos ipſi & ſaluti eorum conſulere, & canonum deberemus ſtatuta ſeruare. Cùm verò in aliquibus

nec compunctionis humilitas, nec inſtantia orandi vel plangendi appareat, nec beatum David imitentur, qui dixit, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo*, & illud, *Cinerem ſicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam*, nec eos ieiuniis vel lectioni vacare videamus; poſſumus cognoſcere, ſi ad honorem priſtinum redierint, cum quanta negligentia, & cum quanto tepore, & inimica animæ ſecuritate permaneant, credentes quòd ſic eis non acta dignè pœnitentia dimiſerit Deus, quomodo ſacerdotes indulſiſſe videntur. Verè dico, quia illi, quibus cum periculoſa & falſa miſericordia indulgere videmur, cùm ante tribunal Chriſti pro tantis peccatis damnandi aduenerint, contra nos ipſos cauſas dicturi ſunt, dicentes, Quòd dum aut aſperitatem linguæ eorum expauimus, aut falſa blandimenta, & periculoſas adulationes ipſorum libenter accepimus, nos eos, dum illis inutiliter indulgemus, in peccatis permanere, aut ipſa peccata etiam augere permiſerimus, non recordantes illud quod in veteri teſtamento ſcriptum eſt, quia *vno peccante contra omnes Dei ira deſæuiit.* O pietas! ô miſericordia! vni parcere, & omnes per exemplum malum in diſcrimen adducere. Non ita ſuadet ſanctus ac beatiſſimus Cyprianus martyr dicens: *Qui peccantem verbis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec reprimit delicta illius, ſed fouet.* & iterum: *Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & abſconditum in profundis receſſibus virus dum ſeruat exaggerat.* Vnde & ſanctus Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus arguit dicens: *Imperitus eſt medicus, qui ante digeſtam putredinem ſuperinducit vulneri cicatricem.* Et ideo diligentiùs perpendite, ſi aut poteſt, aut debet fieri, vt tantorum ac talium, quos ſuprà memorauimus, ſacerdotum canones contemnentes, aliter quàm illi ſtatuerunt, obſeruare vel agere præſumamus. Præcipuè cùm ſi illorum CCCXVIII. Epiſcoporum, qui per omnes Eccleſias Concilia fieri præceperunt, tam ſancta decreta negligimus, non illos ſolos diſpiciemus, ſed ſicut ſuprà iam dictum eſt, & Africanos Pontifices, & omnes reliquos, qui ipſis ordinantibus per totum mundum pro Eccleſiaſtica diſciplina aliquid ſtatuerunt, cum peccato animæ noſtræ contemnemus. Ego me in hoc periculo mittere omnino non audeo: quia nec talia ſunt merita mea, vt aliorum peccata in me excipere præſumam: nec tantam eloquentiam habeo, vt ante tribunal Chriſti contra tantos ac tam ſanctos ſacerdotes, qui canones ſtatuerunt, cauſas dicere poſſim. Videat vnuſquiſque qui aliter ſentire vel obſeruare diſponit, qualiter poſſit in die iudicij reddere rationem. Ego in quantum Deus vires dare dignatur, ſtudere volo eorum præceptionibus obedire: quia cum illis non rixam, ſed pacem, & qualemcumque partem habere deſidero. Et hoc diligenter attendendum eſt, quòd ſi ſecundum quod ſupraſcriptum eſt, illi clerici qui ad vxores proprias redeunt, ad integrum ab officio ſuſpenduntur; & ſi etiam digami, aut internuptarum mariti, qui vtique rem licitam faciunt, clerici tamen ordinari non poſſunt, aut ſi ordinati fuerint, deiiciuntur, de quibus & Fauſtus Epiſcopus ſanctus in epiſtola ſua dixit, *Perdit gratiam conſecrati, qui adhuc officium vult exercere mariti*: cùm hæc ita ſint, qua conſcientia quiſquam dicere poterit, quòd ille qui adulterium commiſerit, iterum ad honorem redire poſſit? Hoc loco ſi aliquis fuerit qui dicat,

Pſal. 6. 7.
Pſal. 101. 10.
Num. 16. 22.
Lib. de lapſis.
Ibid.
Fauſtus Reienſis.

Ezech. 33. 11. Ergo negas miſericordiam Dei qui dixit, *Nolo mortem peccatoris, ſed vt*
Pſal. 40. 9. *conuertatur & viuat?* & illud, *Numquid qui cadit non adijciet vt reſurgat?* &
Ezech. 33. 12 13. illud, *Peccator in quacumque die conuerſus fuerit, omnes iniquitates illius obliuioni tradentur?* Ad hæc libera voce reſpondere & poſſumus & debemus, Abſit à nobis, vt de iſtis ſententiis videamur vel leuiter dubitare. Definitiſſimè enim credimus, quòd qui vſque ad finem vitæ ſuæ pœnitentiam egerit, non ſolùm indulgentiam accipiat, ſed etiam ad præmia æterna perueniat. Propter regulam tamen Eccleſiaſticam, & propter antiquorum patrum ſtatuta, quæ abſit à nobis, vt reprehendere aut diſcutere audeamus, eum quem credimus ad vitam æternam poſt actam pœnitentiam venire, ad honorem clericatus ſecundum tantorum patrum præcepta noſtimus non debere reuerti. In tantum vt in canonibus ſcriptum ſit, *Ne vllus vnquam pœnitens clericus ordinetur*. Et ſi ille qui vltro petit pœnitentiam, quamuis perfectè agat, non poteſt aut Epiſcopus, aut preſbyter ordinari; ita vt etiamſi per ignorantiam ordinatus fuerit, & poſtea conuincitur pœnitentiam accepiſſe, deiiciatur: ille qui inuitus ad pœnitentiam agendam in monaſterium mittitur, & vtique qui aliud quàm pœnitens dicendus eſt, qua conſcientia ad ſacerdotium redire permittitur? Nemo mihi alia quælibet contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, aut contra CCCXVIII. Epiſcoporum præcepta, vel reliquorum canonum ſtatuta obiiciat: quia quidquid contra illorum definitionem, in quibus Spiritum ſanctum locutum eſſe credimus, dictum fuerit, recipere non ſolùm temerarium, ſed etiam periculoſum eſſe non dubito. Valdè enim metuo & contremiſco illam
1. Reg. 4. damnationem, quam Heli ſacerdos propter ſtultam indulgentiam accipere meruit. Qui pro eo quòd filios ſuos negligenter caſtigauit, vt eos nec cædere, nec excommunicare voluerit, ipſi filij vna die occiſi ſunt, & triginta millia de populo interfecta ſunt, & arca Teſtamenti in captiuitate ducta eſt, & ipſe retro cadens fractis ceruicibus mortuus eſt, & nomen
Num. 25. ipſius de libro vitæ deletum eſt. Et è contra Phinees, qui pro eo quòd zelo Dei commotus duos adulteros pariter interfecit, totum populum de Dei iracundia liberauit. Nec hoc ideo dico, vt ſicut ille fecit, etiam nunc per mortem corporum ſacerdotes Domini debeant vindicare. Sed quia melius eſt, vt vnuſquiſque paruo tempore, donec viuit in hoc mundo, verecundiam vel confuſionem ſuſtineat, quàm poſtea ad ſupplicia æterna perueniat: & multo ei vtilius eſt propter aliorum exemplum, quandiu viuit, remotus ab honore pœnitentiam agat, & remedium ſibi in die neceſſitatis adquirat. Quicumque paruitati meæ in hac cauſa voluerit oneroſus exiſtere, aliud ei reſponſum dare non delibero, niſi quod ſupraſcripti canones continere videntur. Hoc ideo dico, quia dum citò crimina capitalia committentibus indulgemus, plurimi, qui nec Deum metuunt, nec ſenſus diſciplinæ Eccleſiaſticæ expaueſcunt, ſine vllo pudore ac reuerentia, per indignas familiaritates extranearum mulierum, & ſeipſos decipiunt, & famam Chriſtianæ religionis blaſphemari etiam ab extraneæ religionis hominibus faciunt. Et ideo iuſtum eſt, vt dum eis ſecundum omnium canonum ſtatuta redeundi ad honorem aditus clauditur, tandem aliquando tam graui malo finis congruus imponatur. Quia quando, Diabolo perſuadente, aliqui clericorum in aliquod peccatum, & præcipuè in adulterium lapſi

fuerint,* quam expedit de animabus ſtatuta canonum cogitant, per falſam pietatem ita totis viribus elaborant, vt aut nec mittantur in monaſteriis. Si autem, certè poſt non longum tempus importunitate nimia, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ inimica, extorquere conantur, vt redeant ad honorem. Qui chartulam iſtam cum ſupraſcriptis titulis canonum non fuerit aſpernatus, nec eam pro ruſticitate ſermonis deſpexerit, contra inimicos Eccleſiaſticæ regulæ multum eum poterit adiurare, vt libera fronte dicat, ſicut iam ſupraſcriptum eſt, ſe contra tam ſanctas antiquorum patrum conſtitutiones venire nullatenus poſſe. Ego hæc cum omni humilitate ſuggerens, abſoluo apud Deum conſcientiam meam. Quicumque autem aut importunitate, aut adulatione, aut falſis blandimentis inclinatus fuerit, vt cenſuram Eccleſiaſticæ diſciplinæ non teneat, videat qualiter ſe ante tribunal Chriſti expediat, vbi contra eum omnes qui canones ſtatuerunt cauſas ſunt ſine vlla dubitatione dicturi. In quorum domnorum meorum ſacerdotum manibus chartula iſta peruenerit, ſi eam aliis ſacerdotibus non ſolùm ad legendum offerre, ſed etiam ingerere tranſcribendam noluerint, timeant ne inde reddant in die iudicij rationem. Nec illud credimus omittendum, vt ijs qui pro ſcelere ſuo à præſidibus, ſeu à rectoribus populi fuerint interempti, & ſepulturam in cœmeterio Chriſtianorum habere, & offerentium pro ipſis oblationis iuxta ſtatuta canonum indicamus licentiam non negari. Violatores verò ſepulcri licet Auguſtorum principum capitaliter damnet ſententia; tamen ſi qui in hoc facinore fuerint reperti ſuperſtites, ab Eccleſiaſtica communione priuentur. Quia nefas eſt, vt eis Chriſtianorum non obſeretur conſortium, qui temeritatis auſu humatorum cineres reddere præſumpſerint inquietos.

IOANNIS PAPÆ II. EPISTOLA II.
Ad Epiſcopos Galliæ.

Præcipit vt in Eccleſia Contumelioſi eius loco Viſitator conſtituatur.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS Epiſcopis per Gallias conſtitutis Ioannes.

INNOTVIT nobis à fraternitate veſtra miſſa relatio, in qua Contumelioſus multis legitur criminibus inuolutus. Et quia huiuſmodi perſona ſacris non poteſt inhærere myſteriis, ab hodierno vel officio eum noſtra cenſet remoueri auctoritas, vt in monaſterio conſtitutus delicti veniam à Domino petere non omittat. Nihil eſt enim impoſſibile eius clementiæ, qui poteſt cuncta relaxare quæ facta ſunt. Sed ne eius Eccleſia deſtituta videatur, in eius loco Viſitatorem dari præſenti auctoritate decernimus, qui à ſe nouerit ita omnia exhibenda, vt nihil de ordinibus clericorũ, nihil de Eccleſiaſtica facultate præſumat, ſed ea quæ ad ſacroſancta myſteria pertinent exequatur. Prædictum autem Contumelioſum, vt habeat pœnitendi licentiam, petito-

Epiſt. 1. Ioan. II.

trium vobis dare cenſemus, vbi errorem ſuum euidenter allegans ſub die profiteatur & Conſule. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Data VII. Idus Aprilis, Fl. Paulino iuniore V.C. Conſule.

IOANNIS PAPÆ II. EPISTOLA III.

Ad vniuerſos clericos Regenſis Eccleſiæ.

Eiuſdem argumenti.

IOANNES PRESBYTERIS, DIACONIBVS, ET cuncto clero Eccleſiæ, in qua fuit Contumelioſus Epiſcopus.

Epiſt. 4. Ioan. II.

PERVENIT ad nos à fratribus & coepiſcopis noſtris miſſa relatio, vbi Contumelioſus de ſuis criminibus confeſſus legitur atque conuictus. Et quia huiuſmodi ſceleribus implicatus, ſacerdotij non poteſt miniſteria iam tractare, neceſſaria vobis ſolatia credimus Viſitatoris adiungere. Et ideo in Eccleſia eius Viſitatorem dari noſtra decreuit auctoritas; vt Eccleſia ſuo priuata Præſule, ſummi nequeat pontificis ſolatiis indigere. Cui vos in omnibus parere decernimus, ad ea tantummodo quæ ſactis ſunt gerenda myſteriis: ita tamen vt nihil de Eccleſiaſtica facultate præſumat; & clerus in eo quo nunc eſt ordine conſtitutus, nullis gradibus promoueatur, donec proprium ſacerdotem poſſit habere. Omnem verò hanc ſollicitudinem Cæſario fratri & coepiſcopo noſtro iniungimus; ad cuius curam cuncta, quæ neceſſe ſint pertinere cenſuimus. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſimi filij. Data VII. Idus Aprilis, Paulino iuniore V.C. Conſule.

AGAPETI PAPAE EPISTOLA I.

Ad Cæſarium Arelatenſem.

De eodem Contumelioſo, cùm ad ſedem Apoſtolicam appellaſſet.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Agapetus.

Epiſt. 7. Agapeti.

OPTAVERAMVS, frater amantiſſime, vt Epiſcopi Contumelioſi opinione integra permanente, nec tibi dudum fieret neceſſitas iudicij, nec nobis cauſa cenſendi. maximè quia in ſupraſcripti viri accuſatione communis honoris reuerentia quodammodo videtur incurſata. Vnde quatenus præſumptione, ſicut aſſerit, innocentiæ ad appellationis voluit auxilium conuolare, orationibus aſſiduis

hoc innitamur, vt eum cognitionis iteratæ beneficium gratulationi omnium reſtituat abſolutum. Delegaturi enim, Deo noſtro adiuuante, ſumus examen, vt ſecundum canonum venerabilium conſtituta, ſub conſideratione iuſtitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de huiuſmodi negotio acta geſtáue ſunt, diligentiſſima veſtigatione flagitentur. Neque enim prædictum virum conuenit euentu priùs habitæ cognitionis vrgeri, quippe cùm & ipſe iudicium petierit. Non auertatur voluntas animi à precibus infirmorum, cùm in neceſſitate fuerint; ne nobis, quod auertat Dominus, ea quæ leguntur in Prouerbiis dici poſſint: *Qui obturat aurem ſuam, vt non audiat infirmum, & ipſe inuocabit Dominum, & non erit qui exaudiet eum.* Prou.21.13. Quid eſt enim infirmius Epiſcopo Contumelioſo, qui in tribulatione poſitus, & de præteriti iudicij pudore confunditur, & cognitionis quæ futura eſt, expectatione turbatur? quia quamlibet ei, quod optandum eſt, puritas fortè ſuffragetur innocentiæ, non poteſt iudicij ſollicitudinem non habere. Et nos quidem, quamuis culpatus à nobis Emeritus defenſor memoratum Epiſcopum reuerſum ad Eccleſiam ſuam caritatis tuæ voluntate firmauerit, vſque ad exitum iudicij quod delegauerimus, Epiſcopum Contumelioſum, reddita ſibi modò propria ſubſtantia, ſuſpenſum interim volumus ab adminiſtratione patrimonij Eccleſiaſtici, & celebratione Miſſarum: quia id quod ſibi viderat iudicio fuiſſe ſublatum, glorioſiùs, ſi ei veritas ſuffragatur, iudicio receperit, quàm vſurpationibus occuparit. Melius autem fecerat fraternitas tua, ſi poſteaquam Sedis Apoſtolicæ appellatione interpoſita deſiderauit examen, circa perſonam eius à tempore ſententiæ nihil permiſiſſet imminui; vt eſſet integrum negotium, quod interpoſita prouocatione quæreretur. Nam ſi in executionem mittitur prima ſententia, ſecunda non habet cognitio quod requirat. Addendum, quia etſi non eſſet prædictus Epiſcopus iudicationi refragatus, priuatam magis potuit ſecundum canones expetere ſeceſſionem, quàm ſeueritatem religionis excipere. Suſpenſus igitur, ſicut præfati ſumus, Epiſcopus Contumelioſus habeat tantùm, quàm præſumpſiſſe dicitur, celebrationem Miſſarum: & patrimonio Eccleſiæ in gubernatione Archidiaconi eiuſdem Eccleſiæ conſtituto, ita vt alimonia ſufficienter Epiſcopo non negentur, viſitatoriam in eius loco præcipimus ordinari perſonam, & patienter expectare iudices, quos inſpirante nobis Domino conſtituerimus audire. Præterea ne quid eſſet quod caritati tuæ videatur incognitum, ſtudio dilectionis conſtitutorum fecimus capitula ſubter adnecti, vt ſcientia communicemur canonum, ſicut participamur affectu. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data xv. Calendas Auguſtas P. C. Paulini iunioris V. C.

AGAPETI PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Cæſarium eumdem.

Quòd prædia iuris Eccleſiæ nullo titulo alienari debeant.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Agapetus.

Epiſt. 6. Agapeti.

TANTA eſt, Deo propitio, & ad ea libentiſſimè concedenda, quæ alimoniis proficiunt pauperum, & circa tuæ fraternitatis affectum, noſtra deuotio, vt oneroſum nobis nullatenus eſſe iudicemus, quod annui veſtris deſideriis poſtulatis. Sed reuocant nos veneranda patrum manifeſtiſſima conſtituta, quibus ſpecialiter prohibemur, prędia iuris Eccleſiæ, cui nos omnipotens Dominus præeſſe conſtituit, quolibet titulo ad aliena iura transferre. Qua in re veſtræ quoque ſapientiæ credimus eſſe gratiſſimum, quòd in nullo contra priſcæ definitionis conſtituta vel regulas, pro qualibet occaſione, vel ſub cuiuſcumque perſonæ reſpectu, venire præſumimus. Nec tenacitatis ſtudio, aut ſæcularis vtilitatis cauſa hoc facere nos credatis, ſed diuini conſideratione iudicij neceſſe nobis eſt, quidquid ſancta Synodalis decreuit auctoritas, inuiolabiliter cuſtodire. Quod vt caritati tuæ indubitanter eluceſcat, ad locum de hoc articulo, ex conſtitutis patrum fecimus reuelari, quæ cum præſentibus pariter affatibus vobis credimus dirigenda. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data xv. Calendas Auguſtas P.C. Paulini iunioris V.C.

* Symmachi Papæ in Synodo III. Romana.

12 q. 2. Non liceat Papæ.

17. q. 4. Quicumque.

Ex conſtituto Synodali * inter cætera & ad locum. *His ergo perpenſis manſuro cum Domini noſtri conſideratione decreto ſancimus, vt nulli à præſenti die, donec diſponente Domino catholicæ fidei manſerit doctrina ſalutaris, liceat prædium ruſticum, quantæcumque fuerit vel magnitudinis, vel exiguitatis, ſub qualibet alienatione ad cuiuſlibet iura transferre. Nec cuiuſquã excuſetur neceſſitatis obtentu: quippe cùm non ſit perſonale quod loquimur: nec aliquis clericorum, vel laicorum ſub hac occaſione accepta tueatur.* Et paulò pòſt: *Quicumque oblitus Dei, & decreti huius immemor, cuius Romanæ ciuitatis ſacerdotes volumus religioſis nexibus deuinciri, contra facere, aut aliquid alienare tentauerit, honoris ſui amiſſione multetur. Præterea qui petierit aut acceperit, vel qui presbyterorum, aut diaconorum, ſeu defenſorum, danti ſubſcripſerit, illo quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: ſitque accipienti & ſubſcribenti de perſonis ſuperiùs comprehenſis, id eſt quas anathemate feriri cenſuimus, ſtatuta pœna contubernio ſeruata, quam præmiſimus in dante vindicta: niſi fortè dator celeri repetitione proſpexerit. Quòd ſi minore animæ ſuæ cura quiſquam remedium oblatum fortè neglexerit, ſupra ea pœnarum genera, quæ ſuperiùs tenentur adſcripta, contra fas ſi qua concepta fuerit ſcriptura, vniuerſis viribus, quamuis ab initio nullas habuerit, effœtetur. Sed etiam liceat quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis vocem contradictionis afferre, & Eccleſiaſtica auctoritate fulciri: ita vt cum fructibus poſſint data repoſcere: nec aliquo ſe ante tribunal Chriſti obſtaculo muniat, qui à religioſis animabus ad ſubſtantiam pauperum derelicta contra fas ſine aliqua pietatis conſideratione diſpergit.*

CONCILIVM

CONCILIVM ARVERNENSE.

THEODEBERTI REGIS CONSENSV IN Aruerna vrbe celebratum, VI. Idus Nouembris, poſt Conſulatum Paulini iunioris V. C. id eſt anno Chriſti DXXXV. Agapeti Papæ I. Childeberti Regis XXIV. Theodeberti eiuſdem II.

TITVLI CANONVM.

1. *In Synodis quænam primo loco tractanda ſint.*
2. *Pontificij honorem non votis, ſed meritis quærendum.*
3. *Cadauera mortuorum non obuoluenda pallis ſacratis.*
4. *Vt clerici à ſæcularibus contra Epiſcopos non erigantur.*
5. *Res Eccleſiaſticas à regibus obtinere deſiderantes excommunicandos.*
6. *Neque Chriſtianum Iudæa, neque Iudæum Chriſtiana coniugari licere.*
7. *Ne opertorio corporis Dominici defuncti ſacerdotis corpus obtegatur.*
8. *Supellex Eccleſiæ ſacra ad nuptiarum ornatum non vſurpanda.*
9. *Iudæos non præficiendos Chriſtianis iudices.*
10. *Parochiam alienam nulli Epiſcopo inuadendam.*
11. *Alienum clericum Epiſcopus ne ſuſcipiat, aut promoueat.*
12. *De inceſtis coniunctionibus.*
13. *Presbyteris & diaconis continentia ab vxoribus ſeruanda.*
14. *Munera Eccleſiæ collata nulla ratione fraudanda.*
15. *Feſtiuitates præcipuæ cum Epiſcopo in ciuitate peragenda.*
16. *Vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi extraneas ſecum mulieres non habeant.*

PRÆFATIO.

CVM in nomine Domini, congregante ſancto Spiritu, conſentiente domno noſtro glorioſiſſimo piiſſimoque Rege Theodeberto, in Aruerna vrbe ſancta Synodus conueniſſet, ibique flexis in terram genibus, pro regno eius, pro longæuitate, pro populo Dominum deprecaremur, vt qui nobis congregationis tribuerat poteſtatem, regnum eius Dominus noſter felicitate attolleret, imperio regeret, iuſtitia gubernaret, in Eccleſia ex more conſedimus; inſpectiſque canonibus, id nobis rationabile viſum eſt, vt quamuis Eccleſiaſticæ regulæ penè omnia comprehendant, tamen quædam vel adderentur noua, vel repeterentur antiqua.

Google

CANONES.

I. *In Synodus quænam primo loco tractanda ſint.*

Iuo Part. 5. cap. 168. In primis placuit, vt quoties ſecundum ſtatuta patrum ſancta Synodus congregatur, nullus Epiſcoporum aliquam priùs cauſam ſuggerere audeat, quàm ea quæ ad emendationem vitæ, ad ſeueritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, finiantur.

II. *Pontificij honorem non votis quærendum, ſed meritis.*

Placuit etiam, vt ſacrum quis pontificij honorem non votis quærat, ſed meritis: nec diuinum videatur munus rebus comparare, ſed moribus: atque eminentiſſimæ dignitatis apicem electione conſcendat omnium, non fauore paucorum. Sit in eligendis ſacerdotibus cura præcipua; quia irreprehenſibiles eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis. Diligenter itaque quiſque inſpiciat pretium Dominici gregis, vt ſciat quod meritum conſtituendi deceat eſſe paſtoris. Epiſcopatum ergo deſiderans electione clericorum vel ciuium, conſenſu etiam Metropolitani eiuſdem prouinciæ Pontifex ordinetur. Non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate ſubdola ad conſcribendum decretum alios hortetur præmiis, alios timore compellat. Quod ſi quis fecerit, Eccleſiæ, cui indignus præeſſe cupit, communione priuabitur.

III. *Cadauera mortuorum non obuoluenda pallis ſacratis.*

Obſeruandum ne pallis vel miniſteriis diuinis defunctorum corpora obuoluantur.

IV. *Vt clerici à ſæcularibus contra Epiſcopos non erigantur.*

Ne à potentibus ſæculi clerici contra Epiſcopos ſuos vllo modo erigantur.

V. *Res Eccleſiaſticas à regibus obtinere deſiderantes excommunicandos.*

Qui reiculam Eccleſiæ petunt à regibus, & horrendæ cupiditatis impulſu egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & à communione Eccleſiæ, cuius facultatem auferre cupiunt, excludantur.

VI. *Neque Chriſtianum Iudææ, neque Iudæum Chriſtianæ coniugari licere.*

Si-quis Iudaicæ prauitati iugali ſocietate coniungitur, & ſeu Chriſtiana Iudæo, ſeu Iudæus Chriſtianæ mulieri carnali conſortio miſceatur, quicumque horum tantum nefas admiſiſſe dinoſcitur,

à Chriſtianorum cœtu atque conuiuio, & à communione Eccleſiæ, cuius ſociatur hoſtibus, ſegregetur.

VII. *Ne opertorio corporis Dominici defuncti ſacerdotis corpus obtegatur.*

Ne opertorio Dominici corporis ſacerdotis vnquam corpus, dum ad tumulum euehitur, obtegatur; ne ſacro velamine vſibus ſuis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluantur. Iuo Part. II. cap. 142.

VIII. *Supellex Eccleſiæ ſacra ad nuptiarum ornatum non vſurpanda.*

Ne ad nuptiarum ornatum miniſteria diuina præſtentur; ne dum improborum tactu, pompáque ſæcularis luxuriæ polluuntur, ad officia ſacri myſterij videantur indigna. De Conſecr. diſt. I. Ad nuptiarum.

IX. *Iudæos non præponendos Chriſtianis iudices.*

Ne Iudæi Chriſtianis populis iudices præponantur.

X. *Parochiam alienam nulli Epiſcopo inuadendam.*

Ne parochias cuiuſlibet Epiſcopi alterius ciuitatis Epiſcopus canonum temerator inuadat, & veſanæ cupiditatis facibus inflammatus, ſuiſque admodum non contentus, rapiat aliena.

XI. *Alienum clericum Epiſcopus ne ſuſcipiat, aut promoueat.*

Nullus Epiſcopus alterius clericum contra voluntatem Epiſcopi ſui ſuſcipere audeat, aut ſacerdotio prorogare.

XII. *De inceſtis coniunctionibus.*

Si quis relictam fratris, ſororem vxoris, priuignam, conſobrinam ſobrinámue, vel relictam patrui atque auunculi, carnalis contagij crediderit conſortio violandam, & auſu ſacrilego auctoritatem diuinæ legis, ac iura naturæ perruperit, & cui caritatis ac pij affectus ſolatia exhibere debuerat, ſuorum hoſtis ac pudicitiæ expugnator vim inferre tentauerit, Apoſtolicæ conſtitutionis ſententia feriatur: & quandiu in tanto verſatur ſcelere, à Chriſtiano cœtu atque conuiuio, ſimulque Eccleſiæ matris communione priuabitur.

XIII. *Presbyteris & diaconis continentia ab vxoribus ſeruanda.*

Cùm preſbyteri atque diaconi ſublimi dignitatis apice prorogantur, actibus omnino renuntient ſæculi, & ad ſacrum electi miniſterium repudient carnale conſortium, ac permixtionis priſtinæ contubernium permutent germanitatis affectu; & quiſquis ille eſt preſbyter atque diaconus, diuino munere benedictione percepta, vxoris priùs ſuæ frater illico efficiatur ex cõiuge. Attamen quoſdam

reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto militiæ cingulo, vomitum priſtinum & inhibita rurſus coniugia repetiſſe, atque inceſti quodammodo crimine clarum decus ſacerdotij violaſſe, quod nati etiam filij prodiderunt. Quod quiſque feciſſe cognoſcitur, omni in perpetuum, quam admiſſo iam crimine perdidit, dignitate priuabitur.

XIV. *Munera Eccleſiæ collata nulla ratione fraudanda.*

Si quis cuiuſcumque munuſcula, qualibet ſanctis ſcriptura conlata, nefaria calliditate fraudauerit, inuaſerit, retentauerit, atque ſuppreſſerit, & non ſtatim à ſacerdote commonitus Deo conlata reddiderit, ab Eccleſiæ catholicæ communione pellatur.

XV. *Feſtiuitates præcipuæ cum Epiſcopo in ciuitate peragendæ.*

Iuo Part. vi. cap. 306. Si quis ex preſbyteris aut diaconis, qui neque in ciuitate, neque in parochiis canonicus eſſe dinoſcitur, ſed in villulis habitans, in oratoriis officio ſancto deſeruiens celebrat diuina myſteria, feſtiuitates præcipuas, Domini Natale, Paſcha, Pentecoſten, & ſi quæ principales ſunt reliquæ ſolennitates, nullatenus alibi, niſi cum Epiſcopo ſuo in ciuitate teneat. Quicumque etiam ſunt ciues natu maiores, pari modo in vrbibus ad pontifices ſuos in prædictis feſtiuitatibus veniant. Quòd ſi qui improba temeritate contempſerint, hiſdem feſtiuitatibus, quibus in ciuitate adeſſe deſpiciunt, communione pellantur.

XVI. *Vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi extraneas ſecum mulieres non habeant.*

Epiſcopi, preſbyteri, atque diaconi, ita ſanctæ conſcientiæ luce reſplendeant, vt effugiant probitate actuum maledicorum obloquia, & teſtimonium in ſe diuinum implere contendant, quod Do-
Matth. 5. 16. minus ait: *Sic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videntes veſtra bona opera, glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Igitur auctoritate canonica, atque manſura in æuum conſtitutione ſancimus, vt fugiatur his extranearum mulierum culpanda libertas: & tantùm cum auia, matre, ſorore, vel nepte, ſi neceſſitas tulerit, habitent; de quibus nominibus, vt priorum canonum ſeries continet, nefas eſt aliud, quàm natura conſtituit, ſuſpicari. In cubiculo etiam horum, atque cellario, vel familiari quolibet ſeruitio, neque ſanctimonialis vlla, neque extranea mulier, neque ancilla vllomodo admittatur. Quod ſi quis præceptorum Dei immemor crediderit contemnendum, ſciat ſe auctoritate canonica communionis ſine dubio ſubire iacturam. Quòd ſi Antiſtes culpam hanc in preſbytero, aut diacono ſuo diſtringere canonico rigore noluerit, ipſe ſeueritate ſententiæ feriatur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Honoratvs in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi, die vi. Idus Nouembris, poſt Conſulatum Paulini iunioris V. C.
Gallus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccl. Aruernicæ conſenſi & ſubſcripſi.
Gregorius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Lingonicæ conſenſi & ſubſcripſi.
Hilarius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Gabalitanæ conſenſi & ſubſcripſi.
Ruricius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Lemouicæ conſenſi & ſubſcripſi.
Flauius Deo propitio Epiſcopus Eccleſiæ Remenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Nicetius Deo propitio Epiſcopus Eccl. Treuerorum conſenſi & ſubſcripſi.
Deuterius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Luteuenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Dalmatius in Deo Epiſcopus Eccleſiæ Rutenenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Lupus in Chriſto Epiſcopus Eccleſiæ Catalaunicæ conſenſi & ſubſcripſi.
Domitianus in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Colonienſis conſenſi & ſubſcr.
Venantius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Viuarienſis conſenſi & ſubſcripſi.
Heſperius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Metenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Deſideratus in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Verdunenſis conſenſi & ſubſcr.
Gramatius in Chriſti nomine Epiſc. Eccl. Vindoniſſæ conſenſi ſubſcripſi.

EPISTOLA SYNODI EIVSDEM ARVERNICÆ ad Theodebertum Regem.

Nunc primùm edita ex codice S. Petri Foſſatenſis.

Vt clerici, aliíue, qui regum aliorum dominio ſubiacent, poſſeſſionibus, quas in eius regno iure obtinent, non fraudentur.

Domino inluſtri atque præcellentiſſimo domno & filio Theodeberto regi, Honoratus, Hilarius, Gregorius, Ruricius, Nicetius, Flauius, Domitianus, Deuterius, Gallus, Dalmatius, Venantius, Gramatius, Lupus, Heſperius & Deſideratus Epiſcopi. Dvm in Aruerna vrbe ad replicanda canonum inſtituta, vel ſtudio elucidandæ legis Eccleſiaſticæ, his qui dubitatione regendæ vitæ propriæ forſitan premebantur, cultores veſtri, Eccleſiarum veſtrarum Epiſcopi, pariter ſederent; plurimorum ad nos ſuæ deſperationis remedium flagitantium turba confluxit, ſperantes vt non minùs pro regni veſtri felicitate, quàm pro ſua conſolatione, pietatem veſtram noſtra humilitas exoraret, & per ſuggeſtionem noſtram iuſtitiæ & pietatis veſtræ auribus intimaretur, vt nullum de rebus vel poſſeſſiunculis propriis alienum pietas veſtra permitteret, & dum vnius regis quiſque poteſtati ac dominio ſubiacet, in alterius ſorte poſitam cuiuſcumque, vt adſolet, impetitione non amitteret facultatem. Quod nos de veſtri culminis iuſtitia & pietate fidentes, non credimus denegandum: vt dum plurimorum neceſſitatibus iuſta, vt credimus, & Deo placente ſuggeſtione cõſulimus, proſperitatem regno veſtro, & repræſentationem cæleſtis Domini per indultam pietatis gratiam augeatis. Vnde reuerentiſſimè, vt dignum eſt, ſupplicantes quæſumus, vt hoc noſtræ petitioni diuino intuitu pietas veſtra non deneget, vt tam rectores Eccleſia-

tum, quàm vniuerſi clerici, atque etiam ſæculares, ſub regni veſtri conditione manentes, nec non ad domnorum regum patrum veſtrorum dominium pertinentes, de quod in ſorte veſtra eſt extraneos, de quod habere proprium ſemper viſi ſunt, non permittatis exiſtere; vt ſecurus quicumque proprietatem ſuam poſſidens, debita tributa diſſoluat domino, in cuius ſortem poſſeſſio ſua peruenit. Quod & theſauris veſtris omnino vtilius eſſe cenſemus, ſi per pietatem veſtram ſaluata poſſeſſio conſuetudinariam intulerit functionem; & nos peculiariùs veſtra clementia conſolatur, ſi obtentu huiuſcemodi petitionis nos quoque celſitudo veſtra fecerit gratulari.

EPISTOLA VIGILII, CVM ADVERSVS SILVErium pro pontifice ſe gereret, ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem.

De eo qui fratris ſui vxorem ſibi matrimonio copulauit.

DILECTISSIMO FRATRI CÆSARIO Vigilius.

SI pro obſeruatione cæleſtium mandatorum catholicæ filios Eccleſiæ opportunè, vel importunè ſacerdotes ſingulos decet inſtruere, quanto magis his, qui deuotione laudabili de rebus ſibi dubiis ad ſtudium veniunt conſulendi, competenti neceſſe eſt ordine reſponderi? Hinc eſt quòd glorioſi filij noſtri regis Theodeberti interrogationem, qua nos per Modericum, virum inluſtrem, legatū ſuum credidit requirendos, duximus amplectendam: in qua gloriam ſuam deſiderat informari, cuiuſmodi pœnitentia poſſit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire coniugium. Cui nos equidem miſſis affatibus, quorum tenorem tua fraternitas in ſubiectis inueniet, hoc indicare curauimus, quoniam tale commiſſum non parua cordis afflictione valeat expiari. Sed quia, ſicut caritatem tuam bene noſſe confidimus, modus pœnitentiæ præſentium potiùs ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum, veniæ quoque poſſit indulgeri remedium; tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum. Quapropter caritas tua, totius facti qualitate, ac pœnitentis ipſius compunctione perſpecta, prædictum glorioſum regem filium noſtrum, & de temporis obſeruatione non omittat inſtruere, & ne vlterius tale aliquid præſumatur, inſtanter expoſcat. Illud quammaximè præcauendum, vt nec ipſe qui hoc noſcitur admiſiſſe ad eoſdem vomitus reuertatur; ſed diuiſis habitationibus commanentes ab omni ſuſpicione commiſſi facinoris reddantur immunes. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data pridie Nonas Martias Fl. Ioanne V. C. Conſule.

CONCILIVM AVRELIANENSE III.

NONIS MAII, SEV TERTII MENSIS, celebratum, quarto poſt Conſulatum Paulini iunioris V. C. id eſt anno Chriſti DXXXVIII. Siluerij Papæ II. Childeberti Regis XXVII.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt Synodos conuocare Metropolitani, frequentare Epiſcopi non prætermittant.*
2. *Vt clerici à ſubdiacono, & ſuprà, ab vxoribus ſuis abſtineant, aut ab officio deponantur.*
3. *De Metropolitanorum, prouincialiumque Epiſcoporum electione & ordinatione.*
4. *De familiaritate & cohabitatione extranearum mulierum cum clericis.*
5. *De ijs quæ oblata & collata ſunt baſilicis ciuitatis, aut parochiarum.*
6. *De qualitate ordinandorum, & de pœnis illicitarum ordinationum.*
7. *De clericis qui poſt ordinationem vxores ducunt, vel adulterant: & ne quis inuitus ordinetur.*
8. *De clericorum honoratorum furtis, aut falſitatibus.*
9. *De his qui vxoribus defunctis concubinas ſibi crediderint ſociandas.*
10. *De inceſtis cõiunctionibus ante baptiſmum, vel ignoranter contractis.*
11. *De clericis qui propter ſæcularium patrocinia officium ſuum implere detrectant.*
12. *De agris Eccleſiæ non alienandis, & diſtractis tricennaria repetitione reuocandis.*
13. *De mancipiis Chriſtianis, quæ in Iudæorum ſeruitio detinentur: & de Iudæorum coniugiis, atque conuiuiis.*
14. *Vt Miſſarum celebritas in præcipuis ſolennitatibus hora tertia inchoetur.*
15. *Vt Epiſcopi in aliena diœceſi clericos non ordinent, nec altare conſecrent. Et vt clerici extranei ſine Epiſcopi ſui literis non ordinentur, neque ad communionem admittantur.*
16. *De raptu virginum ſacrarum, pœnitentium, aut viduarum.*
17. *Vt quæ clericis collata ſunt, à ſucceſſoribus Epiſcopis non auferantur.*
18. *De clericis qui diœceſes, monaſteria, vel baſilicas ſuſcipiunt ordinandas.*
19. *De contumacibus clericis.*
20. *Vt oppreſſi ab Epiſcopo clerici ad Synodum recurrant.*
21. *De clericorum conſpirationibus in Synodo vindicandis.*
22. *De eo qui rem Eccleſiæ vel Epiſcopi retinet, oblationeſque defunctorum, aut ſuas.*
23. *Abbatibus & presbyteris res Eccleſiæ, ſine permiſſu Epiſcopi, alienare non licet.*
24. *Pœnitentia iuuenibus non danda, nec coniugatis niſi ex mutuo conſenſu.*
25. *De his qui ſuſcepta pœnitentia ad ſæcularem militiam reuertuntur.*
26. *Ne ſeruus, vel colonus, ad honores Eccleſiaſticos admittatur.*
27. *Vt clericus honoratus vſuram, & turpe lucrum non exerceat.*
28. *Die Dominico quid operis facere liceat, aut non liceat.*
29. *Vt Miſſæ integræ audiantur, & cum armis bellicis nemo ſacra ſpectet.*
30. *Vt Iudæis à die cœnæ Domini, vſque ad feriam ſecundam Paſchæ, procedere inter Chriſtianos non liceat.*
31. *De hæreticis, & Bonoſiacis ſacerdotibus, qui rebaptizant.*
32. *Vt ſine Epiſcopi licentia nec clericus laicum, nec laicus clericum ad ſæculare iudicium trahat.*
33. *De horum canonum obſeruatione.*

PRÆFATIO.

CVM in Dei nomine in Aurelianenſem vrbem ad Synodale Concilium veniſſemus, de his quæ per longum tempus obſeruatione ceſſante fuerant intermiſſa, priorum canonum tenore ſeruato, præſentibus regulis vetera ſtatuta renouauimus, & noua pro cauſarum vel temporum conditione addenda credidimus.

CANONES.

I. *Vt Synodos conuocare Metropolitani, frequentare Epiſcopi non prætermittant.*

Primùm, vt vnuſquiſque Metropolitanus in prouincia ſua, cum comprouincialibus ſuis, ſingulis annis Synodale debeat opportuno tempore habere Concilium. Quòd ſi illum infirmitas aut neceſſitas certa tenuerit, vt ad alium conſtitutum locum adeſſe non poſſit, ad ſuam ciuitatem ſuos euocet fratres. Quòd ſi intra biennium, diuinitùs temporum tranquillitate conceſſa, admonitis comprouincialibus à Metropolitano Synodus indicta nõn fuerit, Metropolitanus ipſe pro euocationis tarditate anno integro Miſſas facere non præſumat. Quòd ſi euocati, nulla corporali infirmitate detenti, adeſſe ſua abuſione deſpexerint, ſimili ſententiæ ſubiacebunt. Qui tamen & hanc excuſationem ſibi nouerint eſſe ſublatam, ſi abſentiam ſuam diuiſione ſortis crediderint excuſandam.

II. *Vt clerici à ſubdiacono, & ſuprà, ab vxoribus ſuis abſtineant, aut ab officio deponantur.*

Vt nullus clericorum à ſubdiacono, & ſuprà, qui vxores in propoſito ſuo accipere inhibentur, propriæ, ſi fortè iam habeat, miſceatur vxori. Quòd ſi fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum canonum ſtatuta, ab officio deponatur. Quem ſi ſciens Epiſcopus ſuus in vilitate permixtionis viuentem, ad officium poſtea admiſerit, & ipſe Epiſcopus ad agendam pœnitentiam tribus menſibus ſit à ſuo officio ſequeſtratus.

III. *De Metropolitanorum, prouincialiumque Epiſcoporum electione & ordinatione.*

De Metropolitanorum verò ordinationibus id placuit, vt Metropolitani à Metropolitanis, omnibus, ſi fieri poteſt, præſentibus comprouincialibus, ordinentur; ita vt ipſi Metropolitano ordinandi priuilegium maneat, quem ordinationis conſuetudo requirit. Ipſe tamen Metropolitanus à comprouincialibus Epiſcopis, ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ continent, cum conſenſu cleri vel ciuium eligatur: quia æquum eſt, ſicut ipſa Sedes Apoſtolica dixit, vt qui præponendus

præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur. De comprouincialibus verò ordinandis, cum conſenſu Metropolitani, cleri & ciuium, iuxta priorum canonum ſtatuta, electio & voluntas requiratur.

IV. *De familiaritate & cohabitatione extranearum mulierum cum clericis.*

De familiaritate extranearum mulierum licet iam multa, quæ obſeruari debeant, multis canonicis ſententiis fuerint ſtatuta; tamen quod agnoſcitur ſæpe tranſcendi, conuenit replicari. Ideoque ſtatuimus, vt ne quis Antiſtitum, clericorumque omnium, licentiam habeat intra domum ſuam vllam, abſque his propinquis mulieribus, quas priores canones eloquuntur, habere perſonam. Quibus etiam id ſpecialiter inhibetur, vt ſi quis clericorum ſuſpicionem aduerſam, aut oblocutionem populi de muliere quacumque fortaſſis incurrerit, eam ſtatim, ſi intra domum ſuam habet, abiiciat; ſi certè extranea & ſui iuris eſt. ita omnibus conditionibus ſtudeat euitare, vt infamia quæ excitata eſt abrogetur. Quòd ſi quilibet ille Antiſtitum vel clericorum, quod ſupra ſcriptum eſt vitare noluerit, pro inobedientia triennij excommunicatione multetur. Quòd ſi adulterij permixtio fuerit adprobata, in regradatiòne honorum priorum canonum ſtatuta ſeruentur. In quibus communitionibus Metropolitanus à comprouincialibus ſuis, comprouincialis à Metropolitano cum reliquis comprouincialibus diſtringatur.

V. *De ijs quæ oblata & collata ſunt baſilicis ciuitatis; aut parochiarum.*

Si quæ oblationes in quibuſlibet rebus atque corporibus collatæ fuerint baſilicis in ciuitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in eius ſit arbitrio; quid ad reparationem baſilicæ, aut obſeruantum ibi ſubſtantiam deputetur. De facultatibus verò parochiarum, vel baſilicarum in pagis ciuitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſeruetur.

VI. *De qualitate ordinandorum, & de pœnis illicitarum ordinationum.*

De clericorum præmittenda conuerſione id omnimodis obſeruetur, ne vllus ex laicis ante annualem conuerſionem, vel ætatem legitimam, id eſt XXV. annorum diaconus, & XXX. preſbyter ordinetur. ita vt de ipſis quoque qui ordinandi ſunt clericis, regulari cuſtodiatur ſtudio, ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam profeſſus, aut ſemus corpore, vel qui publi-

cè aliquando arreptus eſt, ad ſupraſcriptos ordines promoueatur. Quòd ſi ſciens Epiſcopus contra hæc ſtatuta agendum eſſe crediderit, is quidem qui ordinatur, ſuſcepto iuxta anteriores canones priuetur officio: ſed & ille pro ordinationis temeritate, ſex menſibus à celebrandis officiis ſequeſtretur. Quòd ſi Miſſas intra ſtatutum tempus facere præſumpſerit, anno integro ab omnium fratrum caritate priuetur. De quorum promotionibus, ſi quis clericus aut ciuis teſtis extiterit, quorum teſtimonio dum creditur, frequenter pontificis ignorantia præuenitur, cùm agnitum fuerit ordinationem inlicitè celebratam, anno integro à communione pellantur. Qui tamen ſi periculoſam infirmitatem incurrerint, viatica illis communio non negetur.

VII. *De clericis qui poſt ordinationem vxores ducunt, vel adulterant; & ne quis inuitus ordinetur.*

Clerici verò, qui cùm vxores non haberent, benedictione ſuſcepta, coniugia crediderint eligenda, qui volentes abſque vlla reclamatione in ætate fuerint legitima ordinati, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, excommunicatione percellantur. Quòd ſi inuitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, ſed non à communione pellatur. Epiſcopus autem, qui inuitum aut reclamantem præſumpſerit ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus Miſſas facere non præſumat. De adulteriis autem honoratorum clericorum id obſeruandum eſt, vt ſi quis adulteraſſe aut confeſſus fuerit, vel conuictus, depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore retrudatur.

D. LXXIV. Epiſcopus qui.

D. XXCI. Si quis clericus.

VIII. *De clericorum honoratorum furtis, aut falſitatibus.*

Si quis clericus furtum aut falſitatem admiſerit, quia capitalia & ipſa ſunt crimina, communione conceſſa ab ordine regradetur. De periurio verò id cenſuimus obſeruandum, vt ſi quis clericus in cauſis quæ ſub iureiurando finiendæ ſunt, præbuerit iuramenta, & pòſt rebus euidentibus detegitur peieraſſe, biennij tempore excommunicatione plectatur.

Iuo Part. XII. cap. 18.

IX. *De his qui vxoribus defunctis concubinas ſibi crediderint ſociandas.*

De his qui ex concubinis filios habent, & vxores legitimas habuerunt, aut defunctis vxoribus ſibi concubinas publicè crediderint ſociandas, id obſeruandum eſſe cenſuimus, vt ſicut eos, qui iam ſunt clerici per ignorantiam ordinati, non remouemus, ita ſtatuimus ne vlteriùs ordinentur.

X. *De inceſtis coniunctionibus ante baptiſmum, vel ignoranter contractis.*

De inceſtis coniunctionibus ita quæ ſunt ſtatuta ſeruentur, vt his qui aut modò ad baptiſmum veniunt, aut quibus patrum ſtatuta ſacerdotali prædicatione in notitiam anteà non venerunt, ita pro nouitate conuerſionis ac fidei ſuæ credidimus conſulendum, vt contracta hucuſque huiuſmodi coniugia non ſoluantur; ſed in futurum quod de inceſtis coniunctionibus in anterioribus canonibus interdictum eſt obſeruetur: id eſt, vt ne quis ſibi ſub coniugij nomine ſociare præſumat relictam patris, filiam vxoris, relictam fratris, ſororem vxoris, conſobrinam aut ſobrinam, relictam auunculi vel patrui. Quòd ſi qui in hoc inceſti adulterio potiùs quàm coniugio fuerint ſociati, quandiu ſe non ſequeſtrauerint, à communione Eccleſiaſtica repellantur. Illud etiam adiiciendum eſſe credidimus, vt in Epiſcopi diſcuſſione conſiſtat, de his qui in ciuitate ſua ac territorio conſiſtunt, & tali ſunt ordine ſociati, vtrum ignoranter ad illicita coniugia venerint, an per contumaciam quæ ſunt interdicta præſumpſerint: quia ſicut his qui per ignorantiam lapſi ſunt ſubuenitur; ita illis quibus priùs patrum ſtatuta in notitiam venerunt, quique etiam contra ſacerdotum interdicta in tali permixtione verſantur, priorum canonum in omnibus ſtatuta ſeruentur, vt non priùs ad cõmunionem recipiantur, quàm inceſti adulterium, * ſicut ſcriptum eſt, ſeparatione ſanauerint: quia in lege Domini manifeſtè legitur: *Maledictus qui dormit cum vxore patris ſui, cum priuigna, vel vxoris ſuæ ſorore*, & reliqua his ſimilia. Quo fit vt quos Deus maledixit, nos niſi emendatos benedicere non poſſimus.

*Cõc. Epaonenſe can. 30.

Deut. 27. 20. &c.

XI. *De clericis qui propter ſæcularium patrocinia officium ſuum implere detrectant.*

Si qui clerici miniſteria ſuſcepta quacumque occaſione agere ſicut & reliqui detrectant, & excuſationem de patrociniis quorumcumque, ne officium impleant, prætendunt; ac ſacerdotes ſuos ſub huiuſmodi cauſa æſtimant per inobedientiam contemnendos; inter reliquos canonicos clericos, ne hac licentia alij vitientur, nullatenus habeantur; neque ex rebus Eccleſiaſticis cum canonicis ſtipendia, aut munera vlla percipiant.

XII. *De agris Eccleſiæ non alienandis, & diſtractis tricennaria repetitione reuocandis.*

De agellis verò, cæteriſque facultatibus Eccleſiaſticis, à ſacerdotibus non alienandis, nec per contractus inutiles obligandis, prio-

tum canonum ſtatuta ſeruentur, vt nobis per nullos contractus res Eccleſiaſticas alienare, aut inutiliter liceat obligare. Ea etiam quæ de rebus Eccleſiaſticis ab anteceſſoribus alienata, vel quibuſcumque inſtrumentis inutiliter in diſpendium Eccleſiæ obligata noſcuntur, & intra tricennaria tempora repetitio ſuppetit, quæ acta ſunt, ſuffragante iuſtitia, per publicum aut electorum iudicium reuocentur. Quòd ſi is qui rem Eccleſiaſticam tenet, admonitus iudicium declinatit, quouſque aut ad diſcuſſionem veniat, aut rem reſtituat Eccleſiaſticam, communione priuetur.

XIII. *De mancipiis Christianis, quæ in Iudæorum ſeruitio detinentur: & de Iudæorum coniugiis, atque conuiuiis.*

De mancipiis Chriſtianis, quæ in Iudæorum ſeruitio detinentur, ſi eis quod Chriſtiana religio vetat à dominis imponitur; aut ſi eos, quos de Eccleſia excuſatos tollent, pro culpa quæ remiſſa eſt affligere, aut cædere fortaſſe præſumpſerint, & ad Eccleſiam iteratò confugerint, nullatenus à ſacerdote reddantur, niſi pretium offeratur ac detur, quod mancipia ipſa valere pronunciauerit iuſta taxatio. Chriſtianis quoque omnibus interdicimus, ne Iudæorum coniugiis miſceantur: quod ſi fecerint, vſque ad ſequeſtrationem, quiſquis ille eſt, communione pellatur. Item Chriſtianis conuiuia interdicimus Iudæorum: in quibus ſi fortè fuiſſe probantur, annuali excommunicationi pro huiuſmodi contumacia ſubiacebunt.

Iuo Part. XIII.c 99.

XIV. *Vt Miſſarum celebritas in præcipuis ſolennitatibus hora tertia inchoetur.*

De Miſſarum celebritate in præcipuis duntaxat ſolennitatibus id obſeruari debet, vt hora tertia Miſſarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipſo officio expedito, ſacerdotes poſſint ad veſpertina officia, id eſt in veſpertino tempore conuenire: quia ſacerdotem veſpertinis officiis ab Eccleſia talibus præterea diebus nec decet deeſſe, nec conuenit.

XV. *Vt Epiſcopi in aliena diœceſi clericos non ordinent, nec altare conſecrent. & vt clerici extranei ſine Epiſcopi ſui literis non ordinentur, neque ad communionem admittantur.*

Epiſcopus in diœceſes alienas ad alienos clericos ordinandos, vel conſecranda altaria irruere non debet: quod ſi fecerit, remotis his quos ordinauerit, altaris tamen conſecratione manente, tranſgreſſor canonum anno à Miſſarum celebritate ceſſabit. De his verò clericis, qui ſub qualibet occaſione, aut conditione, in aliorum ciuitatibus vel territoriis crediderint immorandum, ne ad vllum clerica-

tus honorem, abſque ſui Epiſcopi ſcripto atque conſenſu debeant promoueri. Verùm etiam presbytero, diacono, vel ſubdiacono, ſine Epiſcopi ſui literis ambulanti, iuxta ſtatuta * priora, communionem nullus impendat. *Côc. Epaonenſe can. 6.

XVI. *De raptu virginum ſacrarum, pœnitentium, aut viduarum.*

De raptoribus virginum conſecratarum, ſeu in propoſito ſub deuotione viuentium, id ſtatuimus, vt ſi quis conſecratæ, vel deuotæ, id eſt religionem profeſſæ, vim inferre præſumpſerit, à communione Eccleſiaſtica vſque ad exitum repellatur, viatico tantùm ei in infirmitatis periculo reſeruato. Quòd ſi quæ rapta dicitur, cum raptore habitare conſenſerit, & ipſa excommunicatione ſimili feriatur. Quæ forma & de pœnitentibus, ac viduis in propoſito manentibus, ſub diſtrictione Eccleſiaſtica conſeruetur. Quod ſi quis ſacerdos ſciens huiuſmodi perſonis communicauerit, anno integro pacem Eccleſiæ non habebit.

XVII. *Vt quæ clericis collata ſunt, à ſucceſſoribus Epiſcopis non auferantur.*

De munificentiis verò ſacerdotum id obſeruandum, vt ſi quid præſenti tempore à clericis de decedentium munificentiis habetur, vel poſſidetur, deinceps à ſucceſſoribus nullatenus auferatur: ita vt qui deceſſorum largitatibus gaudent, officia Eccleſiæ, obedientiam & affectum ſacerdotibus præbeant. De quibus tamen munificentiis, quæ præſenti tempore ab his ſicut dictum eſt poſſidentur, ſi pro opportunitate Epiſcopo placuerit, quod voluerit commutare, ſine accipientis diſpendio, in locis aliis commutetur. De munificentiis verò præſentibus, quas vnuſquiſque clericis pro ſua gratia eorum obſequiis æſtimat conferendas, ſicut in arbitrio dantis eſt, vt tribuere quibus voluerit debeat, ita ſi inobedientia vel contumacia in aliquo accipientis extiterit, culpa agnita in arbitrio ſit præſidentis, vtrum vel qualiter debeat reuocari.

XVIII. *De clericis qui diœceſes, monaſteria, vel baſilicas ſuſcipiunt ordinandas.*

De his verò clericorum perſonis, quæ de ciuitatenſis Eccleſiæ officio, monaſteria, diœceſes, vel baſilicas in quibuſcumquè locis poſitas, id eſt ſiue in territoriis, ſiue in ipſis ciuitatibus, ſuſcipiunt ordinandas, in poteſtate ſit Epiſcopi, ſi de eo quod ante de Eccleſiaſtico munere habebant, eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit: quia vnicuique facultas ſuſcepti monaſterij, diœceſis, vel baſilicæ, debet plena ratione ſufficere.

XIX. *De contumacibus clericis.*

Si quis ſuperbia elatus officium ſuum indignatione quacumque *Cõc.Agath. can 1. implere noluerit, iuxta *ſtatuta priora laica communione cõtentus, ab ordine depoſitus tandiu habeatur, quandiu digna, ſicut ſcriptum eſt, pœnitentia & ſupplicatione ſatisfecerit præſidenti pontifici: tamen illis regulariter & caritatem integram, & quæcumque illis ſtipendiorum iuxta conſuetudinem redhibentur, pro qualitate temporis miniſtranti. De quibus ſi querela procedit, officium agens recurrat ad Synodum.

XX. *Vt oppreſſi ab Epiſcopo clerici ad Synodum recurrant.*

Si quis clericorum circa ſe aut diſtrictionem, aut tractationem Epiſcopi ſui putat iniuſtam, iuxta antiquas conſtitutiones recurrat ad Synodum.

XXI. *De clericorum conſpirationibus in Synodo vindicandis.*

11.q.1 Si quis clericorum. Si quis clericorum, vt nuper multis locis diabolo inſtigante actum fuiſſe perpatuit, rebelli auctoritate ſe in vnum coniuratione intercedente collegerint, & aut ſacramenta inter ſe data, aut chartulam conſcriptam fuiſſe patuerit, nullis excuſationibus hæc præſumptio præueletur; ſed res detecta, cùm in Synodum ventum fuerit, in præſumptoribus, iuxta perſonarum & ordinum qualitatem, à pontificibus qui tunc in vnum collecti fuerint vindicetur: quia ſicut caritas ex præceptis Dominicis corde, non chartulæ conſcriptione eſt vel coniurationibus exhibenda; ita quod ſupra ſacras admittitur ſcripturas, auctoritate & diſtrictione pontificali eſt reprimendum.

XXII. *De eo qui rem Eccleſiæ vel Epiſcopi retinet, oblationeſque defunctorum, aut ſuas.*

Si quis res Eccleſiæ debitas, vel proprias ſacerdotis, horrendæ cupiditatis inſtinctu occupauerit, retinuerit, aut à poteſtate ex cõpetitione perceperit, vt eas non reſtituat, nullis rebus excuſetur; ſed ſi agnito iure Eccleſiaſtico, non ſtatim Eccleſiæ vel ſacerdoti reformauerit, aut vt ipſum ius agnoſcere poſſit, in iudicium electorum venire diſtulerit, tam diu à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur, quàm diu reſtitutis rebus tam Eccleſiam, quàm ſacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his, qui oblationes defunctorum legaliter dimiſſas quolibet ordine adſignare tardauerint, vel retinere præſumpſerint, diſtrictionis Eccleſiaſticæ iuxta priores canones forma ſeruetur. Cui etiam ſententiæ ſubiacebit, quiſquis ille quolibet ordine, quod pro deuotione ſua Eccleſiis dedit, reuocare præſumpſerit.

XXIII. *Abbatibus, & presbyteris, res Eccleſiæ ſine permiſſu Epiſcopi alienare non licet.*

Abbatibus, preſbyteris, cæteriſque miniſtris, de rebus Eccleſiaſticis, vel ſacro miniſterio, alienare vel obligare, abſque permiſſu & ſubſcriptione Epiſcopi ſui nil liceat. Quod qui præſumpſerit, regradetur communione conceſſa, & quod temerè præſumptum aut alienatum eſt, ordinatione Epiſcopi reuocetur. 12.q.2.Abbatibus, preſbyteris.

XXIV. *Pœnitentia iuuenibus non danda, nec coniugatis niſi ex mutuo conſenſu.*

Vt ne quis benedictionem pœnitentiæ iuuenibus perſonis credere præſumat. certè coniugatis, niſi ex conſenſu partium, & ætate iam plena, eam dare non audeat.

XXV. *De his qui ſuſcepta pœnitentia ad ſæcularem militiam reuertuntur.*

Si quis pœnitentiæ benedictione ſuſcepta, ad ſæcularem habitum, militiámque reuerti præſumpſerit, viatico conceſſo vſque ad exitum excommunicatione plectatur.

XXVI. *Ne ſeruus vel colonus ad honores Eccleſiaſticos admittatur.*

Vt nullus ſeruilibus, colonariiſque conditionibus obligatus, iuxta ſtatuta Sedis Apoſtolicæ, ad honores Eccleſiaſticos admittatur; niſi priùs aut teſtamento, aut per tabulas legitimè conſtiterit abſolutum. Quod ſi quis Epiſcoporum, eius qui ordinatur conditionem ſciens, tranſgredi per ordinationem inhibitam fortaſſe voluerit, anni ſpatio Miſſas facere non præſumat.

XXVII. *Vt clericus honoratus vſuram, & turpe lucrum non exerceat.*

Vt clericus à diaconatu, & ſuprà, pecuniam non commodet ad vſuras; nec de præſtitis beneficiis quicquam amplius quàm datur ſperet; néue in exercendis negotiis, vt publici qui ad populi reſponſum negotiatores obſeruant, turpis lucri cupiditate verſetur, aut ſub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quòd ſi quis aduerſum ſtatuta venire præſumpſerit, communione conceſſa ab ordine regradetur.

XXVIII. *Die Dominico quid operis facere liceat, aut non liceat.*

Quia perſuaſum eſt populis, die Dominico agi cum caballis, aut bubus, & vehiculis itinera non debere, neque vllam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem vllatenus exercere, (quæ res ad Iudaicam magis, quàm ad Chriſtianam ob-

ſeruantiam pertinere probatur) id ſtatuimus, vt die Dominico, quod antè fieri licuit liceat. De opere tamen rurali, id eſt arato, vel vinea, vel ſectione, meſſione, excuſſione, exarto, vel ſepe, cenſuimus abſtinendum; quo faciliùs ad Eccleſiam venientes orationis gratiâ vacent. Quòd ſi inuentus fuerit quis in operibus ſupraſcriptis, quæ interdicta ſunt, ſe exercere, qualiter emendari debeat, non in laici diſtrictione, ſed in ſacerdotis caſtigatione conſiſtat.

XXIX. *Vt Miſſæ integræ audiantur, & cum armis bellicis nemo ſacra ſpectet.*

De Miſſis nullus laicorum antè diſcedat, quàm Dominica dicatur oratio: & ſi Epiſcopus præſens fuerit, eius benedictio expectetur. Sacrificia verò matutina Miſſarum, ſiue veſpertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum vſum ſpectet. Quod qui fecerit, in ſacerdotis poteſtate conſiſtat, qualiter eius diſtrictione debeat caſtigari.

XXX. *Vt Iudæis à die cœnæ Domini vſque ad ſecundam feriam Paſchæ, procedere inter Chriſtianos non liceat.*

Iuo Part. XIII. c. 100. Quia Deo propitio ſub catholicorum regum dominatione conſiſtimus, Iudæi à die cœnæ Domini vſque in ſecundam ſabbati in Paſcha, hoc eſt ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos, neque catholicis populis ſe vllo loco, vel quacumque occaſione miſcere præſumant.

XXXI. *De hæreticis, & Bonoſiacis ſacerdotibus, qui rebaptizant.*

Iudex ciuitatis vel loci, ſi hæreticum, aut Bonoſiacum, vel cuiuſlibet alterius hæreſis ſacerdotem, quamcumque perſonam de catholicis rebaptizaſſe cognouerit, quia reges nos conſtat habere catholicos, non ſtatim rebaptizantes adſtrinxerit, & ad regis fidem atque iuſtitiam propterea diſtringendos adduxerit, annuali excommunicationi ſubdatur.

XXXII. *Vt ſine Epiſcopi licentia, nec clericus laicum, nec laicus clericum ad ſæculare iudicium trahat.*

11. q. 1. Clericus cuiuſlibet. Clericus cuiuſlibet gradus, ſine pontificis ſui permiſſu, nullum ad ſæculare iudicium præſumat attrahere: neque laico, inconſulto ſacerdote, clericum in ſæculare iudicium liceat exhibere.

XXXIII. *De horum canonum obſeruatione.*

Quocirca hæc, quæ inſpirante Deo communi conſenſu placuerunt, ſi quis Antiſtitum viuentium, vel eorum quos ipſis Deus eſſe voluerit ſucceſſores, relicta obſeruationis integritate cuſtodire & implere

implere neglexerit, reum ſe diuinitatis pariter & fraternitatis iudicio futurum eſſe cognoſcat: quia canones ſuos, nec ignorare quemquam, nec diſſimulare, id eſt præterire permittitur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Lvpvs in Chriſti nomine Eccleſiæ Lugdunenſis Metropolitanus Epiſcopus, iuxta id quod omnibus ſanctis coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, patrum ſtatuta ſecutus, his conſtitutionibus ſubſcripſi. Not. die Nonarum Menſis tertij, quartò poſt Conſulatum Paulini iunioris V. C. anno xxvii. regni domni Childeberti Regis.

Pantagathus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis, iuxta id quod omnibus ſanctis coepiſcopis meis, qui mecum ſubſcripſerunt, placuit, ſubſcripſi.

Leo Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ ſubſcripſi.

Arcadius Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ ſubſcripſi.

Flauius Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis ſubſcripſi.

Placidus Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis ſubſcripſi.

Ætherius Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis ſubſcripſi.

Agrippinus Epiſcopus Eccleſiæ Æduorum ſubſcripſi.

Leucadius Epiſcopus Eccleſiæ Baiocaſſinæ ſubſcripſi.

Amelius Epiſcopus Eccleſiæ Pariſienſis ſubſcripſi.

Vrſulus Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ ſubſcripſi.

Eleutherius Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcripſi.

Lauto Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantienſis ſubſcripſi.

Paſſiuus Epiſcopus Eccleſiæ Sagienſis ſubſcripſi.

Theodobaudis Epiſcopus Eccleſiæ Lexouienſis ſubſcripſi.

Licinius Epiſcopus Eccleſiæ Ebroicenſis ſubſcripſi.

Albinus Epiſcopus Eccleſiæ Andegauenſis ſubſcripſi.

Ruſticus Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.

Antoninus Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis ſubſcripſi.

Campanus preſbyter directus à domno meo Iniurioſo Epiſcopo Eccleſiæ Turonicæ ſubſcripſi.

Euantius preſbyter directus à domno meo Gregorio Epiſcopo Eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.

Auolus preſbyter directus à domno meo Agricola Epiſcopo Eccleſiæ Cabillonenſis ſubſcripſi.

Optardenus preſbyter directus à domno meo Gallo Epiſcopo Eccleſiæ Aruernorum ſubſcripſi.

Marcellianus preſbyter directus à domno meo Eumerio Epiſcopo Eccleſiæ Namnetenſis ſubſcripſi.

Baudaſtes preſbyter directus à domno meo Perpetuo Epiſcopo Eccleſiæ Abrincatenſis ſubſcripſi.

Vincentius preſbyter directus à domno meo Suſtratio Epiſcopo Eccleſiæ Cadurcenſis ſubſcripſi.

LEONIS EPISCOPI SENONENSIS EPISTOLA

Ad Childebertum Regem Francorum.

Qua deprecatur ne Meleduni in diœceſis ſuæ parochia, vbi nunquam fuit, nouus fiat Epiſcopus.

Nunc primùm edita ex codice monaſterij Corbeienſis.

DOMNO INLVSTRI, GLORIOSISSIMO DOMNO, & in Chriſto filio, Childeberto Regi Leo Epiſcopus.

LITERAS celſitudinis veſtræ honore quo dignum eſt me indico ſuſcepiſſe; vbi ſperare dignamini, vt ad ordinandum Mecledonenſem Epiſcopum, aut præſentia noſtra adeſſe debeat, aut conſenſus. Quam rem valde admiratos nos gloria veſtra cognoſca: quòd primùm ſine iuſſu glorioſiſſimi domni principis noſtri, filij veſtri Theudoberti Regis, cuius ſumus regni ordinatione ſubiecti, iniungitis vt ea quæ anteacto tempore facta non ſunt, nunc præſentia noſtra aut conſenſu debeant inchoari. Præcipuè nunquam nec ſuſpicari, nec credere potuimus, quòd hanc aut ordini noſtro, aut etiam temporibus veſtris velletis iniuriam generari; vt diœceſim noſtram, à Deo nobis commiſſam, & vſque nunc pontificali ordine Deo propitio cuſtoditam, tanquam negligentes ac deſides, ad alterius permittamus poteſtatem tranſire, aut ſollicitudinem inrationabili deliberatione transferri. Vnde ſalutantes digno ac debito in Deo caritatis affectu, rogamus & conteſtamur, ne vllus pontificum contra ſtatuta patrum audeat facere, vnde poſſit Synodali examinatione conuictus de inlicita præſumptione culpari. Illa tamen veſtris debent fieri, Deo inſpirante, temporibus, vnde & pax inter ſacerdotes eſſe poſſit, & plebs non permittatur à paſtoris proprij cuſtodia per nouam & inlicitam ordinationem diuelli. Cuſtodite, quæſo, ſtatuta patrum, & canonum ſeueritate conſtricti, non patiamini, ſicut ſcribitis, ad petitionem eius plebis ſuperſtite proprio ſacerdote alterum Epiſcopum ordinari. Quia ſi hoc petunt, quod nefas eſt credi, deſertores potiùs iudicandi ſunt, quàm fideles. Et non eorum preces facilè audiri debent à principe, quorum petitionibus potiùs generentur ſcandala, quàm pax Deo amata ſeruetur. Quia ſicut beati ſunt pedes pacem portantes, ita væ his dictum eſt, per quos venit ſcandalum. Qui ſi fortaſſe ob hoc alterum Epiſcopum ſibi fieri rogant, quia nos interclusis itineribus ad eos nec Viſitatorem mittere poſſumus, nec venire; iſta culpa nos non reſpicit: quia ſi iter à veſtra parte, ſicut optimè noſtis, interclusum tanto tempore non fuiſſet, quamuis ſenes aut infirmi, populum nobis Eccleſiaſtica diſciplina commiſſum requirere potueramus, aut certè Viſitatorem, ſicut canones ſtatuunt, deſtinare. Nam gloria veſtra optimè debet, & credere & ſcire,

quia ſi contra ſtatuta canonum quicumque Epiſcoporum ſine conſenſu noſtro Mecledone Epiſcopum voluerit ordinare, vſque ad Papę notitiam, vel Synodalem audientiam, tam hi qui ordinauerint, quàm qui ordinatus fuerit, à noſtra erunt communione diſiuncti.

Leo Chriſti ſeruus ſubſcripſi.

TROIANI EPISCOPI SANTONENSIS EPISTOLA Ad Eumerium Epiſcopum Namnetenſem.

De puero qui an baptizatus eſſet neſciebat.

DOMNO SEMPER SVO EVMERIO EPISCOPO Troianus Epiſcopus.

Deferentibvs diaconibus, quos ad humilitatem meam miſiſtis, litteras veſtræ ſanctitatis accepi, in quibus conſulitis de quodam puero, qui neſcire ſe dicit ſi fuerit baptizatus; niſi hoc tantùm recolit, quòd de linteo caput habuit inuolutum; quod frequenter infirmantibus poſt dolorem fieri ſolet, ne caput algeat, & recidiuam incurrat. His itaque reddo in Domino debitæ ſalutationis officium; & quod à maioribus noſtris ſtatutum eſt indubitanter indicare præſumo. Statutum noueris, vt quicumque ſe baptizatum fuiſſe non recolit, nec ab alia perſona id factum fuiſſe probatur, baptiſmum abſque vlla dilatione percipiat; ne à nobis illius anima, ſi à baptizatis ſeparata fuerit, requiratur. Ora pro nobis, domne meritò in Chriſto beatiſſime. Ex MSS.

Anno Christi 539. Childeberti Regis 28.

VIGILIVS PAPA.

CONCILIVM AVRELIANENSE IV.

TRIENNIO POST AVRELIANENSE TERTIVM, Indictione quarta, Baſilio V.C. Conſule celebratum, id eſt anno Chriſti DXLI. Vigilij Papæ II. Childeberti Regis XXX.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt Paſcha ſecundum laterculum Victorij celebretur, & per Epiſcopos Epiphaniorum die denuntietur.*
2. *Vt Quadrageſima in omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur, & ſabbatis ieiunium non ſoluatur.*
3. *Vt primores ciuitatis Paſcha, & præcipuas feſtiuitates in ciuitate celebrent.*
4. *De eo quod in ſacro calice eſt offerendum.*
5. *Quo in loco fieri debeat Epiſcopi conſecratio.*
6. *Vt clerici ab Epiſcopis canonum ſtatuta percipiant.*
7. *De clericis qui in Oratoriis ſeruire debent.*
8. *De pænitentia lapſorum in hæreſim.*
9. *Quæ ab Epiſcopo contra canones alienata ſunt, reuocari debent: liberi tamen manent ſerui Eccleſiæ quos manumiſit.*
10. *De digamis ad diaconatum, aut presbyterium promotis.*
11. *Monaſteriis aut parochiis collata ſibi Abbates, & presbyteri non vindicent, nec alienent ſine Epiſcopi conſenſu.*
12. *Vt Epiſcoporum lites intra anni ſpatium finiantur.*
13. *Vt clerici publicis actionibus & tutelis non applicentur.*
14. *Vt quæ quis Eccleſiæ reliquerit, heredes non auferant.*
15. *De iis qui poſt baptiſmũ immolatis vtuntur.*
16. *De Chriſtianis qui gentilium more iurant ad capita animalium.*
17. *Vt ſacerdotes & diaconi ab vxoribus ſuis abſtineant.*
18. *Vt clerici non alienent quæ ab Eccleſia ad vtendum accipiunt.*
19. *Quod Eccleſiæ collatum eſt, nec à collatore, nec ab ipſius heredibus repeti debet.*
20. *Cauſæ clericorum apud quos diſcuti debeant.*
21. *Vt qui ad Eccleſiam confugerit à nullo abſtrahatur.*
22. *Vt nullus inuitis parentibus filiam ſibi iungat alienam.*
23. *Vt ſerui Eccleſiæ prædas non exerceant.*
24. *De mancipiis ſpe coniugij ad Eccleſiam confugientibus.*
25. *Vt nullus res Eccleſiæ, contempto pontifice, petere aut occupare præſumat.*
26. *De clericis qui in potentum domibus paræciis obſeruant, vt à dominis ab officio non prohibeantur.*
27. *De inceſtis coniunctionibus.*
28. *Vt homicidæ, tametſi illis crimen indulgeatur, pænitentiæ ſubiaceant.*
29. *Vt mulieres cum clericis in adulterio deprehenſæ ab Epiſcopo diſtringantur.*
30. *De mancipiis Chriſtianis apud Iudæos.*
31. *Vt nulli Iudæo liceat aduenam, aut de Chriſtianis natum circumcidere, vel ſibi ancillam Chriſtianam ſociare.*
32. *De his qui è genere ſeruili deſcendunt.*
33. *Vt Oratorium in agro non fiat, niſi dotetur, & clerici ei deputentur.*
34. *Vt nullus, ſi quid in vſu fructu accepit ab Epiſcopo, quod ibi profecerit alienet.*
35. *In poteſtate ſit ſucceſſoris, an defuncti Epiſcopi reijcere debeat voluntatem.*
36. *Quæ alterius Eccleſiæ clerico donata ſunt, poſt eius obitũ ad ius Eccleſiæ reuertantur.*
37. *Vt Synodus ſingulis annis à Metropolitano conuocetur.*
38. *Vt quæ ſtatuta ſunt obſeruentur.*

PRÆFATIO.

CVM in Aurelianenſi vrbe vnanimiter in Chriſti nomine ſancta adfuiſſet congregatio ſacerdotum, & de his quæ ad ſacrum propoſitum pertinent, vel quæ ſecundum Eccleſiaſticam ordinationem regulari conueniunt diſciplinæ, Deo medio, tractare cœpiſſent, placuit, vt quæ definita ſunt ſecundum antiquam conſuetudinem ſcripta monſtrentur. Et quo firmius ſtatuta ſeruentur, cum conſenſu omnium docet adnotata ſubſcriptio.

CANONES.

I. *Vt Paſcha ſecundum Victorij laterculum celebretur, & per Epiſcopos Epiphaniorum die denuntietur.*

Placuit itaque Deo propitio, vt ſanctum Paſcha ſecundum laterculum Victorij ab omnibus ſacerdotibus vno tempore celebretur. Quæ feſtiuitas annis ſingulis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſia populis denuntietur. De qua ſolennitate quoties aliquid dubitatur, inquiſita vel agnita per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra conſtitutio teneatur.

II. *Vt Quadrageſima in omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur, & ſabbatis non ſoluatur ieiunium.*

Hoc etiam decernimus obſeruandum, vt Quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur; neque Quinquageſimam aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet ſacerdos præſumat indicere. Sed neque per ſabbata abſque infirmitate quiſquam ſoluat Quadrageſimæ ieiunium; niſi tantùm die Dominico prandeat. quod ſic fieri ſpecialiter patrum ſtatuta ſanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tanquam tranſgreſſor diſciplinæ à ſacerdotibus cenſeatur.

III. *Vt primores ciuitatis Paſcha, & præcipuas feſtiuitates in ciuitate celebrent.*

Quiſquis de prioribus ciuibus Paſcha extra ciuitatem tenere voluerit, ſciat ſibi à cuncta Synodo eſſe prohibitum: ſed principales feſtiuitates ſub præſentia Epiſcopi teneant, vbi ſanctum decet eſſe conuentum. Tamen ſi aliquis certa neceſſitate conſtringatur, vt hoc implere non poſſit, ab Epiſcopo poſtulet commeatum. Quòd ſi hoc poſtulare deſpexerit, in eodem loco, id eſt in feſtiuitate præſenti, vbi tenere voluerit, ſuſpendatur.

IV. *De eo quod in ſacro calice eſt offerendum.*

Vt nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ

ſperatur, & hoc aqua mixtum, offerre præſumat: quia ſacrilegum iudicatur aliud offerri, quàm quod in mandatis ſacratiſſimis Saluator inſtituit.

V. *Quo in loco fieri debeat electi Epiſcopi conſecratio.*

Id etiam regulariter eſſe perſpeximus decernendum, vt Epiſcopus in ciuitate, in qua per decretum eligitur ordinandus, in ſua Eccleſia cui præfuturus eſt conſecretur. Sanè ſi ſubitò neceſſitas temporis hoc implere non patitur, licet melius eſſet in ſua Eccleſia fieri, tamen aut ſub præſentia Metropolitani, aut certè cum eius auctoritate intra prouinciam omnino à comprouincialibus ordinetur.

VI. *Vt clerici ab Epiſcopis canonum ſtatuta percipiant.*

Iuo Part. vi. cap. 150. Parochiani clerici à pontificibus ſuis neceſſaria ſibi ſtatuta canonum legenda percipiant, ne ſe ipſi, vel populi, quæ pro ſalute eorum decreta ſunt, excuſent poſtmodum ignoraſſe.

VII. *De clericis qui in Oratoriis ſeruire debent.*

Vt in Oratoriis domini prædiorum minimè contra votum Epiſcopi, ad quem territorij ipſius priuilegium noſcitur pertinere, peregrinos clericos intromittant; niſi forſitàn quos probatos ibidem diſtrictio pontificis obſeruare præceperit.

VIII. *De pœnitentia lapſorum in hæreſim.*

De his qui poſt baptiſmi ſacramentum ad hæreſis lapſum carne ſuadente deſcendunt, & agnoſcentes reatum, ad vnitatem fidei catholicæ venire deſiderant, in Epiſcoporum poteſtate conſiſtat, cùm eos viderint dignam pœnitentiam agere, quando vel qualiter communioni priſtinæ reformentur.

IX. *Quæ ab Epiſcopo contra canones alienata ſunt reuocari debent: liberi tamen manent ſerui Eccleſiæ, quos manumiſit.*

Vt Epiſcopus, qui de facultate propria Eccleſiæ nihil relinquit, de Eccleſiæ facultate ſi quid aliter quàm canones eloquuntur obligauerit, vendiderit, aut diſtraxerit, ad Eccleſiam reuocetur. Sanè ſi de ſeruis Eccleſiæ libertos fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita vt ab officio Eccleſiæ non recedant.

X. *De digamis ad diaconatum, aut presbyterium promotis.*

Iuo Part. viii. c. 301. Si quis Epiſcoporum ſciens aut bigamum, aut internuptæ maritum, ad officium Leuiticæ dignitatis, ſiue preſbyterij, contra ius

canonum promouere præſumpſerit, nouerit ſe vnius anni ſpatio ab omni officio ſacerdotij eſſe ſuſpenſum. Qui ſi fortè ſententiæ ſubiacere contempſerit, à communione eius, vſque in magnam Synodum, ſe fraternitas vniuerſa ſuſpendat. Illi verò qui illicitè promoti ſunt, regradentur.

XI. *Monaſteriis aut parochiis collata ſibi Abbates & presbyteri non vindicent, nec alienent ſine Epiſcopi conſenſu.*

Si quid Abbatibus, aut ſacris monaſteriis, aut parochiis pro Dei fuerit contemplatione collatum, in ſua proprietate hoc Abbates, vel preſbyteri, minimè reuocabunt: nec alienare quod cunctis fratribus debetur, quacumque occaſione præſumant. Quibus ſi fuerit neceſſarium vt ſtatuta conuellant, non aliter valeat, niſi fuerit Epiſcopi ſui ſubſcriptione firmatum.

XII. *Vt Epiſcoporum lites intra anni ſpatium finiantur.*

Si inter Epiſcopos de rebus terrenis, aut poſſeſſionibus, ſub repetitionis aut retentationis titulo naſcatur contentio, intra anni ſpatium pro ſtudio caritatis, quæ cunctis debet rebus temporalibus anteferri, per epiſtolas fratrum affectuosè commoniti, aut inter ſe, aut in præſentia electorum iudicum negotium ſanare feſtinent. Quòd ſi diſtulerint, donec ipſa cauſatio abrogetur, à caritate fratrum, qui diſtulerit, habeatur extraneus: quia iniuſtum eſt, vt qui cunctis præſunt, inter ſe quacumque cauſatione diſſentiant.

XIII. *Vt clerici publicis actionibus & tutelis non applicentur.*

Si quis iudicum clericos de quolibet corpore venientes, atque altario mancipatos, vel quorum nomina in matricula Eccleſiæ teneantur inſcripta, publicis actionibus applicare præſumpſerit, ſi à ſacerdote commonitus emendare noluerit, cognoſcat ſe pacem Eccleſiæ non habere. Similiter & à tutelæ adminiſtratione pontifices, preſbyteros, atque diaconos, ideo excuſatos eſſe decreuimus; quia quod lex ſæculi etiam paganis ſacerdotibus & miniſtris antè præſtiterat, iuſtum eſt vt erga Chriſtianos ſpecialiter conſeruetur.

XIV. *Vt quæ quis Eccleſiæ reliquerit, heredes non auferant.*

Quæcumque Eccleſiis, aut pontificibus, ſub competenti ac iuſto documento fuerint derelicta, ab heredibus legitimis dignum eſt vt Dei contemplatione ſeruentur.

XV. *De iis qui poſt baptiſmum immolatis vtuntur.*

Si quis poſt acceptum baptiſmi ſacramentum ad immolata dæmonibus ſumenda tanquam ad vomitum reuertitur, ſi commonitus

à ſacerdotibus ex hac præuaricatione ſe noluerit reuocare, à communione catholica pro emendatione ſacrilegij ſuſpendatur.

XVI. *De Chriſtianis qui gentilium more iurant ad capita animalium.*

Si quis Chriſtianus, vt eſt gentilium conſuetudo, ad caput cuiuſcumque feræ vel pecudis, inuocatis inſuper nominibus paganorum, fortaſſe iurauerit, ſi ſe ab hac ſuperſtitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, à conſortio fidelium vel Eccleſiæ communione pellatur.

XVII. *Vt ſacerdotes & diaconi ab vxoribus ſuis abſtineant.*

Vt ſacerdotes, ſiue diaconi, cum coniugibus ſuis nõ habeant communem lectum & cellulam, ne propter ſuſpicionem carnalis conſortij religio maculetur. Quod qui fecerint, iuxta priſcos canones ab officio regradentur.

XVIII. *Vt clerici non alienent quæ de Eccleſia ad vtendum accipiunt.*

Quicumque clericus aliquid de iure Eccleſiaſtico, ſeu verbo, ſeu per ſcripturam acceperit ad vtendum, & poſtmodum hoc alienare quacumque ratione præſumpſerit, non valebit; quia ſecundum canonum ſtatuta proprietatem Eccleſiæ non violat in alios quamuis longa poſſeſſio. Sed in pontificis poteſtate conſiſtat, qualiter pro conſeruando iure Eccleſiaſtico rem poſſeſſam inter clericos debeat communicare.

XIX. *Quod Eccleſiæ collatum eſt, nec à collatore, nec ab ipſius heredibus repeti debet.*

Quicumque pro deuotione ſua oblationis ſtudio aliquid in campellis, vel in vineolis, etiam abſque ſcriptura, probatur Eccleſiæ contuliſſe; ſi poſtmodum vel ipſe, vel heredes eius, quacumque occaſione auferre à iure hoc Eccleſiæ, vel alienare voluerint, quo ad vſque à tali intentione diſcedant; aut peruerſa reſtituant, à communione Eccleſiaſtica ſuſpendantur.

XX. *Cauſæ clericorum apud quos diſcuti debeant.*

Vt nullus ſæcularium perſonarum, prætermiſſo pontifice, ſeu præpoſito Eccleſiæ, quemquam clericorum pro ſua poteſtate conſtringere, diſcutere audeat, vel damnare. Sed & clericus, ſi pro cauſa ad petitionem cuiuſcumque fuerit ab Eccleſiaſtico ordinatore commonitus, ſe ad audientiam ſpondeat adfuturum, & reſpondere nulla calliditate diſſimulet. Sed quæcumque cauſatio quoties inter clericum & ſæcularem vertitur, abſque presbytero aut Archidiacono, vel ſi quis eſſe præpoſitus Eccleſiæ dinoſcitur, iudex publicus audire

negotium non præſumat. Sanè ſi cauſam habentibus placuerit ire ad iudicium fori ex voluntate communi, permittente præpoſito Eccleſiæ, clerico licentia tribuatur.

XXI. *Vt qui ad Eccleſiam confugerit à nullo abſtrahatur.*

Si quis neceſſitatis impulſu ad Eccleſiæ ſepta confugerit, & ſacerdote, vel præpoſito Eccleſiæ prætermiſſo atque contempto, eum quiſque de locis ſacris vel atriis, ſeu vi ſeu dolo abſtrahere aut ſollicitare fortaſſe præſumpſerit, vt inimicus Eccleſiæ ab eius liminibus arceatur, quouſque iuxta pontificis diſtrictionem, digna per indictam pœnitentiam emendatio ſubſequatur: eo tamen qui abſtractus eſt, priùs Eccleſiæ reſtituto.

XXII. *Vt nullus inuitis parentibus filiam ſibi iungat alienam.*

Vt nullus per imperium poteſtatis filiam competere audeat alienam; ne coniugium, quod contra parentum voluntatem impiè copulatur, velut captiuitas iudicetur. Sed ſicut eſt prohibitum non admittatur, in his qui perpetrauerint, excommunicationis ſeueritas pro modo piaculi imponatur.

XXIII. *Vt ſerui Eccleſiæ prædas non exerceant.*

Vt ſeruis Eccleſiæ, vel ſacerdotum, prædas & captiuitates exercere non liceat: quia iniquum eſt, vt quorum domini redemptionis præſtare ſolent ſuffragium, per ſeruorum exceſſum diſciplina Eccleſiaſtica maculetur.

XXIV. *De mancipiis ſpe coniugij ad Eccleſiam confugientibus.*

Quæcumque mancipia ſub ſpecie coniugij ad Eccleſiæ ſepta confugerint, vt per hoc credant poſſe fieri coniugium, minimè eis licentia tribuatur, nec talis coniunctio à clericis defenſetur: quia probatum eſt, vt ſine legitima traditione coniuncti, pro religionis ordine, ſtatuto tempore ab Eccleſiæ communione ſuſpendantur, ne in ſacris locis turpi concubitu miſceantur. De qua re decernimus, vt parentibus aut propriis dominis, prout ratio poſcit perſonarum, accepta fide excuſati ſub ſeparationis promiſſione reddantur: poſtmodum tamen parentibus atque dominis libertate conceſſa, ſi eos voluerint propria voluntate coniungere.

XXV. *Vt nullus res Eccleſiæ, contempto pontifice, petere aut occupare præſumat.*

Si quis clericus aut laicus, ſub potentum nomine atque patrocinio, res ad ius Eccleſiæ pertinentes, contempto pontifice, petere ſeu poſſidere præſumpſerit, primùm admoneatur quæ abſtulit ciuiliter

reformare; aut certè iudicium ſacerdotis ſui opperiri, vt poſcit ſacra religio. Quòd ſi in peruaſionis pertinacitate ſubſiſtit, tamdiu ab Eccleſiæ liminibus arceatur, donec cum ſatisfactione iuſtiſſima peruaſa aut occupata reſtituat.

XXVI. *De clericis qui in potentum domibus paræciis obſeruant, vt à dominis ab officio non prohibeantur.*

Si quæ parochiæ in potentum domibus conſtitutæ ſunt, vbi obſeruantes clerici ab Archidiacono ciuitatis admoniti, ſecundum qualitatem ordinis ſui, fortaſſe quod Eccleſiæ debent, ſub ſpecie domini domus implere neglexerint, corrigantur ſecundum Eccleſiaſticam diſciplinam. Et ſi ab agentibus potentum, vel ab ipſis rei dominis, de agendo officio Eccleſiæ in aliquo prohibentur, auctores nequitiæ à ſacris ceremoniis arceantur, donec ſubſecuta emendatione in pace Eccleſiaſtica reuocentur.

XXVII. *De inceſtis coniunctionibus.*

De inceſtis coniunctionibus id ſtatuimus obſeruandum, vt ſi quis
Conc. Aurel. III. can. 10. Conc. Epaonenſe can. 30. post Synodi Aurelianenſis ante hoc triennium conſtituta, illicita tori iura præſumpſerit, circa eum ſecundum ſtatuta Epaonenſium canonum à ſacerdotibus Eccleſiæ ſeueritas teneatur.

XXVIII. *Vt homicidæ, tametſi illis crimen indulgeatur, pœnitentiæ ſubiaceant.*

Quiſquis homicidium voluntate commiſerit, ita vt occidere audeat innocentem, ſi à principibus, aut à parentibus, quacumque re ſe reddiderit abſolutum, pro modo pœnitentiæ diſtringendus in ſacerdotis poteſtate conſiſtat.

XXIX. *Vt mulieres cum clericis in adulterio deprehenſæ ab Epiſcopo diſtringantur.*

Si quæ mulieres fuerint in adulterio cum clericis deprehenſæ, clericis diſtrictione adhibita, mulieres ipſæ, prout ſacerdoti viſum fuerit, diſtrictioni ſubiaceant, & à ciuitatibus, vt ſacerdos præceperit, repellantut.

XXX. *De mancipiis Chriſtianis, quæ apud Iudæos ſunt.*

Cùm prioribus canonibus iam fuerit definitum, vt de mancipiis
Conc. Aurel. III. can. 13. Chriſtianis, quæ apud Iudæos ſunt, ſi ad Eccleſiam confugerint, & redimi ſe poſtulauerint, etiam ad quoſcumque Chriſtianos refugerint, & ſeruire Iudæis noluerint, taxato & oblato à fidelibus iuſto pretio, ab eorum dominio liberentur; ideo ſtatuimus, vt tam iuſta conſtitutio ab omnibus catholicis conſeruetur.

XXXI. *Vt nulli Iudæo liceat aduenam, aut de Chriſtianis natum circumcidere, vel ſibi ancillam Chriſtianam ſociare.*

Hoc etiam decernimus obſeruandum, vt quicumque Iudæus proſelytum, qui aduena dicitur, Iudæum facere præſumpſerit, aut Chriſtianum factum ad Iudaicam ſuperſtitionem adducere; vel ſi Iudæus Chriſtianam ancillam ſuam ſibi crediderit ſociandam; vel ſi de parentibus Chriſtianis natum, Iudæum ſub promiſſione fecerit libertatis, mancipiorum amiſſione multetur. Ille verò, qui de Chriſtianis natus Iudæus factus eſt, ſi ſub conditione fuerit manumiſſus, vt in ritu Iudaico permanens habeat libertatem, talis conditio non valebit: quia iniuſtum eſt, vt ei libertas maneat, qui de Chriſtianis parentibus veniens Iudaicis vult cultibus adhærere.

XXXII. *De his qui è genere ſeruili deſcendunt.*

De genere ſeruili id decreuimus obſeruandum, vt deſcendens inde poſteritas, vbicumque, quamuis poſt longa ſpatia temporum, reperiatur in loco, cui auctores eius conſtat fuiſſe deputatos, reuocata ſtudio ſacerdotis, in ea quæ conſtituta eſt à defunctis conditione permaneat. Cui præcepto ſi quis ſæcularium humanæ cupiditatis impulſu crediderit obuiandum, quouſque ſe corrigat, ab Eccleſia ſuſpēdatur.

XXXIII. *Vt Oratorium in agro non fiat, niſi dotetur, & clerici ei deputentur.*

Si quis in agro ſuo aut habet, aut poſtulat habere diœceſim, primùm & terras ei deputet ſufficienter, & clericos qui ibidem ſua officia impleant, vt ſacratis locis reuerentia condigna tribuatur.

XXXIV. *Vt nullus ſi quid in vſu fructu accepit ab Epiſcopo, quod ibi profecerit alienet.*

Quiſquis agellum Eccleſiæ in diem vitæ ſuæ pro quacumque miſericordia à ſacerdote, cui poteſtas eſt, acceperit poſſidendum; quæcumque ibi profecerit, alienandi nullam habeat poteſtatem, nec ſibi parentes ſui ex ea re aliquid exiſtiment vendicandum.

XXXV. *In poteſtate ſit ſucceſſoris, an defuncti Epiſcopi reiicere debeat voluntatem.*

De ſubſtituendo Antiſtite ſi fortaſſe mora extiterit, & voluntas deceſſoris antè fuerit reſerata, quàm ſucceſſor accedat Eccleſiæ, non impediat ſucceſſorem. Si quiſpiam clericorũ aliquid de facultate illa prǽſumpſerit, in poteſtate ſit aduenientis Epiſcopi, vtrum audire an reiicere deceſſoris ſui debeat voluntatem: nec Eccleſiæ in obiecto veniant tempora legibus conſtituta, dum non extitit perſona, quæ de vtilitate Eccleſiæ attentiùs cogitaret.

XXXVI. *Quæ alterius Eccleſiæ clerico donata ſunt, poſt eius obitum ad ius Eccleſiæ reuertantur.*

Si quis Epiſcopus alterius Eccleſiæ clerico de facultatibus ſuæ Eccleſiæ aliquid ſub titulo quocumque donauerit, poſt eius obitum qui acceperit, ad Eccleſiæ ius, de cuius facultate diſceſſerat, reuertatur: quia iniquum eſt, vt ſub hac ſpecie damnum Eccleſia, quæ multis ſubuenit, patiatur.

XXXVII. *Vt Synodus ſingulis annis à Metropolitano conuocetur.*

Placuit præterea, vt cuncti Metropolitani de comprouincialibus ſuis in prouincia ſua annis ſingulis Synodum debeant congregare, vt dum in vnum ſe fraternitas iungit, ſemper & cenſura teneatur & caritas.

XXXVIII. *Vt quæ ſtatuta ſunt obſeruentur.*

Quapropter auxiliante Domino quæ Synodus ſancta conſtituit decernimus vt à cunctis fratribus hæc definitio ſancta conſeruetur. Quòd ſi quis quæ ſalubriter perſpicit inſtituta indecenter tranſgredi quacumque occaſione tentauerit, nouerit ſe Deo & cunctæ fraternitati culpabilem eſſe futurum: quia iuſtum eſt, vt per vnitatem Antiſtitum & Eccleſiaſtica fulgeat diſciplina, & inconuulſa maneat conſtitutio ſacerdotum.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Leontivs in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Burdegalenſis conſenſi, cum vniuerſis comprouincialibus meis, Indictione iv. Baſilio V. C. Conſule.
Aſpaſius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Eloſæ cõſenſi & ſubſcripſi.
Flauius in Chriſti nomine Rotomagenſis Eccleſiæ Epiſc. conſenſi & ſubſcr.
Iniurioſus Epiſcopus Eccleſiæ Turonicæ conſenſi & ſubſcripſi.
Cyprianus Epiſcopus Eccleſiæ Tolonenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Ruricius Deo propitio Epiſcopus Eccleſiæ Lemouicæ conſenſi & ſubſcr.
Prætextatus in Chriſti nomine Aptenſis Eccleſiæ Epiſc. conſenſi & ſubſcr.
Placidus in Chriſti nomine ciuitatis Matiſcenſis Epiſc. conſenſi & ſubſcr.
Gallicanus Epiſcopus Eccleſiæ Ebredunenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Maximus in Chriſti nomine Aquenſis ciuitatis Epiſc. conſenſi & ſubſcr.
Euterius ciuitatis Antipolis Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus ciuitatis Carnotenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Rufus ciuitatis Octodorenſis Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Danihel Epiſcopus Pictauenſis conſenſi & ſubſcripſi.
Alethius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Vaſenſis conſenſi & ſubſcr.
Gallus in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Aruernæ conſenſi & ſubſcr.
Dalmatius Epiſcopus Eccleſiæ Rutenicæ conſenſi & ſubſcripſi.
Heraclius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Tricaſtinenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Vindemialis in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Arauſicæ conſenſi & ſubſcripſi.

Euanthius Epiſcopus ciuitatis Gabalitanæ conſenſi & ſubſcripſi.

Agricola in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Cabillonenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Firminus in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Vceticæ conſenſi & ſubſcr.

Gramatius Epiſcopus ciuitatis Vindonenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Auolus Epiſcopus ciuitatis Segeſtericæ conſenſi & ſubſcripſi.

Iulianus Epiſcopus ciuitatis Bigerricæ conſenſi & ſubſcripſi.

Paſſiuus in Chriſti nomine Epiſc. ciuitatis Sagenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Innocentius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Cenomanicæ conſenſi & ſubſcripſi.

Vincentius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Deuterius Epiſcopus ciuitatis Vincienſis conſenſi & ſubſcripſi.

Eleutherius Epiſcopus ciuitatis Autiſiodorenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Simplicius Epiſcopus de Saneſio conſenſi & ſubſcripſi.

Proculeianus Epiſcopus ciuitatis Auſcenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Carterius in Chriſti nomine Epiſc. ciuitatis Aquenſis conſenſi & ſubſcr.

Ruſticus Epiſcopus ciuitatis Niuernenſis ſubſcripſi.

Clematius Epiſcopus ciuitatis Carpentoratenſis ſubſcripſi.

Eumerius Epiſcopus ciuitatis Namnetenſis ſubſcripſi.

Lucretius Epiſcopus ciuitatis Deenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Marcus Epiſcopus ciuitatis Aurelianenſis ſubſcripſi.

Probianus preſbyter miſſus à domino Archadio Epiſcopo conſenſi & ſubſcripſi.

Amphilochius Abbas directus à domino Amelio Epiſcopo ciuitatis Pariſiacæ ſubſcripſi.

Toribius preſbyter miſſus à domino Epiſcopo ciuitatis Genauenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Auſonius preſbyter miſſus à domino Epiſcopo Santonicæ ciuitatis conſenſi & ſubſcripſi.

Egerius preſbyter directus à domino Lupicino Epiſcopo ciuitatis Ecoleſimæ ſubſcripſi.

Gratianenſis preſbyter miſſus à domino Deſiderio Epiſcopo Foroiulienſi conſenſi & ſubſcripſi.

Benenatus preſbyter miſſus à domino Claudio Epiſcopo ciuitatis Glanatenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Minutulus preſbyter miſſus à domino Suſtratio Epiſcopo ciuitatis Cadurcenſis ſubſcripſi.

Theodorus preſbyter miſſus à domino Leucadio Epiſcopo ciuitatis Baiocaſſinæ ſubſcripſi.

Eſcupilio preſbyter miſſus à Lautone Epiſcopo ciuitatis Conſtantiæ conſenſi & ſubſcripſi.

Baudaſtes preſbyter miſſus à domno Perpetuo Epiſcopo ciuitatis Abrincatinæ conſenſi & ſubſcripſi.

Edebius preſbyter miſſus à domino Theudobaude Epiſcopo ciuitatis Lexobinæ conſenſi & ſubſcripſi.

VIGILII PAPAE EPISTOLA I.

Ad Auxanium Arelatenſem.

Vſum pallij, quem poſtulabat, differt quoad certiorem faciat Imperatorem.

DILECTISSIMO FRATRI AVXANIO VIGILIVS.

SCRIPTA de ordinatione caritatis veſtræ, Ioanne filio noſtro preſbytero, ſed & Teredio diacono deferentibus, cum animi ſpiritali gratulatione ſuſcepimus, Domino gratias referentes, quia hoc in Eccleſia Arelatenſi factum eſt, quod & canonibus, & deceſſorum noſtrorum regulis conueniret: quatenus ex ſequenti ordine ſacerdotij tua fraternitas ad pontificalis proueheretur apicem dignitatis, & diuinæ in te electionis iudicium compleretur, ſicut ſcriptum eſt:
Iac.1.17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio.* & iterum
Hebr.5.4. doctor gentium Apoſtolus Paulus dicit: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Supereſt vt Deus, qui nos immeritos ineffabili miſericordia honorem miſerans pontificalem habere pro ſua pietate concedit, donet & præmium: vt illud in nobis compleatur,
Matth.25.21. & 23. quod Chriſti Dei & Saluatoris noſtri verba teſtantur dicentis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gau-*
Matth.24.46. *dium Domini tui.* & iterum: *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Beatus ille ſeruus, quem cùm venerit Dominus inuenerit ita facientem.* Sunt etiam quæ per Dei gratiam ſuper fraternitate veſtra ad facienda bona hortentur exempla. Si enim deceſſoris tui illa, quæ à Sede Apoſtolica de fundamento petræ Dominicæ doctrinæ bona ſuſcipiens actibus exæquauit, imitari
Iacob.1.12. volueris, & à Sedis Apoſtolicæ in nullo deuiaueris conſtitutis; ſicut ſcriptum eſt, coronam ſine dubitatione percipies, quam dedit Deus diligentibus ſe. De his verò quæ caritas veſtra tam de vſu pallij, quàm de aliis ſibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in præſenti facere ſine dilatione potuimus, niſi cum Chriſtianiſſimi Domini filij noſtri Imperatoris hoc, ſicut ratio poſtulat, voluiſſemus perficere notitia Deo auctore; vt & vobis gratior præſtitorum cauſa reddatur, dum quæ poſtulaſtis cum conſenſu Chriſtianiſſimi principis referuntur, & nos honorem fidei eius ſeruaſſe cum competenti reuerentia iudicemur. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data XV. Calend. Nouembres, iterum P.C. Baſilij V.C.

VIGILII PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Auxanium Arelatenſem.

Vices illi ſuas in Gallia delegat, & pallij vſum concedit, admonens vt pro Imperatore Deum oret, pacemque inter ipſum & Childebertum Regem conſeruare ſtudeat.

DILECTISSIMO FRATRI AVXANIO VIGILIVS.

SICVT nos pro tuæ caritatis affectu, & pro glorioſiſſimi filij noſtri regis Childeberti Chriſtiana deuotione mandatis, vices noſtras libentiſſima voluntate contulimus: ita fraternitatem tuam conuenit Deo placitis operibus tantæ ſedis auctoritate digna conuerſatione vti, atque diſponere, vt bonis actibus innoteſcens, rectum circa caritatem tuam iudicium noſtræ dilectionis oſtendas. Conuenit enim nos Doctoris gentium mandata recolere, quibus Timotheum diſcipulum ſuum inſtructionibus ſanctis hortatur dicens: *Exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in caritate, in fide, in caſtitate.* 1.Tim.4.12. Et ſicut item Apoſtolorum primus ſaluberrima admonitione præcipiens, *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei,* 1.Petr.5.2.3.4. conſequenti adhortatione ſubiungit: *forma facti gregis ex animo. & cùm apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Si quæ ergo inter fratres & coepiſcopos noſtros, in locis veſtræ caritati præſenti auctoritate commiſſis, ſeminante illo auctore ex antiqua iniquitate zizaniæ, diſſenſiones emerſerint, adhibitis vobiſcum ſacerdotibus numero competenti, cauſas canonica & Apoſtolica æquitate diſcutite, ea modis omnibus prolato iudicio finituri, quæ Deo placitis deceſſorum noſtrorum poſſint regulis conuenire. Si qua verò certamina aut de religione fidei, quod Deus auferat, aut de quolibet negotio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, euenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, relationis ad nos ſeriem deſtinantes, Apoſtolicæ Sedi terminanda ſeruate: vt vniuerſis à fraternitate veſtra competenti ratione diſpoſitis, pax quæ Saluatoris voce collata eſt Eccleſiæ Dei, quæ vna eſt in toto orbe diffuſa, ſtabili firmitate ſeruetur, nec antiqui hoſtis poſſit taxatione vexari, in illius petræ Chriſti Dei Domini & Saluatoris noſtri erectione firmata ſtabilitate perſiſtens. Quæ cuncta vt fraternitas veſtra meliùs per Dei gratiam poſſit implere, vniuerſis Epiſcopis, quibus te præeſſe volumus, auctoritatis noſtræ eſt ſerie declaratum. Nullus ergo de pontificibus tuæ per has vices ordinationi commiſſis, ſicut & ad eos data loquitur noſtra præceptio, in longinquis quibuſlibet locis audeat proficiſci, niſi ſolenni more, ſicut deceſſore noſtro deceſſori veſtro ſimiliter concedente conſueuerant, formatam veſtræ caritatis acceperit. Oportet ergo fraternitatem veſtram inceſſantibus ſupplicationibus Deo noſtro preces effundere, vt domnos filios noſtros, clementiſſimos principes, Iuſtinianum atque Theodoram, ſua ſemper protectione cuſtodiat: qui pro his veſtræ caritati mandandis, ſuggerente glorioſiſſimo & excellentiſſimo filio noſtro Patricio Beliſario, pro quo item vos conuenit exo-

tare, pia præbuerunt deuotione conſenſum. Hortamur quoque, vt ſacerdotali opera inter glorioſiſſimum virum Childebertum Regem, ſed & antedictum clementiſſimum principem, conceptæ gratiæ documenta paterna adhortatione ſeruetis. Benè enim Domini & Saluatoris noſtri, quæ
Matth.5 9. populis prædicamus, mandata ante oculos retinemus, quibus ait: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Et quia digna credimus ratione compleri, vt agenti vices noſtras pallij non deſit ornatus; vſum tibi eius, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe, beati Petri ſancta auctoritate concedimus. Ea verò quæ de præſenti ordinatione noſtra directa præceptione ſignauimus, ad vniuerſos Epiſcopos per caritatem tuam volumus peruenire. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data xi. Calend. Iunias, iv. P. C. Baſilij V. C.

VIGILII PAPÆ EPISTOLA III. Ad Epiſcopos Galliæ.

Auxanium Vicarium Sedis Apoſtolicæ conſtitutum eſſe nuntiat. cuius muneris partes explicat, omneſque eidem obtemperare iubet.

Dilectissimis fratribus, vniuerſis Epiſcopis omnium prouinciarum per Gallias, qui ſub regno vel poteſtate glorioſiſſimi filij noſtri Childeberti regis Francorum conſtituti ſunt, ſed & his, qui ex antiqua conſuetudine ab Arelatenſi conſecrati ſunt vel conſecrantur Epiſcopo, Vigilius. Qvantvm nos diuina potentia Apoſtolorum primi Sedem non pro noſtris meritis, ſed pro ineffabili ſuæ miſericordiæ pietate habere conſtituit, tantum nos de vniuerſarum Eccleſiarum diſpoſitione & pace & ſtatu curam habere conuenit, cùm gen-
2.Cor.11.28. tium dicat Apoſtolus, *inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Quomodo ergo inter Domini ſacerdotes ſancta, & Deo placita poteſt manere concordia, niſi vt ſi humani generis hoſtis antiqua nequitia conſuetam zizaniam ſeminare voluerit, is qui abſentiam noſtram Sedis Apoſtolicæ vicibus perfruendo ſpirituali gratia repræſentat, auferat certamen exortum? Quapropter Auxanio fratri & coepiſcopo noſtro, Arelatenſis ciuitatis Antiſtiti, vices noſtras caritas veſtra nos dediſſe cognoſcat: vt ſi aliqua, quod abſit, fortaſſis emerſerit contentio, congregatis ibi fratribus & coepiſcopis noſtris, cauſas canonica & Apoſtolica auctoritate diſcutiens Deo placita æquitate diffiniat. Contentiones verò ſi quæ, quas Dominus auferat, in fidei cauſa contigerint, aut emerſerit fortè negotium, quod pro magnitudine ſui Apoſtolicæ Sedis magis iudicio debeat terminari, ad noſtram diſcuſſa veritate perferat ſine dilatione notitiam. Et quia neceſſe eſt, vt aptis Deo propitiante temporibus Arelatenſis Epiſcopus noſtris vicibus fungatur; quoties iudicauerit expedire vt pro facienda conſolatione communi, Epiſcoporum debeant congregari perſonæ, nullus inobediens eius fortè mandatis ſit. Quòd ſi fuerit, à congregatione

gatione ſuſpendatur: niſi aut corporalis infirmitas, aut iuſtæ cauſæ eum excuſatio venire prohibeat: ita tamen, vt, ſi ſe, quominus occurrat, rationabili poteſt exceptione defendere, ad Synodum pro ſuo presbyteri aut diaconi dirigat loco perſonam: quatenus quæ à noſtro Vicario congregatis fratribus definita ſententia fuerint terminata, ad eius qui abſens eſt per ſuos perducta notitiam, ſincera & inuiolabili ſtabilitate ſeruentur. Neceſſe eſt enim, quoties in nomine Domini eius famuli ad tractanda quæ ſunt ipſi placita colliguntur, ſancti Spiritus non deeſſe præſentiam. Ita enim Chriſti Dei Domini & Saluatoris noſtri mandata nos inſtruunt, quibus ait: *Vbi fuerint duo aut tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.* Matth. 18. 20. Quid ergo ſe æſtimat ſubiturum, qui Deo odioſa ſuperbia in illa congregatione intereſſe contemnit, in qua ſe Dominus noſter affuturum pia promiſſione denuntiat? Illud pari auctoritate mandamus, ne quiſquam Epiſcoporum ſine prædicti fratris & coepiſcopi noſtri formata ad longinquiora loca audeat proficiſci: quippe quia & deceſſorum noſtrorum deceſſoribus eius, quibus vices ſuas libentiſſimè contulerunt, ſanctæ ſic definiunt iuſſiones: vt his omnibus obedientia Deo placita cuſtoditis, pax quæ à Chriſto Deo Domino & Saluatore noſtro Apoſtolis tanquam hæreditario eſt nomine derelicta, in Eccleſia Dei, quæ vna eſt toto orbe diffuſa, firma ſtabilitate ſeruetur. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi. Data XI. Calend. Iunias IV. P.C. Baſilij V.C.

VIGILII PAPÆ EPISTOLA IV.
Ad Auxanium Arelatenſem.

De cognoſcenda cauſa Prætextati Epiſcopi.

DILECTISSIMO FRATRI AVXANIO VIGILIVS.

LICET fraternitati veſtræ Apoſtolicæ Sedis vicibus attributis, quas directa auctoritate commiſimus, generaliter emergentium cauſarum ſit diſcutiendarum licentia; tamen quia filij noſtri Ioannis presbyteri, ſed & Teredij diaconi, qui ad nos à tua caritate directi ſunt, de Prætextati exceſſu eſt porrecta petitio, neceſſarium valde credidimus, ſpecialiter memorati negotij examinationem præſenti vobis auctoritate mandare. Quapropter caritati, qua in Chriſto iungimur, reddentes fraternæ alloquia viſitationis, hortamur vt adhibitis vobiſcum fratribus & coepiſcopis noſtris numero competente, diſcuſſa ratione canonica veritate, ea ſapienti ordinatione diſponat, quæ deceſſorum noſtrorum conueniant ſtatutis, caritas veſtra; ratione proſpiciens ne aliquem facilè ex laicis ad ſacratos ordines ſaltu præcipiti cuiquam ſacerdotum liceat aggregare. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data XI. Calend. Iunias IV. P.C. Baſilj V.C.

VIGILII PAPÆ EPISTOLA V.

Ad Aurelianum Arelatenſem.

Poſt obitum Auxanij ſuas Aureliano Epiſcopo vices in Gallia delegat.

DILECTISSIMO FRATRI AVRELIANO Vigilius.

ADMINISTRATIONEM vicum noſtrarum fraternitati veſtræ animo libenti committimus, & credimus caritatis veſtræ officio actibus Deo placitis diligenter vniuerſa compleri; quando & ſummi ſacerdotij conſortio vos dignos diuina eſſe gratia iudicauit, & glorioſiſſimi Childeberti Francorum Regis Chriſtiana,& Deo placita in perhibendo vobis teſtimonio voluntas acceſſit. Quapropter vices noſtras veſtræ caritati hac auctoritate committimus, vt vniuerſa quæ deceſſorum noſtrorum vel canonum ſtatuta ſanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque ſeruando, & noſtrum & prædicti glorioſi regis iudicium circa caritatem tuam rectum fuiſſe poſſis oſtendere. Sanctarum enim ſcripturarum nos docet auctoritas, quia Chriſtus Deus Dominus & Saluator noſter prius vniuerſa quæ bona ſunt facere voluit,
Act.1.1. quàm docere. Scriptum eſt enim: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cæpit* IESVS *facere & docere vſque in diem qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctum quos elegit aſſumptus eſt.* Item quid commonendo Timotheum doctor gentium dicat Apoſtolus,fraternitatem tuam
2.Tim 2.1. ſemper ante oculos habere confidimus. Ait enim: *Confortare in gratia quæ eſt in Chriſto* IESV, *& quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fideli-*
Ibid.15. *bus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* & item ipſe: *Sollicitè cura teipſum probabilem exhibere Deo operarium, inconfuſibilem, rectè tractantem ver-*
Ibid 3.& 7. *bum veritatis.* & iterum: *Labora ſicut bonus miles Chriſti* IESV. *Intellige quæ dico: dabit enim Dominus in omnibus intellectum.* Si quam ergo inter fratres Diabolus, humani generis hoſtis antiquus, zizaniam ſeminauerit calliditate nequitiæ conſuetæ, aut de aliquo ſacerdotum fraternitati tuæ, ſeruatis maiorum per omnia conſtitutis, fuerit querela depoſita: adhibitis tibi fratribus & coepiſcopis ſecundum qualitatem negotij numero competente, cauſam canonica & Apoſtolica ordinatione diſcutiens, ea ſententia definies, quæ & deceſſorum noſtrorum conueniat ſtatutis,& Deo æquitatem in omnibus diligenti ſit grata. Si quod verò de religione fidei, quod Deus auferat, fuerit certamen exortum, aut tale aliquod negotium fortaſſis emerſerit, quod pro ſui magnitudine ibidem nequeat definiri; veritate diſcuſſa, relationis ſerie diſtincta, ad noſtræ ſedis conſultationem potius vt remittas hortamur: quia ita deceſſores veſtros, qui deceſſorum noſtrorum vices egiſſe monſtrantur, feciſſe teſtimonium noſtri declarat ſcrinij. quatenus ea diſpoſitione ſeruata Eccleſiæ vnitas ſtabili firmitate perſiſtens, pacis bono in omnibus perfruatur: cuius velut hæreditarium munus Chriſtus Deus Dominus & Saluator noſter ad cælos, vnde nun-

quam deſuit, rediturus diſcipulis ſuis legitur reliquiſſe dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Ioan.14.27. Et vt vniuerſa fraternitas veſtra diligenti poſſit ratione complere, Epiſcopis, quibus pro vice noſtra te præeſſe voluimus, nos præcepta deſtinaſſe ſignamus, vt & illi vobis obedientiam exhibere debeant competentem, & fraternitas tua eos in Chriſti caritate complectens, exemplis bonorum potiùs operum, ad quæ ſunt Deo placita facienda ſemper inuitet. Illud pari eis auctoritate ſignauimus, ne quis ſine formata tuæ fraternitatis ad longiora loca audeat proficiſci: ſed vt conſuetudinem illam debeant cuſtodire, quam conſtat ſemper noſtræ ſedis habuiſſe Vicarium; & à vobis formatam poſtulent, ſi cauſarum ſuarum neceſſitate compulſi ad longiora itinera deſtinare diſponunt. Sed ne in aliquo ſedis noſtræ Vicarius minor ſuis deceſſoribus videatur, neceſſarium fore credidimus pallij vobis vſum, quemadmodum deceſſori veſtro hactenus dederamus, præſenti auctoritate concedere; vt morum, & omnium bonarum rerum, vobis, B. Petro Apoſtolo ſuffragante, non deſit ornatus. Oportet ergo caritatem veſtram ſacerdotali ſemper ſtudio inter domnos filios noſtros clementiſſimos principes, & glorioſiſſimum virum, id eſt filium noſtrum Childebertum regem, gratiæ intactæ fœdera cuſtodire. Scitis enim, nec vos conuenit ignorare, quod neceſſariò prædicatis, quia ſcriptura pronuntiat dicens: *Beati pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Rom.10.15. Et hoc quoque veſtrum facere deſideramus affectum, vt glorioſo viro filio noſtro Patricio Beliſario deſtinatis ſcriptis gratias referatis, qui homini veſtro laborem ad clementiſſimum principem abſtulit tranſeundi; ſed mox vt reſponſum recepit, nobis ſuis literis indicauit. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data x. Kalendas Septembres, quinquies P. C. Baſilij V. C.

VIGILII PAPÆ EPISTOLA VI.

Ad Epiſcopos Galliæ.

Nuntiat ſe Aureliano vices ſuas in Gallia delegaſſe, mandatque vt eidem obtemperent.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS EPISCOPIS, qui ſub regno glorioſiſſimi filij noſtri Childeberti Regis ſunt per Gallias conſtituti, Vigilius.

ADMONET nos loci noſtri miniſterium diuinæ miſericordiæ dono collatum, Domini nos gratia protegente, negligentis ſpeculatoris euitando periculum, bonis potiùs palmam retributionis promiſſæ, & ſtudeamus & metueamur accipere. Vnde quantum nos Chriſtus Deus, Dominus & Saluator noſter, primi Apoſtolorum locum pro ineffabili pietatis ſuæ genere largitate conceſſit, tantum nos de vniuerſarum pace Eccleſiarum, quæ licet in multis, vna tamen eſt toto orbe diffuſa, inceſſanti ſtudio conuenit eſſe ſollicitos. Quippe quia nos ſanctarum ſcripturarum eloquia reddunt diligenter inſtructos, quòd cùm Moyſes Dei famulus diuinis iuſſionibus obſecun-

dans ad montem voluiſſet aſcendere, loco ſui Aaron & Hur legitur reliquiſſe dicens: *Expectate hic, donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiſcum. ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos.* Ita enim inter ſacerdotes Domini poteſt pax ſuper omnia Deo placita cuſtodiri, ſi fuerit qui vicum noſtrarum auctoritate ſubnixus, perſonam noſtram in Galliarum partibus præſentans, ſecundum conſuetudinem à noſtris deceſſoribus attributam, ſapientiam ſollicita indagatione cuſtodiens, ſi quam humani generis hoſtis antiquus zizaniam inter Dei famulos nequitia conſueta ſeminare tentauerit, ſapientiæ ſuæ moderamine, adhibitis ſibi fratribus ac coepiſcopis noſtris, iuſtitia Deo placita ſcandala orta ſubmoueat. Vnde quia dudum Auxanio, quondam Arelatenſis ciuitatis Antiſtiti, vicum noſtrarum ſollicitudinem dederamus; ſed curſum vitæ præſentis implendo de hac luce migrauit, in cuius loco Aurelianus frater noſter noſcitur ſucceſſiſſe; neceſſarium valde credidimus, ſollicitudinem hanc à nobis antefato debere committi, confidentes illum & pro loci ſui qualitate bonis actibus vniuerſa, quæ Deo placeant, poſſe complere: & maximè cùm glorioſus filius noſter Childebertus rex teſtimonium bonæ conſcientiæ pro Chriſtiana ſuæ voluntatis deuotione perhibuit. Oportet ergo caritatem veſtram ei in omnibus, quæ ſeruatis per cuncta canonibus ſalubriter ſecundum noſtrorum definita maiorum pro noſtra auctoritate cenſuerit, præbere obedientiam competentem. Et quia omnino neceſſe eſt, vt pro diuerſis cum fratribus Deo iuuante tractandis, ſtatutis aptiſque temporibus Epiſcoporum Synodum debeat congregare; idcirco præſenti auctoritate cenſemus, vt nullus vbi aut quando conſtituerit ſe audeat excuſare, excepta infirmitatis cauſa, quam humana non poteſt euitare fragilitas, aut certè quem dignæ excuſationis ratio fecerit non venire. Omnibus nihilominus ſcientibus quod Chriſtus Dominus & Saluator noſter pia inſtitutione pronunciat dicens; *Quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à patre meo qui eſt in cœlis.* Quemadmodum autem quis ſibi quæ poſtulat credit poſſe concedi, ſi congregationis ſanctæ conuentum, vbi Dominus præſentiam ſuam promiſit modis omnibus affuturam, ſine aliqua rectæ excuſationis cauſa vitare crediderit? Sed ſicut præfati ſumus, ſi iuſta cauſa illum ad Synodum fecerit non venire, pro ſe aut preſbyterum, aut diaconum deſtinare non differat; quatenus quæ fuerint conſtituta, per eos poſſit agnoſcere, & definita complere. Pari auctoritate mandantes, vt nullus ſine prædicti formata ad longinquiora loca audeat proficiſci: præſertim quia & deceſſorum noſtrorum deceſſoribus eius, quibus vices ſuas commiſiſſe præteritis temporibus releguntur, ſic definiunt ſtatuta; vt his omnibus obedientia Deo placita cuſtoditis, pax Eccleſiarum ſtabili firmitate perſiſtat; & ſicut Doctor gentium dicit Apoſtolus, Eccleſia Dei poſſit ſine ruga & macula permanere. Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſſimi.

Exod. 24. 14. — Matth. 18. 19. — Epheſ. 5. 27.

CONCILIVM AVRELIANENSE V.

POST THEODEBERTI REGIS MORTEM, ſub die v. Kalendas Nouembris, Indictione XIII. celebratum, id eſt anno Chriſti DXLIX. Vigilij Papæ x. Childeberti Regis XXXVIII.

TITVLI CANONVM.

1. *Dogmata Eutychetis, vel Neſtorij damnanda.*
2. *Neminem à ſacerdote pro leuibus cauſis excommunicandum.*
3. *De extranearum mulierum, aut etiam propinquarum, familiaritate.*
4. *Si clericus poſt acceptam benedictionem incontinens inuenitur, deponatur.*
5. *Nullus clericum alienum recipere, vel promouere ſine epiſtola pontificus ſui præſumat.*
6. *Seruum alienum clericum non ordinandum.*
7. *De manumiſſis in Eccleſia.*
8. *Pontifice mortuo nullus in ciuitate, aut per parochias, ordinare clericos, aut altaria audeat conſecrare, vel quicquam auferre.*
9. *Nullus ex laicis ante annuam conuerſionem Epiſcopus ordinetur.*
10. *Nulli Epiſcopatum pretio liceat comparare.*
11. *Nullus inuitis ordinetur Epiſcopus.*
12. *Nulli viuenti Epiſcopo, præter culpabilem, alius ſuperordinetur.*
13. *Qui facultates Eccleſiæ delegatas ſubtraxerit, excommunicetur.*
14. *Nullus Eccleſiæ alterius regni, vel loci, res petat aut præſumat accipere.*
15. *De Xenodochio, quod Childebertus rex, cum regina coniuge ſua, Lugduni condidit.*
16. *Qui à ſe, vel ab aliis, Eccleſiæ oblata auferre præſumpſerit.*
17. *Eccleſiæ cauſæ qualiter, & per quos finiantur.*
18. *Vocati comprouinciales à Metropolitano, ad Concilium venire teneantur, nec ſine commeatu à Concilio diſcedant.*
19. *De oblatione puellarum in monaſteriis.*
20. *Vt incarcerati diebus Dominicis ab Eccleſiæ præpoſitis viſitentur.*
21. *De ſuſtentandis leproſis.*
22. *De ſeruis qui ad Eccleſiam pro culpa confugiunt.*
23. *Vt Synodus prouinciæ quotannis à Metropolitano indicatur.*
24. *De obſeruatione præteritorum canonum.*

PRÆFATIO.

AD diuinam gratiam referendum eſt, quando vota principum concordant animis ſacerdotum, vt dum fit pontificale Concilium, normam viuendi teneat recapitulatio antiqua canonum, vel, vt locus tempuſque eſt, in quibuſcumque titulis veteribus adhærens noua conſtitutio ſanctionum. Igitur cùm clemétiſſimus princeps, triumphorum titulis inuictiſſimus, domnus Childebertus rex, pro amore ſacræ fidei, & ſtatu religionis, in Aurelia-

nenſi vrbe congregaſſet in vnum Domini ſacerdotes, cupiens ex ore patrum audire quod ſacrum eſt, vt quod pro Eccleſiaſtico ordine auctoritate promeretur paſtorali, & venientibus ſit norma, & præſentibus diſciplina; quæ conueniat à præſenti tempore in poſterum cuſtodiri, præſtante Deo, ſignanter eſt titulis prænotatum.

CANONES.

I. *Dogmata Eutychetis, vel Neſtorij damnanda.*

Primò itaque nefariam ſectam, quam auctor malè ſibi conſcius, & à viuo ſanctæ fidei catholicæ fonte diſcedens, ſacrilegus quondam condidit Eutyches, vel ſi quà quæ à venefico ſimiliter impio ſunt prolata Neſtorio, quas etiam ſectas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat, ſimiliter & nos eaſdem cum ſuis auctoribus & ſectatoribus execrantes, præſentis conſtitutionis vigore anathematizamus atque damnamus, rectum atque Apoſtolicum in Chriſti nomine fidei ordinem prædicantes.

II. *Neminem à ſacerdote pro leuibus cauſis excommunicandum.*

Vt nullus ſacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus cauſis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres ab Eccleſia arceri iuſſerunt committentes.

III. *De extranearum mulierum, aut etiam propinquarum, familiaritate.*

Vt nullus Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus, extranearum mulierum intra domum præſumat habere ſolatium, quibus etiam pro vtilitate ſua aliqua familiariùs regenda committat. Quod etiam & de propinquis feminis horis indecentibus ſimiliter prohibemus; ne ſub conceſſa ſibi licentia parentali, ab earum ſequipedis memoratorum vita vel opinio polluatur. Quòd ſi Epiſcopus nunc vetita vti ſub quadam præſumptione voluerit, anno vno à Metropolitano, vel à comprouincialibus ſuis ab officio ſuſpendatur. Clerici verò à propriis Epiſcopis, modo qui ſupra ſcriptus eſt, corrigantur.

IV. *Si clericus poſt acceptam benedictionem incontinens inuenitur, deponatur.*

Si quis clericus, poſt acceptam benedictionem cuiuſlibet loci vel ordinis, ad coniugalem torum iam ſibi illicitum denuo redire præſumpſerit, vſque in diem vitæ ab honore accepti ordinis, & ſicut habent antiquorum patrum canones, ab officio deponatur, ei tantummodo communione conceſſa.

V. *Nullus alienum clericum recipere, vel promouere, ſine epiſtola pontificis ſui præſumat.*

Vt nullus clericum ſeu lectorem alienum, ſine ſui ceſſione pontificis, vel promouere, vel ſibi quibuſlibet conditionibus audeat vindicare. Quòd ſi quis hanc conſtitutionem fuerit quacumque præſumptione tranſgreſſus, memoratæ perſonæ ab eo cui ſunt debitæ, ſeu Eccleſiaſtico iure, ſeu proprio, reuocatæ, quia illicita vagatione diſceſſerant, ab honore vel officio ſuſcepto, iuxta arbitrium ſui pontificis, ſuſpendantur. Epiſcopus verò qui ordinauerit, ſex menſibus Miſſas tantùm facere non præſumat.

VI. *Seruum alienum clericum non ordinandum.*

Vt ſeruum, qui libertatem à dominis propriis non acceperit, aut etiam iam libertum, nullus Epiſcoporum abſque eius tantùm voluntate, cuius aut ſeruus eſt, aut eum abſoluiſſe dinoſcitur, clericum audeat ordinare. Quòd ſi quiſquam fecerit, is qui ordinatus eſt à domino reuocetur, & ille qui eſt collator ordinis, ſi ſciens feciſſe probatur, ſex menſibus miſſas tantùm facere non præſumat. Si verò ſæcularium ſeruus eſſe conuincitur, ei qui ordinatus eſt benedictione ſeruata, honeſtum ordini domino ſuo impendat obſequium. Quòd ſi ſæcularis dominus ampliùs eum voluerit inclinare, vt ſacro ordini inferre videatur iniuriam, duos ſeruos, ſicut antiqui canones habent, Epiſcopus, qui eum ordinauit, domino ſæculari reſtituat; & Epiſcopus eum quem ordinauit ad Eccleſiam ſuam reuocandi habeat poteſtatem.

VII. *De manumiſſis in Eccleſia.*

Et quia plurimorum ſuggeſtione comperimus, eos qui in Eccleſiis iuxta patrioticam conſuetudinem à ſeruitio fuerint abſoluti, pro libito quorumcumque iterum ad ſeruitium reuocari; impium eſſe tractauimus, vt quod in Eccleſia Dei conſideratione à vinculo ſeruitutis abſoluitur, irritum habeatur. Ideo pietatis cauſa communi conſilio placuit obſeruandum, vt * quæcumque mancipia ab ingenuis dominis ſeruitute laxantur, in ea libertate maneant, quam tunc à dominis perceperunt. Huiuſmodi quoque libertas ſi à quocumque pulſata fuerit, cum iuſtitia ab Eccleſiis defendatur, præter eas culpas, pro quibus leges collatas ſeruis reuocare iuſſerunt libertates. Iuo Part. xvi. cap 48.

VIII. *Pontifice mortuo nemo in ciuitate, aut per parochias, ordinare clericos, aut altaria audeat conſecrare, vel quicquam auferre.*

Vt in ciuitate, vbi pontifex iure humanæ conditionis obierit, nullus Epiſcopus ante ſubſtitutionem reparati per ordinem ſucceſ-

ſoris, aut in ciuitate, aut per parochias, ordinare clericos, aut altaria audeat conſecrare, vel quicquam de rebus Eccleſiæ, præter humanitatem, præſumat auferre. Quòd ſi quiſquam temerario auſu ſtatuta tranſcenderit, conuentus ab inſtituto pontifice, verecundiæ ſuæ conſulens ſine dilatione ablata reſtituat. Si verò ſuæ voluntatis arbitrio, vel quorumcumque precibus actus, quamcumque perſonam promouere, aut contra interdictum ire pręſumpſerit, anno integro Miſſas tantùm facere non præſumat.

IX. *Nullus ex laicis ante anni conuerſionem Epiſcopus ordinetur.*

Nullus ex laicis abſque anni conuerſione pręmiſſa Epiſcopus ordinetur: ita vt intra anni ipſius ſpatium, à doctis & probatis viris, diſciplinis & regulis ſpiritalibus pleniùs inſtruatur. Quòd ſi hoc quiſquam Epiſcoporum tranſcendere quacumque conditione præſumpſerit, anno integro ab officio vel caritate fratrum habeatur extraneus.

X. *Nulli Epiſcopatum pretio liceat comparare.*

Vt nulli Epiſcopatum pręmiis, aut comparatione liceat adipiſci: ſed cum voluntate regis, iuxta electionem cleri ac plebis, ſicut in antiquis canonibus tenetur ſcriptum, à Metropolitano, vel quem in vice ſua pręmiſerit, cum comprouincialibus pontifex conſecretur. Quòd ſi quis hanc regulam huius ſanctæ conſtitutionis per coemptionem exceſſerit, eum qui per præmia ordinatus fuerit ſtatuimus remouendum.

XI. *Nullus inuitis ordinetur Epiſcopus.*

Item ſicut antiqui canones decreuerunt, nullus inuitis detur Epiſcopus: ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum ciues aut clerici, quod dici nefas eſt, inclinentur. Quòd ſi factum fuerit, ipſe Epiſcopus, qui magis per violentiam, quàm per decretum legitimum ordinatur, ab indepto pontificatus honore in perpetuum deponatur.

XII. *Nulli viuenti Epiſcopo, præter culpabilem, alius ſuperordinetur.*

Nulli viuenti Epiſcopo alius ſuperponatur, aut ſuperordinetur Epiſcopus, niſi forſitan in eius locum, quem capitalis culpa deiecerit.

XIII. *Qui facultates Eccleſiis delegatas ſubtraxerit excommunicetur.*

Ne cui liceat res vel facultates Eccleſiis, aut monaſteriis, vel Xenodochiis, pro quacumque eleemoſyna cum iuſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quod quiſquis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum canonum ſententiis conſtrictus ab

Eccleſiæ liminibus excludatur; quàm diu ab ipſo ea quæ ſunt ablata, vel retenta, reddan tur.

XIV. *Nullus Eccleſiæ alterius loci vel regni res petat, aut præſumat accipere.*

Vt nullus Epiſcoporum, aut cuiuſlibet ordinis clericus, vel alia quęcumque perſona, quibuſlibet conditionibus, ſeu in vno regno, ſeu in alio poſitus, alterius cuiuſcumque Eccleſiæ res aut petat, aut pręſumat accipere. Quòd ſi fecerit, tamdiu habeatur à communióne altaris, vel omnium fratrum ac filiorum caritate ſupenſus, donec ipſi Eccleſiæ, cuius directo ordine iuris eſt, ablata reſtituat.

XV. *De Xenodochio, quod Childebertus rex, cum regina coniuge ſua, Lugduni condidit.*

De Xenodochio verò, quod piiſſimus rex Childebertus, vel iugalis ſua Vltrogotho regina, in Lugdunenſi vrbe inſpirante Domino, condiderunt, cuius inſtitutionis ordinem, vel expenſæ rationem, petentibus ipſis, manuum noſtrarum ſubſcriptione firmauimus; viſum eſt pro Dei contemplatione, iunctis nobis in vnum, permanſura auctoritate decernere, vt quidquid pręfato Xenodochio, aut per ſupradictorum regum oblationem, aut per quorumcumque fidelium eleemoſynam collatum aut conferendum eſt, in quibuſcumque rebus atque corporibus, nihil exinde ad ſe quolibet tempore Antiſtes Eccleſiæ Lugdunenſis reuocet, aut ad ius Eccleſiæ transferat. Vt ſuccedentes ſibi per temporum ordinem ſacerdotes, non ſolùm aut de facultate Xenodochij ipſius, aut de conſuetudine vel inſtitutione nihil minuant: ſed dent operam, qualiter rei ipſius ſtabilitas in nullam partem detrimentum, aut diminutionem aliquam patiatur. prouidentes intuitu retributionis æternæ, vt prępoſiti ſemper ſtrenui ac Deum timentes decedentibus ſubſtituantur, & cura ægrotantium ac numerus, vel exceptio peregrinorum, ſecundum inditam inſtitutionem, inuiolabili ſemper ſtabilitate permaneat. Quòd ſi quis quolibet tempore, cuiuſlibet poteſtatis vel ordinis perſona, contra hanc conſtitutionem noſtram venire tentauerit, aut aliquid de conſuetudine vel facultate Xenodochij ipſius abſtulerit, vt Xenodochium, quod auertat Deus, eſſe deſinat, vt necator pauperum irreuócabili anathemate feriatur.

XVI. *Qui à ſe, vel ab aliis, Eccleſiæ oblata auferre præſumpſerit.*

Quiſquis etiam, aut maiorum, aut mediocrium perſonarum, quodcumque muneris vel facultatis, ſacerdotibus, aut Eccleſiis, aut quibuſlibet locis ſanctis, ſtudio mercedis cum iuſtitia pro Dei contemplatione contulerit, aut ea quæ à parentibus donata noſcuntur

poſtmodum auferre præſumpſerit, ſuperiori ſententia, vt necator pauperum, communione priuetur.

XVII. *Eccleſiæ cauſæ qualiter, & per quos finiantur.*

Placuit etiam, vt ſi quæcumque perſona contra Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ, ſe proprium crediderit habere negotium, priùs ad eum recurrat caritatis ſtudio, vt familiari aditione commonitus, ſanare ea debeat, quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem ſi differre voluerit, tunc demum ad Metropolitani audientiam veniatur. De qua re cùm literàs ſuas Metropolitanus ad comprouincialem Epiſcopum dederit, & cauſa ipſa inter vtroſque quacumque tranſactione amicis mediis non fuerit definita, vt ipſi Metropolitano neceſſarium ſit in eodem negotio iterare reſcriptum, & ſecundò admonitus ſanare, mittere, aut venire diſtulerit, tamdiu à caritate Metropolitani ſui nouerit ſe eſſe ſuſpenſum, donec ad præſentiam eius veniens, cauſæ ipſius, de qua petitur, reddiderit rationem. Quòd ſi patuerit Epiſcopum ipſum contra iuſtitiam fatigatum, is qui eum iniuſta interpellatione pulſauit, anni ſpatio à communione Eccleſiaſtica ſuſpendatur. Si verò Metropolitanus à quocumque comprouinciali Epiſcopo bis fuerit in cauſa propria appellatus, & eum audire diſtulerit, ad proximam Synodum, quæ conſtituetur, negotium ſuum in Concilio habeat licentiam exercendi, & quidquid pro iuſtitia à comprouincialibus ſuis ſtatutum fuerit, ſtudeat obſeruare.

XVIII. *Vocati comprouinciales à Metropolitano, ad Concilium venire teneantur, nec ſine commeatu à Concilio diſcedant.*

Id etiam huic decreto credidimus inſerendum, vt ſi quis de comprouincialibus Epiſcopis à Metropolitano ſuo ad Concilium intra ſuam prouinciam fuerit euocatus, & præter euidentem infirmitatem ad Concilium venire diſtulerit, atque de Synodali conuentu, antequam cuncta conueniant, ſine commeatu Concilij ipſius diſcedere fortaſſe præſumpſerit, ſicut eſt * præcedentibus regulis ſtatutum, ſex menſibus à Miſſarum officio ſuſpendatur. Quòd ſi Concilium faciendum quæcumque neceſſitas illata diſtulerit, à Metropolitano ſuo veniam poſtulans, ad Miſſarum faciendarum gratiam reuocetur.

Conc. Arelat. II. can. 19.

XIX. *De puellis, quæ in monaſteriis offeruntur, vel in domibus propriis conuertuntur.*

Quæcumque etiam puellæ, ſeu propria voluntate monaſterium expetunt, ſeu à parentibus offeruntur, annum in ipſa qua intrauerint veſte permaneant: in his verò monaſteriis, vbi non perpetuò tenentur incluſæ, triennium in ea quà intrauerint veſte permaneant:

& poſtmodum ſecundum ſtatuta monaſterij ipſius in quo elegerint permanere, veſtimenta religionis accipiant. Quæ ſi deinceps, ſacra relinquentes loca, propoſitum ſanctum ſæculi ambitione tranſcenderint, vel illæ, quæ in domibus propriis, tam puellæ, quàm viduæ, commutatis veſtibus conuertuntur, cum his quibus coniugio copulantur, Eccleſiæ communione priuentur. Sanè ſi culpam ſequeſtratione ſanauerint, ad communionis gratiam reuocentur.

XX. *Vt incarcerati à Præpoſitis Eccleſiæ diebus Dominicis viſitentur.*

Id etiam miſerationis intuitu æquum duximus cuſtodiri, vt qui pro quibuſcumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono, ſeu à Præpoſito Eccleſiæ, ſingulis diebus Dominicis requirantur, vt neceſſitas vinctorum ſecundum præceptum diuinum miſericorditer ſubleuetur; atque à pontifice, inſtituta fideli & diligenti perſona, quæ neceſſaria prouideat, competens eis victus de domo Eccleſiæ tribuatur.

XXI. *De ſuſtentandis leproſis.*

Et licet propitio Deo omnium Domini ſacerdotum, vel quorumcumque hæc cura poſſit eſſe fidelium, vt egentibus neceſſaria debeant miniſtrare: ſpecialiter tamen de leproſis id pietatis cauſa conuenit, vt vnuſquiſque Epiſcoporum, quos incolas hanc infirmitatem incurriſſe, tam territorij ſui, quàm ciuitatis agnouerit, de domo Eccleſiæ iuxta poſſibilitatem victui & veſtitui neceſſaria ſubminiſtret, vt non eis deſit miſericordiæ cura, quos per duram infirmitatem intolerabilis conſtringit inopia.

XXII. *De ſeruis qui ad Eccleſiam pro culpa confugiunt.*

De ſeruis verò, qui pro qualibet culpa ad Eccleſiæ ſepta confugerint, id ſtatuimus obſeruandum, vt ſicut in antiquis conſtitutionibus tenetur ſcriptum, pro conceſſa culpa datis à domino ſacramentis, quiſquis ille fuerit egrediatur de venia iam ſecurus. Enimuerò ſi immemor fidei dominus tranſcendiſſe conuincitur quod iurauit, vt is qui veniam acceperat probetur poſtmodum pro ea culpa qualicumque ſupplicio cruciatus; dominus ille, qui immemor fuit datæ fidei, ſit ab omnium cõmunione ſuſpenſus. Iterum ſi ſeruus de promiſſione veniæ datis ſacramentis à domino iam ſecurus exire noluerit, ne ſub tali contumacia requirens locum fugæ, domino fortaſſe diſpereat, egredi nolentem à domino eum liceat occupari, vt nullam, quaſi pro retentatione ſerui, quibuſlibet modis moleſtiam aut calumniam patiatur Eccleſia: fidem tamen dominus, quam pro conceſſa venia dedit, nulla temeritate tranſcendat. Quòd ſi aut gentilis dominus fuerit, aut alterius ſectæ, qui à conuentu Eccleſiæ pro-

batur extraneus, is qui ſeruum repetit, perſonas requirat bonæ fidei Chriſtianas, vt ipſi in perſona domini ſeruo præbeant ſacramenta: quia ipſi poſſunt ſeruare quod ſacrum eſt, qui pro tranſgreſſione Eccleſiaſticam metuunt diſciplinam.

XXIII. *Vt Synodus prouinciæ quotannis à Metropolitano indicatur.*

His itaque Deo propitio conſtitutis, quod præcipuè in omnibus patrum Conciliis habetur ſcriptum, congrua definitione ſancimus, vt intra anni circulum vnuſquiſque Metropolitanus Epiſcopus, iunctis in vnum locum comprouincialibus ſuis, intra prouinciam ſuam ſtudeat habere Concilium: vt aut ſi qua acceſſerint, caritatis emendentur ſtudio; aut ſi pax regulis, vel diſciplina in cunctis Deo adiuuante permanſerit, auctore bonorum omnium Deo de caritate & præſentia gratulentur.

XXIV. *De obſeruatione præteritorum canonum.*

Hæc ergo Deo propitio conſtanter & vnanimiter definita ſeruantes, etiam præteritorum ſtatuta canonum decernimus vt Chriſto auctore deinceps inconuulſa vniuerſa ſeruentur: vt manente concordia, quæ diuina inſpiratione ſalubriter in præſenti tempore definita ſunt, à modo & habeant vigorem, & cuſtodiant caritatem.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

In Chriſti nomine Sacerdos Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi. Notaui ſub die v. Kalend. Nouembris, anno xxxviii. regni domni noſtri Childeberti Regis, Indictione xiii.

In Chriſti nomine Aurelianus Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Eſychius Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis conſtitutionem noſtram, relegi & ſubſcripſi.

Nicetius gratia domini Epiſcopus Triuericæ ciuitatis conſenſum meum, vel domnorum meorum, relegi & ſubſcripſi.

Deſideratus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ ſubſcripſi.

Aſpaſius in Chriſti nomine Eluſæ Epiſcopus conſenſum noſtrum, vel domnorum meorum, relegi & ſubſcripſi.

Conſtitutus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ conſenſi & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Placidus Eccleſiæ Matiſcenſis Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Firminus Epiſcopus Eccleſiæ Vceticenſium conſenſi & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Agricola Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis conſenſi & ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Vrbicus Epiſcopus ciuitatis Veſuntienſis conſenſi & ſubſcripſi.
In Dei nomine Rufus Epiſcopus Eccleſiæ Octodorenſium conſenſi & ſubſcripſi.
Gallus in Chriſti nomine Epiſcopus Aruernæ Eccleſiæ conſenſi & ſubſcr.
Saffaracus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Pariſiacæ ſubſcripſi.
Domitianus Epiſcopus Eccleſiæ Tungrenſis ſubſcripſi.
Eleutherius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcr.
Deſideratus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Veredunenſis ſubſcr.
In Chriſti nomine Grammatius Epiſcopus Eccleſiæ Vindonenſis ſubſcr.
In Chriſti nomine Tetricus Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.
In Chriſti nomine Nectarius Epiſcopus Eccleſiæ Auguſtidunenſis ſubſcr.
Euſebius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Sanctonicæ ſubſcripſi.
Proculeianus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Auſcenſis ſubſcripſi.
Maximus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Cadurcinæ ſubſcripſi.
Bebianus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Agennenſis ſubſcripſi.
Aptonius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Ecoliſnenſis ſubſcripſi.
Deuterius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vincienſis ſubſcripſi.
Lauto in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ, vel Briouerenſis, ſubſcripſi.
Paſſiuus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Sagenſis ſubſcripſi.
Clematius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſię Carpentoratenſis ſubſcr.
Velleſius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vappincenſis ſubſcripſi.
Aregius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.
Hilarius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis ſubſcripſi.
Clementinus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis ſubſcripſi.
Palladius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Telonenſis ſubſcripſi.
Baſilius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Glannatenſis ſubſcripſi.
Auolus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aquenſis ſubſcripſi.
Febediolus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Redonenſis ſubſcripſi.
Gallus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ ſubſcripſi.
Leubenus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis ſubſcripſi.
Theudobaudis in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lexouienſis ſubſcr.
Alodius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Tullenſis ſubſcripſi.
Licinius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Ebroicorum ſubſcripſi.
Medoueus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Meldenſis ſubſcripſi.
Liberius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aquenſis ſubſcripſi.
Amelius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Conuenicæ ſubſcripſi.
Aletius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lactorenſis ſubſcripſi.
Gonotigernus Epiſcopus Eccleſiæ Siluanectenſis ſubſcripſi.
Ægidius Epiſcopus Eccleſiæ Abrincatinæ ſubſcripſi.
Beatus Epiſcopus Eccleſiæ Ambianenſium ſubſcripſi.
Ambroſius Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſſium ſubſcripſi.
Marinus in Chriſti nomine preſbyter directus à domno meo Antonino Epiſcopo Eccleſiæ Auennicæ ſubſcripſi.
Aëtius preſbyter directus à domno meo Magno Epiſcopo Eccleſiæ Cemelenſis & Nicaenſis ſubſcripſi.

Cautinus in Chriſti nomine Archidiaconus directus à domno meo Melanio Epiſcopo Eccleſiæ Albenſis ſubſcripſi.

Vincentius preſbyter directus à domno meo Lucretio Epiſcopo Eccleſiæ Deenſis ſubſcripſi.

Tranquillus in Dei nomine preſbyter directus à domno meo Pappulo Epiſcopo Eccleſiæ Genauenſis ſubſcripſi.

Theodorus preſbyter directus à domno meo Leucadio Epiſcopo Eccleſiæ Baiocenſis ſubſcripſi.

Claudianus diaconus directus à domno meo Fauſto Epiſcopo Eccleſiæ Regenſis ſubſcripſi.

Epiphanius preſbyter directus à domno meo Expectato Epiſcopo Eccleſiæ Foroiulienſis ſubſcripſi.

September in Dei nomine diaconus directus à domno meo Euſebio Epiſcopo Eccleſiæ Antipolitanæ ſubſcripſi.

Optatus in Chriſti nomine Abbas directus à domno meo Prætextato Epiſcopo Eccleſiæ Cabellicæ ſubſcripſi.

Ego Petrus preſbyter directus à domno meo Vindemiale Epiſcopo Eccleſiæ Arauſicæ ſubſcripſi.

Ego Probus in Chriſti nomine diaconus directus à domno meo Gallicano Epiſcopo Eccleſiæ Ebredunenſis ſubſcripſi.

Ego Vitalis preſbyter directus à domno meo Agreſtio Epiſcopo Eccleſiæ Toronnicæ ſubſcripſi.

Ego Vincentius in Chriſti nomine preſbyter, directus à domno meo Leontio Epiſcopo Eccleſiæ Burdegalenſis ſubſcripſi.

Agecius in Chriſti nomine preſbyter directus à domno meo Auolo Epiſcopo Eccleſiæ Segeſtericæ ſubſcripſi.

Bantaredus Archidiaconus directus à domno meo Ruricio Epiſcopo Eccleſiæ Lemouicinæ ſubſcripſi.

Viuentius Archidiaconus directus à domno meo Ambroſio Epiſcopo Eccleſiæ Albigenſis ſubſcripſi.

Eleutherius Archidiaconus directus à domno meo Theodoro Epiſcopo Eccleſiæ Conſoranicæ ſubſcripſi.

Protadius Archidiaconus directus à domno meo Mappinio Epiſcopo Eccleſiæ Remorum ſubſcripſi.

Medulfus Archidiaconus directus à domno meo Gennobaudo Epiſcopo Eccleſiæ Lugdunenſi clauato ſubſcripſi.

Sapaudus Abbas directus à domno meo Albino Epiſcopo Eccleſiæ Andicauenſis ſubſcripſi.

Expliciunt Canones Aurelianenſes, vbi fuerunt Epiſcopi quinquaginta, presbyteri vel diacones, qui in loca Epiſcoporum venerunt, viginti vnus.

VIGILII PAPÆ EPISTOLA VII.

Ad Aurelianum Arelatenſem Conſtantinopoli ſcripta.

Nihil à ſe contra Concilia generalia, Romanorumque pontificum decreta fuiſſe admiſſum. hortatur vt Childeberto Regi ſuggerat, vt ad regem Gothorum ſcribat, ne quid in Eccleſia Romana turbari ſinat.

DILECTISSIMO FRATRI AVRELIANO Epiſcopo Vigilius.

FRATERNITATIS veſtræ literas pridiè Idus Iulias Anaſtaſio deferente ſuſcepimus, & gratias referimus diuinæ clementiæ, quia ſollicitudinem veſtram in fidei cauſa, vel in noſtræ opinione perſonæ, ſacris relegimus conuenire mandatis: vt dignè caritati tuæ verba Dei & conuenienter aptentur, quibus ait: *Elegi te ſacerdotem ex omnibus, vt aſcendas ad altare meum, & portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ.* Neceſſe ergo nobis eſt, caritatis veſtræ ſollicitudinem breui interim, quantum pro temporis qualitate potuerimus, releuare colloquio; quatinus modis omnibus confidatis nihil nos penitus admiſiſſe, quod deceſſorum noſtrorum conſtitutis, vel ſanctæ, quæ vna eademque eſt, fidei quatuor Synodorum, id eſt Nicænæ, Conſtantinopolitanæ, Epheſinæ primæ, atque Chalcedonenſis inueniatur, quod abſit, eſſe contrarium; aut quod ad perſonarum iniuriam pertineat, quæ definitioni eiuſdem ſanctæ fidei ſubſcripſerunt; vel ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum Cæleſtini, Xyſti, Leonis, aliorumque præcedentium atque ſequentium definitis reperiatur aduerſum. Sed à nobis omnibus prædictis Synodis vnam venerationem, vnamque fidei credulitatem indubitabiliter exhiberi: & omnes eos, qui ſupraſcriptas quatuor Synodos in rectitudine fidei non ſequuntur, vel vnam ex ipſis, vel omnes in fide reprobant, aut reprobare, aut iniuriare, vel repudiare nituntur, abiicimus. Sed & ea, quæ in eiuſdem ſanctæ fidei iniuriam verbo dicta, vel reperiuntur ſcripta, anathemarizanda execrandaque iudicauimus, & conſtituimus iudicanda. ſimili pœna plectentes etiam eos, qui fidem B. Cyrilli, quam ſanctæ recordationis Leo prædeceſſor noſter ad prædeceſſores veſtros, aliosque, datis & probauit, & laudauit ſcriptis, & Chalcedonenſis veneranda Synodus legitur protuliſſe, aliorumque patrum, quos Apoſtolicæ Sedis præſules ſuſceperunt atque ſecuti ſunt, execranda ſuperbia impiam vocauerunt. Fraternitas ergo tua, quem Apoſtolicæ Sedis per nos conſtat eſſe Vicarium, vniuerſis Epiſcopis innoteſcat, vt nullis aut falſis ſcriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis, qualibet ratione turbentur: ſed potiùs primi Apoſtolorum, ſicut conuenit, verba ſectentur dicentis: *Aduerſarius veſter diabolus, vt leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide.* & quod item doctor gentium dicit

Synodi v. Collat. 7.

1. Reg. 2. 28.

1. Pet. 5. 8.

Rom.16.17. Apoſtolus : *Rogo autem vos, fratres, vt eos obſeruetis, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* in Domino confidentes. quia ſicut præfati ſumus, ab Apoſtolis fidem traditam, & à prædictis ſanctis quatuor Conciliis declaratam, & à deceſſoribus noſtris, & ab antedictis patribus prædicatam, atque inuiolabiliter cuſtoditam ſincera voluntate tenuimus, tenemus, venerati ſumus, veneramur atque defendimus, & contra eam facientes Apoſtolica auctoritate damnamus. Sed quanta poſſumus per filium noſtrum Anaſtaſium, de his quæ geſta ſunt breuiter nos indicare neceſſe eſt. & cùm nos domnus filius noſter clementiſſimus Imperator, ſicut promiſit, Deo qui cor ipſius tenet iuuante reuerti præceperit, hominem qui vobis ad ſingula ſubtiliter innoteſcat Deo propitio deſtinabimus. Quod ideo adhuc non fecimus, quia & hyemis aſperitas, & Italiæ, quæ vos non latet, neceſſitas præpediuit: donec sereniſſimus princeps, ſicut deſiderat, Domino ſibi auxiliante ſubueniat. Illud quoque credidimus ſperandum, vt quia ſcri-
Prou.18.19. ptum eſt, *Frater fratrem adiuuans exaltabitur*; & ſicut de credentibus in
Act.4.32. Domino Actuum Apoſtolicorum ſcriptura teſtatur, quia erat credentibus in Domino cor vnum & anima vna, vt ſit fraternitas veſtra in hac quoque parte ſollicita, & glorioſo filio noſtro Childeberto regi, quem Chriſtianitatis ſtudio venerationem integram Sedi Apoſtolicæ, cui nos Deus præeſſe voluit, cognouimus exhibere, ſupplicare non deſinas, quatenus in tanta rerum neceſſitate circa Eccleſiam Dei ſollicitudinem ſuam, ſicut & confidimus, Chriſtiana deuotione perſoluat: vt quia Gothi cum rege ſuo in ciuitate Romana perhibentur ingreſſi, hoc ei dignetur ſcribere, ne ſe in Eccleſiæ noſtræ præiudicio, quippe velut alienæ legis, immiſceat, & aliquid faciat, aut fieri qualibet ratione permittat, vnde catholica poſſit Eccleſia perturbari. Dignum enim eſt, & catholico ſicut eſt regi conueniens, vt fidem & Eccleſiam, in qua Deus illum voluit bapti-
1.Reg.2.30. zari, omni debeat virtute defendere. Scriptum eſt enim, *Viuo ego, dicit Dominus, quia glorificantes me glorificabo.* Feſtina ergo, frater cariſſime, vt in ſancta fidei ſinceritate perſiſtens, Eccleſiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum ſacerdotij tibi commiſſa eſt, vel à nobis per Apoſtolicam auctoritatem, vicaria poteſtate mandatur, competenti ſollicitudine, Deo propitiante cuſtodias, & Vicarium te Sedis Apoſtolicæ dignis Deo manifeſtes operibus. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Calend. Maias. Imperante domino noſtro Iuſtiniano PP. Auguſto anno XXIV. P. C. Baſilij V. C. anno IX. Per hominem, quem Anaſtaſius direxit.

De hac Vigilij epiſtola, & de Anaſtaſio, cuius in ea eſt mentio, videnda ſunt quæ narrantur in altera epiſtola Legatariis Francorum inſcripta, quæ ſuo pòſt loco ſubiicietur, anno Chriſti DLII. Childeberti Regis XLI.

CONCILIVM

CONCILIVM ARVERNENSE II.

THEODEBALDO REGNANTE, PAVLO POST Synodum V. Aurelianenſem celebratum; in quo & Synodi eiuſdem canones ſedecim iterum approbati, promulgatique ſunt.

EXTAT *Synodi huius vetus exemplar Toloſæ in Bibliotheca Fuxenſi, quod canones ſedecim continet iiſdem verbis eodemque ordine, quo editi ſunt in Synodo* V. *Aurelianenſi; niſi quòd vltimo loco pro canone* XVI. *Aurelianenſi, qui de Lugdunenſi erat Xenodochio, poſitus eſt canon* XVII. *altero prætermiſſo. Fidem porrò huic Concilio adſtruit, tributoſque olim hos canones etiam Synodo Aruernenſi fuiſſe, docet inter ceteros Gratianus, qui canonem* II. Vt nullus ſacerdos *Synodi Aruernenſis nomine citat, c.* XI. *q.* 3. Nullus ſacerdotum. *& canonem* XII. Vt nullus viuente *Synodo item Aruernenſi tribuit, c.* VII. *q.* 1. *in prologo. In codice præterea Toloſano, præter canones, canonum etiam adſcripta erant breuiaria, quæ nos hoc loco reddenda duximus, ac Titulorum vice ſingulorum canonum initiis præfigenda. Integros enim canones repetere, cùm in Synodo Aurelianenſi legantur, viſum eſt ſuperuacaneum. Adde quòd breuiaria hæc ita concepta ſint, vt canonum ſpeciem præ ſe ferant, ac niſi aliud ſuaderent quæ dicta ſunt, videri poſſit Aruernica Synodus hæc ipſa ſola canonum loco edidiſſe.*

CANONES CVM CANONVM BREVIARIIS.

I. *Nefarias ſectas ſacrilegi Eutychetis & Neſtorij, quas ſancta ſedes Apoſtolica condemnat, nos quoque cum earum auctoribus & ſectatoribus pariter anathematizamus.*

Itaque nefariam ſectam, quam auctor malè ſibi &c.

II. *Nullus quemquam pro paruis & leuibus culpis à communione ſuſpendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres iuſſerunt.*

Vt nullus ſacerdos quemquam rectæ fidei hominem, &c. 11 q 3 Nullus ſacerdos.

III. *Nullus Epiſcopus, vel presbyter, aut diaconus, extranearum mulierum intra domum habeat ſolatium. Similiter prohibemus, ne ſub conceſſa ſibi licentia propinquarum, ab earum pediſequiseorum vita vel opinio polluatur. Quòd ſi contigerit, Epiſcopus anno vno à Metropolitano, vel à*

coepiſcopis, officio ſuſpendatur; clerici verò à propriis Epiſcopis corrigantur.

Vt nullus Epiſcopus, aut preſbyter, vel diaconus, extranearum &c.

IV. *Miniſtri altaris ſi ad coniugalem torum denuo iam ſibi illicitum redire præſumpſerint, vſque in vltimum vitæ ſuæ deponantur, communione tantùm conceſſa.*

Si quis clericus poſt acceptam benedictionem cuiuſlibet &c.

V. *Nullus clericum alienum, ſine ſui conceßione pontificis, ſibi vel vendicare aut promouere audeat. Quòd ſi euenerit, promotus iuxta Epiſcopi ſui arbitrium ab officio ſuſpendatur: qui verò eum promouit, ſeptem menſibus Miſſam facere non præſumat.*

Vt nullus clericum, ſiue lectorem alienum, ſine ſui &c.

VI. *Nullus ſeruum vel libertum abſque domini voluntate clericum ordinet. alioquin is à domino reuocetur; & qui eum ſcienter ordinauit, ſex menſibus Miſſas non faciat. Si verò ſæcularium ſeruus eſt, benedictione ſeruata honeſto ordine domino ſuo ſeruiat. Quòd ſi eum in tantùm inclinauerit, vt ſacro ordini videatur iniuria, ſicut antiqui canones habent, Epiſcopus domino reſtituat, & eum ad ſuam Eccleſiam reuocet.*

Vt ſeruus, qui libertatem à dominis propriis non acceperit, &c.

VII. *Quæcumque mancipia in Eccleſiis à dominis ſuis libertatem perceperunt, libertas eorum ab Eccleſiis cum iuſtitia defendatur, præter eas culpas, quibus leges collatam libertatem reuocant.*

Et quia plurimorum ſuggeſtione comperimus, eos qui &c.

VIII. *Epiſcopo in ciuitate viduata nullus conſecrationem facere audeat, nec in parœciis; nec de rebus Eccleſiæ quicquam præter humanitatem auferat. Quòd ſi fecerit, ſiue ſponte, ſiue coactus precibus vel timore, ſubſtituto Epiſcopo ſatisfaciat, & anno integro Miſſas non faciat.*

Vt in ciuitate, vbi pontifex iure humanæ conditionis, &c.

IX. *Nullus laicus ante annuam conuerſionem Epiſcopus ordinetur, ita vt intra annum diſciplinis & regulis ſpiritualibus inſtruatur. Alioquin ordinator anno vno officio ſuo, & caritate priuetur.*

Vt nullus ex laicis abſque anni conuerſione, &c.

X. *Conſenſu cleri & plebis à Metropolitano, vel quem in vice ſua permiſerit, cum prouincialibus ordinetur Epiſcopus. Is verò qui præmio conſecratus fuerit remoueatur.*

Vt nullus Epiſcoporum quolibet pacto audeat præmiis &c.

XI. *Iuxta antiquos canones, nullus inuitis ordinetur Epiſcopus. ſed nec oppreßione potentium ad conſenſum ciues, aut clerici inclinentur, quod ne-*

fas eſt. Quòd ſi fiat, Epiſcopus violenter, & non legitimo decreto, promotus perpetuò deponatur.

Item, ſicut antiqui canones decreuerunt, nullus inuitis, &c.

XII. *Nullus Epiſcopus Epiſcopo ſuperponatur, niſi ei quem capitalis culpa deiecit.*

Vt nullus viuente Epiſcopo alius ponatur, &c. 7. q. 1. In prologo.

XIII. *Ne cui liceat res Eccleſiæ, vel Xenodochiorum, alienare. Quòd ſi fecerit, tanquam necator pauperum, iuxta antiquos canones, ab Eccleſia excludatur, donec ſatisfaciat.*

Ne cui liceat res vel facultates Eccleſiis, aut monaſteriis, &c.

XIV. *Nullus clericus, vel laicus, alterius cuiuſcumque Eccleſiæ res, vel petat, aut accipiat. Quòd ſi fecerit, altaris communione, & omnium fratrum caritate priuetur, niſi ſatisfaciat.*

Vt nullus Epiſcoporum, aut cuiuſlibet ordinis clericus, &c.

XV. *Qui ſacerdotibus, vel Eccleſiis, vel ſanctis locis, ſuas vel parentum donationes ſubtrahit, vt necator pauperum communione priuetur.*

Quiſquis etiam aut maiorum, aut mediocrium perſonarum, &c.

XVI. *Qui contra Epiſcopum vel actorem Eccleſiæ habet negotium, priùs ab eo caritatis ſtudio ſatisfactionem petat. quam ſi Epiſcopus diſtulerit, & literis à Metropolitano ſecundò admonitus ſatisfacere, vel ad Metropolitanum venire noluerit, ab eiuſdem caritate ſit alienus, donec veniat, & rationem reddat. Quòd ſi putauerit Epiſcopum iniuſtè fatigari, pulſantem anno vno à communione Eccleſiæ priuet. Si verò Metropolitanus à coepiſcopo bis in ſua cauſa fuerit interpellatus, & eum non audierit, in proxima Synodo à coepiſcopis cauſa audiatur, & finiatur.*

Placuit etiam, vt ſi quæcumque perſona contra Epiſcopum, &c.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

HESYCHIVS Eccleſiæ Viennenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Nicetius Eccleſiæ Treuericæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Deſideratus Eccleſiæ Bituricæ Epiſcopus ſubſcripſi.
Aſpaſius Eccleſiæ Eloſenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Agricola Eccleſiæ Cabilonenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Vrbicus Eccleſiæ Veſuntienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Rufus Eccleſiæ Octodorenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Baſilius Eccleſiæ Dinienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Auolus Eccleſiæ Aquenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
Hilarius Eccleſiæ Dinienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Anno Christi 550. Childeberti Regis 39.

CONCILIVM TVLLENSE.

THEODEBALDI REGIS IVSSV, KALENDIS Iuniis in Tullenſium vrbe celebratum, propter moleſtias quas Nicetius Epiſcopus Treuirenſis ab excommunicatis quibuſdam patiebatur.

E XCOMMVNICARAT *ob inceſtas nuptias Francos aliquos Nicetius Treuirorum Antiſtes. Quod illi cùm ægriùs ferrent, & contumelioſiùs agerent in Epiſcopum, indicta eſt Theodebaldi regis nutu Synodus in vrbe Tullenſium, ad eamque vocatus inter cæteros Mappinius Epiſcopus Remenſis. Mapinius, quia Synodi cauſam ignorabat, ire ſe poſſe negauit, niſi certior fieret. Certior igitur à rege iteratis litteris factus eſt, ſed ſeriùs, quàm vt Synodo adeſſe ad diem dictam liceret. Itaque cùm abfuiſſet, abſentiam ſuam Nicetio per epiſtolam excuſauit.*

MAPPINII EPISCOPI REMENSIS EPISTOLA Ad Nicetium Epiſcopum Treuirenſem.

Excuſatoria cur ad Synodum Tullenſem non venerit.

DOMINO SANCTO ET IN CHRISTO beatiſſimo fratri Nicetio Papæ Mappinius Epiſcopus.

Matth. 12. 25. E VANGELICÆ lectionis doctrina teſtatur, regnum in ſe diuiſum ſtare non poſſe. Si hoc de mundi amatoribus, & in terrena cupiditate manentibus, rectè & non immeritò credatur; indubitanter rectiùs de ſacerdotum perſonis ſentitur, ſi diſcordantibus votis ac ſtudiis inter ſe diuidui comprobentur. Aut qua fiducia conditori noſtro, qui nos in vnitate compagis, quod eſt corpus ſuæ Deitatis, viuere præcepit, preces oblaturi ſumus, ſi nos viciſſim à mutua caritate ſeponimus? Vt quodam loco deificus ſermo docet, ſtudere
Prou. 18. 3. nos conuenit, vt frater fratri adiuuans, ſicut ciuitas munita & fortis, inconcuſſo fundamine ſtare poſſit. ſcilicet vt vnius fratris mœſtitiæ omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuiſque nos laboribus ſubleuemus. Pro qua re, piiſſime ac multum diligende domine, & frater, indicamus nos literas filij noſtri domini regis Theodebaldi, excepiſſe, vt in Tullenſium vrbe die Kalendarum Iuniarum adeſſe deberem, nullam cauſam euocationis declarantes. Reciprocante pagina indicauimus nos illuc accedere non debere, quia cauſam conditionemque nos conſtabat ignorare. Iteratis ſcriptis edocuit, beatitudinem veſtram, dum aliquos Francorum pro zelo diuini timoris corripit, ac pro inceſtis con-

ditionibus à communione Eccleſiaſtica remouet, ſcandala ſeu anxietates multimodas ſuſtinere. De qua re non mediocriter ingemiſcimus, quòd nos relatione veſtra ſcire non feceritis, vtrum ex canonica lectione damnentur, an pro paſtorali diligentia corrigantur. Licet nihil noui vos de his rebus inuenire poſſe cognoſcimus, quod priſca patrum ſolertia non potuit reperire: tamen abſurdum eſſe videtur, vt à nobis recipiantur, qui à vobis ſecundum ſeriem canonum Eccleſiaſtica ſeueritate abdicantur. Nouimus enim, ſi ſcienter hoc gerimus, quòd criminibus aliorum miſceamur, ſi ignoranter reatui non ſubdamur. Quapropter ſalutantes caritate debita indicamus, ſimulque ſuademus, vt nos in omnibus participes tam tribulationum veſtrarum incommodis, quàm proſperitatum commodis fieri ſtudeatis. Nam nos, mediante capite noſtro, quod eſt Chriſtus, nullis aduerſitatibus à veſtra anxietate diuellimur, nulliſque aſperitatibus à veſtra caritate diuidimur. De qua re, ſi tamen præſumptioſi non exiſtimus, indicare præſumimus. Decuerat vt veſtra conſolatio pro huiuſmodi conditionibus potiùs, quàm regiæ vocationis, nos conſerere debuiſſet: quia pari modo, ſi nobis aliquid ſimile, quod in poſterum arbitramur poſſe fieri, contigiſſet, ſtatim ad veſtram fraternitatem ſcripta direxiſſemus, vt nos congruo tempore vel loco coràm poſiti videremus. Quamquam parere nos regiis præceptis in bonis rebus, & conueniat, & libeat; tamen non veſtris minus ſcriptis, ſi ſtudio caritatis, non ſupercilio dirigantur deſpectionis: quia amaritudo veſtra dulcedo noſtra eſſe non poterit, nec abiectio veſtra abſque noſtra deiectione conſtabit; & veneratio vobis debita impenſa, à nobis non dinoſcitur procul poſita. Atque vtinam, vt præfati ſumus, caritate ſuadente, ac pagina decurrente, veſtram nobis patefieri decreuiſſetis animorum moleſtiam: cognoueramus, vtrum compatimur moleſtiis veſtris, an delectamur. Nam tacente vt ipſi ſcitis diuina, ſola loquente viro humanitas intelligere poteſt. Hoc tamen pleniùs nouerit veſtra perfectio, ſi ad nos iterata ſcripta domini regis ante quinque, vel ſex dies Kalendarum Iuniarum perueniſſent, in die præfato præſentiam humilitatis noſtræ in locum habueratis conſtitutum.

ADMONITIO AD LECTOREM
De epiſtola ſequenti.

VT ſequentem epiſtolam hoc loco ſubiiceremus, non id ſolùm ſuaſit, quòd mentionem faciat epiſtolæ Vigilij Papæ ad Aurelianum Arelatenſem, quam paulo antè produximus, quodque, cùm ad Francorum legatos ſcripta ſit, ab inſtituto noſtro aliena minimè videatur: ſed hoc etiam in primis permouit, quòd ad illuſtrandam Vigilij rerum hiſtoriam multa contineat, quæ alibi vix occurrant. etſi quod ad illa ſpectat, quæ in S. Petri in Ormiſda baſilica per vim contra illum geſta commemorat, eadem ipſa confirmantur in ipſius Vigilij epiſtola xv. quæ cùm mutila ſit in vulgatis exemplaribus, integra extat in codice MS. S. Mariæ Remenſis, ex quo & hanc quoque noſtram depromſimus.

EPISTOLA LEGATIS FRANCORVM, QVI CONSTANTINOPOLIM proficiſcebantur, ab Italiæ clericis directa.

Qua ſuggerunt, vt Vigilio Papa, & Datio Epiſcopo Mediolanenſi, qui in eadem vrbe ob trium capitulorum controuerſiam ab Imp. Iuſtiniano vexabantur, ſolatio atque auxilio eſſe ſtudeant.

EPISTOLA LEGATARIIS.

ITA ſe in omnibus gentibus Chriſtiana fides gratia diuina operante diffundit, vt quantumlibet quis in iſto ſæculo proficiat, illa magis quæ æterna ſunt per ipſius fidem & amorem cupiat obtinere, ſciens quia in hac vita nemo eſſe perpetuò poteſt, in illa autem, aut in requie, aut in pœnis perpetuis ſit futurus. Et propterea audientes veſtram gloriam ad regiam vrbem in legationem eſſe directam, cognoſcentes etiam per aliquos, qui ſe veſtrî notitiam habere dixerunt, famam & ſapientiam veſtram, hæc vobis de multis quæ acta ſunt, pauca ad inſtructionem quacumque occaſione referenda tranſmiſimus. per quę cognoſcatis perſecutiones & violẽtias, quas illic ſacerdotes catholicæ, & quicumque Eccleſiaſticas regulas ſeruare voluerint, patiuntur. Veniens enim ibi ante ſex annos iſtos beatiſſimus Papa Vigilius, magis autẽ, vt quod verius eſt dicatur, prope violenter deductus, cœperũt ibi ipſum expectare, vt damnationem aliquorum capitulorum faceret, per quam ſancta Synodus Calchedonenſis, quæ fidem catholicam, inſiſtente tunc beatiſſimo Papa Leone, contra diuerſas hæreſes vindicauit, modis omnibus ſolueretur. Sed cùm Papa Vigilius in hac parte non vellet adhibere conſenſum; iam tunc talis violentia facta eſt, vt publicè in conuentu clamarit, Conteſtor quia etſi me captiuum tenetis, beatum Petrum Apoſtolum captiuum facere non poteſtis: poſtea tamen tractatu habito prædictus ſanctus Papa Vigilius ſub aliqua diſpenſatione ipſam cauſam ordinauerit, ſollicitè monendo ne per occaſionem aliquam ſupradicta Synodus pateretur iniuriam. Et quamuis nec hoc quod Papa fecerat adquieuerunt Afri, & Illyriciani, atque Dalmatæ ſacerdotes recipere: tamen cœpit iterum ſæpedictus beatiſſimus Papa Vigilius ad hoc compelli, vt abſolutè ipſa capitula ſine Synodi Calchedonenſis mentione damnaret. Sed Papa non adquieſcens hoc facere, & videns ſe nimiùm ingrauari, dixit tunc ſereniſſimo Principi, veniant hîc fratres noſtri ex omnibus prouinciis quini aut ſeni Epiſcopi, & quicquid ſub tranquillitate tractatu habito omnibus viſum fuerit, cum pace diſponemus: quia ſine conſenſu omnium iſta, quæ & Synodum Calchedonenſem in dubium venire faciunt, & ſcãdalum fratribus meis generant, ſolus facere nullatenus adquieſcam. Miſſi ſunt ergo à clementiſſimo

Principe ad Africam & Illyricum, vt venire Epiſcopi debuiſſent. Sed de Illyrico nullus venire voluit. de Africa verò cùm iam aliqui proximare ciuitati regiæ dicerentur, dixit Papa Vigilius principi, vt ſi ei non ſufficeret illud quod antè decreuerat, redderet, & tamquam de nouo cauſa cum his qui venire nuntiati ſunt tractaretur. Præſtitit igitur Deus, vt hac ratione ſanctus Papa Vigilius Conſtitutum, quod in ipſa cauſa fecerat, publicè in conuentu reciperet, denuntians quia ſi quis Græcorum Epiſcoporum, vſque ad vniuerſalis Concilij tractatum, de iſtis capitulis aliquid feciſſet, aut facientibus adquieuiſſet, à communione Sedis Apoſtolicæ alienus exiſteret: quoniam frequenter ipſi Epiſcopi Græci ad voluntatem principis damnauerant capitula ipſa, vnde cauſa mota eſt, ſed beatiſſimus Papa manus eorum à sereniſſimo Imperatore receperat. Sunt Græci Epiſcopi habentes diuites & opulentas Eccleſias, & non patiuntur duos menſes à rerum Eccleſiaſticarum dominatione ſuſpendi: pro qua re ſecundum tempus, & ſecundum voluntatem principum, quicquid ab eis quæſitum fuerit ſine altercatione conſentiunt. Cùm Afri Epiſcopi, de quibus ſæpiùs dictum eſt, in ciuitatem regiam perueniſſent, cœperunt eis nunc blandimentis, nunc terroribus extorquere, vt præberent in capitulorum damnatione conſenſum. Sed cùm nullatenus eis extorquere potuiſſent, concinnata eſt cauſa ſancto Reparato Epiſcopo Carthaginienſi, quaſi Areobindam Magiſtrum militum à Guntarit tyranno in Africa feciſſet occidi, & ſub hoc colore in exilio deportatus eſt. Hoc videntes alij duo, qui inter ipſos & ſanctitate vitæ, & diuinarum ſcripturarum ſcientia ſunt ornati, ad ſanctam Euphemiam Calchedonem fugerunt, & ibi vſque hodie ſub tanta neceſſitate iacent, vt cùm infirmitate corporis laborantes nec medicum inuenire mereantur, pericula immenſa ſuſtineant. Præfectus verò Africæ, ſi quos inuenit in Africa Epiſcopos, aut cauſas proprias habentes, aut ſimplices vel ignaros, aut venales & paratos ad præmium, collegit & direxit inde vnumquemque. Ex quibus tamen vnus ante iſtos ſeptem annos pro adulteriis ſuis tunc de ciuitate regia cum opprobrio eiectus, & in nauem impoſitus ad Africam eſt directus. Et ecce per quales homines in ſingulis prouinciis ſanctæ Eccleſiæ diſſenſiones & ſcandala generantur. Mittunt etiam ad Carthaginem, & alium in loco ſancti Reparati Epiſcopi, contra omnes regulas, & contra omnia ſtatuta patrum, Epiſcopum ordinari fecerunt: quod cum nimia effuſione ſanguinis, & interitu multorum innocentum hominum feciſſe dicuntur. Conſtantinopoli verò cœperunt iterum beatiſſimum Papam Vigilium compellere, vt ſi Afri, atque Illyriciani, vel Dalmatæ Epiſcopi nollent, ipſe cum Græcis Epiſcopis eadem capitula condemnaret. Sed beatiſſimo Papa Vigilio nullatenus adquieſcente, edicta ex nomine Imperiali tam in Eccleſia Conſtantinopolitana, quàm in diuerſis locis, ſuſpendi fecerunt, per quæ eadem capitula damnarentur. Quo facto, beatiſſimus Papa omnes Epiſcopos admonuit dicens, Quicumque edictis iſtis conſenſum præbere voluerit, ſciat ſe ab Apoſtolicæ Sedis communione ſuſpenſum. Sed & ſanctus Datius Mediolanenſis Epiſcopus conteſtationem omnibus ſub magna vociferatione depoſuit dicens, Ecce ego & pars omnium ſacerdotum, inter quos Eccleſia mea conſtituta eſt,

id eſt Galliæ, Burgundiæ, Spaniæ, Liguriæ, Æmiliæ, atque Venetiæ, conteſtor quia quicumque in edicta iſta conſenſerit, ſupraſcriptarum prouinciarum pontifices communicatores habere non poterit; quia conſtat apud me edicta iſta ſanctam Synodum Calchedonenſem, & fidem catholicam perturbare. De qua re accenſa eſt contra beatiſſimum Papam, & contra Datium Epiſcopum, iracundia principalis; & tanta contra eos agere cœperunt, vt niſi ad Sanctorum baſilicas confugiſſent, ad interitum vitæ peruenerant. Et tamen beatiſſimus Papa Vigilius, nec in baſilica B. Petri ſedes tutas habere meruit. in tantum vt illic Prætor, ad quem fures & homicidæ tantummodo pertinent, mitteretur. Qui cum multitudine militum, ſpatas nudatas & arcus tenſos portantes, ſupradictam baſilicam introiuit. Quo viſo, ſanctus Papa columnas altaris amplexus eſt. ſed ille ferocitate & animo concitatus, primò de altare diaconos eius, & clericos à capillis tentos eiecit; poſtea verò ipſum ſanctum Papam alij à pedibus, alij à capillis & barba tentum crudeliter abſtrahebant. Sed cùm ille altaris columnas non dimitteret, cecidit altare, & columnæ aliquæ fractæ ſunt, & quantum ad ipſos, ibi ſuper ipſum altare in partibus mitti habuit. Sed Deus, qui in talibus anguſtiis ſemper adeſſe dignatur, tam aliquorum ex ipſis militibus, quàm populi, qui ad tumultum venerat, animos ad miſericordiam prouocauit, & cœperunt voces atque ſtridores mittere, & ſic contigit vt iudex iniquitatis, ſupradictus Prætor, cum miniſtris crudelitatis ſuæ territus fugiendo diſcederet. Poſtea tamen ſacramenta accepit beatiſſimus Papa, & ſanctus Datius Epiſcopus, vel omnes qui cum ipſis ad loca ſancta confugerant, quia eis nemo vltrà violentiam faceret, nec inuitis de Eccleſiaſtica cauſa aliquid extorqueret; & ſic interim ſunt egreſſi. Sed & hodie tam ipſis, quàm diuerſis qui in obſequio eorum ſunt, varias inquietudines & moleſtias generant, præmiis clericos & ſeruos eorum immittentes, vt in facie ipſorum ſtantes iniurias eis publicè faciant, & de manſionibus aliquos in obſequio eorum poſitos iactant. ſed illi omnia cum Dei auxilio patienter accipiunt, dummodo nullis præiudiciis ſanctæ Eccleſiæ, nullis nouitatibus præbere videantur aſſenſum. Miſſi ſunt etiam aliqui in prouincias Italiæ, vt ſi poſſent mentiendo aliqua de nomine ipſorum, hoc eſt beatiſſimi Papæ, & ſancti Epiſcopi Datij, odia eis in illis partibus faciant, & in locum eorum alios Epiſcopos, qui nouitatibus conſentiant, ſuadeant ordinari. in tantum vt & vnum Notarium ex ſeruis beatiſſimi Papæ progenitum ſimul ſollicitauerint, qui manum ſancti Papæ imitari dicitur, & quantum comperimus, chartas aliquas de nomine ipſius falſas conſcribi fecerunt, & cum ipſis chartis Stephanum quendam de iis quos ſollicitauerunt, ad Italiam cum legatis Gothorum miſerunt, vt per falſitates & dolos aliquorum animos contra beatiſſimum Papam, quod Deus fieri non permittat, in illis partibus excitare videantur. Vnde rogamus & conteſtamur gloriam veſtram, per futurum Dei noſtri iudicium, quod omnis conditio humana formidat, vt ad prouincias veſtras hæc omnia velociter indicetis, ne aut iſti ſubripiant qui miſſi ſunt, aut Anaſtaſius quidam, quem ſanctus Epiſcopus Aurelianus Arelatenſis ciuitatis ad beatiſſimum Papam ante hoc biennium direxerat, ibidem in Galliis aliqua mentiatur. quia & ipſe, cùm de Conſtantinopoli exire non poſſet, vſus eſt

conſilio,

conſilio, vt promitteret ſe omnium Epiſcoporum Gallicanorum ad damnanda Capitula, pro quibus hæc ſcandala orta ſunt, animos inclinare. cui & præmia plurima dantes, diſtrictè ibi de hoc implendo ſacramenta præſtare fecerunt. & non permiſerunt per eundem Anaſtaſium beatiſſimum Papam, quid in ipſa cauſa ageretur, fratribus ſuis Epiſcopis Gallicanis ſcribere, niſi tantùm de aliis cauſis, & quia fidem catholicam, & quatuor Synodorum reuerentiam, ſecundum traditionem Patrum cuſtodit atque conſeruat. Hæc ergo prudentia veſtra, vt & in iſto ſæculo magnam viciſſitudinem, & in futuro vitam æternam à Deo omnipotente recipiat, ſub omni cautela & celeritate ad Prouinciam dignetur ſcribere; admonendo vt Epiſcopi illarum partium beatiſſimo Papæ, & ſancto Datio Epiſcopo epiſtolas dirigant, conteſtantes ne nouitates aliquas recipere patiantur, & vt animos eorum fraterna conſolatione confirment. Sed & in ciuitate regia, quod poteſtis in ipſa cauſa, maximè ſancto Epiſcopo Datio adeſſe cum Dei auxilio feſtinate, poſtulantes vt eum poſt xv. aut xvi. annos ad ſuam Eccleſiam redire concedat: quia cùm pene omnes Epiſcopi, quos ordinare ſolet, ſicut bene ſcitis, mortui ſint, immenſa populi multitudo ſine baptiſmo moritur. Petite etiam, vt eumdem ſanctum Datium vobis videre liceat, & ab ſe quærere quæ cauſa ſit, quòd tam longo tempore ad Eccleſiam ſuam minimè ſit reuerſus. Sollicici tamen eſſe dignemini, quia ſi qui capitula damnari volunt, fingunt ſe & fidem catholicam vindicare, & Calchedonenſem Synodum venerari cum nobis omnibus; vt qui ignorant intentionem eorum, videantur aliquid iniuſtum expetere. Vos, Chriſtiani & nobiles viri, cauti eſtote, vt quod poteſtis ſacerdotibus Chriſtianæ plebis, qui perſecutionis pondere gemitus de ipſis medullis emittunt, aliquod remedium vel ſolatium videamini præſtitiſſe: quatenus Deus in die retributionis magnam mercedem, & præclara munera pro hac compenſatione retribuat. Hæc enim omnia quædam fideliſſimæ perſonæ de Conſtantinopoli venientes ita acta eſſe veraciter confirmauerunt. Sed & multa crudeliter circa diuerſos diaconos & clericos Romanos, & diaconos & clericos Afros, qui eis conſentire nolunt, acta eſſe vel agi: interdictúque eſſe omnibus Romanis, ne ad beatiſſimum Papam accedant. De quibus omnibus hæc pauca ſub anxietate gloriæ veſtræ feſtinauimus indicare, vt pro remedio animarum veſtrarum cura vobis ſit ſupra omnes actus de iſta cauſa, quæ ſpecialiter Dei eſt, cogitare, vt in die iudicij, ſicut dictum eſt, non offenſam de negligentia, ſed mercedem de bono actu inuenire poſſitis.

Anno Christi 554. Childeberti Regis 43.

PELAGIVS PAPA.

CONCILIVM ARELATENSE V.

SVB SAPAVDO EPISCOPO, DIE III. KALENDAS Iulias celebratum, anno Chriſti DLIV. Pelagij Papæ I. Childeberti Regis XLIII.

Nunc primùm in lucem editum ex codice Eccleſiæ Lugdunenſis.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt oblatæ altaris ab Epiſcopis prouinciæ ad formam Arelatenſis Eccleſiæ offerantur.*
2. *Vt monaſteria ei ſubſint Epiſcopo, in cuius territorio ſita ſunt.*
3. *Abbati longiùs à monaſterio, ſine Epiſcopi permiſſione, vagari non licet.*
4. *Vt presbyter diaconum, vel ſubdiaconum deponere non præſumat.*
5. *Vt monaſteria puellarum ſub cura ſint Epiſcoporum; & Abbatiſſis nihil liceat contra regulam.*
6. *Vt clericis facultates, quas ab Epiſcopo in vſum accipiunt, deteriorare non liceat.*
7. *Vt Epiſcopus alienum clericum, ſine Epiſcopi ſui epiſtola, non ordinet.*

PRÆFATIO.

HANC ſuper omnia curam decet eſſe Pontificis, vt de Eccleſiabus Deo iuuante ſibi commiſſis, tamquam de propria quam regit, cura ſollicitudinéque indeſinenter inuigilet: vt frequentiùs adgregatis Epiſcopis, ſtatuta canonum ſæpiùs relegendo, in eorum animis caritate interueniente commendent, vt quod ſtatutum eſt irreprehenſibiliter debeat cuſtodiri; & ſi quid forſitan ſtatuendum cauſa ſuggeſſerit, vnanimiter obſeruanda decernant. Itaque cùm in Arelatenſe vrbe Epiſcoporum fuiſſet Synodus adgregata pro neceſſariis rebus, rationabile eſſe credidimus, antiquis canonibus non derogantes, pauca tamen pro eorum ordinatu, Deo adiutore, ſubiungere: quibus hoc roboris magis eſſe credidimus, quod à plurimis caritate interueniente conſentientibus, prona voluntate firmatum eſt.

CANONES.

I. *Vt oblatæ altaris ab Epiſcopis prouinciæ ad formam Arelatenſis Eccleſiæ offerantur.*

Vt oblatæ, quæ in ſancto offeruntur altario, à comprouincialibus Epiſcopis non aliter niſi ad formam Arelatenſis offerantur Eccleſiæ. Quòd ſi aliter aliquis facere præſumpſerit, tamdiu ſit à communione, vel à caritate fratrum ſecluſus, quamdiu ipſum coetus Synodalis receperit.

II. *Vt monaſteria ei ſubſint Epiſcopo, in cuius territorio ſita ſunt.*

Vt monaſteria, vel monachorum diſciplina, ad eum pertineant Epiſcopum, in cuius ſunt territorio conſtituta. 18 q. 2. Monaſteria, vel.

III. *Abbati longiùs à monaſterio, ſine Epiſcopi permiſſione, vagari non licet.*

Vt Abbatibus longiùs à monaſterio vagari ſine Epiſcopi ſui permiſſione non liceat. Quòd ſi fecerint, iuxta antiquos canones ab Epiſcopo ſuo regulariter corrigantur.

IV. *Vt presbyter diaconum, vel ſubdiaconum deponere non præſumat.*

Vt presbyter diaconum, vel ſubdiaconum, de ordine deponere neſcio Epiſcopo ſuo non præſumat. Quòd ſi fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, & ille anno integro à communione priuatus, officium implere penitus non præſumat.

V. *Vt monaſteria puellarum ſub cura ſint Epiſcoporum, & Abbatiſſis nihil liceat contra regulam.*

Vt Epiſcopi de puellarum monaſteriis, quæ in ſua ciuitate conſtituta ſunt, curam gerant; nec Abbatiſſæ eius monaſterij aliquid liceat contra regulam facere.

VI. *Vt clericis facultates, quas ab Epiſcopo in vſum accipiunt, deteriorare non liceat.*

Vt clericis non liceat facultates, quas ab Epiſcopo in vſu accipiunt, deteriorare. Quòd ſi fecerint, ſi iunior fuerit, diſciplina corrigatur: ſi verò ſenior, vt necator pauperum habeatur.

VII. *Vt Epiſcopus alienum clericum, ſine Epiſcopi ſui epiſtola, non ordinet.*

Vt Epiſcopus alterius clericum in gradum, ſine epiſtola Epiſcopi ſui, prouehere non præſumat. Quòd ſi præſumpſerit, ille qui ordinatus fuerit, ab honore quem acceperit remotus, quod ei commiſſum eſt agere non præſumat; & is qui eum ſciens ordinauerit, tribus menſibus communione priuetur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Sapavdvs in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis, conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi. Not. ſub die tertio Kalendas Iulias anno xliii. regni domni noſtri Childeberti Regis, Indictione tertia.
Simplicius Epiſcopus Eccleſiæ Saneſienſis ſubſcripſi.
In Chriſti nomine Antoninus Epiſcopus Eccleſiæ Auennicæ ſſ.
In Chriſti nomine Hilatius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis ſſ.
Clementinus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis ſſ.
Prætextatus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Cauellicæ ſſ.
Euſebius in Dei nomine Epiſcopus ſubſcripſi.

Magnus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Cemelenſis cõſtitutioni ſſ.
Auolus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aquenſis ſſ.
In Chriſti nomine Expectatus Epiſcopus Eccleſiæ Foroiulienſis ſſ.
Matthæus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Arauſicæ ſſ.
In C.n. Cyminianus preſbyter miſſus à domno meo Deuterio Epiſcopo ſſ.
Honoratus in C. n. preſbyter miſſus à domno meo Velleſio Epiſcopo ſſ.
Benenatus in Chriſti nomine miſſus à domno meo Baſilio Epiſcopo ſſ.
Seuerus preſbyter in Chriſti nomine Eccleſiæ Telonenſis, miſſus à domno meo Palladio Epiſcopo ſubſcripſi.
Quinidius in Chriſti nomine Archidiaconus miſſus à domno meo Theodoſio Epiſcopo ſubſcripſi.
Liberius in Chriſti nomine Archidiaconus miſſus à domno meo Emeterio Epiſcopo ſubſcripſi.
Claudianus in C. n. diaconus miſſus à domno meo Emeterio Epiſcopo ſſ.
Cyprianus in Chr. n. diaconus miſſus à domno meo Auolo Epiſcopo ſſ.

CHILDEBERTI REGIS CONSTITVTIO, ſiue Conſtitutionis quæ ſuperſunt capita duo.

De abolendis reliquiis idololatriæ, & de ſacrorum dierum feſtiuitatibus caſtè celebrandis.

EPISTOLA CLEMENTISSIMI ET BEATI REGIS noſtri Childeberti data per Eccleſias ſacerdotum, vel omni populo.

CREDIMVS hoc Deo propitio & ad noſtram mercedem, & ad ſalutem populi pertinere, ſi populus Chriſtianus, relicta idolorum cultura, Deo, cui integram promiſimus fidem, in quantum inſpirare dignatus fuerit, purè deſeruire debeamus. Et quia neceſſe eſt vt plebs, quæ ſacerdotis præceptum non ita vt oportet cuſtodit, noſtro etiam corrigatur imperio; hanc chartam generaliter per omnia loca decreuimus mittendam, præcipientes vt quicumque admonitus de agro ſuo, vbicumque fuerint ſimulacra constructa, vel idola dæmonibus dedicata ab hominibus, facto non ſtatim abiecerint, vel ſacerdotibus hæc deſtruentibus prohibuerint, datis fideiuſſoribus non aliter diſcedant, niſi in noſtris obtutibus præſententur, qualiter in ſacrilegis Dei iniuria vindicetur. * Ad nos querimonia proceſſit, multa ſacrilegia in populo fieri, vnde Deus læditur, & populus per peccatum declinet ad mortem. Noctes peruigiles cum ebrietate, ſcurrilitate, vel cãticis, etiam in ipſis ſacris diebus, Paſcha, Natale Domini, & reliquis feſtiuitatibus, vel adueniente die Dominico, bãſatrices per villas ambulare. Hæc omnia, vnde Deus agnoſcitur lædi, nullatenus fieri permittimus. Quicumque poſt commonitionem ſacerdotum, vel noſtrum præceptum, ſacrilegiã iſta perpetrare præſumpſerit, ſi ſeruilis perſona eſt, centum ictus flagellorum vt ſuſcipiat iubemus: ſi verò ingenuus, aut honoratior fortaſſe perſona eſt, *cætera deſiderantur.*

CONCILIVM PARISIENSE II.

IN DOMO ECCLESIÆ, IN CAVSA SAFFARACI Epiſcopi, Childeberto Rege euocante celebratum, ſub annum Chriſti DLV. Pelagij Papæ II. Childeberti eiuſdem Regis XLIV.

DECRETVM SYNODI.

CVM in vrbem Pariſius ad inuitationem domini regis glorioſiſſimi Childeberti veniſſemus, & in vnum poſiti, quæ ad Eccleſiaſticum ordinem, vel fidei catholicæ auctoritatem pertinent, Chriſto adiuuante, quæ erant neceſſaria tractaremus; & ex hoc magis pro ordinanda Eccleſia memoratæ vrbis eius nos dignatio iugiter admoneret, vt vnde ſacerdotem, ſicut deflendum eſt, manifeſta ſiquidem culpa deiecerat, qualiter reparari Dominici gregis paſtor prouidus debuiſſet, pontificalis conuenientia declararet. ob hoc in domo Eccleſiæ vnanimiter reſidentes, geſta, in quibus quondam diſcuſſio Saffaraci Epiſcopi habita fuerat, nobis poſtulauimus recenſeri. Quæ per ordinem relegentes, cùm veniſſemus ad locum, vbi eius confeſſio de crimine tenebatur, quam præſentibus ſanctis ac venerabilibus viris Epiſcopis Medouecho, Leubeno, vel Leubachario Abbate, Hiculfo preſbytero, Æterno Archidiacono, necnon & Caſtricio diacono profeſſus fuerat memoratus quondam Epiſcopus Saffaracus; ipſos denuo interrogantes, ſupraſcripti confeſſionem nobis denuo ore proprio retulerunt. Quod etiam facinus necnon & Epiſcopus Ardaricus à memorati Saffaraci ore ſe etiam veridica aſſertione audiſſe perdocuit: Et quia tanti ac tales viri, quos interfuiſſe diſcuſſioni veridica docet ſcripta relatio, quæque reuera dicta vel agnita ſunt, geſtis teneatur inſcriptum ſanctorum antiſtitum & laudabilium virorum, quos ſtudioſiſſimè indagaſſe oſtendit conſcripta diſcuſſio: tantæ eorum diſcuſſioni vnanimiter præbentes aſſenſum, placere nobis quòd eum in monaſterio duxerunt, præſentibus etiam decretis vnanimiter profitemur. Et quia ſine dubio culpas eius eſſe capi-

tales canonum auctoritate monſtratur, vtique confeſſione propriæ linguæ deiectioni ipſe ſe fecit obnoxium. Igitur tam apertiſſima confeſſione ſecundum ſententiam canonum, quæ de huiuſcemodi
Conc Arelat. V.can.11. tranſgreſſione in Aurelianenſi Synodo nuper habita ſunt decreta, à Metropolitano, cui redigendi actio vel ordinatio de comprouincialibus eius Eccleſiæ manet, in memorata vrbe ſcripta ſeruentur, ac regulariter peragantur; vt diſciplinæ modus maneat, & qui tanto ordini præſunt, adiuuante Chriſto bonæ vitæ auctoritate viuentes, quem ſecundum ordinem ſacrum poſſit is ordinare prouideant, vt nec falſa obiectio culpæ maculet innocentes, & illi qui inuiti & comprobati in culpa fuerint, in nulla diſtrictione habeantur immunes.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

SAPAVDVS in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis ſubſcripſi.
Eſychius Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis ſubſcripſi.
Nicetius Epiſcopus ſubſcripſi.
Probianus Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ ſubſcripſi.
Conſtitutus Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ ſubſcripſi.
Leontius Epiſcopus Eccleſiæ Burdegalenſis ſubſcripſi.
Sinidius Epiſcopus ſubſcripſi.
Placidus Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis ſubſcripſi.
Firminus Epiſcopus Eccleſiæ Vceticæ ſubſcripſi.
Agricola Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis ſubſcripſi.
Tetricus Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.
Auolus Epiſcopus ſubſcripſi.
Clematius Epiſcopus Eccleſiæ Carpentoratenſis ſubſcripſi.
Velleſius Epiſcopus Eccleſiæ Vappincenſis ſubſcripſi.
Lucretius Epiſcopus Eccleſiæ Deenſis ſubſcripſi.
Aridius Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.
Clementinus Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis ſubſcripſi.
Prætextatus Epiſcopus Eccleſiæ Cauellicæ ſubſcripſi.
Agreſtius Epiſcopus ſubſcripſi.
Medouechus Epiſcopus Eccleſiæ Meldenſis ſubſcripſi.
Leubinus Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis ſubſcripſi.
Expectatus Epiſcopus Eccleſiæ Foroiulienſis ſubſcripſi.
Matthæus Epiſcopus Eccleſiæ Arauſicæ ſubſcripſi.
Tetradius Epiſcopus ſubſcripſi.
Vincentius Epiſcopus Eccleſiæ Belicenſis ſubſcripſi.
Megetius Epiſcopus ſubſcripſi.
Syagrius Epiſcopus ſubſcripſi.

PELAGII PAPAE
EPISTOLA I.
Ad Sapaudum Arelatenſem.

Salutatoria, priuſquam à Sapaudo literas acciperet.

DILECTISSIMO FRATRI SAPAVDO PELAGIVS.

QVæ nobiſcum omnipotentis Dei gratiâ fuerit operata, ad caritatem tuam credimus fuiſſe perlatum. pro qua re ad nos deſtinari conuenerat, vt viſitatione communi magno inuicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternæ memores caritatis, præſentium portitorum occaſione reperta, officium fraternæ ſalutationis impendimus, optantes vt alterna in timore Domini caritate viuentes, mutuo frequenter refoueamur alloquio. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data IV. Nonarum Iuliarum, anno XV. P.C. Baſilij V.C.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Sapaudum Epiſcopum Arelatenſem.

Modeſtè laudes reijcit, quibus illum Sapaudus in literis ſuis ornarat.

DILECTISSIMO FRATRI SAPAVDO PELAGIVS.

FRATERNITATIS veſtræ grata nobis colloquia Felice viro honeſto deferente ſuſcepimus. quibus recenſitis, communi Domino ac Deo noſtro inſufficientes gratias egimus, quia dilectionis tuæ incolumitatem, quæ nobis eſt deſiderabilis, eorum reſtificatione cognouimus. Ea autem quæ in noſtris laudibus facundia oris veſtri diſſeruit, quamquam vos congruentem vobis rem feciſſe manifeſtum ſit, nos tamen nihil noſtrum ex omnibus quæ dicta ſunt agnoſcentes, verecundiam magis incurrimus, illud doctiſſimi viri ad animum producentes, qui dixit, Sicut vera laus ornat, ſic falſa caſtigat. Multùm enim vitæ noſtræ ac morum verba caritatis veſtræ menſuras excedunt. Optamus tamen, vt ſanctorum omnium precibus & veſtris orationibus faciat nos Deus tales exiſtere, quales vos eſſe ex bona voluntate pinxiſtis. Atque ideo ſalutantes debito caritatis affectu, indicamus nos, inuenta ante hoc paruum tempus occaſione quorumdam de prouincia veſtra Romam venientium, tanto amoris veſtri feruore fuiſſe ſuccenſos, vt impatienter ferremus huiuſmodi opportunitatem ſilentio præterire. Scribentes namqueglorioſiſſimo communi filio Childeberto regi, etiam ad caritatem tuam literas, quales ſub breuitate temporis potuimus dictare, tranſmiſimus.

Quædam autem nobis, ſicut ſcripſiſtis, proprio ore literarum veſtrarum in compendio portitor intimauit, quæ nos non mediocriter permouerunt; admirantes nimirum qua ratione tam noua res fuerit vſurpata: & neceſſe habemus ſolliciti eſſe, vt ſi quis venerit, non facilè nobis, tamquam ignaris, ſubripere aliquid videatur. Meliùs tamen fraternitas tua faciet, ſi cognoſcens illos, quos ſuſpicamini ad nos eſſe venturos, etiam vos perſonam inſtructam ex omni parte dirigatis, quæ eis poſſit obſiſtere: quia cùm epiſtola veſtra nihil de cauſa contineat, ſi hic, qui nobis modò ex voluntate veſtra verbo ſuggeſſit, tunc apud nos nequeat inueniri, videbimur nos accuſatoris officium ſuſcepiſſe. Quòd ſi à tua caritate perſona dirigitur, noſtrum eſt, & pro affectu quem vobis impendimus, & pro rei geſtæ nouitate, ſalua æquitate competentem illi, quem dilectio tua miſerit, præbere fauorem. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data XVI. Kalendas Octobris, anno XV. P.C. Baſilij V.C.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA III.
Ad Childebertum Regem.

Anathema dicit ijs, qui de fide aliter ſentiunt, quàm in epiſtolis Leonis, & in Concilio Calchedonenſi continetur. Reliquias Sanctorum mittit per Hominem-bonum Subdiaconem.

DOMINO FILIO GLORIOSISSIMO ATQVE præcellentiſſimo Childeberto regi Pelagius Epiſcopus.

RVFINVS vir magnificus, legatus excellentiæ veſtræ, nobis dixit, quod & in prouinciis Galliarum quidam ſemina ſcandalorum ſparſerunt, dicendo quid cōtra fidem catholicam, quod Dominus non patiatur, admiſſum. Et quamuis à tranſitu diuæ memoriæ Theodoræ Auguſtæ nullas de fide quæſtiones Eccleſia Dei in partibus Orientis Deo miſerante formidet; ſed quædam capitula extra fidem fuerint agitata, de quibus longum eſt vt epiſtolari poſſint complecti ſermone: hoc breuiter, ſecundum admonitionem præfati magnifici viri Rufini, ad ſanandum animum veſtrum, vel omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum in Galliæ regionibus conſiſtentium, faciendum eſſe proſpeximus: dicentes anathematizare nos, & alienos ab æternæ vitæ præmiis iudicare, quicumque ab illa fide, quam beatæ recordationis Papa Leo in ſuis epiſtolis prædicauit, & quam Calchedonenſe Concilium, ſequens eumdem Præſulem, edita definitione ſuſcepit, in vna ſyllaba, aut in vno verbo, vel in ſenſu, errauit vel errauerit aliquando, aut declinauit vel declinauerit aliquando. Quibus ſe ita habentibus, non attendat celſitudo veſtra, nec fratres noſtri Epiſcopi, fabulas eorum hominum, qui ſcandalis delectantur. quoniam hæc ipſa ita contigerunt, vt cùm pater veſter clementiſſimus Imperator omnes hæreſes, quæ Conſtantinopoli Epiſcopos ſuos & Eccleſias, cum magnis reditibus & vaſorum diuerſitate, vſque ad

tempora Imperij eius habuerunt, euerterit, & ſublatis baſilicis eorum atque reditibus, omnibuſque aliis rebus, catholicis tradiderit. Hi ergo qui in ipſis erroribus remanſerunt, conglobati ſunt in vnum, & agunt vehementer, qualiter Eccleſiam catholicam ſcindant atque perturbent. Nam & huc in Italiam, quamdiu nos in Conſtantinopoli fuimus, de nomine noſtro chartas mittebant, dicendo quaſi nos dixerimus fidem catholicam fuiſſe corruptam. Nunc verò etiam contra nos afferunt huc chartas tacitis nominibus, vt neſciatur quis eas miſit. Sed ſic faciunt Chriſtiani qui in Conſtantinopoli ſunt, dum eos conſtet non eſſe Chriſtianos. Maximè tamen Neſtorianæ hæreſis homines, pro eo quòd Neſtorius duas naturas in Chriſto ſeparatas quidem & diuiſas adſtruxerit, fraudulenter moliuntur dicere non longè ab intellectu eſſe Calchedonenſis Synodi, & Papæ Leonis, dum Neſtorium pro eo quòd diuiſas duas naturas aſſereret, ipſo dogmate beati Papæ Leonis conſtat eſſe damnatum. Hæc breuiter inſinuanda eſſe excellentiæ veſtræ curauimus, vt ille ardor fidei veſtræ, & vnitatis amor, non alicuius peruerſi hominis fabulas, aut chartas ſuperfluas permittat attendi. quia & hîc ſimplices aliquos Epiſcopos, & neſcientes prima elementa fidei ſollicitauerunt, vt nec rationem ipſam intelligant, nec diſcernant quantum ſit bonum à fide catholica non errare; ſed ſi qua ſunt alia, quibus crimen ab hæreticis patitur ſancta Eccleſia, refutare. Quis enim patiatur, vt Neſtorij, vel ſectatorum eius blaſphemias, pro eo quòd duas naturas in Chriſto ſeparatas, id eſt diuiſas eſſe adſtruxerit, catholicæ fidei exiſtimet concordare? Vt autem nos diu tribulationes Conſtantinopoli pateremur, illa res fecit, quam breuiter ſuperius tetigimus; quoniam viuente Auguſta, quidquid in Eccleſiaſticis cauſis mouebatur, ſuſpectum habuimus. Nam pater veſter clementiſſimus Imperator, & beati Papæ Leonis dogma, & Calchedonenſis Synodi fidem nullomodo vnquam patitur violari. Reliquias verò tam beatorum Apoſtolorum, quàm ſanctorum Martyrum, iam quidem per ſeruos Dei monaſterij Lirinenſis direximus. Sed & nunc quas legati veſtri popoſcerunt nos miſiſſe ſignamus, deputantes Hominem-bonum Subdiaconum ex clero Eccleſiæ noſtræ, à quo vſque ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Sapaudum iubente Domino deferantur. Data III. Idus Decembres, anno XV. P.C. Baſilij V.C. per Rufinum legatum.

SVBSCRIPTIO.

Pelagius miſericordia Dei Epiſcopus Eccleſiæ catholicæ vrbis Romæ exemplari epiſtolæ noſtræ ſubſcripſi.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA IV.
Ad Sapaudum Epiſcopum Arelatenſem.

Commendat illi reditum Hominis-boni ſubdiaconi, atque vt Placido patri ſuô ſuggerat de comparandis, Romamque mittendis veſtibus, quæ in pauperes erogentur.

DILECTISSIMO FRATRI SAPAVDO PELAGIVS.

Pelagij epiſt. 8.

QVIA legati filij noſtri glorioſiſſimi regis Childeberti beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum ſanctorum Martyrum reliquias popoſcerunt, neceſſe habuimus Hominem-bonum ſubdiaconum de clero noſtro dirigere, qui eas vſque ad fraternitatem tuam cum reuerentia deportaret. Et ideo ſalutantes hortamur, vt quæſita occaſione, ſiue naui, ſiue terreno, cum talibus perſonis, de quibus nulla periculi poſſit eſſe ſuſpicio, ad nos eum iuuante Domino remittatis. Ea autem, quæ pro honore caritatis tuæ à nobis ſupradicti legati popoſciſſe noſcuntur, parati ſumus Deo iuuante concedere. Sed niſi literas tuas per te acceperimus, ſicut etiam deceſſores noſtri poſtulantibus tuis deceſſoribus præſtiterunt, ſuperfluum iudicauimus vltro tranſmittere. Sed mox ad nos, iuuante Domino, vnum de clero tuo cum literis direxeris, ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, promittimus nos eſſe facturos. Præterea hortamur, vt viro magnificentiſſimo filio noſtro, Patricio Placido genitori tuo dicas, vt quod de penſionibus poſſeſſionum Eccleſiæ noſtræ collectum eſt, aut per ſuum hominem, aut per harum nobis dignetur dirigere portitorem: quia Italiæ prædia ita deſolata ſunt, vt ad recuperationem eorum nemo ſufficiat. Et ſi poſſibile eſt, vt nobis de ipſis ſolidis ſaga tomentacia, quæ pauperibus erogari poſſint, & tunicas albas, aut cucullas, vel colobia, aut ſi quæ aliæ ſpecies in Prouincia fiunt, quæ pauperibus, vt diximus, erogari debeant, nobis exinde facite comparari, & opportunitate nauis inuenta dirigite, vt maximas fraternitati tuæ gratias referamus, dum in huiuſmodi ſollicitudinem noſtram prouidentia caritatis tuæ releuari contigerit. Hortamur etiam, vt Anaſtaſium fratrem Pauli defenſoris Eccleſiæ ad nos faciatis occurrere. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data XIX. Calendas Ianuarias, anno XV. P.C. Baſilij V.C.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA V.
Ad Sapaudum Arelatenſem.

Vices illi ſuas in Gallia delegat, palliique vſum impertitur.

DILECTISSIMO FRATRI SAPAVDO PELAGIVS.

MAIORVM noſtrorum, operante Dei miſericordia, cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari, caritati tuæ per vniuerſam Galliam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui diuina gratia præſidemus, vices iniungimus. Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana teſtantur ſcrinia à ſanctis patribus & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum: vt illius ſtabilis petræ ſempiterna ſoliditas, ſupra quam Dominus Saluator noſter propriam fundauit Eccleſiam à ſolis ortu vſque ad occaſum, primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum auctoritate, tam per ſe, quàm per vicarios ſuos, firmiter obtineret. *Nos autem,* ſicut dicit B. Apoſtolus, *non in immenſum gloriamur, ſed ſecundum menſuram regulæ, qua menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi vſque ad vos. Nec enim quaſi non pertingentes ſuperextendimus nos.* Sic ergo participata ſollicitudine ſanctam Dei vniuerſalem Eccleſiam noſtri per Dei gratiam rexere maiores. Hinc eſt quòd & nos fraternitati tuæ huiuſmodi curas iniungimus, vt ſedis noſtræ vicarius inſtitutus, ad inſtar noſtrum in Galliarum partibus primi ſacerdotis locum obtineas; & quidquid ad gubernationem vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis patrum regulis, & ſedis Apoſtolicæ conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes; talemque te in cuſtodiendis canonibus ſancta conuerſatione demonſtres, qualem tanti loci decet eſſe vicarium. memor ſententiæ B. Pauli Apoſtoli, qua Timotheum diſcipulum ſollicitè magiſter informat dicens: *Teſtor coram Deo & Chriſto* IESV, *& electis Angelis eius, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando.* Vt erogetur, cariſſime frater, auctoritas pontificis, & paſtoris manſuetudo, per nos tibi locum Vicarij, ſicut & deceſſoribus tuis noueris gratiæ largitate conceſſum. Quia licet apud Deum non ſit acceptio perſonarum, tuam tamen caritatem etiam carnali generatione conſtat eſſe præclaram. Et ideo conuenit, vt quanto in te Dominus multiplicia bona largitus eſt, tanto in ſacerdotalibus actibus probitatem morum exhibeas clariorem. Scriptum eſt enim, *Cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Vſum quoque pallij tibi alacriter, affectioſéque concedimus; pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci faſtigio conſtitutus, præclaro quoque habitu decoreris. ſcituris omnibus Eccleſiaſtici gradus hominibus, nullam haberi licentiam, ſine formata tuæ caritatis, ex quacumque Galliarum parte longiores petere regiones; ne prohibita præſumentes ipſi ſe proprio videantur priuare officio. Hæc igitur per Flauianum diaconum, & Neſtorium ſubdiaconum Eccleſiæ tuæ, per quos epiſtolas tuas accepimus, ſcribenda eſſe curauimus. In quorum etiam conuerſatione laudabile tuæ caritatis agnouimus inſtitutum. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data III. Nonas Februar. anno XVI. P. C. Baſilij V. C.

Pelagij epiſt. 6.
2 Cor. 10. 13. 14.
1. Tim. 5. 21.
Luc. 12. 48.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad Childebertum Regem.

Significat ſe vices ſuas, & pallij vſum Sapaudo conceſſiſſe, quem regi commendat.

DOMINO FILIO MERITO GLORIOSISSIMO atque præcellentiſſimo Childeberto regi Pelagius.

Pelagij epiſt. 7.

EXCELLENTIÆ veſtræ literas, poſt illas quas legati veſtri detulerunt, etiam per eos, quos frater & coepiſcopus noſter Sapaudus ad nos direxit, reuerenter accepimus, & ſalutis veſtræ, quæ nobis ſemper optanda eſt, cognoſcentes indicia, gratias diuinæ pietati retulimus, exorantes clementiam eius, vt vos largiflua pietate ſua ſeruet incolumes. Literas autem noſtras præfato conſacerdoti noſtro Sapaudo ſecundum petitionem veſtram direximus, vſum pallij pariter concedentes: quia in ſcrinio Eccleſiaſtico huiuſcemodi exempla reperimus, quibus oſtenditur Arelatenſibus Epiſcopis à ſanctæ recordationis deceſſoribus noſtris hæc fuiſſe collata. Propterea ſalutantes cultu regalibus infulis debito, poſtulamus vt ita eum atque Eccleſiam eius gratia excellentiæ veſtræ tueatur ac foueat, ne quem per vices noſtras augeri propitiante Deo poſtulaſtis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum ſacerdotum, vel cuiuſlibet ordinis Eccleſiaſtici perſonæ, quod non oportet, contemptibilis habeatur; & in eo auctoritati ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & genio veſtro, qui pro eo ſuffragatores acceditis, quod abſit, videatur in aliquo derogari. Perincolumem excellentiam veſtram Deus noſter cuſtodiat, Domine fili glorioſiſſime atque præcellentiſſime.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA VII.
Ad Childebertum Regem.

De Sapaudo Arelatenſi, qui contra ſedis ſuæ priuilegium alterius Epiſcopi iudicium ſubire iuſſus fuerat.

DOMINO FILIO GLORIOSISSIMO ATQVE præcellentiſſimo Childeberto Regi, Pelagius.

Pelagij epiſt. 11.

CVM celſitudini veſtræ multa dona miſericordia diuina contulerit, pro amore tamen, quem Eccleſiæ eius ſinceriter exhibetis, fecit vos multis regnantibus clariores: quoniam inter alias regni veſtri curas pro tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ præcipuam ſollicitudinem vos certum eſt exhibere. Quæ cùm ita ſint, miramur quia, quantum nobis præſentium portitorum ſuggeſtio patefecit, paſſi eſtis ſubripi vobis, Sapaudum fratrem & coepiſcopum noſtrum,

Arelatenſis ciuitatis Antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis primatus priuilegio & ſedis Apoſtolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati, in iudicium ſequentis ciuitatis Epiſcopi, quod nulla Eccleſiaſtica lege vel ratione conceditur, iudicandum iubeteris occurrere; vt ipſo deconculcato loci ſui præiudicio conquerente, illum qui vſurpauit neceſſe ſit de illicita præſumptione culpari. Pro quibus, Chriſtianitatis veſtræ confidentia freti, paterno ſtudio poſtulamus, vt ſi quid tale factum eſt, congrua ſatisfactione celeriter amputetur, nec vllum ſui exemplum in perturbatione Eccleſiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur. Et huiuſmodi cauſis ſollicitam vos in reliquo decet exhibere cautelam, ne quid contra Eccleſiaſticas regulas petentibus concedatis. quia quod bene cognitum eſt religioſæ menti veſtræ, non aliter Deo noſtro recte poteſt regalis deuotio famulari, niſi prouidentia eius Eccleſiaſticorum ordinum ſeruetur integritas. Incolumitatem excellentiæ veſtræ Deus noſter cuſtodiat, Domine fili glorioſiſſime atque præcellentiſſime. Hincmarus epiſt. 11. c. 15.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA VIII.

Ad Sapaudum Arelatenſem.

De epiſtola ſua, quam de fide catholica ad regem antea ſcripſit. Commendat Romanos, qui hoſtium metu eò confugerunt. iterumque de veſtibus in Vrbem mittendis.

DILECTISSIMO FRATRI SAPAVDO PELAGIVS.

TANTA nobis eſt circa perſonam tuæ fraternitatis affectio, vt nullas occaſiones tranſire ſilentio patiamur. Denique veniente illuc Petro Vrbis negotiatore præſentia curauimus ad fraternitatem tuam ſcripta dirigere, deſiderantes vt de incolumitate quoque viciſſim datis opportunitatibus agnoſcamus. Atque ideo ſalutantes fraterno caritatis amore indicamus propitiante Domino circa nos omnia proſperè geri. Et hortamur, vt ſi epiſtola, quam per diaconum atque ſubdiaconum fraternitatis tuæ ad excellentiſſimum filium noſtrum Childebertum regem direximus; in qua de inſtitutis beatiſſimorum patrum noſtrorum fidem catholicam noſtro per Dei gratiam ſermone depromſimus, tam ipſi glorioſiſſimo regi, quàm caritati tuæ, vel aliis fratribus coepiſcopis noſtris placuit, reſcripto tuæ caritatis celeriùs agnoſcamus. Præterea commendamus ſpecialiter dilectioni tuæ Romanos, qui hoſtilitatis metu confugerunt, vt ſolatium fraternitatis tuæ, & continentiam, qualem peregrinatio eorum poſcit, inueniant. quos etiam filio noſtro magnificentiſſimo viro Patricio Placido, genitori tuo, ex noſtra perſona volumus commendari: vt in ſua continentia recognoſcant quantum apud caritatem tuam eis commendatio noſtra profuerit. Sed & illud Pelagij epiſt. 15. Epiſt. 3. Rufinus.

ad commemorationem tuæ fraternitatis adducimus, vt ſicut iampridem ſcripſimus, veſtes quæ pauperibus erogentur, id eſt cucullas, & tunicas, atque ſaga, de eo quod pro penſionibus Eccleſiaſticarum poſſeſſionum nobis domnus filius noſter Placidus directurus erat, comparari faciatis, & ad portum Romanum, Deo propitiante, dirigere; quatenus ſollicitudinem noſtram ex parte aliqua releuetis: quia tanta egeſtas & nuditas in ciuitate iſta eſt, vt ſine dolore & anguſtia cordis noſtri homines, quos honeſto loco natos idoneos noueramus, non poſſimus adſpicere. Deus te incolumem cuſtodiat, frater cariſſime. Data Idibus Aprilis, anno XVI. P.C. Baſilij V.C.

PELAGII PAPÆ EPISTOLA IX.

Ad Childebertum Regem.

Mittit confeßionem fidei ſuæ, monetque vt caueat ne qua in Galliis per hæreticos excitari diſcidia ſinat.

DOMINO FILIO GLORIOSISSIMO ATQVE præcellentiſſimo Childeberto regi Pelagius Epiſcopus.

Pelagij epiſt. 16. Matth. 18. 14. HVMANI generis Saluator ac Dominus, diſcipulos ſuos docens, ait: *Non eſt voluntas patris veſtri, qui in cœlis eſt, vt vnus ſaltem pereat de puſillis:* de quibus nec ſcandalizari quemquam ſine magni aſſerit comparatione ſupplicij. Cùm igitur etiam de puſillis iſta forma præcepti ſit, quanto nobis ſtudio ac labore * ſatagendum eſt, vt pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus; quibus nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ ſcripturæ præcipiunt? Veniens etenim Rufinus vir magnificus, legatus excellentiæ veſtræ, confidenter à nobis, vt decuit, poſtulauit, quatenus vobis aut beatæ recordationis Papæ Leonis tomum à nobis per omnia conſeruari ſignificare debuiſſemus, aut propriis verbis noſtræ confeſſionem fidei deſtinare. Et primam quidem petitionis eius partem, quia facilior fuit, mox vt dixit impleuimus; meque in omnibus prædicti Præſulis tomum pro catholicæ fidei aſſertione conſcriptum, Deo propitio, cuſtodire manus noſtræ ad vos profeſſione ſignauimus. Vt autem nullius deinceps, quod abſit, ſuſpicionis reſideret occaſio, etiam illam aliam partem, quam memoratus vir illuſtris Rufinus admonuit, facere maturaui; ſcilicet propriis verbis confeſſionem fidei, quam tenemus, exponens. Definitiones quoque de eadem catholica fide, quæ in quatuor ſanctis Conciliis ſtatutæ ſunt, ſed & memorati pontificis, quas vniuerſalis ſemper tenuit ac tenet Eccleſia, nos cum Dei auxilio tenere atque defendere præſenti ad excellentiam veſtram colloquio intimandum neceſſariò iudicaui.

25. q. 1. Satagendum.

FIDES PAPÆ PELAGII.

Credo igitur in vnum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum: Patrem ſcilicet omnipotentem, ſempiternum, ingenitum: Filium verò ex eiuſdem Patris ſubſtantia vel natura genitum ante omne omnino vel

temporis, vel cuiuſquam initium, de omnipotente omnipotentem, æqualem, conſempiternum & conſubſtantialem genitori. Spiritum quoque ſanctum omnipotentem, vtrique, Patri ſcilicet ac filio æqualem, conſempiternum, atque conſubſtantialem; qui ex Patre intemporaliter procedens, Patris eſt filiique ſpiritus. Hoc eſt tres perſonas, ſiue tres ſubſiſtentias vnius eſſentiæ, ſiue naturæ, vnius virtutis, vnius operationis, vnius beatitudinis, atque vnius poteſtatis. vt trina ſit vnitas, & vna ſit Trinitas, iuxta vocis Dominicæ veritatem dicentis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Matth. 28. In nomine, inquit, non nominibus, vt & vnum Deum per indiſtinctum diuinæ eſſentiæ nomen oſtenderet, & perſonarum diſcretionem ſuis demonſtratam proprietatibus edoceret. quia dum tribus vnum Deitatis nomen eſt, æqualitas oſtenditur perſonarum; & ruſus æqualitas perſonarum nihil extraneum, nihil accedens in eis permittit intelligi. ita vt & vnuſquiſque eorum verus perfectuſque ſit Deus: videlicet ex plenitudine diuinitatis nihil minus in ſingulis, nihil amplius intelligatur in tribus. Ex hac autem ſancta, & beatiſſima, atque conſubſtantiali Trinitate, credo atque confiteor vnam perſonam, id eſt Filium Dei, pro ſalute humani generis nouiſſimis temporibus deſcendiſſe de cœlo, nec patriam ſedem, nec mundi gubernacula relinquentem; & ſancto Spiritu ſuperueniente in beata Virgine Maria, atque obumbrante ei virtute altiſſimi, eumdem Verbum ac Filium Dei in vtero eiuſdem ſanctæ Virginis Mariæ clementer ingreſſum, & de carne eius ſibi vniſſe carnem, anima rationali & intellectuali animatam. nec ante creatam eſſe carnem, & poſtea ſuperueniſſe filium Dei: ſed, ſicut ſcriptum eſt, Sapientia ædificante ſibi domum, mox carnem in vtero virginis, Prou. 9. 1. mox Verbi Dei carnem factam, exindeque ſine vlla permutatione, aut conuerſione Verbi carniſque naturæ, Verbum ac Filium Dei factum hominem vnum in vtraque natura, diuina ſcilicet & humana, Christum Iesvm Deum verum, eumdemque verum hominem proceſſiſſe, id eſt natum eſſe, ſeruata integritate maternæ virginitatis: quia ſic eum Virgo permanens genuit, quemadmodum Virgo concepit. Propter quod eamdem beatam Virginem Mariam Dei genitricem veriſſimè confitemur. peperit enim incarnatum Dei Verbum. Eſt ergo vnus atque idem Iesvs Chriſtus verus filius Dei, & idem ipſe verus filius hominis, perfectus in Deitate, & idem ipſe perfectus in humanitate; vt pote totus in ſuis, & idem ipſe totus in noſtris. Sic per ſecundam natiuitatem ſumens ex homine matre quod non erat, vt non deſiſteret eſſe quod per primam, qua ex patre natus eſt, erat. Propter quod cum ex duabus, & in duabus manentibus indiuiſis, inconfuſiſque credimus eſſe naturis. Indiuiſis quidem, quia & poſt aſſumptionem naturæ noſtræ vnus Chriſtus filius Dei permanſit & permanet: inconfuſis autem, quia ſic in vnam perſonam atque ſubſiſtentiam adunatas credimus eſſe naturas, vt vtriuſque proprietate ſeruata neutra conuerteretur in alteram. Ac propterea, ſicut ſæpe diximus, vnum eumdemque Chriſtum eſſe verum filium Dei, & eumdem ipſum verum filium hominis confitemur, conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, conſubſtantialem nobis eumdem ſecundum humanitatem. per omnia nobis ſimilem abſque peccato: paſſibilem carne, eumdem ipſum im-

paſſibilem Deitate. Quem ſub Pontio Pilato ſponte pro ſalute noſtra paſſum eſſe carne confitemur, crucifixum carne, mortuum carne, reſurrexiſſe tertia die glorificata & incorruptibili eadem carne, & conuerſatum poſt reſurrectionem cum diſcipulis ſuis, ac multis modis euidenter eis oſtendiſſe ſui corporis veritatem; & quadrageſimo die videntibus eiſdem diſcipulis aſcendiſſe in cœlos; ſedere etiam ad dexteram patris. Quem credo & confiteor, ſecundum teſtificationem Angelorum, ſicut aſcendit in cœlos, ita venturum iudicare viuos & mortuos. Omnes enim homines ab Adam vſque ad conſummationem ſæculi natos & mortuos, cum ipſo Adam, eiuſque vxore, qui non ex aliis parentibus nati ſunt, ſed alter de terra, altera autem de coſta viri creati ſunt, tunc reſurrecturos eſſe confiteor, & adſtare ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bona, ſiue mala. & iuſtos quidem per largiſſimam gratiam Dei, vt pote vaſa miſericordiæ in gloriam præparata, æternæ vitæ præmiis donaturum, in ſocietate videlicet Angelorum, abſque vllo iam lapſus ſui metu ſine fine victuros: iniquos autem arbitrio voluntatis propriæ vaſa iræ apta in interitum permanentes, qui viam Domini aut non agnouerunt, aut cognitam diuerſis capti præuaricationibus reliquerunt, in pœnis æterni atque inextinguibilis ignis, vt ſine fine ardeant, iuſtiſſimo iudicio traditurum.

HÆC eſt igitur fides mea, & ſpes mea, quæ in me dono miſericordiæ Dei eſt. pro qua maximè paratos eſſe debere B. Petrus Apoſtolus præcipit ad reſpondendum omni poſcenti nos rationem. Nunc conuenit excellentiam veſtram pro feruore eiuſdem fidei, quam vos in corde habere gaudemus, peculiarem curam per vniuerſas Galliæ veſtræ regiones impendere, ne illic ſcandala ſeminantes, ſicut in partibus iſtis facere conabantur, frontis ſuæ procacitate impellente diſcurrant, & aliquos fratres & coepiſcopos noſtros, vel creditas eis plebes, ad diſſenſiones exagitent. quia dum rectæ fidei non ſint, dolore oppreſſionis ſuæ, vt ſe ad nutrienda ſcandala catholicis familiares efficiant, etiam rectam fidem ſe ſimulant vindicare; maximè apud eos qui fraudes ipſorum, & dolos ignorant. Sed Deus, qui gloriam veſtram contra inimicos pacis Eccleſiaſticæ miſericorditer hoc tempore præparauit, præſtet vos ita ſollicitos & circumſpectos exiſtere, vt non præualeant intra ſata ſanctæ Eccleſiæ in illis partibus loliorum ſuorum ſemina maligna iactare. Perincolumem excellentiam veſtram Deus noſter cuſtodiat, Domine fili glorioſiſſime, atque præcellentiſſime.

1. Pet. 3. 15.

CONCILIVM

CONCILIVM PARISIENSE III.

PRO VARIIS DIVERSARVM ECCLESIARVM vtilitatibus celebratum, circa annum Chriſti DLVII. Pelagij Papæ IV. Childeberti Regis XLVI.

TITVLI CANONVM.

1. *Nemo res Eccleſiarum peruadat, aut competat, aut retineat.*
2. *Nemo res Epiſcopi proprias peruadere, competere, aut confiſcare præſumat.*
3. *Ne Epiſcopus alterius Epiſcopi res competat, aut retineat.*
4. *De illicitis & inceſtis coniunctionibus.*
5. *Ne quis ſacratas virgines, aut religionem profeſſas rapiat, vel competat.*
6. *Nullus res alienas, nullus viduam vel filiam alterius competat, aut rapiat.*
7. *Nemo excommunicatus ab aliis colligatur.*
8. *De ordinatione Epiſcoporum.*
9. *De famulatu & miniſterio ſeruorũ degenerũ.*
10. *Vt canones hi ab Epiſcopis abſentibus, quibus oblati fuerint, ſubſcribantur.*

PRÆFATIO.

ADMONET Pontifices temporum qualitas, & improbæ neceſſitatis præcauenda conditio, vt non ſolùm rerum præſentium, ſed & futurorum quoque vtilitas congrua prouiſione tractetur: quatenus quos cuſtodiæ ordinatio, ac pro amore diuino ſollicitudinis cura conſtringit, & præuidiſſe ſequentia, & opportunè vigilaſſe probentur. Et quia ſibi ſacerdotes in hoc maximè conſulunt, ſi importunorum voluntatibus obuiaſſe noſcantur, coniuncti in vnum, Chriſto opitulante, Pariſius pro vtilitatibus Eccleſiarum, vnde non leuiter rationem ſumus quandoque reddituri, in quantum diuina pietas virtutem dare dignata eſt, tentauimus ſalubri conſideratione proſpicere, ne dum periculoſa abuſione ordinatio ſuperna negligitur, in nobis aliorum crimina vindicentur.

CANONES.

I. *Nemo res Eccleſiarum peruadat, aut competat, aut retineat.*

Itaque placuit, ac omnibus nobis conuenit obſeruare, vt quia nonnulli memores ſui per quaſlibet ſcripturas, pro captu animi, de facultatibus ſuis Eccleſiis aliquid contuliſſe probantur, quod à diuerſis Deum minus timentibus eatenus mortifera calliditate tene-

tur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam; nec intueri corde poſſint diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus ſui, res Eccleſiæ, vt ſupra diximus, delegatas iniuſtè poſſidens, præſumpſerit retinere, & veritate comperta, res Dei ſeruis eius diſſimulauerit reformare, ab omnibus Eccleſiis ſegregatus, à ſancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, niſi cùm culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas & audet rapere, & iniuſtè poſſidere iniqua defenſione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi ſunt, qui eorum taliter alimenta ſubtraxerint. Sacerdotalis tamen debet eſſe prouiſio, vt vindictam admonitio manifeſta præcedat, vt res vſurpatas iniuſtè qui abſtulit, adhibita æquitate reſtituat. Quòd ſi neglexerit, & neceſſitas compulerit, poſtea prædonem ſacerdotalis diſtrictio maturata percellat. Neque quiſquam per interregna res Dei defenſare nitatur: quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos ſingulari dominatione concludit. Quòd ſi præſumpſerit, & ipſius offenſam, & prædictæ damnationis periculum ſuſtinebit. Competitoribus etiam huiuſmodi frænos diſtrictionis imponimus, qui facultates Eccleſiæ, ſub ſpecie largitatis regiæ, improba ſubreptione peruaſerint. Sera namque de his rebus pœnitudine commouemur, cùm iam anteactis temporibus contra huiuſmodi perſonas, canonum ſuffulti præſidio, ſe ſacerdotes Domini erigere debuiſſent; ne manſuetudo indulgentiæ ad ſimilia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidie prouocaret: ſed nunc tardè iniuriarum mole depreſſi, damnis quoque dominicis compellentibus excitamur. Quòd ſi is qui res Dei competit, in aliis, quàm vbi res agitur, maximè ſolet territoriis commorari, ſacerdotem loci ipſius vbi habitat, Epiſcopus de huiuſmodi prauitate contemptus, neglecta perſona, literis mox reddat inſtructum. Tunc Antiſtes, ipſius fratris anxietate comperta, aut perſuaſorem admonitione corrigat, aut canonica diſtrictione condemnet. Accidit etiam, vt temporibus diſcordiæ, ſub permiſſione bonæ memoriæ domni Chlodouei regis, res Eccleſiarum aliqui competiſſent, ipſaſque res, improuiſa morte collapſi, propriis heredibus reliquiſſent. Placet & hos quoque, niſi res Dei, admoniti à pontifice, agnita veritate reddiderint, ſimiliter à ſanctæ communionis participatione ſuſpendi: quoniam res Dei, quæ auctores eorum maturata morte credendæ ſunt peremiſſe, non debent filij vlteriùs poſſidere. Iniquum eſſe cenſemus, vt potiùs cuſtodes chartarum, per quas aliquid Eccleſiis à fidelibus perſonis legitur derelictum, quàm defenſores rerum creditarum, vt præceptum eſt, iudicemur.

II. *Nemo res Epiſcopi proprias peruadere competere, aut confiſcare præſumat.*

Et quia Epiſcoporum res propriæ Eccleſiarum res eſſe noſcuntur, ſi in eorum facultatibus ſimili fuerit crudelitate graſſatum, peruaſores rerum memoratarum canonum diſtrictione feriet vindicta, dum corrigit; vt qui non moribus propriis, ac nulla conſcientiæ caſtigatione corripitur, ſaltem regulæ obtundatur aculeis. Perpetuo enim anathemate feriatur, qui res Eccleſiæ confiſcare, aut competere, aut peruadere periculoſa infeſtatione præſumpſerit.

III. *Ne Epiſcopus res alienas competat, aut retineat.*

Et quia exempla boni operis à pontificibus debent primùm, Chriſto opitulante procedere, nullus Epiſcopus res competat alienas; aut ſi competitas, aut à ſe, aut ab auctore ſuo, fortè quis poſſidet, domino proprietatis poſſeſſionem propriam, abſque preiudicio liberalitatis regiæ, integra reformatione reſtituat: vt quia Deus dona reprobat iniquorum, non ad iudicium ſuum Eccleſiæ res exteras derelinquat.

IV. *De illicitis & inceſtis coniunctionibus.*

Conuenit etiam vniuerſis fratribus, vt non ſolùm præſentium rerum actus, ſed & animarum quoque debeant præparare remedia. Nullus ergo illicita coniugia contra præceptum Domini ſortiri præſumat. id eſt fratris relictam, nec nouercam ſuam, relictamque patrui, vel ſororem vxoris ſuæ ſibi audeat ſociare: neque auunculi quoque relictæ, neque nurus ſuæ, vel materteræ coniugio potiatur. Pari etiam conditione à coniugio amitæ, priuignæ, ac filiæ priuignæ coniunctionibus præcipimus abſtineri.

V. *Ne quis ſacratas virgines, aut religionem profeſſas, rapiat vel competat.*

Sacratarum etiam virginum neque per raptum, neque per competitiones aliquas, quiſquam coniugia ſortiatur. Similiter de earum erit coniunctionibus abſtinendum, (& hi qui eas rapere, aut competere voluerint, à communione ſunt remouendi) quæ veſtium commutatione tam viduæ, quàm puellæ, religionem, pœnitentiam, aut virginitatem publica fuerint declaratione profeſſæ. Quòd ſi contra interdicta quis venerit, & ſacerdotem ſuum audire neglexerit, & in præſenti à communione catholicæ Eccleſiæ habeatur extraneus, & in perpetuum anathemate feriatur.

VI. *Nullus res alienas, nullus viduam, vel filiam alterius, competat aut rapiat.*

Et quia vtilium rerum cœpit cauſa tractari, hoc vniuerſitas præcauere quoque debet, tam ſacerdotes, quàm principes, omniſque populus, vt nullus res alienas competere à regis audeat poteſtate. Nullus viduam, neque filiam alterius, extra voluntatem parentum, aut rapere præſumat, aut regis beneficio æſtimet poſtulandam. Quòd ſi fecerit, ſimiliter ab Eccleſiæ communione ſemotus, anathematis damnatione plectatur.

36 q. 1. Nullus neque viduam.

VII. *Nemo excommunicatus ab aliis colligatur.*

Et quia vniuerſis ſacerdotibus ita conuenit, vt ſi quis de eis à communione Eccleſiæ, pro contemptu canonum, aut peruaſione rerum Eccleſiaſticarum, aliquem fortaſſe ſuſpenderit, à nullo penitus Epiſcopo recipi præſumatur. Quòd ſi factum fuerit, is qui eum contra interdicta receperit, & à fratrum ſuorum erit concordia ſeparatus, & æterni iudicis in futurum, vt confidimus, iracundiam ſuſtinebit.

VIII. *De ordinatione Epiſcoporum.*

Iuo Part. 5. cap. 123.

Et quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta canonum violantur, placuit vt iuxta antiquam conſuetudinem canonum decreta ſeruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate. non principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum comprouincialium ingeratur. Quòd ſi per ordinationem regiam honoris iſtius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præſumpſerit, à comprouincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoſcunt. Si quis de comprouincialibus recipere contra interdicta præſumpſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium caritate ſemotus. Nam de anteactis ordinationibus pontificum ita conuenit, vt coniuncti Metropolitanus cum ſuis comprouincialibus Epiſcopis, vel quos vicinos Epiſcopos eligere voluerit, in loco vbi conuenerit, iuxta antiquam ſtatuta canonum, omnia communi conſilio & ſententia decernantur.

D. LXIII. Si per ordinationem.

IX. *De famulatu & miniſterio ſeruorum degenerum.*

De degeneribus ſeruis, qui ſepulcris defunctorum pro qualitate ipſius miniſterij deputantur, hoc placuit obſeruari, vt ſub qua ab auctoribus fuerint conditione dimiſſi, ſiue heredibus, ſiue Eccleſiæ

pro defenſione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat obſeruari. Quòd ſi Eccleſia eos de fiſci functionibus in omni parte defenderit, Eccleſiæ tam illi, quàm poſteri eorum, defenſione in omnibus potiantur, & occurſum impendant.

X. *Vt canones hi ab Epiſcopis abſentibus, quibus oblati fuerint, ſubſcribantur.*

Et quia huic definitioni cuncti fratrum intereſſe minimè potuerunt, hoc omnis congregatio ſacerdotum Chriſto propitiante decreuit, vt conſtitutio præſens quantis oblata fuerit, ſubſcriptionibus eorum debeat roborari, quatenus in hoc quod vniuerſis obſeruandum eſt, vniuerſitas debeat conſentire.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

PROBIANVS in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ conſenſi & ſubſcripſi.

Prætextatus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Leontius in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Germanus peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Eufronius peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Felix peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Domitianus peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Chardaricus peccaror Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Gonothigernus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Siluanectenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Paternus peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Laſcluus peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Chaletricus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Edibius peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Samſon peccator Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Ferrocinctus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Anno Christi 559. Childeberti Regis 48.

IOANNES III. PAPA.

CLOTARII REGIS CONSTITVTIO GENERALIS.

Ex duobus antiquis codicibus, Corbeienſi & Tiliano, nunc primùm in lucem edita.

CHLODACHARIVS REX FRANCORVM omnibus agentibus.

VSvs eſt clementiæ principalis, neceſſitatem prouincialium, vel ſubiectorum ſibi populorum, prouida ſollicitiùs mente tractare, & pro quiete eorum quæcumque iuſtè ſunt obſeruandà indita in titulis conſtitutione conſcribere. quibus quantum plus fuerit iuſtitiæ atque integritatis impenſum, tantùm proniùs amor deuotionis incumbit. Ideoque per hanc generalem auctoritatem præcipientes iubemus, vt in omnibus cauſis antiqui iuris norma ſeruetur, & nulla ſententia à quolibet iudicum vim firmitatis obtineat, quæ modum legis atque æquitatis excedit. In parentum ergo ſucceſſionibus quicquid legibus decernitur obſeruetur, omnibus contrà impetrandí aliquid licentia derogata: quæ ſi quolibet ordine impetrata fuerit vel obtenta, à iudicibus repudiata inanis habeatur & vacua. Si quis in aliquo crimine fuerit accuſatus, non condemnetur penitus inauditus. ſed ſi in crimine accuſatur, & habita diſcuſſione fuerit fortaſſe conuictus, pro modo criminis ſententiam excipiat vltionis. Inter Romanos negotia cauſarum Romanis legibus præcipimus terminari. Si quis auctoritatem noſtram ſubreptitiè contra legem elicuerit fallendo principem, non valèbit. Si iudex aliquem contra legem iniuſtè damnauerit, in noſtrî abſentia ab Epiſcopis caſtigetur; vt quod perperè iudicauit, verſatim meliùs diſcuſſione habita emendare procuret. Nullus per auctoritatem noſtram matrimonium viduæ, vel puellæ, ſine ipſarum voluntate præſumat expetere; neque per ſuggeſſiones ſubreptitias rapiantur iniuſtè. Sanctimoniales nullus ſibi in coniugium audeat ſociare. Vt auctoritates cum iuſtitia, & lege competente, in omnibus habeant ſtabilem firmitatem; nec ſubſequentibus auctoritatibus contra legem elicitis vacuentur. Vt oblationes defunctorum Eccleſiis deputatæ nullorum competitionibus auferantur præſenti conſtitutione præſtamus. Agraria, paſcuaria, vel decimas porcorum, Eccleſiæ pro fidei noſtræ deuotione concedimus: ita vt actor aut decimator in rebus Eccleſiæ nullus accedat, Eccleſiæ vel clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui aui, vel genitoris, aut germani noſtri immunitatem meruerunt. Quæcumque Eccleſiæ, vel clericis, aut quibuſlibet perſonis, à glorioſæ memoriæ præfatis principibus munificentiæ largitate conlata ſunt, omni firmitate perdurent. Quicquid Eccleſia, clerici, vel prouinciales noſtri, intercedente tamen iuſto poſſeſſionis initio, per xxx. annos inconcuſſo iure poſſediſſe probantur, in eorum ditione res poſſeſſa

permaneat: nec actio tantis æui ſpatiis ſepulta vlteriùs contra legum ordinem ſub aliqua repetitione conſurgat, poſſeſſione in poſſeſſoris iure ſine dubio permanente. Prouideat ergo ſtrenuitas vniuerſorum iudicum, vt præceptionē hanc ſub omni obſeruatione cuſtodiant: nec quicquam aliud agere aut iudicare, quàm vt hæc præceptio ſecundum legum Romanarum ſeriem continet, vel ſexus quarumdam gentium iuſta antiqui iuris conſtitutione olim vixiſſe dinoſcitur, ſub aliqua temeritate præſumant.

ANNO CHRISTI 563. CHARIBERTI REGIS 2.

CONCILIVM SANTONENSE.

IN QVO HERACLIVS PRESBYTER EPISCOPVS Santonenſis creatus eſt, remoto Emerio, qui Clotarij regis imperio contra canones fuerat ordinatus, ſub annum Chriſti DLXIII. Ioannis III. Papæ IV. Chariberti Regis II.

SYNODI *huius auctor fuit Leontius Metropolitanus Burdigalenſis cum Epiſcopis comprouincialibus. Iuſta autem depellendi ab Epiſcopatu Emerij cauſa videbatur, quòd is non à clero & populo electus, ſed regis voluntate cathedram adeptus, ac ſine Metropolitani conſenſu fuerat ordinatus; quorum vtrumque contra Eccleſiaſticam diſciplinam in proxima nuper Synodo Pariſienſi confirmatam actum fuiſſe dubium non erat. At tamen Chariberto regi Clotarij patris decretum retineri placuit. Quare & Heraclium à Synodo electum malè accepit, & Emerium reſtitui iuſſit, multa etiam Epiſcopis Synodi auctoribus impoſita, vt Gregorius Turonenſis docet lib.* IV. *Hiſtoriæ Francorum, cap.* XXVI. Apud Vrbem, *inquit,* Santonicam Leontius, congregatis prouinciæ ſuæ Epiſcopis, Emerium ab Epiſcopatu depulit, aſſerens non canonicè fuiſſe hoc honore donatum. Decretum enim regis Clotarij habuerat, vt abſque Metropolitani conſilio benediceretur, qui non erat præſens. Quo eiecto, conſenſum fecere in Heraclium tunc Burdegalenſis Eccleſiæ presbyterum: quod regi Chariberto ſubſcriptum propriis manibus per nuncupatum presbyterum tranſmiſerunt. Qui veniens Turones, rem geſtam beato Euphronio pandit, deprecans hoc vt conſenſum ſubſcribere dignaretur. Quod vir Dei manifeſtè reſpuit. Igitur poſtquam presbyter Pariſiacæ vrbis portas ingreſſus regis præſentiam adiit, hæc effatus eſt: Salue rex glorioſe: ſedes enim Apoſtolica eminentiæ tuæ ſalutem mittit vberrimam. Cui ille, Numquid, ait, Turonicam adiiſti vrbem, vt Papæ illius nobis ſalutem deferas? Pater, inquit presbyter, Leontius tuus cum comprouincialibus Epiſcopis ſalutem tibi mittit, indicans Æmilium, (ſic enim vocitare conſueuit Emerium ab infantia ſua) eiectum ab Epiſcopatu pro eo quòd, prætermiſſa canonum ſanctione, vrbis Santonicæ Epiſcopatum ambiuit. Ideoque conſenſum ad te direxerunt, vt

alius in eius locum ſubſtituatur; quo fiat vt dum tranſgreſſores canonum regulariter arguuntur, regni veſtri potentia æuis prolixioribus propagetur. Hoc eo dicente, frendens rex eum à ſuis conſpectibus extrahi iuſſit, & plauſtro ſpinis ſuppleto imponi deſuper, & in exilium protrudi præcepit dicens: Putaſne quod non eſt ſuper quiſquam de filiis Clorarij regis, qui patris facta cuſtodiat, quòd hi Epiſcopum, quem eius voluntas elegit, abſque noſtro iudicio proiecerunt? Et ſtatim directis viris religioſis Epiſcopum in loco reſtituit: dirigens etiam quoſdam de camerariis ſuis, qui exactis à Leontio Epiſcopo mille aureis, reliquos iuxta poſſibilitatem condemnatent Epiſcopos. Et ſic patris eſt vltus iniuriam.

NICETII EPISCOPI TREVIRORVM EPISTOLA I.

Ad Iuſtinianum Imperatorem.

In hæreſim lapſum reuocat ab errore.

DOMINO SEMPER SVO IVSTINIANO IMPERATORI, Nicetius cum ſuis humilis, ſed miſericordia Domini Epiſcopus.

IN nouiſſimis temporibus iam, vt ſermo Euangelicus prædixit, proſpicimus; & cùm tempus noſtrum ſemper ſit paratum, tamen finem, vt ſcriptura denuntiauit, venire ſentimus. Sed beatus ille homo, quem, cùm venerit Chriſtus, inuenerit ipſum vigilantem. Sol conuertitur in tenebras ab Oriente, id eſt ab alto, hoc eſt à vita ſancta. In integro mundo ſplendebas vt Sol, & cùm omnes inde gratia Domini rectores Eccleſiæ * cuncti conſilij ipſius gauderemus, deuulgante fama ex lapſu veſtro, quem numquam peruenire debuimus, contriſtati & humiliati vſque in terra ſumus. Dulcis noſter Iuſtiniane, quis te ſic decepit? quis vt talia proſequereris ſuaſit? Quis vt Chriſtum purum hominem fatereris docuit? quis vt in Iudæ conſortium te tranſcriberes
Ioan.16.17. circumuenit? Quis vt illum qui dixit, *Ego à patre exiui, & veni in hunc mundum*, per circumciſionem, per baptiſmum, per paſſionem vt creſceret te docuit? Quis vt qui cor miſerum non habebas antè, repentè oppreſſit? quis vt patres, quos venerari debuiſti, ad cædes, ad diuerſas cruces mitteres, prouocauit? quis vt illa, propter quæ Chriſtus crucifixus eſt, & Apoſtoli omnes perrulerunt, deſtrueres prouocauit? quis vt quod iam ſemel, bis, & tertiò ab omnibus rectoribus Eccleſiæ condemnatum fuerat, vel adorares, commonuit? Neſtorij & Eutychis, vt diximus, iam anathematizatâ quotiens atque quotiens ſectâ, vt te de ipſa inrerimeres, quis imperauit? Ille, ille, qui Adam vt contingeret arborem vitæ ſuaſit, qui ſtudio ſuo

ſuo mortem adinuenit, circumuenit: qui Iudam, cùm Chriſtum purum hominem fecit, & pro homine tradidit, in ignem, quem præparauit Deus Diabolo & angelis eius, miſit. Dulcis, & dulcis noſter Iuſtiniane, rememorare quæ promiſiſti cùm baptizatus es, quid per ſingula te credere dixiſti. Vnum filium manentem in duabus ſubſtantiis, cum Patre, & Spiritu ſancto, non duos Chriſtos teſtatus es. Cùm exceſſiſti, quid feciſti? quid tibi præparaſti? Diſcute, & bene te proſpice, & vide ſi non in loco perditionis te obligaſti. Adhuc ſi vis viuis: ſi vis, reuertendo gaudes. *Conuertimini*, inquit, *ad me, & conuertar ad vos.* Patres, à quibus Zach.1.3. benedictionem expectare debuiſti, in exilium tranſmiſiſti. Tum cùm in vltima ætate tua componere, & coniungere te ad redemptorem tuum debuiſti, ipſe te, non alter, ſed tu, & te & tuos decepiſti. Cùm Lactantius, vt dicit, preſbyter loca ſancta per Gallias propter Domini miſericordiam viſitaret, ante nos apparuit. quæ legis deprecauimus, & per Iesvm Chriſtum redemptorem noſtrum coniurauimus. Ergo litteris præſentibus Deum noſtrum coniuramus inſuper, conteſtamur, vt & tu reuertaris, & quantos perire ſuaſiſti in horrenda perſecutione, reuertere prouoces. Quòd ſi non feceris, ſit iudex ille inter nos & te, ſed quanto citiùs, cui tu honores tuliſti, & purum hominem feciſti. Cùm legiſti, *Ego & pater vnum ſumus*, ſed talis pater, qualis & filius, quia ita pater vt filius, Ioan.10.30. quoniam verum eſt, quomodo ad circumciſionem veniendo, ad baptiſmum, ad martyrium, meliorare probatur, qui Deus & creator omnium eſſe conuincitur? Feſtina, feſtina, ſed protinus. Nam ſi te ſic vltimus dies inuenerit, qualis nunc hodie appares, deſcendes ad inferiora terræ, & ad partes vulpium eris. Lætetur ſancta Eccleſia de regreſſu tuo, quia vehementer luget de exceſſu tuo. Gaudere nos in vltimo ſæculo poſitos facias, quos lugere poſt lætitiam de perditione tua feciſti. Ne dicas vel in corde tuo, Feci, feci, vici, vici. Victus es, & vinctus, ſed indè, vnde filius Diaboli, & inimicus iuſtitiæ. Nam notum tibi ſit, quòd tota Italia, integra Africa, Hiſpania, vel Gallia cuncta, nomen tuum, cùm de perditione tua plorant, anathematizant. Et ſi non quæ docuiſti deſtruxeris, & publica voce clamaueris, Erraui, erraui, peccaui, anathema Neſtorius, anathema Eutyches, cum ipſis te ad ſupplicia ſempiterna tradidiſti. Salutamus plurimum, coniurantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, per illum qui in vno trinus apparet, & in tribus vnus agnoſcitur, vt te de horrenda ſecta, & abominabili perſecutione ſemoueas, & illos qui te ſuadente in ipſam crediderunt, ad meliorem viam venire ſtudeas.

In collocandis epiſtolis Nicetij coniectura vſi ſumus. Priorem enim, quòd Iuſtiniani hæreſim commemoret, in quam extrema demum ætate lapſus eſt, in eum annum contulimus, qui Iuſtiniani obitum anteceſſit. Alteri verò, quæ ad Clodoſuindam Clotarij regis filiam ſcripta eſt, cùm hanc & poſt Clotarij mortem, filiis in Gallia regnantibus, id eſt poſt annum Chriſti DLXI. & ante Italicam Alboini expeditionem, quæ anno DLXVIII. mortua iam Clodoſuinda ſuſcepta eſt, ſcriptam fuiſſe conſtaret, annum adſcripſimus, qui ab vtriuſque temporis meta paribus fere diſtat interuallis.

NICETII EPISCOPI TREVIRORVM EPISTOLA II.

Ad Chlodoſuindam reginam Langobardorum.

Hortatur vt Alboinum regem maritum ſuum ad fidem Catholicam adducat.

DOMINÆ CLEMENTISSIMÆ IN CHRISTO filiæ, Chlodoſuindæ reginæ Nicetius peccator.

CVM legatos veſtros per Francorum reges, germanos tuos, ire conſpicimus, de proſperitate veſtra ſolliciti ſumus. ſed illa inde audimus, quod quam ſemper ſonare etiam & ſonare confitemur, quàm magna, quàm alta, quàm laudabilis, quàm vtilis, quàm humana vel magnifica, quomodo de pauperibus ſollicita, quomodo de religione aſtuta, quomodo in cunƈto populo pia conuerſatione ſplendida. Ille hoc concedat, qui tibi ſpiritum ſapientiæ & intelleƈtus iam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Chriſtus faciat de Alboino rege, quem habes, & de felicitate ſua triumphare. Stupentes ſumus, cùm gentes illum tremunt, cùm reges venerationem impendunt, cùm poteſtates ſine ceſſatione laudant, cùm etiam ipſe Imperator ſuis ipſum præponit, quòd animæ remedium non feſtinus requirit. Scriptum legimus:
Matth. 6. 33. *Quærite primùm regnum Dei, & omnia apponentur.* Qui ſic quemadmodum ille fulget fama, miror quòd de regno Dei, & animæ ſuæ ſalute nihil inueſtigare ſtudet: ſed illos recipit, illis adquieſcit, qui potiùs animam in gehennam perdunt, quàm ad viam ſalutis adducant. Duos Deos eſſe prædicant, alium in Deitate patrem, alterum in Deitate, ſed
Eſa. 45 21. pro creatura filium; cùm ſcriptura dicat: *Ego ſum Saluator, & non eſt alius præter me.* Te domina Chlodoſuinda, per tremendum diem iudicij coniuro, vt hanc epiſtolam & bene legas, & bene illi & frequenter exponere ſtudeas, & vt ipſum interroges, quis eſt Saluator? Patrem dicunt eſſe Saluatorem, an Filium? quomodo duos eſſe, cùm vnus eſt, & alius non eſt, denuntiant? Si dicent Filium, ergo Pater Saluator non eſt: & ſi dixerint Patrem, ergo Filius non eſt Saluator, quia ſaluare qui Saluator non eſt nullum poteſt. Si dixerint, Duo ſunt Saluatores, iſtud ſcriptum
Ioan. 10. 30. nuſquam inuenient, niſi, *Ego & pater vnum ſumus*, hoc eſt Pater in Filio, & cum Filio, & Filius in Patre, & cum Patre. Deus præ magnitudine videri ab oculo humano non poteſt, qui tantùm grandis, tantùm fulgens, tantùm etiam igneus eſt. Legimus, *In circuitu cæli, & terræ tabernaculum eius.* quod etiam præ iſta magnitudine & ſplendore ab homine videri non poteſt. expreſſit de ſe, quem ſemper habuit apud ſe, qui latibu-
Pſal 17. 11. lum ſibi de carne fecit. & ideo Scriptura dicit: *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Ideoque in Euangelio ait verbum Dei, quod Ioannes dicit, quia,

in principio erat, Verbum caro factum eſt, & quod de Maria erat, ſic illuc ad ſe iunxit vt eſſet vnum. Et per ſcripturam dixit: *Ex Sion ſpecies decoris eius*, hoc eſt, homo in Deo tranſibit. In Euangeliis ipſe dixit: *Ego ex patre exiui, & veni in hunc mundum.* In quadrageſimo ſeptimo Pſalmo dixit: *Diſtribuite gradus eius.* Eius dixit, non eorum; quoniam vnus eſſe, ſed nec ſolus apertiſſimè ſcitur. *Vt enarretis in progenie altera*: nam in die reſurrectionis nec narrare, nec apparere poterit, qui Trinitatem in vnitate non crediderit. Et pro eo omnis militia Angelorum per ſingulos dies clamat, *Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus Sabaoth.* Non tres ſancti, ſed ter ſanctum dixit dominum Deum Sabaoth. ſanctus Pater, ſanctus Filius, ſanctus Spiritus. Vnus ſanctus, ſicut vnus dominus. Vnde & Ioannes Euangeliſta dixit: *Ipſe eſt qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt Saluator.* Si per nomina vero gradus eſſe videntur: Cùm Patrem audis, nomine maior eſſe videtur: & ideo dixit; *Pater maior me eſt*, ſed nomine tantùm: in Deitate autem, euidentiſſimè per Chriſtum, & per Apoſtolos eius vnus eſſe agnoſcitur. Quia ipſe cùm à diſcipulo interrogaretur: *Domine, oſtende nobis patrem.* & ille, *Me vides, & de patre interrogas?* Vides quia in Trinitate inuocatur, & in vna Deitate eſſe inuenitur. Cùm patrem audis, ſine filio eſſe non credas: cùm audis filium, cum Patre eſſe non dubites. Nec dubites tres in perſonis, nam vnus in Deitate eſſe agnoſcitur. & ideo ad diſcipulos ſuos dixit: *Ite baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* In nomine dixit, non in nominibus, quia vnam Deitatem dixit, non tres. Spiritus autem ſanctus ſeparari non poteſt, quoniam vnde eſſe ſcitur gratia Dei, inde donum Dei eſſe cognoſcitur. Ab ipſo ſpirant bona omnia, ſicut Apoſtolus dixit: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Et hinc propheta dixit: *Tu ſolus altiſſimus.* ſed ſolus altiſſimus in omni terra Saluator. IESV Naue ipſum conſpexit, & ideo dixit, *Noſter es, an aduerſariorum?* Ille autem reſpondens ait: *Ego ſum qui ſum*, & alius præter me non eſt. Abraham, qui dicitur amicus Dei, & probatur, tres vidit, & vnum credidit. Cùm tres adorat, Trinitatem, ſicut dixi, commemorat: cùm vnum in domum intrare deprecatur, vnam poteſtatem eſſe denuntiat. Nam Moyſi quotiens atque quotiens dixit, *Ego ſum qui ſum, & alius præter me non eſt?* Quid nos ire per ſingula neceſſe eſt? Ad duodecim diſcipulos quos habuit veniamus, quia ipſi Gothi hodie ipſis venerationem impendunt, & reliquias eorum furtim tollunt: ſed nihil ibi habent, quia fidem eorum adnullare præſumunt. Quid eſt quòd in Baſilicis eorum còrpora ipſorum hodie venerantur, non ingrediuntur? Quid eſt quòd nihil ibidem præſumere audent, niſi furtiuè, vt canes à foris, animas decipiunt, cùm illos ſuos fideles rex Alboinus ſibi demittat, & ad domini Petri, Pauli, Ioannis, vel reliquorum Sanctorum limina perducat, vt ibidem Miſſas facere ſi audent deliberent. ſed non audent, quia domini Petri diſcipuli non apparent, & contrarij Chriſti eſſe probantur; quia quæ per crucem ipſe redemit, deſtruere infelices inueniuntur. Hic ſi iubet ad dominum Martinum per feſtiuitatem ſuam, quam vndecima die facit Nouember, ipſos mittat: & ibi ſi audent aliquid præſumant, vbi cæcos hodie illuminari conſpicimus, vbi

Pſal.49.2. Ioan.16.27. Pſal.47.14. Eſa.6.3. Ioan.1.17. Ioan.14.28. Ioan.14.8. Matth.28.19. Rom 11.37. Pſa.82.19. Ioſ.5.13. Exod.3.14. Gen.18.2.

ſurdos auditum, & mutos ſanitatem recipere. Nam quid dicam de leproſis, aut de aliis quamplurimis, qui quantacumque debilitate percuſſi ſunt, ibidem per ſingulos annos alij & alij ſanantur? Fortaſſe dicunt, confingunt vel cæcos, qui cæci à natiuitate eſſe videntur. Quid dicam, cùm inde illuminatos conſpicimus, & ad propria, Deo miſerante, ſanos reuerti videmus? Nam quid dicam adhuc de domino Germano, Hilario, vel Lupo Epiſcopis? vbi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo. vbi tribulantes, id eſt dæmonia habentes, in aëra ſuſpenſi torquentur, & dominos quos dixi eſſe confitentur? Numquid in Eccleſiis eorum ſic faciunt? Non faciunt, quia Deum & dominos ſanctos ibi habitare non ſentiunt. Dæmon dæmonem non exorcizat. Nam vbi ſancti habitant, Dæmon vagari non dimittitur. ideo fit vt locus vbi Deus eſt oſtendatur. Quid de domino Remigio, & domino Medardo Epiſcopis, quos tu credo vidiſti? Non poſſumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere. Audiſti ab auia tua, domina bonæ memoriæ Rodhilde, qualiter in Franciam venerit, quomodo dominum Chlodoueum ad legem catholicam adduxerit, & cùm eſſet homo aſtutiſſimus, noluit adquieſcere, antequam vera agnoſceret. Cùm iſta quæ ſupradixi probata cognouit, humilis ad domini Martini limina cecidit, & baptizari ſe ſine mora permiſit. Qui baptizatus quanta in hæreticos, Alaricum vel Gundobaldum reges, fecerit audiſti; qualia bona ipſe vel filij eius in ſæculo poſſederunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus rex eſſe dicitur, talis fama, quem mundus ſic præponit, quare non conuertitur, aut quare tardus ad requirendam viam ſalutis apparet? Deus bone, qui es Sanctorum gloria, & omnium ſalus, tu te in illum mitte. Et tu domina Chlodoſuinda, cùm verbum facis, ſolatium tribue, vt omnes de tali ſtella, de tali gemma ſic gaudeamus, qualiter Deo placere poſſimus. Saluto tantum quantum valeo. deprecor vt otioſa
1. Cor. 7. 14. non ſis: inceſſanter clama, inceſſanter canta. Audiſti dictum: *Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Nam ſcias, prima ſalus, prima remiſſio eſt, qui conuerti fecerit peccatorem ab errore ſuo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes. rogo vt ſic agas, vt & gentem Longobardorum fortem ſuper inimicos facias, & nos de ſalute tua, vel viri tui gaudere concedas.

CONCILIVM LVGDVNENSE II.

GVNTRAMNI REGIS IVSSV IN IPSIVS regno celebratum, anno Chriſti DLXVII. Indictione XV. Ioannis III. Papæ anno VIII. Chariberti, Guntramni, Chilperici, & Sigeberti fratrum regum VI.

TITVLI CANONVM.

1. *De controuerſiis Epiſcoporum per Metropolitanos componendis.*
2. *Vt rata ſint donationes Epiſcoporum, & clericorum, Eccleſia vel aliis facta.*
3. *De iis qui aliquos per vim & nefas captiuos tenent excommunicandis, niſi reſtituant.*
4. *Vt ab vno Epiſcopo excommunicatus, ab omnibus Epiſcopis excommunicatus habeatur.*
5. *Vt quæ ab Epiſcopo alicui in vſum, aut proprietatem donata ſunt, ab eius ſucceſſoribus non auferantur.*
6. *De Litaniis prima Nouembris hebdomada in omni Eccleſia celebrandis.*

PRÆFATIO.

CVM in nomine Domini in Lugdunenſi vrbe ad Synodale Concilium veniſſemus, tam pro renouandis ſanctorum Patrum inſtitutis, quæ præſentis temporis neceſſariò fecit opportunitas iterari, quàm his quæ aſſurgentibus vndecumque querelarum materiis, recentis definitionis ordo popoſcit inſtitui, tractantes quid ſaluti populi vtilius competeret, vel quid Eccleſiaſticus ordo obſeruaret.

CANONES.

1. *De controuerſiis Epiſcoporum per Metropolitanos componendis.*

Primo in loco vnitatem ſacerdotum, quam & Dominus diligit, & ſcriptura commendat, & concordia caritatis expoſcit, conuenit ab omnibus cuſtodiri; ita vt in omni tractatu vel definitione, vno ſpiritu, vna ſententia, ſacerdotum conſtantia perſeueret. Et ſi quid inter fratres, id eſt coepiſcopos noſtros, contentionis ortum fuerit, ſi de vna prouincia ſunt, Metropolitani cum comprouincialibus ſuis iudicio ſint contenti. Si verò diuerſæ prouinciæ duo fuerint ſacerdotes, inter quos aliqua diſceptatio oriatur, conuenientibus in vnum Metropolitanis ipſorum, omnis eorum a[illegible] illorum iudicio tertij-

netur: ita vt ſi vnus ex Epiſcopis ab alio Epiſcopo, aut à quacumque perſona, iniquè fuerit aggrauatus, communi fratrum ſtudio cum Dei ſolatio defenſetur. Quòd ſi quis ſe ab hac conditione quacumque calliditate ſubtraxerit, tribus menſibus ſe à caritate fratrum nouerit eſſe ſequeſtratum.

II. *Vt rata ſint donationes Epiſcoporum, & clericorum, Eccleſiæ vel aliis facta.*

Secundo loco, quia multæ tergiuerſationes infidelium Eccleſiam quærunt collatis priuare donariis, id conuenit inuiolabiliter obſeruari, vt teſtamenta, quæ Epiſcopi, presbyteri, ſeu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcumque inſtrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid Eccleſiæ, aut quibuſcumque conferre videantur, omni ſtabilitate ſubſiſtant. Id ſpecialiter ſtatuentes, vt etiamſi quorumcumque religioſorum voluntas, aut neceſſitate, aut ſimplicitate, aliquid à legum ſæcularium ordine viſa fuerit diſcrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcuſſa manere, & in omnibus Deo propitio cuſtodiri. De quibus rebus ſi quis animæ ſuæ contemptor aliquid alienare præſumpſerit, vſque ad emendationis ſuæ, vel reſtitutionis rei ablatæ tempus, à conſortio Eccleſiaſtico vel omnium Chriſtianorum cõuiuio habeatur alienus.

III. *De iis qui aliquos per vim & nefas captiuos tenent excommunicandis, niſi reſtituant.*

Et quia peccatis facientibus multi in perniciem animæ ſuæ ita conati ſunt, aut conantur aſſurgere, vt animas longa temporis quiete ſine vlla ſtatus ſui competitione viuentes, nunc improba proditione, atque traditione, aut captiuauerint, aut captiuare conentur, ſi iuxta præceptum domini regis emendare diſtulerint, quouſque hos, quos abduxerunt, in loco in quo longum tempus quietè vixerint, reſtaurare debeant, Eccleſiæ communione priuentur.

IV. *Vt ab vno Epiſcopo excommunicatus, ab omnibus Epiſcopis excommunicatus habeatur.*

11. q. 3. Si quis à proprio. Illud etiam quod ſancti patres ſalubriter ordinarunt, placuit iterari, vt ſi quicumque Epiſcopus pro reatu aliquo quemquam à communione ſuſpenderit, apud omnes ſacerdotes eatenus à communione habeatur alienus, vſquequo eius iudicio debeat recipi, à quo meruerat pro reatu ſuo à caritate Eccleſiæ ſequeſtrari.

V. *Vt quæ ab Epiſcopo alicui in vſum, aut proprietatem donata ſunt, ab eius ſucceſſoribus non auferantur.*

Et quia multa ſunt Eccleſiæ membra, quæ diuerſo genere, pro

vitæ ſuæ qualitate, vel diſcretione ſacerdotali, aut oblectari conuenit, aut diſtringi, illud cenſuimus ſtatuendum, vt quaſcumque munificentias clericis, aut ſeruientibus, ſiue de rebus Eccleſiæ in vſum, aut de propriis in proprietatem, præcedentes dederint ſacerdotes, ſubſequentes pontifices nullatenus auferre præſumant. Si quid tamen culpæ extiterit, pro qualitate perſonarum, vel regula canonum præcedentium, in perſona habeatur, non in facultate diſtrictio.

VI. *De Litaniis prima Nouembris hebdomada in omni Eccleſia celebrandis.*

Placuit etiam vniuerſis fratribus, vt in prima hebdomada Noni menſis, hoc eſt ante diem Dominicam, quæ prima in ipſo menſe illuxerit, Litaniæ, ſicut ante Aſcenſionem Domini ſancti patres fieri decreuerunt, deinceps ab omnibus Eccleſiis, ſeu parochiis celebrentur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Philippvs in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Nicetius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis conſtirutionibus noſtris ſubſcripſi.

Agricola in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis conſtirutionibus noſtris ſubſcripſi.

Vincentius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Belicenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.

Syagrius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Æduorum conſtiturionibus noſtris ſubſcripſi.

Æoladius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.

Salonius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Genauenſis ſubſcripſi.

Chelidonius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Mariſcenſis ſubſcripſi.

Valeſius preſbyter directus à domino meo Syagrio Epiſcopo Eccleſiæ Grarianopolitanæ ſubſcripſi.

Vincenrius preſbyrer directus à domino meo Lucrerio Epiſcopo Eccleſiæ Deenſis ſubſcripſi.

Euſebius preſbyter directus à domino meo Victore Epiſcopo Eccleſiæ Tricaſtinorum ſubſcripſi.

Piolus preſbyrer directus à domino meo Terrico Epiſcopo Eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.

Cæſarius preſbyter directus à domino meo Tetradio Epiſcopo Eccleſiæ Veſoncenſis ſubſcripſi.

Abſtemius diaconus directus à domino meo Maximo Epiſcopo Eccleſiæ Valenrinæ ſubſcripſi.

DE SALONIO ET SAGITTARIO EPISCOPIS, qui in eadem Synodo Lugdunenſi ob diuerſa ſcelera damnati, Epiſcopatuſque honore priuati ſunt.

Ex Gregorio Turonenſi Lib. v. Hiſtoriæ cap. xx.

CONTRA Salonium, *inquit*, Sagittariumque Epiſcopos tumultus exoritur. Hi enim à ſancto Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo educati, diaconatus officium ſunt ſortiti: huiuſque tempore Salonius Ebredunenſis vrbis, Sagittarius Vapingenſis Eccleſiæ ſacerdotes ſtatuuntur. Sed aſſumpto Epiſcopatu, in proprium relati arbitrium, cœperunt in peruaſionibus, cædibus, homicidiis, adulteriis, diuerſiſque in ſceleribus inſano furore graſſari: ita vt quodam tempore celebrante Victore Tricaſtinorum Epiſcopo ſolennitatem natalitij ſui, emiſſa cohorte, cum gladiis & ſagittis irruerent ſuper eum. venienteſque ſciderunt veſtimenta eius, miniſtros cæciderunt, vaſa & omnia ad apparatum prandij auferentes, relinquentes Epiſcopum cum grandi contumelia. Quod cùm rex Gunthramnus comperiſſet, congregari Synodum ad vrbem Lugdunenſem iuſſit. coniunctique Epiſcopi cum Patriarcha Nicetio beato, diſcuſſis cauſis inuenerunt eos de his ſceleribus, de quibus accuſabantur, valde conuictos: præceperuntque vt qui talia commiſerant, Epiſcopatus honore priuarentur. At illi, cùm adhuc propitium ſibi regem noſſent, ad eum accedunt, deplorantes ſe iniuſtè remotos: ſibique tradi licentiam, vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum, datis epiſtolis eos abire permiſit. Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt ſe nullius rationis exiſtentibus cauſis dimotos. Ille verò epiſtolas ad regem dirigit, in quibus locis ſuis eoſdem reſtitui iubet. Quod rex ſine mora, caſtigatis priùs illis verbis multis, impleuit. Sed nulla, quod eſt peius, fuit emendatio ſubſecuta. Tamen Victoris Epiſcopi pacem petierunt, traditis hominibus quos in ſeditionem direxerant. Sed ille recordatus præcepti Dominici, non debere reddi inimicis mala pro malis, nihil his mali faciens, liberos abire permiſit. Vnde in poſterum à communione ſuſpenſus eſt, pro eo quod publicè accuſans, clam inimicis pepercisſet abſque conſilio, quibus accuſauerat, fratrum. Sed per fauorem regis iterum in communionem reuocatus eſt. *Hactenus Gregorius. qui & alia poſthac de iiſdem Epiſcopis multa ſubiicit, quæ propterea omittimus, quòd ad Synodum Lugdunenſem non pertineant. Quo autem pacto examinata iterum ac diſcuſſa horum cauſa fuerit in altera Synodo Cabilonenſi, ſuo infrà loco videbimus.*

CONCILIVM

CONCILIVM TVRONENSE II.

IN BASILICA SANCTI MARTINI CELEBRATVM, ſub die XV. Kalendas Decembris, anno Chriſti DLXVII. Ioannis III. Papæ, anno VIII. Chariberti Regis VI.

TITVLI CANONVM.

1. *De Synodo bis per ſingulos annos, aut ſemel conuocanda.*
2. *De pace inter Epiſcopos conſeruanda.*
3. *De compoſitione corporis Dominici ſuper altario.*
4. *Ne laici in Eccleſia clericis miſceantur.*
5. *Vt vnaquaque ciuitas pauperes ſuos alat.*
6. *Vt epiſtolia ſoli dent Epiſcopi.*
7. *De remotione Abbatum, vel Archipresbyterorum, ſine conſilio ab Epiſcopis non facienda.*
8. *Vt Epiſcopus ei, quem alter Epiſcopus excommunicauit, non communicet.*
9. *Vt in Britannia, ſine conſenſu Metropolitani, vel comprouincialium, Epiſcopi non ordinentur.*
10. *Vt nullus clericus extraneam mulierem domi habeat.*
11. *Vt Epiſcopus nullam ignauiam ad diſtringendum habeat; & ſi neceſſe fuerit, ab aliis adiuuetur Epiſcopis.*
12. *Vt Epiſcopus coniugem habeat, vt ſororem, & nullam de ſe ſuſpicionem præbeat.*
13. *Vt Epiſcopus qui coniugem non habet, extraneas mulieres domi non habeat.*
14. *Ne duo clerici, aut monachi, in vno ſtratu recumbant; & vt monachi omnes in communi ſchola iaceant.*
15. *De monachis qui coniugia ineunt excommunicandis, & auxilio iudicis ſeparandis.*
16. *Ne mulier ſepta monaſterij introire permittatur.*
17. *De obſeruatione ieiuniorum monachis obeunda.*
18. *De obſeruatione pſallendi.*
19. *De Archipresbyteris, & aliis clericis coniugatis, qua cautela ſegregati ab vxoribus viuere debeant.*
20. *De virginibus, & reliquis caſtitatem profeſſis, vel viduis, quæ poſt mutatam veſtem coniugio copulatæ ſunt.*
21. *De adulterinis vel inceſtuoſis coniunctionibus.*
22. *De Kalendis Ianuarij, & Cathedra ſancti Petri.*
23. *De hymnis recipiendis.*
24. *De iis qui per diſcordias regum res Eccleſiarum, aut ſacerdotum competunt.*
25. *De peruaſoribus, ſeu retentoribus rerum Eccleſiaſticarum.*
26. *De iudicibus, aut potentibus, qui pauperes opprimunt.*
27. *Ne de ordinationibus clericorum præmia exigant Epiſcopi.*

PRÆFATIO.

ECCLESIASTICÆ diſciplinæ deber eſſe ſuffragium congregatio ſacerdorum: nec aliud erir ſuæ ſollicirudinis tam peculiare conſcribere, quàm quod ad fundamentum religionis proficere recognouerit, operari non ceſſet; vr cùm paſtoralis cautela propagarur in ouilis cuſtodia, paucorum veneranda decreta ſint ſalutis publicæ documenra. Et quoniam quod

omitti non decet, oportet implere; præſertim cùm cuius ad animarum intellectualium, de quibus Deo cura eſt, forma proceſſit, eius traditionis lex ad Pontifices manauit: neceſſe eſt vigilantiſſimè prouidere repulſo torpore, vt quidquid ab antiquis patribus ſtatutum de tramite canonico quarumdam perſonarum temeritate cernitur imminutum, reuocandum eſt in ſtatum priſtinum, vt poſſint malè admiſſa corrigi, & non admittenda damnari. Magna eſt enim in ipſa ſeueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam vbi inſana libertas generat vulnera, ſacerdotalis diſtrictio dat medelam. Quapropter Chriſto auſpice, in Turonica ciuitate Concilio concordante, iuxta conniuentiam glorioſiſſimi domini Chariberti regis annuentis, coadunati pro pace & inſtructione Eccleſiæ, opportunũ credidimus ſubterannexa decreta conficere, & ſubſcriptionibus propriis roborare, vt retundantur noxia; propagentur optata: ne taciturnitate ſilentij vitioſorum criminum nutriri videretur licentia, non abſcindi; & quæ opportuna erant pro qualitate temporis adiici, non putarentur negligi, ſed procurentur impleri.

CANONES.

I. *De Synodo bis per ſingulos annos, aut ſemel conuocanda.*

Placuit itaque ſancto Concilio, interpoſita virtute domini Martini, in ſancta baſilica ſua conſcribi, vt bis ad Synodum annis ſingulis Metropolitanus & comprouinciales ſui, in locum quem deliberatio Metropolitani elegerit, Deo propitiante, conueniant; aut ſi neceſſitas, ſicut hactenus, ineuitabilis præpedierit, vel ſemel in anno, ſine cuiuſlibet excuſatione perſonæ, id eſt regiæ vel priuatæ, ſine cuiuſcumque vtilitatis obſtaculo, præter infirmitatis certiſſimæ labore præuentum, nullius occaſione velaminis, habeat vnuſquiſque concurſum: ſed ſicut dictum eſt, neque per impedimentum ordinationis regiæ, neque ſub occaſione vtilitatis, aut cauſæ propriæ, debeat à
Rom. 8.35. Concilio ſeparari, Apoſtolo prædicante: *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* & reliqua. Non debet ſpiritali operi etiam regalis præferri præceptio, cùm primum in Eccleſia ſit mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Vnde non debet præcepto Domini perſona cuiuſlibet hominis anteponi, neque debet terrenę conditionis actio vel perſona terrere, quos Chriſtus ſpe crucis armauit. Si quis Epiſcoporũ, vt ſuperius dictum eſt, ad Synodum venire diſtulerit, vſque ad maiorem Synodum à Metropolitano & comprouincialibus maneat excommunicatus: nec ei ex alia prouincia vllus Epiſcopus interea communicare præſumat. Ipſe enim ſuæ diuiſionis præparat inſtrumenta, qui cum ſuis fratribus in membris Eccleſiæ non concordat.

II. *De pace inter Epiſcopos conſeruanda.*

Item decernitur propter illud cœleſte mandatum, *Pacem meam do vobis*, vt Pontificalis affectus inter conſacerdotes inuiolabiliter conſeruetur. Verùm ſi pro peccatis, vt aſſolet, ex cauſa liuor emerſerit, vt pendente certamine ſibi inuicem reconciliari non poſſint, electis ab vtraque parte fratribus, id eſt preſbyteris, præponderante dulcedine litis iacula finiant, & vota pacis acquirant. Nam qua fronte feſtucam de alterius oculo velit eruere, qui in ſuo trabem non reſpicit imminentem? aut quid in aliis arguat, à quo magis vitij fons inundat? Si quis autem ab vtraque parte, vt dictum eſt, electis preſbyteris atque mediantibus fratribus, hoc eſt ſuis membris, reconciliari neglexerit, cùm ad Synodum venerit, non ſolùm reatum coram coepiſcopis ſe cognoſcat incurrere, verùm etiam congruæ pœnitentiæ intelligat vindictam ſubire. Opportunum namque eſt illum animaduerſione ſuccumbere, qui intelligendo peccauit, & quod docere debuit, in ſeipſo neglexit. Ioan. 14. 27

III. *De compoſitione corporis Domini in altari.*

Vt corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, ſed ſub crucis titulo componatur.

IV. *Ne laici in Eccleſia clericis miſceantur.*

Vt laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter clericos tam ad vigilias, quàm ad Miſſas, ſtare penitus non preſumant: ſed pars illa, quæ à cancellis verſus altare diuiditur, choris tantùm pſallentium pateat clericorum. Ad orandum verò, & communicandum, laicis & feminis, ſicut mos eſt, pateant ſancta ſanctorum.

V. *Vt vnaquæque ciuitas ſuos pauperes alat.*

Vt vnaquęque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus paſcat ſecundum vires, vt tam vicani preſbyteri, quàm ciues omnes, ſuum pauperem paſcant: quo fiet vt ipſi pauperes per ciuitates alias non vagentur.

VI. *Vt epiſtolia ſoli dent Epiſcopi.*

Vt nullus clericorum vel laicorum, præter Epiſcopos, epiſtolia facere præſumat.

VII. *De remotione Abbatum, vel Archipresbyterorum, ſine conſilio ab Epiſcopis non facienda.*

Vt Epiſcopus nec Abbatem, nec Archipreſbyterum, ſine omnium ſuorum compreſbyterorum & Abbatum conſilio, de loco ſuo præ-

ſumat eiicere, neque per pręmia alium ordinare, niſi facto Concilio tam Abbatum quàm preſbyterorum ſuorum, quem culpa aut negligentia eiicit, cum omnium preſbyterorum conſilio refutetur.

VIII. *Vt Epiſcopus ei, quem alter Epiſcopus excommunicauit, non communicet.*

Quicumque Epiſcopus illum, quem alter Epiſcopus excommunicatum habet, poſtquam fuerit de ipſius excommunicatione commonitus, communicare pręſumpſerit, vſque ad Synodum excommunicatus habeatur.

IX. *Vt in Britannia ſine conſenſu Metropolitani, vel comprouincialium, Epiſcopi non ordinentur.*

Adiicimus etiam, ne quis Britannum, aut Romanum, in Armorico, ſine Metropolitani aut comprouincialium voluntate vel literis, Epiſcopum ordinare præſumat. Quòd ſi quis contraire tentauerit, ſententiam in anterioribus canonibus prolatam obſeruet, & à noſtra caritate vſque ad maiorem Synodum ſe cognoſcat remotum, & excommunicatum: quia meritò à caritate noſtra, vel noſtris Eccleſiis ſegregantur, qui patrum ſtatuta contemnunt.

X. *Vt nullus clericus extraneam mulierem domi habeat.*

De familiaritatibus mulierum licet crebriùs ſit in canonibus replicatum, attamen neceſſe eſt, vt ſi ſecta virgulta, quæ malè pullulauerant, redeant, rurſus fidei falce ſuccidantur, & iam radicitus eruantur. Nullus ergo deinceps clericorum, pro occaſione neceſſitatis, aut cauſa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo ſua habere præſumat. Et cùm iubeamur victum aut veſtitum artificiolo quęrere, & manibus propriis laborare, quid opus eſt in domo ſerpentem includere pro veſte, quæ multiformem veſtem non propterea deponit vt nudetur, ſed vt ſe, dum renouatur, oſtendat clariorem? Nullus ergo clericorum, non Epiſcopus, non preſbyter, non diaconus, non ſubdiaconus, quaſi ſanctimonialem, aut viduam, vel ancillam propriam, pro conſeruatione rerum in domo ſua ſtabilire præſumat; quæ & ipſa extranea eſt, dum non eſt mater, aut ſoror, aut filia: quæ etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoſcitur ſubiecta dominatui. Si quis Epiſcopus, aut preſbyter, ſeu diaconus, aut ſubdiaconus, de hac re ſtatuta patrum, vel noſtra, temerare præſumpſerit, excommunicetur.

XI. *Vt Epiſcopus nullam ignauiam ad diſtringendum habeat, & ſi neceſſe fuerit, ab aliis adiuuetur Epiſcopis.*

Si quis Epiſcopus ad diſtringendum eos, qui in hac facilitate per-

durant, negligens apparuerit, ſicut in ipſa ſancta Baſilica eſt publicè recitatum, ex conſenſu communi atque totius populi, ſententiam prędeceſſorum canonum ſe incurrere omnino cognoſcat: ſic tamen vt tam Metropolitanus ſuis comprouincialibus, quàm comprouinciales Metropolitano ſuo, ſi reſiſtere aut contemnere Epiſcopum clerici ſui pręſumpſerint, dent omnino ſolatium. Et quia dixit ſancta ſcriptura, *Frater fratrem adiuuans exaltabitur*; quicumque pro causa Dei fratri ſuo ſolatium commonitus dare diſtulerit, vſque ad Synodum remoueatur. Nam ſi Epiſcopus ſe contemni ſentiens, fratres ſuos in ſolatium ſuum non commonuerit, ipſe ſciat qualiter reddat Domino rationem. Prou.18.19.

XII. *Vt Epiſcopus coniugem habeat, vt ſororem, & nullam de ſe ſuſpicionem præbeat.*

Epiſcopus coniugem vt ſororem habeat: & ita ſancta conuerſatione gubernet domum omnem, tam Eccleſiaſticam, quàm propriam, vt nulla de eo ſuſpicio quaqua ratione conſurgat. Et licet, Deo propitio, clericorum ſuorum teſtimonio caſtus viuat, quia cum illo tam in cella, quàm vbicumque fuerit, ſui habitent, eumque preſbyteri & diaconi, vel deinceps clericorum turba iuniorum, Deo auctore conſeruent: ſic tamen, propter zelotem Deum noſtrum, tam longè abſint manſionis propinquitate diuiſi, vt nec hi, qui ad ſpem recuperandam clericorum ſeruitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

XIII. *Vt Epiſcopus qui coniugem non habet, extraneas mulieres domi non habeat.*

Epiſcopum Epiſcopam non habentem nulla ſequatur turba mulierum, licet ſaluetur vir per mulierem fidelem, ſicut & mulier per virum fidelem, vt Apoſtolus ait. Nam vbi talis cuſtodia neceſſaria non eſt, quid neceſſe eſt, vt miſeria proſequatur, vnde fama conſurgat? Habeant miniſtri Eccleſiæ, vtique clerici qui Epiſcopo ſeruiunt, & eum cuſtodire debent, licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis eiicere. 1.Cor.7.14.

XIV. *Ne duo clerici, aut monachi, in vno ſtratu recumbant. & vt monachi omnes in communi ſchola iaceant.*

Et ne occaſio famam laceret honeſtatis, quia aliqui laici, dum diuerſa perpetrant adulteria, hoc quod de ſe ſciunt in aliis ſuſpicantur, ſicut ait Seneca, peſſimum in eo vitium eſſe, qui in id quo inſanit cæteros putat furere. Vt ergo ipſe ſiniſtræ exiſtimationis aditus amputetur, nullus ſacerdotum, ac monachorum, colligere alium in lecto ſuo præſumat. Nec liceat monachis cellulas habere communes, vbi

aut bini maneant, aut peculiares reponi poſſint: ſed ſchola labore communi conſtruatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate, aut Præpoſito gubernante; vt dum duo vel tres viciſſim legant & excubent, alij conſolentur: vt non ſolùm ſit cuſtodia corporum, ſed & ſurgat pro lectione aſſidua profectus animarum.

XV. *De monachis qui coniugia ineunt excommunicandis, & auxilio iudicis ſeparandis.*

Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec, quod abſit, vllus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Nam ſi, vt ſupra dictum eſt, vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè ſociatæ conſortio etiam iudicis auxilio ſeparetur. Quòd ſi iudex ad hoc ſolatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix monachus tali coniunctione fœdatus, ſi per cuiuſcumque patrocinium ſe conatus fuerit defenſare, & is qui in hac pertinacitate perdurat, & illi qui eum exceperint ad defenſandum, ab Eccleſia ſegregentur; donec reuertatur ad ſepta monaſterij, & indictam ab Abbate, quamdiu ei præceptum fuerit, agat pœnitentiam, & poſt ſatisfactionem reuertatur ad gratiam.

XVI. *Ne mulier ſepta monaſterij introire permittatur.*

Vt mulier intra ſepta monaſterij nullatenus introire permittatur. Si Abbas in hac parte, aut Præpoſitus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non ſtatim eiecerit, excommunicetur.

XVII. *De obſeruatione ieiuniorum monachis obeunda.*

De ieiuniis verò antiqua à monachis inſtituta ſeruentur, vt de Paſcha vſque Quinquageſimam, exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur: poſt Quinquageſimam tota hebdomade ex aſſe ieiunent. Poſtea vſque ad Kalendas Auguſti ter in ſeptimana ieiunent, ſecunda, quarta, & ſexta die, exceptis his qui aliqua infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto, quia quotidie Miſſæ Sanctorum ſunt, prandium habeant. In Septembri toto, & Octobri, & Nouembri, ſicut priùs dictum eſt, ter in ſeptimana. De Decembri vſque ad Natale Domini, omni die ieiunent. Et quia inter Natale Domini & Epiphania omni die feſtiuitates ſunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud, quo ad calcandam gentilium conſuetudinem, patres noſtri ſtatuerunt priuatas in Kalendis Ianuarij fieri Litanias, vt in Eccleſiis pſallatur, & hora octaua in ipſis Kalendis Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur. Poſt Epiphania verò vſque ad Quadrageſimam ter in ſeptimana ieiunent.

XVIII. *De obſeruatione pſallendi.*

Itemque pro reuerentia domini Martini, vel cultu ac virtute, id ſtatuimus obſeruandum, vt tam in ipſa Baſilica ſancta, quàm in Eccleſiis noſtris, iſte pſallendi ordo ſeruetur. Vt in diebus feſtis ad Matutinum ſex antiphonæ binis pſalmis explicentur: toto Auguſto manicationes fiant, quia feſtiuitates ſunt & Miſſæ ſanctorum: Septembri ſeptem antiphonæ explicentur binis pſalmis: Octobri octo ternis pſalmis: Nouembri nouem ternis pſalmis: Decembri decem ternis pſalmis: Ianuario & Februario itidem vſque ad Paſcha. Sed vt poſſibilitas habet, qui facit ampliùs pro ſe, & qui minùs vt potuerit. Supereſt vt vel duodecim pſalmi expediantur ad Matutinum: quia Patrum ſtatuta præceperunt, vt ad Sextam ſex pſalmi dicantur cum Alleluia, & ad Duodecimam duodecim, itemq; cum Alleluia. quod etiam Angelo oſtẽdente didicerunt. Si ad Duodecimam duodecim pſalmi, cur ad Matutinum non itemque vel duodecim explicentur? Quicumque minùs quàm duodecim pſalmos ad Matutinum dixerit, ieiunet vſque ad veſperam, panem cum aqua manducet, & non illi ſit altera in illa die vlla refectio. Et qui hoc facere contempſerit, vna hebdomada panem cum aqua manducet, & ieiunet omni die vſque ad veſperam.

XIX. *De Archipresbyteris, & aliis clericis coniugatis, qua cautela ſegregati ab vxoribus viuere debeant.*

Archipreſbyteri vicani, & diaconi, & ſubdiaconi, non quidem omnes, ſed plures in hac ſuſpicione tenentur à populo, quòd cum coniugibus ſuis maneant. Pro qua re hoc placuit obſeruare, vt quotieſcumque Archipreſbyter, ſeu in vicò manſerit, ſeu ad villam ſuam ambulauerit, vnus lector canonicorum ſuorum, aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet, & in cella, vbi ille iacet, lectum habeat pro teſtimonio. Septem tamen inter ſubdiaconós, & lectores, vel laicos habeat conceſſos, qui viciſſim ſeptimanas ſuas cum illo facere omnino procurent, & qui diſtulerit, fuſtigetur. Et ſi in hoc preſbyter negligens inuentus fuerit, quod non hoc ſic implere contendat, triginta diebus communione priuetur, donec pœnitentiam agat, & ſic reuertatur ad gratiam. Reliqui preſbyteri, & diaconi, & ſubdiaconi vicani hoc ſtudio ſe cuſtodiant, vt mancipiola ſua ibi maneant, vbi vxores ſuæ: illi tamen ſegregatim ſolitarij in cella iaceant, & orent, & dormiant. Nam qui vxores non habent, in parte de mancipiolis ſuis habeant cellulas ſegregatim, vbi & ipſi itidem, & orent ſegregati, & dormiant. Nam ſi inuentus fuerit preſbyter cum ſua presbytera, aut diaconus cum ſua diaconiſſa, aut ſubdiaconus cum ſua ſubdiaconiſſa, annum integrum excommunica-

tus habeatur; & depoſitus ab omni officio clericali, inter laicos ſe obſeruare cognoſcat: eo tamen permiſſo, vt inter lectores in pſallentium choro colligatur. Illi verò Archipresbyteri, qui talem cautelam ſuper iuniores ſuos habere noluerint, & non eos habuerint ſtudio diſtringendi, ab Epiſcopo ſuo in ciuitate retrudantur in cellam, ibique menſe integro panem cum aqua manducent, & pœnitentiam agant pro ſibi credito clero: quia nulli clericorum, iuxta ſententiam canonum, cum coniuge ſua manere permittitur. Et quia hæreſis Nicolaitarum per Nicolai facilitatem ſurrexit, vbi legitur iſta hæreſis preſbyterorum à quo presbytero primùm ſurrexerit? etiam quod nullus potuit æſtimare, quòd auderet ille, qui corpus Domini conſecrat, talia perpetrare, niſi tempore nouiſſimo pro peccatis noſtris illa ſurrexerunt. Si illi diaconi ſententia Epiſcoporum damnati ſunt, & hæretici reputati, ac ſi tales diaconi illi ſubiacent maledictioni, quos Patrum ſtatuta pro hac cauſa damnarunt, quid illi infelices presbyteri, qui tali ſunt peccato ſubiecti, vt alios trahant in præceps ſecum, qui eos tali ordine viuere cernunt; & qui deberent eſſe forma præcepti, ipſi inueniantur norma peccati? Rectius eſt vt caput morbidum, ſi curari non poteſt, amputetur, quàm grex per eumdem inficiatur. Talis ergo ſacerdos & paſtor non debet à populo venerari, ſed re[illegible]nui, qui non formam diſciplinæ, ſed vitij docet, dum ſeipſum non corrigit.

XX. *De virginibus & reliquis caſtitatem profeſſis, vel viduis, quæ poſt [illegible]tatam veſtem coniugio copulatæ ſunt.*

17 q. 1. Quæ Chriſto. Et quia in ſententia Papæ Innocentij ad Victricium Epiſcopũ Rotomagenſem lata, legitur ſcriptum de virginibus, quæ Chriſto ſpiritaliter nupſerunt, & velari à ſacerdote meruerunt, ſi poſtea nupſerint, quòd vix etiam ad agendam pœnitentiam mereantur accedere,

Cap. 12. quia ſic dicit: *Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupſerit, habeatur adultera; quanto magis & illa damnanda eſt, quæ antè immortali ſponſo ſe coniunxerat, & poſtea ad*

Cap. 13. 17. q. 1. Hæ verò. *humanas nuptias tranſmigrauit?* Et adiecit: *Hæ verò quæ necdum ſacro velamine tectæ ſunt, tamen in propoſito virginali ſemper ſe manere ſimulauerunt, licet velatæ non ſint, ſi poſtea nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Deo tenebatur. Nam ſi inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, ſolui ſine vindicta non debet?* Poſt hoc de viduis adiunxit: *Nam ſi Paulus Apoſtolus, ſi quæ à propoſito viduitatis diſceſſerunt, dixit eas habere damnationem, vbi ait, quia primam fidem irritam fecerunt,* &c. Quis ſacerdotum contra decreta talia, quæ à ſede Apoſtolica proceſſerun-

runt, agere præſumat? vel quis, quod peius eſt, contra ſententiam, quam vas electionis Paulus Apoſtolus Spiritu ſancto miniſtrante promulgauit, aliud conſcribere vlla ratione præſumat, cùm dicat ipſe per Spiritum ſanctum, Qui prædicauerit præter id quod prædicaui, anathema ſit? Et quorum auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos ſedes Apoſtolica ſemper aut intromiſit, aut apocryphos fecit, & patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas? Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Apoſtolus Paulus, vel Papa Innocentius ſtatuit, in canonibus noſtris inſerentes ſtatuamus obſeruandum, vt nullus ſacratam Deo virginem, quæ in honorem Chriſti veſtem mutauit, aut rapere, aut competere, aut ſibi coniugem ſociare præſumat. quia etiam lex Romana conſtituit, vt quicumque ſacratam Deo virginem, vel viduam fortaſſe rapuerit, ſi poſtea eis de coniunctione conuenerit, capitis ſententia feriantur. L. 1. Cod. Theod. De raptu vel matr.
Item, *ſi quis non dicam rapere, ſed attentare matrimonij iungendi cauſa ſacram virginem auſus fuerit, capitis ſententia feriatur.* Cod. eod. l. 2. Cùm etiam in Chronicis habeatur de virginibus gentilium tempore, quæ ſe Deæ Veſtæ ſacrauerant, poſtmiſſo propoſito, & corrupta virginali gratia, legali ſententia viuas in terra fuiſſe defoſſas. Si profana colentes tali ſunt ſententia condemnatæ, quanto magis quæ in honorem redemptoris ſui ſe veſte mutauerint, & perſeuerare noluerint, vtique grauem debent expectare ſententiam? Sicut in Arelatenſi Synodo habetur inſertum: *De puellis quæ ſe vouerunt Deo, & præclari nominis decore floruerunt, ſi poſt xxv. præſertim ætatis ſuæ annum ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt cum his quibus ſe alligauerunt, communione priuentur: ita vt eis poſtulantibus pœnitentia non negetur, cuius pœnitentiæ communio multo tempore differatur.* Conc. Arel. II. c. 52. Cùm etiam id in antiquis Mileuitanis canonibus fuerit ſtatutum: *Item placuit, vt quicumque Epiſcoporum neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cùm vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi aliquo etiam mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet, velauerit virginem, ſeu velauit intra xxv. annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſtorum annorum numero conſtitutum eſt.* Conc. Mileu. c. 26. Nos verò quos lex perimi iubet, ſi cupiunt audire præconem, volumus vt conuertantur ad vitam. Nam perimendi ſunt oris gladio, & à communione priuandi, ſi relicta ſibi decreta ſeniorum obſeruare noluerint, & paſtorem ſuum audire deſpexerint, & eſſe ſeparati noluerint. Qui ergo in hac pertinacia durare voluerint, & plus in volutabro malæ conuerſationis permanere, quàm ſe de vetito coniugio ſeparare, perenni excommunicatione damnentur. Et quicumque Epiſcoporum, aut

preſbyterorum, vel diaconorum, aut ſubdiaconorum, eos cōmunicare præſumpſerit, vſque ad Synodum ab omnibus Epiſcopis excommunicatus habeatur. Et excludatur excuſationis adinuentio, quam modò aliquæ dicere meditantur, quòd própterea ſe veſte mutauerint, ne eas inferiores perſonæ maculatent: cùm non ſolùm domini glorioſæ memoriæ Childebertus & Clotarius reges, conſtitutionem legum de hac re cuſtodierint & ſeruauerint, quam nunc dominus Charibertus rex ſucceſſor eorum præcepto ſuo roborauit, vt nullus vllam puellam abſque parentum voluntate trahere, aut accipere præſumat. Quæcumque ergo timet violentiam, & non vult habere maritum, refugiat ad Eccleſiam, donec propinqui poſſint eam principis impetio, aut ſacerdotis vel Eccleſiæ beneficio liberare & defenſare, ac condigno ſociare marito. Nam quæ ſe veſte mutauerit, abſque dolo in eo propoſito quod diſpoſuit perſeuerare procuret. Illud verò quod aliqui dicunt, vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cùm omnes ſciant quòd numquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis: quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet, ſicut in Epaonenſibus canonibus à Papa Auito, vel Cōc. Epaon. c.21. omnibus Epiſcopis conſcriptum eſt: *Viduarum conſecrationem, quas diaconas vocant, ab omni religione noſtra penitus abnegamus.* Et Conc. Arel. II.c.46. expreſſiùs decretum eſt in Synodo Arelatenſi; *Profeſſas viduas, ſi in incontinentia perſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas.* In Prophetis legitur, quia de alienigenis contra interdicta Dei Hebræi ſortiti vxores, populum Dei à gentibus ſuperatum. pòſt prædicante Propheta, quia dimiſere vxores & filios, & ſeparauerunt ſe ab illicitis coniugiis, ſtatim victoriam fuiſſe ſecutam. Quicumque ergo de laicis ingenuus cum talibus excommunicatis communicare præſumpſerit, excommunicatum ſe eſſe cognoſcat.

XXI. *De adulterinis & inceſtuoſis coniunctionibus.*

De inceſtis verò coniunctionibus cenſuimus ſtatuta canonum vetera non irrumpi. Satis enim facimus, ſi in hac parte ſtatuta priſca ſeruemus. Sed propterea fuit iterare neceſſarium, quia dicunt plures quaſi illud per prædeceſſorum negligentiam ſacerdotum illis non fuiſſet apertum. Sed reuera mentiuntur, cùm ſciamus tales ac tantos viros nullatenus huic negligentiæ ſubiacuiſſe, ſed hoc quod Scripturæ ſanctæ teſtantur aſſiduè prædicaſſe. Propterea placuit etiam de voluminibus librorum pauca perſtringere, & canonibus inſerere, vt excepta lectio de aliis libris in vnum, recitetur ad populum. Sic Leuit.18. enim Dominus locutus eſt: *Cuſtodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non reuelabis*

turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperies, turpitudo enim patris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre, ſiue ex matre, quæ domi vel foris genita eſt, non reuelabis. Turpitudinem filiæ filij tui, vel neptis ex filia, non reuelabis, quia turpitudo tua eſt. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non reuelabis. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies, quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non reuelabis, eo quòd ſit caro matris tuæ. Turpitudinem patris tui non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius, quia tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui eſt, nec diſcooperies ignominiam eius. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis, quia turpitudo fratris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ & filiæ eius non reuelabis. Filiam filiæ eius, & filiam filiæ illius non ſumes, vt reueles ignominiam eius, quia caro illius ſunt, & talis coitus inceſtus eſt. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius. Cum vxore proximi tui non coibis, nec ſeminis commixtione maculaberis. Maledictus homo qui faciet ſculptile & conflatile, abominationem Domino, opus manuum artificum, ponetque illud in abſcondito, & reſpondebit omnis populus, & dicet Amen. Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem ſuam; & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi ſui: & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere: & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli ac viduæ: & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui dormit cum vxore patris ſui, & reuelat operimentum lectuli eius: & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui dormit cum ſorore ſua, filia patris ſui, ſiue matris ſuæ: & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui dormit cum ſocru ſua: & dicet omnis populus Amen. Maledictus qui clàm percuſſerit proximum ſuum: & dicet omnis populus Amen. Itemque ait ſacra ſententia legum, quæ in hac explanatione omni homini, tam docto quàm indocto, aperta eſt, vt quiſquis aut ſororis, aut fratris filiam, aut certè gradu conſobrinam, aut fratris vxorem, ſceleratis ſibi nuptiis iunxerit, huic pœnæ ſubiaceat, vt de tali conſortio ſeparetur, & reliqua. Item alia: Quæcumque mulier ſororis ſuæ maritum poſt mortem illius acceperit, vel ſi quis ex viris mortua vxore ſororem eius aliis nuptiis ſibi coniunxerit, nouerit tali conſortio ſe eſſe notabilem. In Synodo Aurelianenſi, quam inuictiſſimus rex Clodoueus fieri ſupplicauit, ſic decretum eſt: *Ne ſuperſtes frater torum defuncti fratris præſumat aſcendere: néue ſibi quiſquam amiſſæ vxoris ſororem audeat ſociare: quòd ſi fecerint, Eccleſiaſtica diſtrictione feriantur.* In Epaonenſibus canonibus à Papa Auito, vel reliquis Epiſcopis, conſtitutum eſt: *In-*

Deuter. 17. 15. &c.

Cod. Theod. De inceſtis nupt. l. 3.

Cod. eod. l. 4.

Conc. Aurel. I. c. 18.

Cõc. Epaon. c. 30.

ceſtis coniunctionibus nihil prorſus veniæ reſeruamus, niſi cùm adulterium ſeparatione ſanauerint. Inceſtos verò, nec vllo coniugij nomine prauelandos, præter illos, quos vel nominare funeſtum eſt, hos eſſe cenſuimus. vt ſi quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali coniunctione violauerit: ſi quis inſuper germanam vxoris ſuæ acceperit: ſi quis nouercam duxerit: ſi quis conſobrinæ ſobrinæue ſe ſociet, ab Eccleſia ſegregetur. Quod vt à præſenti tempore prohibemus, ita ea quæ ſunt anteriùs inſtituta non ſoluimus. Si quis relictæ auunculi miſceatur aut patrui, vel priuignæ cócubitu polluatur. Sanè quibus coniunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugij facultatem. In canonibus etiam Aruernenſibus à beatiſſimis patribus ſic habetur inſertum. *Si quis relictam fratris, ſororem vxoris, priuignam, conſobrinam, ſobrinámue, vel relictam patrui vel auunculi, carnalis contagij crediderit conſortio violandam, & auſu ſacrilego auctoritatem diuinæ legis ac iura naturæ perruperit, & cui caritatis ac pij affectus ſolatia exhibere debuerat, ſuorum hoſtis ac pudicitiæ expugnator, vim inferre tentauerit, Apoſtolicæ conſtitutionis ſententia feriatur: & quamdiu in tanto verſatur ſcelere, à Chriſtiano cœtu atque conuiuio, & Eccleſiæ communione priuabitur.* Nos hoc quod patres noſtri ſtatuerunt in omnibus roboramus: quia præcepto Domini Apoſtolo prædicante docemur, vt à nobis filij noſtri ſeueritate potiùs corrigantur, quàm ignaua tepiditate ad perpetranda grauiora laxentur, vbi ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate & ſpiritu manſuetudinis? Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrûm qui opus hoc fecerit. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti.* Ergo quia dixit Apoſtolus, *Imitatores mei eſtote; ſicut & ego Chriſti*, non nos præſumptioſos exiſtimet homo, ſi ſequentes Apoſtolum, quemquam ab Eccleſia ſegregamus, donec reminiſcatur & reuertatur ad vitam, quam per Dominum IESVM Chriſtum, & baptiſmum meruit habere perpetuam, ne iam peccato faciente, ac Diabolo perſuadente, perdat & baptiſmi gratiam & vitam æternam.

Conc. Aruern. c. 12.

1. Cor. 4. 21.

1. Cor. 11. 1.

XXII. *De Kalendis Ianuarij, & Cathedra S. Petri.*

Enimuerò quoniam cognouimus nonnullos inueniri ſequipedas erroris antiqui, qui Kalendas Ianuarij colunt, cùm Ianus homo gentilis fuerit, rex quidē, ſed Deus eſſe non potuit. Quiſquis ergo vnum Deum Patrem regnantem cum Filio & Spiritu ſancto credit, certè hic non poteſt integer Chriſtianus dici, qui aliqua de gentilitate cuſtodit. Sunt etiam qui in feſtiuitate Cathedræ domni Petri Apoſtoli

cibos mortuis offerunt, & poſt Miſſas redeuntes ad domos proprias, ad gentilium reuertuntur errores, & poſt corpus Domini, ſacratas Dæmoni eſcas accipiunt. Conteſtamur illam ſollicitudinem tam paſtores quàm preſbyteros gerere, vt quemcumque in hac fatuitate perſiſtere viderint, vel ad neſcio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, deſignata loca gentilium, perpetrare quæ ad Eccleſiæ rationem non pertinent, eos ab Eccleſia ſancta auctoritate repellant, nec participare ſancto altario permittant qui gentilium obſeruationes cuſtodiunt. Quid enim dæmonibus cum Chriſto commune, cùm magis ſumendo iudicium delicta videatur addere quàm purgare?

XXIII. *De hymnis recipiendis.*

Licet hymnos Ambroſianos habeamus in canone; tamen quoniam reliquorum ſunt aliqui, qui digni ſunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos præterea, quorum auctorum nomina fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide conſtiterint, dicendi ratione non obſtant.

XXIV. *De his qui per diſcordias regum res Eccleſiarum, aut ſacerdotum competunt.*

Illud quoque, quamquam priorum canonum ſit auctoritate præfixum, quod dum inter ſe ſæuiunt Domini noſtri, ac malorum hominum ſtimulo concitantur, & alter alterius res rapida cupiditate peruadit, ne iſta caduca actione, qua inter ſe aguntur, Eccleſiaſtica rura contingere, aut contaminare præſumant, inuiolabiliter obſeruandum cenſemus, vt quicumque tam Eccleſiæ quàm Epiſcopi res proprias, quæ & ipſæ Eccleſiæ noſcuntur eſſe, quas Pontifex actoribus Eccleſiæ dignoſcitur aſſignaſſe, vel Abbatum, aut monaſteriorum, ſiue preſbyterorum, quaqua temeritate peruadere, competere, vel confiſcare præſumpſerit, tunc reſeruato correctionis loco adhuc à preſbytero eiuſdem Eccleſiæ, cuius intereſt, peruaſorem cõuenit admoneri: & ſi reſtitutionem diſtulerit, adhuc quaſi filius ab omnibus fratribus ad reddendum miſſis epiſtolis compellatur. Quòd ſi pertinaciter in peruaſione perſtiterit, & ſe tollere poſt tertiam commonitionem de re illa, aut Eccleſiæ, aut propria noluerit, conuenit vt omnes omnino vna conniuentia, ſimul cum noſtris Abbatibus ac preſbyteris, vel clero, qui ſtipendiis ex ipſo alimento paſcuntur, quia arma nobis non ſunt alia, auxiliante Chriſto, circumſepto clericali choro, necatori pauperum, qui res peruadit Eccleſiæ, pſalmus CVIII. dicatur, vt veniat ſuper eum illa maledictio quæ ſuper Iudam venit, qui dum loculos faceret, ſubtrahebat pauperum alimenta: vt non ſolùm excommunicatus, ſed etiam anathematizatus moriatur, & cæleſti gladio feriatur, qui in deſpectu Dei, & Eccleſiæ, & Pontificum,

in hac peruaſione pręſumit aſſurgere. Illud etiam annecti placuit, vt qui de fratribus ad dandum ſolatium venire pro certa infirmitatis neceſſitate non potuerit, Abbates & presbyteros in vice ſua tranſmittat. Qui ſi præter certam infirmitatis excuſationem commonitus, aut venire, aut tranſmittere noluerit, remotum ſe à fratrum caritate eſſe cognoſcat. Nam, quod quidem non credimus, ſi quis contra decreta noſtra tali temeratori communicare præſumpſerit, in ſe cauſam excommunicationis transformet, & cum eodem ſe à caritate omnium ſacerdotum cognoſcat eſſe remotum.

XXV. *De peruaſoribus, ſeu retentoribus rerum Eccleſiaſticarum.*

Conc. Pariſ. III. c. 1. Placet itaque, ac omnibus modis conuenit obſeruare, vt quia nonnulli memores ſui per quaſlibet ſcripturas pro captu animi de facultatibus ſuis Eccleſiis aliquid contuliſſe probantur, quod à diuerſis Deum minus timentibus, eatenus mortifera calliditate tenetur, vt aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam; nec intueri corde poſſint diem iudicij, dum nimiæ cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus ſui, res Eccleſiis, vt ſupra diximus, delegatas iniuſtè poſſidens pręſumpſerit retinere, & veritate comperta res Dei ſeruis eius diſſimulauerit reformare, ab omnibus Eccleſiis ſegregatus, à ſancta communione habeatur extraneus: nec aliud mereatur habere remedium, niſi cum culpam propriam rerum emendatione purgauerit. Indignè enim ad altare Domini properare permittitur, qui res Eccleſiaſticas & audet rapere, & iniuſtè poſſidere iniqua defenſione perdurat. Necatores enim pauperum iudicandi ſunt, qui eorum taliter alimenta ſubtraxerint. Sacerdotalis tamen debet eſſe prouiſio, vt vindictam admonitio manifeſta præcedat, vt res vſurpatas iniuſtè qui abſtulit, adhibita æquitate reſtituat. Quòd ſi neglexerit, & neceſſitas compulerit, poſtea prædonem ſacerdotalis diſtrictio maturata percellat. Neque quiſquam per interregna res Dei nitatur defenſare: quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos ſingulari dominatione concludit.

XXVI. *De iudicibus, aut potentibus, qui pauperes opprimunt.*

Vt iudices aut potentes qui pauperes opprimunt, ſi commoniti à Pontifice ſuo ſe non emendauerint, excommunicentur.

XXVII. *Ne de ordinationibus clericorum præmia exigant Epiſcopi.*

Nullus Epiſcoporum de ordinationibus clericorum præmia præſumat exigere, quia non ſolùm ſacrilegum, ſed & hæreticum eſt, ſicut in Dogmatibus Eccleſiaſticis habetur inſertum, ad ordinandum clericum per ambitionem, ad imaginem Simonis magi, pecuniam offerre ſacerdoti. quia dicitur, *Gratis accepiſtis, gratis date.* Et cùm

Dogm. Eccleſiaſt. c. 71. Matth. 10. 8.

talis ſit qui gratiam Dei à ſacerdote æſtimat pretio comparari, qualis ille qui vendit, vterque vſque ad Synodum ab Eccleſia ſegregetur. Cauta eſt enim in ſalutem prouiſio ad effugiendam culpam delicti, aditum delinquendi repellere.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

EVFRONIVS Turonicæ ciuitatis Epiſcopus has conſtitutiones noſtras relegi & ſubſcripſi. Notaui ſub die XV. Kalendas Decembris, anno VI. regni domni noſtri Chariberti glorioſiſſimi regis.

Prætextatus etſi peccator, in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis, hunc conſenſum noſtrum ſecundum parrum ſtatura relegi, conſenſi, & ſubſcripſi, ſub die XV. Kalendas Decembris, Turonus.

Germanus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Pariſiacæ conſenſi & ſubſcripſi.

Felix peccator Epiſcopus Eccleſiæ Namneticæ conſenſi & ſubſcripſi.

Calerricus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Carnotenſis conſenſi & ſubſcripſi.

Domitianus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Andegauenſis conſenſi & ſubſ.

Victurius peccator Epiſcopus Eccleſiæ Redonicæ conſenſi & ſubſcripſi.

Domnulus peccator Epiſcopus Eccleſiæ Cenomanenſis conſenſi & ſubſ.

Leudebaudis peccator Epiſcopus Eccleſiæ Sagenſis conſenſi & ſubſcripſi.

EPISTOLA EPISCOPORVM PROVINCIÆ Turonicæ ad plebem miſſa poſt Synodum ſupraſcriptam.

Hortantur vt imminentem cladem auertere ſtudeant. ideóque nuptialia vota differant, rerum omnium decimas perſoluant, cum inimicis redeant in gratiam; mancipiorum etiam decimas offerant, & qui mancipiis carent, pro ſingulis filiis ſingulos dent tremiſſes. inceſtas denique coniunctiones diſſoluant.

PONTIFICALIS eſt ordinis, ad ſuam ſollicitudinem infatigabiliter reuocare, quicquid ad correctionem populorum, immo magis filiorum ſpiritalium, quantum eſt fas intelligere, cognouerit pertinere; & non, quod abſit, cum ſuo periculo alienæ ſpei per ſuam negligentiam facere detrimentum, ſi quod ad generalis ſalutis ſpectat compendium, ſedulo neceſſe eſt prouidere tractatu. Denique paſtor cum lupo videtur conniuentiam facere, ſi permittit rapere, cùm poſſit obſtare. præſertim cùm ſermone prophetico animæ commiſſæ plebis requirantur ad ſingula de manibus ſacerdotis. Ezech. 3. 17. & 33. 7. Vnde quantæ culpæ teneatur reatu dominante ſubiectus, qui ceſſat alicui poculum ſanitatis porrigere, quod cùm non dederit alteri, ſe facit extingui, & in ſe vindictam videtur excipere, de qua crimen alter admiſit, cùm vix quiſque ſufficiat ſua flendo facta purgare? Sed ne alieni facinoris teneamur adſtricti, ecce oris noſtri buccina ad aures omnium perſonamus: neque ſe deinceps excuſabit non monitum, qui quod ſequi debeat tam verbis, quàm litteris edocetur. Sed ſicut nos inceſſabiliter dicere, ita vos decet libenter audire: vt nec nos ſemen in ſpinoſam ſegetem videamur effundere; nec vos patia-

mini ſterilis agri culpa damnati. ſed commune ſit gaudium, quod à nobis panditur, & à vobis impletur; vt cùm dominus vniuerſæ meſſis aduenerit, & terra de fecunditate, & mereatur agricola gloriari de fruge. Itaque, filij cariſſimi, qui eſtis partus diuinæ gratiæ, beatæ fructus Eccleſiæ, regeneratio baptiſmi, poſſeſſio cæli, membra Chriſti, redhibitio regni, veſtra palma, nobis corona, ſalubri admonitione opportunum duximus admonere, quoniam peccatorum noſtrorum in præcipiti mole creſcente videtur cladis grauiſſimæ neceſſitas imminere, nec alibi refugium inuenire, niſi ad illius præcepta recurrere, qui vitam noſtram ſua morte voluit reparare. vt ſi qui ex vobis ſunt in ſponſali pactione deuincti, nec adhuc in matrimonij fœdere copulati, nuptiarum ſuarum etſi definitum iam tempus ſit, licet Apoſtolo vota nuptialia permittente: hos tamen conſilium dantes hortamur, vt iuſto moderamine debeant ad præſens differre, duplici conditione compulſi, vt aut ira Domini per caſtimoniam corporis, & ſinceritatem cordis, oratione adſidua valeat mitigari; & cùm tranquillitas obtineri meruerit, tunc ſine ſuſpicione interitus poſſint vota celebrari feſtiua: aut certè ſi hoc illi de nobis placuerit qui condidit, vt quoſcumque iuſſerit de corpore cogantur migrare, vel ſit iuſtæ conſolationis cautela, vt anima de ſæculo non abripiatur immunda; nec grauior eſſe incipiat mors futura, quàm erat præſenti de funere, ſi pôſtmodum pro crimine non pœna ſæuiret. nam iſtud admitteretur facillimè, ſi nos poſt caſum requies inuitaret. Illud verò inſtantiſſimè commonemus, vt Abrahæ documenta ſequentes, decimas ex omni facultate non pigeat Deo pro reliquis, quæ poſſideris, conſeruandis offerre: ne ſibi ipſe inopiam generet, qui parua non tribuit, vt plura retentet; & quod dicendum eſt veriùs, ſuum perſoluat pretium, ne ſe trahi videat peccato dominante captiuum. quia certè vlterius mercatorem ſuæ ereptionis non inuenit, qui hîc redemptori reſiſtit, cuius vox ſatis intonat dicens, *Eleemoſyna extinguit peccatum*, item, *Date eleemoſynam, & omnia vobis munda erunt*. Quare autem illi de ſuis non offeras, quod cum dare videris non amittas? Faciat ſe vnuſquiſque de rebus alienis gratuitum, ne cùm nihil habeat proprium, nec alium præparet inimicum. Ergo ſi quis in Abrahæ conlocari vult gremio, eiuſdem non repugnet exemplo: & ſoluat eleemoſynæ pretium, quiſquis optat regnare cum Chriſto. Illud etiam repetita voce monentes hortamur, vt ſi quis alterius caritatis offenſam quod abſit incurrit, odium vice mutua relaxantes, in amplexu veræ concordiæ feſtinent iam celerrimè conuenire. Quid enim in vacuum dimitti ſibi peccatum deſiderat, qui inimici delicta dimittere non exoptat; cùm prima ſit eleemoſyna non quærere de peccante vindictam, ſed contrà reddere beneficia pro querela? Et licet ſuperiùs dictum ſit, ad exemplum Abrahæ decimas offerri debere: attamen propter cladem quæ imminet hortamur, vt etiam vnuſquiſque de ſuis mancipiis decimas perſoluere non recuſet. quia dicitur in illa infirmitate ad diuiſionem neſcio quam venire perſonas, quaſi nouem auferat, decimam vt relinquat. Vnde ſatis congruet cum mercede animæ vnum ſoluere, vt nouem non poſſit amittere, quàm cum peccati crimine & reliquos perdere, & quem dare noluit non habere. Quod ſi mancipia non ſint, & fuerint aliqui habentes

Gen. 14. 18.

Eccl. 3. 33.

Luc. 11. 41.

bentes binos, aut ternos filios, per vnumquemque ſingulos tremiſſes in Epiſcopi manu contradat, aut quem ſuo loco Pontifex elegerit, adſignare non dilatet, quod poſſit in captiuorum redemptionem conferri: vt cùm ſic agitur, & præſentis iræ remotio, & merces proficiat in futuro. Si qui verò inceſta ſe coniunctione viſi ſunt copulaſſe, in quantum ratio admittit, hortamur etiam, & pro ſalute veſtra rogamus, vt iuxta canonum ſtatuta vſque ad maiorem Synodum ſeparentur: ne ſi voluntate implere diſtulerint, cæleſti quod abſit facere incipiant vltione. Quæ congrua monita, ſicut decet, ab ſpiritalibus filiis admonemus in omnibus recipi ſalubriter & impleri: quatenus qui ad bonum opus mentis deuotæ reſpicit, ipſe quod rogatur repenſet.

In Chriſti nomine Eufronius Epiſcopus plurimum ſaluto.
In Chriſti nomine Felix Epiſcopus plurimum ſaluto.
In Chriſti nomine Domitianus Epiſcopus plurimum ſaluto.
In Chriſti nomine Domnolus Epiſcopus plurimum ſaluto.

SANCTAE RADEGVNDIS
EPISTOLA AD EPISCOPOS.

Quam initio inſtitutæ Congregationis ſuæ, pro eius tutela & ſtabilitate ſcripſit, Conciliòque Turonenſi confirmandam abſens obtulit.

DOMINIS SANCTIS, ET APOSTOLICA SEDE digniſſimis in Chriſto patribus, omnibus Epiſcopis Radegundis peccatrix.

CONGRVÆ prouiſionis tunc roboraliter ad effectum tendit exordium, cùm generalibus patribus, medicis, ac paſtoribus, ouilis ſibi commiſſi cauſa auribus traditur, eorumque ſenſibus commendatur, quorum participatio de caritate conſilium, de poteſtate ſuffragium, de oratione miniſtrare poterit interuentum. Et quoniam olim vinclis laicalibus abſoluta, diuina prouidente & inſpirante clementia, ad religionis normam viſa ſum voluntariè duce Chriſto tranſlata, ac pronæ mentis ſtudio cogitans etiam de aliarum profectibus, vt annuente Domino mea deſideria efficerentur reliquis profutura, inſtituente atque remunerante præcellentiſſimo domno rege Chlotario, monaſterium puellarum Pictaua vrbe conſtitui, conditumque, quantum mihi munificentia regalis eſt largita, facta donatione dotaui. Inſuper congregationi per me Chriſto præſtante collectæ regulam, ſub qua S. Cæſaria deguit, quam ſollicitudo B. Cæſarij Antiſtitis Arelatenſis ex inſtitutione ſanctorum patrum conuenienter collegit, adſciui. Cui conſentientibus beatiſſimis, & huius ciuitatis, & reliquis pontificibus, electione etiam noſtræ congregationis, domnam & ſororem meam Agnetem, quam ab ineunte ætate loco filiæ colui & eduxi, Abbatiſſam inſtitui, ac me poſt Deum eius or-

Greg. Tur. lib. 9. c. 42.

dinationi regulariter obedituram commiſi. Cuique formam Apoſtolicam obſeruantes, tam ego, quàm ſorores, de ſubſtantia terrena quæ poſſidere videbamur factis chartis tradidimus, metu Ananiæ & Sapphiræ, in monaſterio poſitæ nihil proprium reſeruantes. Sed quoniam incerta ſunt humanæ conditionis momenta vel tempora, quippe mundo in finem currente, cùm aliqui magis propriæ, quàm diuinæ cupiant voluntati ſeruire, zelo ducta Dei, hanc ſuggeſtionis meæ paginam heredibus Apoſtolatus veſtri in Chriſti nomine ſuperſtes porrigo vel deuota; & quia præſens non valui, quaſi veſtris prouoluta veſtigiis, epiſtolæ vicarietate proſternor: coniurans per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ac diem tremendi iudicij, (ſic repræſentatos vos non tyrannus oppugnet, ſed legitimus rex coronet) vt ſi caſu poſt meum obitum, quæcumque perſona, vel loci eiuſdem Pontifex, ſeu poteſtas principis, vel alius aliquis, quod nec fieri credimus, congregationem vel ſuaſu maleuolo, vel impulſu iudiciario perturbare tentauerit, aut regulam frangere, ſeu Abbatiſſam alteram, quàm ſororem meam Agnetem, quam beatiſſimi Germani, præſentibus ſuis fratribus, benedictio conſecrauit; aut ipſa congregatio, quod fieri non poteſt, habita murmuratione mutare contenderit; vel quaſdam dominationes in monaſterio, vel rebus monaſteriis, quæcumque perſona, vel Pontifex loci, præter quas anteceſſores Epiſcopi, aut alij me ſuperſtite habuerunt, nouo priuilegio quicumque adfectare voluerit, aut extra regulam exinde regredi quis tentauerit, ſeu de rebus, quas in me præcellentiſſimus domnus Chlotarius, vel præcellentiſſimi domni reges filij ſui contulerunt, & ego ex eius præceptionis permiſſu monaſterio tradidi poſſidendum, & per auctoritates præcellentiſſimorum domnorum regum Chariberti, Gunthramni, Chilperici, & Sigeberti, cum ſacramentali interpoſitione, & ſuarum manuum ſubſcriptionibus obtinui confirmari: aut ex iis, quæ alij pro animarum ſuarum remedio, vel ſorores ibidem de rebus propriis contulerunt, aliquis princeps, aut Pontifex, aut potens, aut de ſororibus cuiuſlibet perſona, aut minuere, aut ſibimet ad proprietatem reuocare ſacrilego voto contenderit; ita veſtram ſanctitatem, ſucceſſorumque veſtrorum poſt Deum pro mea ſupplicatione, & Chriſti voluntate offendens incurrat, vt ſicut prædo & ſpoliator pauperum extra gratiam veſtram habeatur, & nunquam de noſtra regula, vel de rebus monaſterij obſiſtentibus vobis imminuere valeat aliquid, aut mutare. Hoc etiam deprecans, vt cùm Deus prædictam domnam ſororem noſtram Agnetem de ſæculo migrare voluerit, illa in loco eius Abbatiſſa de noſtra congregatione debeat ordinari, quæ Deo & ipſi placuerit, cuſtodiens regulam, & nihil de propoſito ſanctitatis imminuat, & numquam propria, aut cuiuſcumque voluntas hoc præcipiat. Quòd ſi, quod abſit, contra Dei mandatum, & auctoritatem regum, aliquis de ſupraſcriptis conditionibus, vobis coram Domino & ſanctis eius precabiliter commendatis, agere, aut de perſona, aut ſubſtantia minuere voluerit, aut memoratæ ſorori meæ Agneti Abbatiſſæ moleſtias aliquas inferre tentauerit, Dei, & ſanctæ Crucis, & B. Mariæ incurrat iudicium, & beatos Confeſſores Hilarium & Martinum, quibus poſt Deum ſorores meas tradidi defendendas, ipſos habeat contradictores & perſecutores. Te quoque, beate Pontifex, ſuc-

ceſſoreſque veſtros coniuro & deprecor, vt vos, quos patronos in cauſa Dei diligenter adſciſco, ſi quis, quod abſit, extiterit, qui contra hæc aliquid moliri tentauerit, pro repellendo & confutando Dei hoſte non pigeat ad regem, ad quem eo tempore locus iſte reſpexerit, vel ad Pictauam ciuitatem, pro re vobis ante Dominum commendata percurrere, & contra aliorum iniuſtitiam executores & defenſores iuſtitiæ elaborare, vt tale nefas nullomodo ſuis admitti temporibus rex patiatur catholicus, nec conuelli permittat, quod Dei, & mea, & regum ipſorum voluntate firmatum eſt. Simul etiam principes, quos Deus pro gubernatione populi poſt deceſſum meum ſupereſſe præceperit, coniuro per regem cuius regni non erit finis, & ad cuius nutum regna conſiſtunt, qui eis donauit ipſum viuere vel regnare, vt monaſterium quod ex permiſſu, & ſolatio domnorum regum, patris vel aui eorum, conſtruxiſſe viſa ſum, & ordinaſſe regulariter vel dotaſſe, ſub ſua tuitione & ſermone vnâ cum Agnete Abbatiſſa iubeant gubernare, & à nullo neque ſupradictam Abbatiſſam noſtram, neque aliquid ad noſtrum monaſterium pertinens, moleſtari aut inquietari, vel exinde imminui, aut aliquid mutari permittant: ſed magis pro Dei intuitu, vnâ cum domnis Epiſcopis, ipſi me ſupplicante coram redemptore gentium, ſicut eis commendo, defenſari iubeant & muniri: vt in cuius honore Dei famulas protegunt, cum defenſore pauperum, & ſponſo virginum perpetualiter æterno ſocientur regno. Illud quoque vos ſanctos Pontifices, & præcellentiſſimos domnos reges, & vniuerſum populum Chriſtianum coniuro per fidem catholicam, in qua baptizati eſtis, & Eccleſias conſeruatis, vt in baſilica, quam in S. Mariæ Dominicæ genitricis honorem cœpimus ædificare, vbi etiam multæ ſorores noſtræ conditæ ſunt in requie, ſiue perfecta, ſiue imperfecta, cùm me Deus de hac luce migrare præceperit, corpuſculum meum ibi debeat ſepeliri. Quòd ſi quis aliud inde voluerit, aut fieri tentauerit, obtinente cruce Chriſti, & B. Maria, diuinam vltionem incurrat: & vobis intercurrentibus in loco ipſius baſilicæ merear cum ſororum congregatione obtinere loculum ſepulturæ. Et vt hæc ſupplicatio mea, quam manu propria ſubſcripſi, in vniuerſalis Eccleſiæ archiuo ſeruetur, effuſis cum lacrymis deprecor: quatenus ſi contra improbos aliquos neceſſitas exegerit, vt veſtra defenſione ſoror mea Agnes Abbatiſſa, vel congregatio eius, ſuccurri ſibi popoſcerint, veſtræ miſericordiæ pia conſolatio opem paſtorali ſollicitudine ſubminiſtret: nec de me deſtitutas ſe proclament, quibus Deus præſidium veſtræ gratiæ præparauit. Illud vobis in omnibus ante oculos reuocantes, per ipſum qui de cruce glorioſa Virginem ſuam genitricem B. Ioanni Apoſtolo commendauit, vt qualiter ab illo completum eſt Domini mandatum, ſic ſit apud vos, indigna & humilis domnis meis Eccleſiæ patribus & viris Apoſtolicis quod commendo: quod cùm dignanter ſeruaueritis depoſitum, meritis participes, cuius impletis mandatum, Apoſtolicum dignè reparetis exemplum.

SVBSCRIPTIO.

Ego Radegundis peccatrix huic inſtitutioni à me factæ manu propria ſubſcripſi.

DECRETVM EPISCOPORVM, QVOD *ſuſcepta beata Radegundis epiſtola conſcripſerunt.*

DOMINÆ BEATISSIMÆ, ET IN CHRISTO Eccleſiæ filiæ Radegundi, Eufronius, Prætextatus, Germanus, Felix, Domitianus, Victorius, & Domnolus Epiſcopi.

Gregor. Tur. lib. 9 c. 39.

SOLLICITA ſunt iugiter circa genus humanum immenſæ diuinitatis prouiſura remedia, nec ab aſſiduitate beneficiorum ſuorum quocumque loco vel tempore videntur aliquando ſeiuncta; cùm pius rerum arbiter tales in hereditate culturæ Eccleſiaſticæ perſonas vbique diſſeminat, quibus agrum eius intenta operatione fidei raſtro colentibus ad felicem centeni numeri reditum diuina temperie Chriſti ſeges valeat peruenire. Tantum igitur benignitatis eius ſe paſſim diſpenſatio profutura diffundit, vt illud nuſquam deneget, quod prodeſſe multis agnoſcit: quarum perſonarum exemplo ſanctiſſimo, cùm iudicaturus aduenerit, habeat in plurimis quod coronet. Itaque cùm ipſo catholicæ religionis exortu cœpiſſent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia reſpirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia perueniſſent Trinitatis dominicæ ſacramenta; ne quid hîc minus acquireret, quàm in orbis circulo prædicantibus Apoſtolis obtineret, beatum Martinum peregrina de ſtirpe ad inluminationem patriæ dignatus eſt dirigere miſericordia conſulente. Qui licet Apoſtolorum tempore non fuerit, tamen Apoſtolicam gratiam non effugit. Nam quod defuit in ordine, ſuppletum eſt in mercede: quoniam ſequens gradus illi nihil ſubtrahit qui meritis antecellit. Huius quoque, reuerentiſſima filia, in vobis gratulamur rediuiua ſurgere ſupernæ dilectionis exempla propitiatione diuina. Nam declinante tempore ſæculi vetuſtate, veſtri ſenſus certamine fides reuireſcit in flore; & quod veterno tepuerat algore ſenectæ, tandem feruentis animi rurſus incaleſcit ardore. Sed cùm pene eadem veneritis ex parte, qua B. Martinum huc didicimus acceſſiſſe; non eſt mirum ſi illum imitari videaris in opere, quem tibi ducem credimus itineris extitiſſe: vt cuius es ſecuta veſtigia, felici voto compleas & exempla; & beatiſſimum virum in tantum tibi facias eſſe ſocium, in quantum partem refugis habere de mundo. Cuius opinionis radio præmicante, ita reddis audientium pectora cæleſti fulgore ſuffuſa, vt paſſim prouocati puellarum animi, diuini ignis ſcintilla ſuccenſi, raptim feſtinent auidè in caritate Chriſti fonte veſtri pectoris inrigari; & relictis parẽtibus te ſibi magis eligãnt, quàm matrem. Fecit hoc gratia, non natura. Igitur huius ſtudij vota videntes, gratias clementiæ ſupernæ referimus, qui voluntates hominum ſuæ facit voluntati connecti; quoniam confidimus, quas apud vos iubet colligi, ſuo vult complexu ſeruari. Et quia quaſdam comperimus, diuinitate propitia, de noſtris territoriis ad inſtitutionem veſtræ regulæ deſiderabiliter conuolaſſe; inſpicientes etiam veſtræ petitionis epiſtolam libenter à no-

bis exceptam, hoc Chriſto auctore & remediatore firmamus, vt licet omnes æqualiter quæ ibi conueniunt, in Domini caritate manſuræ, debeant inuiolabiliter cuſtodire, quod videntur libenti ſemel animo ſuſcepiſſe: quoniam contaminati non debet Chriſto fides cælo teſte promiſſa; vbi non leue ſcelus eſt templum Dei, quod abſit, pollui, vt ab eo poſſit ira ſuccendente diſperdi. Tamen ſpecialiter definimus, ſi qua, ſicut dictum eſt, de locis ſacerdotaliter noſtræ gubernationi Domino prouidente commiſſis, in Pictaua ciuitate veſtro monaſterio meruerit ſociati, ſecundum beatæ memoriæ domni Cæſatij Arelatenſis Epiſcopi conſtituta, nulli ſit vlteriùs diſcedendi licentia, quæ, ſicut continet regula, voluntate prodita videtur ingreſſa: ne vnius turpi dedecore ducatur in crimen, quod apud omnes emicat in honore. Et ideo ſi, quod auertat Deus, aliqua inſanæ mentis inlicitatione ſuccenſa, ad tanti opprobrij maculam præcipitare ſuam voluerit diſciplinam, gloriam, & coronam, vt inimici conſilio, ſicut Eua eiecta de paradiſo, per qualemcumque locum de clauſtris ipſius monaſterij, immo de cæli regno, exire pertulerit, mergenda & conculcanda vili platearum in luto, ſeparata à communione noſtra, diri anathematis vulnere feriatur. Ita vt ſi fortaſſis, Chriſto relicto, homini voluerit nubere, Diabolo captiuante, non ſolùm ipſa quæ refugit, ſed etiam ille, qui ei coniunctus eſt, turpis adulter, & potius ſacrilegus quàm maritus, vel quiſquis vt hoc fieret venenum magis quàm conſilium miniſtrauit, ſimili vltione, ſicut de illa dictum eſt, cæleſti iudicio nobis optantibus percellatur: donec ſeparatione facta per competentem execrandi criminis pœnitentiam, à loco, quo egreſſa fuerat, recipi meruerit & adnecti. Adiicientes etiam, vt eorum, qui nobis quandoque ſucceſſuri ſunt ſacerdotes, ſimilis condemnationis teneantur adſtrictæ reatu: & ſi, quod non credimus, aliquid ipſi voluerint aliter, quàm noſtra deliberatio continet, relaxare, nouerint ſe nobiſcum æterno definiente iudice cauſaturos: quia communis eſt ſalutis inſtructio, ſi quod Chriſto promittitur inuiolabiliter obſeruetur. Quod noſtræ determinationis decretum, pro firmitatis intuitu propriæ manus ſubſcriptione credidimus roborandum perpetualiter à nobis Chriſto auſpice duraturum.

Deſunt ſubſcriptiones.

Anno Christi 573. Chilperici Regis 12.

BENEDICTVS PAPA.

CONCILIVM PARISIENSE IV.

IN QVO PAPPOLI EPISCOPI CARNOTENSIS cauſa ſuſcepta eſt aduerſus Promotum, qui in caſtro Dunenſi Epiſcopus fuerat conſtitutus, celebratum in S. Petri Baſilica, ſub die III. Idus Septembris, Indictione VI. anno Chriſti DLXXIII. Benedicti Papæ I. Chilperici, & fratrum Regum XII.

Nunc primùm in lucem editum ex codice monaſterij Corbeienſis.

Tenor ſuggeſtionis libelli Synodo oblati à Pappolo Epiſcopo.

DOMNIS SEMPER SVIS, ATQVE APOSTOLICA dignitate colendis, omnibus Epiſcopis, qui in ſancta Synodo nunc Pariſius conuenerunt, Pappolus Carnotinæ ciuitatis Epiſcopus humilis veſter.

ITA nos canonica inſtitutio admonet, vt quotiens aliquæ exortæ fuerint in Eccleſia cauſæ, Synodali hoc conuentu debeat publicari. Ideo, piiſſimi domni, in veſtræ pietatis notitia hæc quæ contra nos geſta ſunt per præſentis libelli noſtri tenorem ſtuduimus deferendum. Ergo cum me ante aliquod temporis, clericorum vel ciuium Carnotinæ ciuitatis voluntas per conſenſum, cum conniuentia etiam Metropolitani mei, fieri Epiſcopum elegiſſet, quod annuente Domino factum eſt, poſt aliquot dies, quidam ex ipſius ciuitatis Carnotinæ territorio preſbyter, nomine Promotus, qui reliquerat ſine litteris anteceſſoris mei cellulam ſuam, inlicita præſumptione parrochiam meam, cui vocabulum eſt Duno, quaſi ſub nomine Epiſcopatus viſus eſt peruaſiſſe. Etiam & facultaticulam Eccleſiæ, cui præeſſe videor, quantum in ipſo pago eſſe conſtat, neſcio per cuius ordinationem, ſimili conditione peruaſit. Pro qua re ſupplex veſter ſanctitati veſtræ ſuggero, & per Spiritum ſanctum, qui in vobis habitat, & diem iudicij futurum, & per remiſſionem peccatorum, vobis domnis meis coniuro, vt hoc ita, qualiter vobis fieri non vultis, emendari iubeatis: quatenus nec per callidam præſumptionem quis audeat in poſtmodum per tumorem ſuperbiæ ſimilia perpetrare, & ſimultas Eccleſiæ, veſtro ſtudio & ordinatione, iam Chriſto propitio conquieſcat.

Cuius ſuggeſtione Synodus ſancta, ſpiritali fauore & canonico ritu reſpondens, hæc contra temerarios ſcripſit oblata.

CONSTITVTIO SYNODI AD ÆGIDIVM Epiſcopum Remenſem, qui Promotum in Dunenſi caſtro Epiſcopum temere conſecrarat.

DOMINO ſuo, atque beatiſſimo & meritis Apoſtolico fratri, Ægidio Epiſcopo, Philippus, Sapaudus, Priſcus, Conſtitutus, Laban, Felix, Germanus, Lucretius, item Felix, Clementinus, Syagrius, Optatus, Gallomagnus, Salonius, Quinidius, item Salonius, Sagittarius, Promotus, Geneſius, Polemius, Aunacharius, Eſychius, Palladius, Silueſter, Victor, Pappolus, Claudianus, Heraclius, Tetradius, Licerius, Leudobaudis, & Deſiderius Epiſcopi, nec non Launoueus preſbyter. DVM pro cauſis publicis, priuatorumque querelis Pariſiis moraremur, vir Apoſtolicus frater noſter domnus Pappolus Epiſcopus mediocritati noſtræ detulit in querelam, in caſtro Dunenſi, parrocia denique Carnotina, quod caſtrum nec ad territorium ciuitatis veſtræ, nec ad veſtram prouinciam manifeſtum eſt pertinere, à vobis contra omnem rationem, & contra canonicam diſciplinam Epiſcopum conſecratum. Et licet ſecundum priſca beatiſſimorum patrum decreta potuit huiuſmodi exceſſus in veſtra iniuria acerbiùs coërceri: ſed nos caritatis iura ſeruantes beatitudini veſtræ indicamus, vt preſbyterum ipſum, nomine Promotum, qui omiſſa ſeueritate canonica à vobis dicitur tam temere conſecratus, vt iuſtè debeat de gradus ipſius dignitate deponi, ſicut canonum conſtituta ſanxerunt, ad vos euocetis, vel vobiſcum retineatis, vt iniuriam nec Eccleſiæ, nec ſacerdoti ſuo vlteriùs debeat inrogare. Et quia à fratre veſtro domno Germano Epiſcopo, ad petitionem domni Conſtituti Metropolitani, vt ad Synodum venire deberet, eſt præſentanea inuitatione commonitus, quod quoque domnum Conſtitutum, & domnum Germanum conſtat in Synodum retuliſſe, & ad Synodum venire diſtulit. Idcirco nouerit beatitudo veſtra hoc apud vniuerſum præſenti tempore Concilium conſtitutum, vt ſi memoratus preſbyter, aut propria contumacia, aut cuiuſcumque poteſtatis adſentatione, in prædicta Dunenſi Eccleſia præſumpſerit ſub huius ſubrepti honoris argumentatione vlteriùs reſidere, vel res Eccleſiæ ipſius ampliùs vſurpare, aut altaria benedicere, infantes confirmare, vel ordinationes per quaſcumque parrocias facere, aut Epiſcopo ſuo fratri veſtro domno Pappolo reſiſtere praua intentione præſumpſerit, ab omni cœtu Epiſcoporum, vel à communionis conſortio perpetuo anathemare feriatur: & frater noſter domnus Pappolus Epiſcopus, vel Eccleſia Carnotina, parrocias quas hucuſque habuit ſub ſua ordinatione debeat auxiliante Domino gubernare. Statuentes etiam, vt quicumque de populo illo benedictionem memorati Promoti preſbyteri poſt hoc edictum manifeſtatum, vel publicatum, aut expetierit, aut accipere contentus fuerit, à communionis conſortio, vel ab Eccleſiæ liminibus arceatur. *Data Conſtitutio die* III. *Iduum Septembrium, anno* XII. *regum domnorum noſtrorum, Indictione* VI. *Pariſius.*

SVBSCRIPTIONES.

Philippvs in Chriſti nomine Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus hanc conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Sapaudus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis hanc conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Priſcus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Conſtitutus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Laban peccator Eccleſiæ Eloſanæ conſenſi.

Felix in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Germanus peccator, etſi indignus, in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Pariſiacæ, conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Lucretius ac ſi peccator, in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Deenſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Item Felix, ac ſi peccator, in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Namneticæ conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Clementinus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Syagrius in Chriſti nomine Æduorum Epiſcopus conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Optatus in Chriſti nomine Antipolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Gallomagnus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Trecaſſinæ conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Salonius in Chriſti nomine Epiſcopus ciuitatis Genauenſium conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Quinidius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vaſenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Item Salonius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Ebredunenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Sagittarius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Promotus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Glannatinæ conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Geneſius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Segeſtericæ conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Polemius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Agennenſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Aunacharius in Dei nomine Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Eſychius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Palladius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Sanctonicæ conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Siluester in Christi nomine Epiſcopus ciuitatis Eccleſiæ Veſontienſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Victor in Christi nomine Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtinæ conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Pappolus in Christi nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Claudianus in Christi nomine Epiſcopus Eccleſiæ Regenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Heraclius in Christi nomine Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Tetradius in Christi nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vendaſcenſis conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Licerius in Christi nomine Epiſcopus Eccleſiæ Eloronenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Leudobaudis peccator Eccleſiæ Sagenſis ſubſcripſi.

Deſiderius Epiſcopus Eccleſiæ Telonenſis conſtitutionem noſtram relegi & ſubſcripſi.

Launoueus preſbyter, in vicem Ricomeri Aurelianorum Epiſcopi, conſtitutionem noſtram ſubſcripſi.

Subſcripta Conſtitutio in Baſilica domni Petri, Indictione ſupraſcripta, Pariſius.

EPISTOLA SYNODI EIVSDEM ad Sigibertum regem, vt Promoti cauſam non defendat.

DOMINO glorioſiſſimo, atque ſanctæ Eccleſiæ catholicæ filio, Sigiſberto regi Sapaudus, Philippus, Priſcus, Conſtitutus, Laban, Felix, item Felix, Germanus, Lucretius, Clementinus, Syagrius, Gallomagnus, Optatus, Salonius, item Salonius, Quinidius, Promotus, Siluester, Geneſius, Polemius, Palladius, Victor, Sagittarius, Aunaarius, Iſychius, Claudianus, Deſiderius, Heraclius, Tetradius, Pappolus, Licerius, & Leudobaudis Epiſcopi. QVANTVM ineffabili gaudio Synodali Concilio nuntiatur, quandoquidem à catholico principe res noua pro dilectione Christi concipitur; tantùm lamentabile execrandumque cenſetur, cùm in Eccleſia ſancta contra Deum, & contra canonum diſciplinam diſſenſio generatur. Nuper etenim non abſque conniuentia gloriæ veſtræ, ſicut credimus, euocati Pariſius venientes, nouam inauditamque ordinationem in caſtro Dunenſi, patrocinia denique Carnotina, factam fuiſſe cognouimus. Quam rem licet vix credere poſſumus cum conſenſu gloriæ veſtræ fieri potuiſſe; tamen ſi cuiuſcumque praua ſuggeſſione præuenti in hac tam obſcena & Eccleſiæ vniuerſæ contraria conſenſiſtis, ab huiuſmodi ſcandali defenſione ſynceritatis veſtræ conſcientiam expietis: quia ſatius eſt, vt ille, qui ambitionis inſtinctu rem tam nefariam doloſa ambitione competiit, per ſatisfactionem pœnitentiæ reatum ſuum abluere compellatur, quàm veſtra puritas, quod auertat diuinitas, huius facinoris contagione maculetur. Et quia nobis neceſſe fuit, vt iuxta canonum con-

ſtituta perſonæ remerariæ deberêt præſumptio coërceri; ideo ſaluris obſequium digno in Chriſto officioſitaris & reuerentiæ cultu præbenres, poſcimus, vt vos, quos Deus & culmine præcipuos, & ſynceritare præclaros eſſe præcepit, non quocumque, aur quorumcumque temerario conſilio ad defenſanda huiuſmodi ſcandala miſcearis: quia Deum ſufficit noſſe, nos nequaquam penitus velle conrra vos diuinam iracundiam promoueri. Annis multis gloriam regni veſtri porentia diuina cum omni felicitate conſeruet, domne glorioſiſſime, & præcellentiſſime domne.

SVBSCRIPTIONES.

Venerator veſter SAPAVDVS Epiſcopus ſalutare præſumo.
Humilis veſter Philippus reuerenrer audeo ſalurare.
Humilis veſter Priſcus reuerenrer audeo ſalurare.
Humilis veſter Conſtiturus reuerenter ſalutare præſumo.
Laban peccaror ſalurare præſumo.
Humilis veſter Felix audeo ſalutare.
Irem Felix humilis veſter audeo ſalutare.
Germanus peccaror, proprius veſter, etſi præſumprioſus, audeo ſalutare, & ſupplico, vt non diſpicias ſuggeſſionem ſacerdotum.
Lucretius veneraror veſter humiliter ſaluto.
Clementinus veneraror veſter humiliter ſaluro.
Syagrius humilis veſter reuerenrer ſalurare præſumo.
Gallomagnus humilis veſter reuerenrer ſalutare præſumo.
Opratus humilis veſter reuerenrer ſaluro.
Salonius veſter reuerenter ſaluto.
Item Salonius humilis veſter debita reuerentia ſalutare præſumo.
Quinidius humilis veſter ſaluro.
Promotus humilis veſter ſeruienrer ſaluto.
Siluester humilis veſter reuerenrer ſaluro.
Geneſius humilis veſter reuerenrer ſaluro.
Polemius peccator, & humilis veſter reuerenter ſaluro.
Palladius peccaror reuerenter ſaluro.
Victor peccator reuerenter ſalurare præſumo.
Sagittarius humilis veſter reuerenrer ſaluro.
Aunaarius humilis veſter reuerenter ſaluto.
Eſychius cliens & humilis veſter reuerenter audeo ſalutare.
Claudianus Epiſcopus humilis veſter ſalutare præſumo.
Deſiderius Epiſcopus humilis veſter ſalurare præſumo.
Pappolus humilis veſter ſalurare præſumo.
Heraclius peccator humilis veſter ſalutare præſumo.
Tetradius peccator reuerenrer ſalutare præſumo.
Licerius peccator reuerenrer ſaluro.
Leudobaudis peccaror ſubſcripſi.

Data epiſtola ſub die III. *Iduum Septembrium, anno* XII. *regum domnorum noſtrorum, Pariſius.*

GERMANI EPISCOPI PARISIORVM EPISTOLA
Ad Brunichildem reginam.

Vt Sigebertum regem reuocet à conſilio belli, quod fratri ſuo inferebat.

DOMINÆ CLEMENTISSIMÆ ATQVE PRÆCELlentiſſimæ, & nobis ſemper piiſſimæ dominæ, & in Chriſto ſanctæ Eccleſiæ filiæ, Brunehildi reginæ Germanus peccator.

QVIA caritas congaudet veritati, & omnia ſuſtinet, & nunquam excidit, propterea ex contribulato corde, & ex intima animi dilectione audemus vobis ſuggerere. Quia eo tempore, quando minor erat numerus populi Chriſtiani, & cum Dei auxilio licebat reſidere quietum, cum Apoſtolis dicebant, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* 2.Cor 6.2. Nunc è contrario tam funeſtos & luctuoſos ante oculos habentes dies, flentes dicimus: Ecce dies tribulationis & perditionis noſtræ adueniunt. Væ nobis, quia peccauimus. Si nos iſtæ non conteruiſſent amaritudines & tribulationes, & corpori exhibuiſſent infirmitatem, per noſmetipſos veſtræ debuimus occurrere pietati. Quia ſi fas dici eſt, ſingulariter & veſtrî dilectionem in noſtro geſtamus pectore, & vnicè de veſtra præſentia ſpirituali deſiderio ſitientes, ſicut cultores & peculiares filij Dei, ambientiſſimè vos viuere atque proficere in omnibus piè optamus. Sed quicumque hominem in anima diligit, ſi minùs oculis carnalibus eum valet intueri, quæ ad animæ & corporis proſperitatem pertinent & ſalutem, omnimodis litterario officio reticere non debet. Vulgi verba iterantes, quæ nos maximè terrent, veſtræ pietati in notitiam deponimus, quæ ita diſſeminata loquentium ore detrahunt, quaſi veſtro voto, conſilio, & inſtigatione, dominus glorioſiſſimus Sigebertus rex tá ardue hanc velit perdere regionem. Non propterea hæc dicimus, quaſi à nobis credatur: ſed ſupplicamus, vt nulla occaſio tribuatur dicendi, vnde vobis tam maximum & periculoſum generetur blaſphemium. Licet hæc regio iam caruiſſe felicitatem, & perditionis noſtræ concludamus terminum: ſed de miſericordia non deſperabamus diuina, adhuc vltionis ſuſpendendi manum, dum emendationis expectatur remedium, ſi non dominaretur intentio, quæ mortem operatur; cupiditas, quæ radix eſt omnium malorum; iracundia, quæ ſenſum aufert prudentiæ. Saluator noſter perſpiciens ſuæ paſſionis imminere tempus, dixit; *Væ homini per quem ſcandalum venit.* Matth.18.7. Quod ore proprio deteſtatus eſt, impune non poſſe manere credimus: omnibus clamamus, omnes conſcientiæ ſuæ cogitationes & actiones conſiderent, & caueant ne cum Iuda proditore huius cōdemnationis ſortiantur iudicium. Deo ſufficit noſſe, optabam aut pro ipſis mori, vt illi viue-

rent; aut ante eorum interitum quocumque caſu vitam finire, vt nec eorum, nec regionis cerneremus interitum. Sed alter ab alterutro excuſatione vtitur, & nullus ex ipſis ante oculos Dei ponit iudicium: neque aliquid Dei reſeruat poteſtati iudicandum, nec credunt ſe iam ſub Dei eſſe notitia. Quia à nullo audiri meremur, vobis & ideo ſupplicamus: quia ſi illi regnum perdiderint, nec vos, nec filij veſtri magnum poſſidebitis triumphum. Ad hoc vos hæc regio ſuſcepiſſe gratuletur, vt per vos ſalutem non interitum percipere videatur. In hoc populi reſtinguitis verba, ſi mitigatis furorem, ſi Dei facitis expectate iudicium. In veritate ſuggero, ſi meam humilem deſpicitis ſupplicationem, adhuc de votorum veſtrorum gaudemus plenitudine. Propterea hæc dolens ſcribo, quia video qualiter præcipitantur & reges & populi, vt Dei incurrant offenſam. Ita legimus, Quicumque in brachij ſui fortitudine ſperauit, antea confuſionem, quàm victoriam promeruit. Quicumque adminiculo gentis ſibi adiuuari poſſe confidit, antea periculum mortis, quàm ſalutem promeruit. Quicumque propter copiam auri & argenti eleuatur in ſuperbiam, antea deſolationis opprobrium ſuſtinebit, quàm ſuæ cupiditatis conſuluiſſet auiditati. Ipſe iudex æternus nunc iudicat, perpetuam iudiciariam poſſidet poteſtatem: non corrumpitur præmiis, aut adſpicit ad vota impiorum, ſed conſiderat cogitationes cordium, & reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Inhoneſta victoria eſt, fratrem vincere, domeſticas domos humiliare, & poſſeſſionem à parentibus conſtructum euertere. Contra ſemetipſos pugnant, ſuamque felicitatem exterminant; de ſua perditione gaudet accelerans inimicus. Qua fide, & ex quo animo, qua deuotione hæc ſcribimus, Deo ſufficit noſſe, vt vobis bona futura præparetis, & nos cum Deo abſolutos eſſe vel paululum ſentiamus. Sed quia ſacerdotibus præceptum eſt,
Eſa 58.1. *vt tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo opera eorum*, ergo piiſſima domina intelligite myſterium, & cauete exemplum. In principio duobus fratribus
Gen. 4. commiſſus erat mundus. Vnus ex ipſis Cain fratricidium perpetrauit, & vſ-
Gen. 37. que ſeptuplum punitionis ſententiam ſuſcepit. Ioſeph fratres ſui per inui-
1. Reg. 18. diam vendiderunt, & poſtea ſeruituti ipſius ſubiugati ſunt. Saül ſanctum Dauid per inuidiam nitebatur occidere: ipſe poſtea in eum miſericordiam
2. Reg. 13. exercuit. Abſalon fratrem interfecit, patrem è regno voluit remouere, & qualem ſuſcepit interitum, nulli habetur incognitum. Præcipuè quoque
Pſal. 36. 9. Dauid Propheta dicente: *Quoniam qui nequiter agunt exterminabuntur: qui*
1. Ioan. 3. 15. *verò expectant Dominum, ipſi hereditabunt terram.* Apoſtolus clamat: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò vadat.* Salua-
Matth 5. 9. Ioan. 14. 27. tor denuntiat: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Vbi eſt pax & caritas, ibidem eſt Dei pietas.
Eſth. 8. Legimus per Heſter reginam populo fuiſſe conceſſam ſalutem. In hac parte & veſtram oſtendite prudentiam, & fidei veſtræ ſalubritatem atque perfectionem, vt & dominum regem à Dei reuocetis offenſa, & populum à parte ſua viuere liceat quietum, donec iudex æternus conſuetam diſcernat iuſtitiam. Quia euidentiſſimè omnibus patet, qui caritatem fraternam poſtponit, deſpicit conſortium, non adquieſcit veritati, omnes Prophetæ contra ipſum loquuntur, omnes Apoſtoli ipſum deteſtantur, & Deus omnipotens ipſe quod conſtituit iudicabit. Præmiſſo ſalutationis obſequio

ſupplicamus, vt latorem præſentium ſeruum veſtrum Gundulfum commendatum habeatis, & quæ per eumdem verbo mandamus, abſque hæſitatione credentes recipiatis, & implere non deſpiciatis, & elaboretis qualiter de veſtra ſalute nobis gaudia præparetis. Illud petimus, vt per veſtræ pietatis reſcriptum ex omnibus iocundari mereamur.

ANNO CHRISTI 577. CHILPERICI REGIS 16.

CONCILIVM PARISIENSE.

IN QVO PRÆTEXTATI EPISCOPI ROTOMAGENSIS cauſa Chilperico rege accuſante diſcuſſa eſt, anno Chriſti DLXXVII. Benedicti Papæ V. Chilperici eiuſdem regis XVI.

INFENSVS *iam antea Prætextato Rotomagenſi Epiſcopo rex Chilpericus, quòd Merouеum ipſius filium cum Brunichilde regina, poſt Sigeberti mortem, matrimonio copulaſſet, cùm alio etiam nomine delatus fuiſſet, hominem accerſiit, detinuitque, quoad in publica Synodi audientia examinaretur. Conuenere igitur Pariſiis in S. Petri Baſilica Epiſcopi* XLV. *Quid porro actum in hoc conuentu, & quò pacto circumuentus Prætextatus ad falſam confeſſionem inductus, atque in exilium à rege ſit eiectus, exponit his verbis Gregorius Turonenſis lib.* V. *Hiſtoriæ cap.* XIX. Audiens, *inquit*, Chilpericus, quod Prætextatus Rotomagenſis Epiſcopus contra vtilitatem ſuam populis munera daret, eum ad ſe arceſſiri præcepit. Quo diſcuſſo, reperit cum eodem res Brunichildis reginæ commendatas: ipſiſque ablatis, eum in exilio vſque ad ſacerdotalem audientiam retineri præcepit. Coniuncto autem Concilio exhibitus eſt. Erant autem Epiſcopi qui aduenerant apud Pariſios in Baſilica S. Petri Apoſtoli. Cui rex ait: Quid tibi viſum eſt, ô Epiſcope, vt inimicum meum Merouechum, qui filius eſſe debuerat, cum amita ſua, id eſt patrui ſui vxore coniungeres? An ignarus eras quæ pro hac cauſa canonum ſtatuta ſanxiſſent? Etiam non hîc ſolùm exceſſiſſe probaris: ſed etiam cum illo egiſti datis muneribus, vt ego interficerer: hoſtem autem filium patri feciſti, ſeduxiſti pecunia plebem, vt nullus mecum fidem habitam cuſtodiret: voluiſtique regnum meum in manu alterius tradere. Hæc eo dicente, infremuit multitudo Francorum, voluitque oſtia Baſilicæ irrumpere, quaſi vt extractum ſacerdotem lapidibus vrgeret: ſed rex hoc prohibuit fieri. Cumque Prætextatus Epiſcopus ea quæ rex dixerat facta negaret, aduenerunt falſi teſtes, qui oſtendebant ſpecies aliquas, dicentes, Hæc & hæc nobis dediſti, vt Merouecho fidem promittere deberemus. Ad hæc ille dicebat: Verum enim dicitis, vos à me ſæpius muneratos: ſed non hæc cauſa extitit, vt rex eiiceretur à regno. Nam & cùm vos mihi & equos optimos, & res alias præberetis, numquid poteram aliud facere, niſi & ego vos ſimili ſorte remunerarem?

Recedente verò tege ad metatum ſuum, nos collecti in vnum ſedebamus in ſectetario Baſilicæ B. Petri. Confabulantibuſque nobis, ſubitò aduenit Aëtius Atchidiaconus Pariſiacæ Eccleſiæ, ſalutatiſque nobis ait: Audite me, ô ſacerdotes Domini, qui in vnum collecti eſtis: aut enim hoc tempore exaltabitis nomen veſtrum, & bonæ famæ gratia refulgebitis; aut certè nullus vos à modo pro Dei ſacerdotibus eſt habiturus, ſi perſonas veſtras ſagaciter non erigitis, aut fratrem perire permittitis. Hæc eo dicente: nullus ſacerdotum ei quicquam reſpondit. Timebant enim reginæ furorem, cuius inſtinctu hæc agebantur. Quibus intentis, & ora digito comprimentibus, ego aio: Adtenti eſtote, quæſo, ſermonibus meis, ô ſanctiſſimi ſacerdotes Dei, & præſertim vos, qui familiariores eſſe regi videmini: adhibere ei conſilium ſanctum atque ſacerdotale, ne exardeſcens in miniſtrum Dei pereat ab ira eius, & regnum perdat & gloriam. Hæc me dicente, ſilebant omnes. Illis verò ſilentibus, adieci: Mementote, Domini mei ſacerdotes, verbi prophetici quod ait, Si viderit ſpeculator iniquitatem hominis, & non dixerit, reus erit animæ pereuntis. Ergo nolite ſilete, ſed prædicate, & ponite ante oculos regis peccata eius, ne fortè ei aliquid mali cõtingat, & vos rei ſitis pro anima eius. An ignoratis quid nouo geſtũ fuerit tempore? quomodo adprehenſum Sigimundũ Clodometis retruſit in carcerem: dixitque ei Auitus Dei ſacerdos, Ne iniicias manum in eum, & cùm Burgundiam petieris, victotiam obtinebis. Ille verò abnuens quæ ei à ſacerdote dicta fuerant abiit, ipſumque cum vxore & filiis interemit, petiitque Burgundiam: ibique oppreſſus, & ab exercitu interemptus eſt. Quid Maximus Imperator? nonne cùm B. Martinum compuliſſet communicare cuidam homicidæ Epiſcopo, & ille, quo facilius addictos morti liberaret, regi impio conſenſiſſet, proſequente regis æterni iudicio, ab imperio depulſus Maximus, morte peſſima condemnatus eſt? Hæc me dicente, non reſpondit vllus quicquam: ſed erant omnes intenti ſtupentes.

Duo tamen adulatores ex ipſis, quod de Epiſcopis dici dolendum eſt, nuntiauerunt regi dicentes, quia nullum inimicum maiorem in ſuis cauſis quàm me haberet. Illico vnus ex aulicis curſu rapido ad me repræſentandum dirigitur. Cumque veniſſem, ſtabat rex iuxta tabernaculum ex ramis factum, & ad dexteram eius Berthetamnus Epiſcopus, ad læuam verò Ragnemodus ſtabat: & erat ante eos ſcamnum pane deſuper plenum cum diuerſis ferculis. Viſóque me rex ait: O Epiſcope iuſtitiam cunctis largiri debes, & ecce ego iuſtitiam à te non accipio: ſed vt video conſentis iniquitati, & impletur in te prouerbium illud, quòd coruus oculum corui non eruit. Ad hæc ego: Si quis de nobis, ô rex, iuſtitiæ tramitem tranſcendere voluerit, à te corrigi poteſt: ſi verò tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris audis; ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronuntiauit eſſe iuſtitiam? Ad hæc ille, vt erat ab adulatoribus contra me accenſus ait: Cum omnibus enim inueni iuſtitiam, & tecum inuenire non poſſum. Sed ſcio quid faciam, vt noteris in populis, & iniuſtum te eſſe omnibus perpateſcat. Conuocabo enim populum Turonicum, & dicam eis, Vociferamini contra Gregorium quòd ſit iniuſtus, & nulli hominum iuſtitiam præſtet. Illis quoque hæc clamantibus reſpondebo, Ego qui rex ſum iuſtitiam cum eodem inuenire non poſſum, & vos

qui minores eſtis inuenietis? Ad hæc ego, Quòd ſim iniuſtus, tu neſcis: ſcit ille conſcientiam meam, cui occulta cordis ſunt manifeſta. Quòd verò falſo clamore populus te inſultante vociferatur, nihil eſt, quia ſciunt omnes hæc à te emiſſa. Ideóque non ego, ſed potiùs tu in acclamatione notaberis. Sed quid plura? Habes legem & canones. hæc te diligenter rimari oportet: & tunc quæ præceperint ſi non obſeruaueris, noueris tibi Dei iudicium imminere. At ille quaſi me demulcens, quod doloſè faciens putabat me non intelligere, conuerſus ad iuſcellum, quod coràm erat poſitum, ait, Propter te hæc iuſcella paraui, in quibus nihil aliud præter volatilia & parumper ciceris continetur. Ad hæc ego cognoſcens adulationes eius dixi, Noſter cibus eſſe debet facere voluntatem Dei, & non his deliciis delectari, vt ea quæ præcipit nullo caſu prætermittamus. Tu verò, qui alios de iuſtitia culpas, pollicere priùs, quòd legem & canones non omittas; & tunc credimus quòd iuſtitiam proſequaris. Ille verò porrecta dextera iurauit per omnipotentem Deum, quòd ea quæ lex & canones edocebant, nullo prætermitteret pacto. Poſt hæc accepto pane, hauſto etiam vino diſceſſi.

Ea verò nocte decantatis nocturnalibus hymnis, oſtium manſionis noſtræ grauibus audio verberibus cogi: miſſóque puero nuntios Fredegundis reginæ adſtare cognoſco. Quibus introductis, ſalutationem reginæ ſuſcipio. Deinde precantur pueri, vt in eius cauſis contrarius non exiſtam, ſimulque ducentas argenti promittunt libras, ſi Prætextatus me impugnante opprimeretur. Dicebant enim, Iam omnium Epiſcoporum promiſſionem habemus, tantùm tu aduerſus non incedas. Quibus ego, Si mihi mille libras auri argentique donetis, numquid aliud facere poſſum, niſi quod Dominus agi præcepit? Vnum tantùm polliceor, quòd ea quæ cæteri ſecundum canonum ſtatuta conſenſerint ſequar: & illi non intelligentes quæ dicebam, gratias agentes diſceſſerunt. Mane facto autem, aliqui de Epiſcopis ad me venerunt, ſimile mandatum ferentes: quibus ego ſimilia reſpondi.

Conuenientibus autem nobis in Baſilica ſancti Petri mane rex adfuit, dixitque, Epiſcopus enim in furtis deprehenſus ab Epiſcopali officio vt auellatur, canonum auctoritas ſanxit. Nobis quoque reſpondentibus, quis ille ſacerdos eſſet cui furti crimen inrogaretur, reſpondit rex, Vidiſtis enim ſpecies quas nobis furto abſtulit. Oſtenderat enim nobis ante diem tertiam rex duo volucra ſpeciebus, & diuerſis ornamentis referta, quæ ad pretiabantur ampliùs quàm tria millia ſolidorum. Sed & ſacculum cum numiſmatis auri pondere tenentem quaſi millia duo. Hæc enim dicebat rex ſibi ab Epiſcopo fuiſſe furata. Qui reſpondit, Recolere vos credo, diſcedente ab vrbe Rotomagenſi Brunichilde regina quòd venerim ad vos: dixique vobis quia res eius, id eſt quinque ſarcinas commendatas haberem; & frequentiùs aduenire pueros eius ad me, vt ea redderem: & nolui ſine conſilio veſtro. Tu autem dixiſti mihi, ô rex, Eiice hæc à te, & reuertantur ad mulierem res ſuæ, ne inimicitia inter me, & Childebertum nepotem meum pro his rebus debeat pullulare. Reuerſus ergo ad vrbem vnum volucrum tradidi pueris: non enim valebant ampliùs ferre. Reuerſi iterum requirebant alia. Iterum conſului magnificen-

tiam veſtram. Tu autem præcepiſti dicens, Eiice, eiice hæc à te, ô ſacerdos, ne faciat ſcandalum hæc cauſa. Iterum tradidi eis duo ex his: duo autem alia remanſerunt mecum. Tu autem quid nunc calumniaris, & me furti arguis, cùm hæc cauſa non ad furtum, ſed ad cuſtodiam debeat deputari? Ad hæc rex: Si hoc depoſitum penes te habebatur ad cuſtodiendum, cur ſoluiſti vnum ex his, & limbum aureis contextum filis in partes diſſecaſti, & dediſti per viros qui me à regno deiicerent? Prætextatus Epiſcopus reſpondit: Iam dixi tibi ſuperiùs, quia munera eorum acceperam: ideóque cùm non haberem de præſenti, quod darem hinc præſumpſi, & eis viciſſitudinem munerum tribui. Proprium mihi eſſe videbatur, quod filio meo Merouecho erat, quem de lauacro regenerationis excepi. Videns autem rex Chilpericus quòd eum his calumniis ſuperare nequiret, attonitus valde, ac conſcientia confuſus, diſceſſit à nobis: vocauitque quoſdam de adulatoribus ſuis, & ait: Victum me verbis Epiſcopi fateor, & vera eſſe quæ dicit ſcio: quid nunc faciam vt reginæ de eo voluntas adimpleatur? Et ait: Ite & accedentes ad eum dicite, quaſi conſilium ex vobiſmetipſis dantes: Noſti quòd ſit rex Chilpericus pius atque compunctus, & citò flectatur ad miſericordiam: humiliare ſub eo, & dicito ab eo obiecta à te perpetrata fuiſſe: tunc nos proſtrati omnes coram pedibus eius dare tibi veniam impetramus. His ſeductus Prætextatus Epiſcopus pollicitus eſt ſe ita facturum.

Mane autem facto conuenimus ad conſuetum locum. adueniensque rex ait ad Epiſcopum: Si munera pro muneribus his hominibus es largitus, cur ſacramenta poſtulaſti vt fidem Merouecho ſeruarent? Reſpondit Epiſcopus: Petij fateor amicitias eorum haberi cùm eo: & non ſolùm hominem, ſed, ſi fas fuiſſet, Angelum de cælo euocaſſem, qui eſſet adiutor eius. Filius enim mihi erat, vt ſæpe dixi, ſpiritalis ex lauacro. Cumque hæc altercatio altiùs tolleretur, Prætextatus Epiſcopus proſtratus ſolo ait: Peccaui in cælum & coram te, ô rex miſericordiſſime, ego ſum homicida nefandus: ego te interficere volui, & filium tuum in ſolio tuo erigere. Hæc eo dicente, proſternitur rex coram pedibus ſacerdotum, dicens: Audite, ô piiſſimi ſacerdotes, reum crimen execrabile confitentem. Cumque nos flentes regem eleuaſſemus à ſolo, iuſſit eum baſilicam egredi. Ipſe verò ad metatum diſceſſit, tranſmittens librum canonum, in quo erat quaternio nouus adnexus, habens canones quaſi Apoſtolicos continentes hæc, Epiſcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehenſus à ſacerdotio diuellatur. His ita lectis, cùm Prætextatus ſtaret ſtupens, Berthcramnus Epiſcopus ait: Audi, ô frater & coepiſcope: quia regis gratiam non habes, ideóque nec noſtra caritate vti poteris, priuſquam regis indulgentiam merearis. His ita geſtis, petiit rex, vt aut tunica eius ſcinderetur, aut centeſimus octauus pſalmus, qui maledictiones Iſcharioticas continet, ſuper caput eius recitaretur: aut certè iudicium contra eum ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret. Quibus conditionibus ego reſtiti, iuxta promiſſum regis, vt nihil extra canones gereretur. Tunc Prætextatus à noſtris oculis raptus in cuſtodiam poſitus eſt. De qua fugere tentans nocte, grauiſſimè cæſus, in Inſulam maris, quod adiacet ciuitatis Conſtantinæ, in exilium eſt detruſus.

CONCILIVM

CONCILIVM AVTISIODORENSE.

SYNODVS AB AVNACHARIO EPISCOPO Autiſiodorenſi cum diœceſis ſuæ Abbatibus & presbyteris celebrata, ſub annum Chriſti DLXXVIII. id eſt Pelagij II. Papæ I. Chilperici Regis XVII.

TITVLI CANONVM.

1. De Kalendis Ianuariis.
2. Vt Quadrageſima initium in Epiphania nuntietur.
3. Vt vota & vigiliæ in Eccleſia exoluantur.
4. Vt auguria & ſortilegia non fiant.
5. Vigiliæ S. Martini interdicta.
6. Vt chriſma à media Quadrageſima petatur.
7. De Synodis presbyterorum, & Abbatum.
8. Quod mulſum in altari offerre non liceat.
9. Ne chori & cantica puellarum, nec conuiuia in Eccleſia permittantur.
10. Ne in altari vbi Epiſcopus Miſſas dixit presbyter illa die Miſſas dicat.
11. De vigiliis Paſchæ, Natalis, & aliarum ſollennitatum.
12. Ne mortuis Euchariſtia detur, nec oſculum: & ne velo vel palla inuoluantur.
13. Vt diaconus pallis ſcapulas non inuoluat.
14. Ne quis in baptiſterio ſepeliatur.
15. Ne mortuus ſupra mortuum mittatur.
16. De obſeruatione diei Dominicæ.
17. De ijs qui ſibi mortem conſciſcunt.
18. Vt baptiſmus extra Paſcha niſi moribundis non conferatur.
19. Vt Miſſa à ieiunis clericis celebrentur & audiantur.
20. Vt Archipresbyter de clericorum adulteriis Epiſcopo, vel Archidiacono denuntiet.
21. Vt clerici cõiugati ab vxoribus abſtineant.
22. Relicta clerici poſt eius mortem alteri nubere non licet.
23. De pœna Abbatis qui monachi peccata non emendat, aut denuntiat.
24. Abbati aut monacho ad nuptias ire non licet.
25. Abbati aut monacho filios de baptiſmo habere non licet.
26. De pœna Abbatis qui mulierem in monaſterium ingredi permiſerit.
27. Nouercam in vxorem accipere non licet.
28 Nec priuignam ducere.
29. Nec cognatam.
30. Nec duas ſorores.
31. Nec conſobrinam, aut ſobrinam.
32. Nec relictam auunculi.
33. Vt presbyteri & diaconi reorum ſupplicia non ſpectent.
34. Vt presbyter iudicio capitis non interſit.
35. Vt clericus clericum ad iudicem ſæcularem non trahat.
36. Vt mulier Euchariſtiam nuda manu non accipiat.
37. Ne mulier pallas Dominicas contrectet.
38. Vt nullus cum excommunicato cõmunicet.
39. Vt qui cum excommunicato communicat ſimili ſententia ſubiaceat.
40. Ne presbyter inter epulas cantet, aut ſaltet.
41. Presbytero, vel diacono accuſare non licet.
42. Vt mulier ſine Dominicali non cõmunicet.
43. De pœna iudicis qui clericum ſine Epiſcopi voluntate diſtrinxerit.
44. De pœna laici qui Archipresbyteri admonitionem contemnit.
45. De obſeruatione horum canonum.

CANONES.

I. *De Kalendis Ianuariis.*

Non licet Kalendis Ianuarij vetula, aut ceruolo facere, vel ſtrenas diabolicas obſeruare: ſed in ipſa die ſic omnia beneficia tribuantur, ſicut & reliquis diebus.

II. *Vt Quadrageſimæ initium in Epiphania nuntietur.*

Vt omnes presbyteri ante Epiphaniam miſſos ſuos dirigant, qui eis de principio Quadrageſimæ nuntient, & in ipſa Epiphania ad populum indicent.

III. *Vt vota & vigiliæ in Eccleſia exoluantur.*

Non licet compenſos in domibus propriis, nec peruigilias in feſtiuitatibus Sanctorum facere; nec inter ſentes, aut ad arbores ſacriuos, vel ad fontes vota exoluere: ſed quicumque votum habuerit, in Eccleſia vigilet, & matriculæ ipſum votum, aut pauperibus reddat: nec ſculptilia aut pede, aut homine lineo fieri penitus præſumat.

IV. *Vt auguria & ſortilegia non fiant.*

Non licet ad ſortilegos, vel ad auguria reſpicere, non ad caragios, nec ad ſortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, adſpicere: ſed quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.

V. *Vigiliæ S. Martini interdicta.*

Omnino & inter ſupradictas conditiones, peruigilias, quas in honore domni Martini obſeruant, omnimodis prohibete.

VI. *Vt chriſma à media Quadrageſima petatur.*

Vt à media Quadrageſima presbyteri chriſma petant: & ſi quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad Archidiaconum ſuum, vel Archiſubdiaconum tranſmittat, ſed cum chriſmario & linteo, ſicut reliquiæ Sanctorum deportari ſolent.

VII. *De Synodis presbyterorum, & Abbatum.*

Vt medio Maio omnes presbyteri ad Synodum in ciuitatem veniant, & Kalendis Nouembris omnes Abbates ad Concilium conueniant.

VIII. *Quod mulſum in altari offerre non liceat.*

Non licet in altario in ſacrificio diuino mellitum, quod mulſum appellant, nec vllum aliud poculum, extra vinum cum aqua mix-

tum, offerre: quia ad grande reatum & peccatum pertinet preſbytero illi, quicumque aliud poculum, extra vinum, in conſecrationem ſanguinis Chriſti offerre præſumpſerit.

IX. *Ne chori & cantica puellarum, nec conuiuia, in Eccleſia permittantur.*

Non licet in Eccleſia choros ſæcularium, vel puellarum cantica exercere, nec conuiuia in Eccleſia præparare, quia ſcriptum eſt: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Matth. 21. 13.

X. *Ne in altari, vbi Epiſcopus Miſſas dixit, presbyter illa die Miſſas dicat.*

Non licet ſuper vno altario in vna die duas Miſſas dicere: nec in altario vbi Epiſcopus Miſſas dixerit, vt preſbyter in illa die Miſſas dicat.

XI. *De vigiliis Paſchæ, Natalis, & aliarum ſolennitatum.*

Non licet in vigilia Paſchæ ante horam ſecundam noctis vigilias perexplere, quia in illa nocte non licet poſt mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis ſolennitatibus.

XII. *Ne mortuis Euchariſtia detur, nec oſculum: & ne velo vel palla inuoluantur.*

Non licet mortuis, nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum inuolui.

XIII. *Ne diaconus palla ſcapulas inuoluat.*

Non licet diacono, velo vel palla ſcapulas ſuas inuolui.

XIV. *Ne quis in baptiſterio ſepeliatur.*

Non licet in baptiſterio corpora ſepeliri.

XV. *Ne mortuus ſupra mortuum mittatur.*

Non licet mortuum ſuper mortuum mitti.

XVI. *De obſeruatione diei Dominicæ.*

Non licet die Dominico boues iungere, vel alia opera exercere, niſi pro cauſis conſtitutis.

XVII. *De iis qui mortem ſibi conſciſcunt.*

Quicumque ſe propria voluntate in aquam iactauerit, aut collum ligauerit, aut de arbore præcipitauerit, aut ferro percuſſerit, aut qualibet occaſione voluntariæ ſe morti tradiderit, iſtorum oblatio non recipiatur. Capitular. l. VII. c. 344. Iuo P. X c. 6.

XVIII. *Vt baptiſmus extra Paſcha, niſi moribundis, non conferatur.*

Non licet abſque Paſchæ ſolennitate vllo tempore baptizare, niſi illos quibus mors vicina eſt, quos grabatarios dicunt. Quòd ſi quis in alio pago, contumacia faciente, poſt interdictum hoc infantes ſuos ad baptiſmum detulerit in Eccleſias noſtras, non recipiantur vſque ad ſatisfactionem. Et quicumque preſbyter ipſos extra noſtrum permiſſum recipere præſumpſerit, tribus menſibus à communione Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.

XIX. *Vt Miſſæ à ieiunis clericis celebrentur, & audiantur.*

Non licet preſbytero, aut diacono, aut ſubdiacono, poſt acceptum cibum vel poculum Miſſas tractare, aut in Eccleſia dum Miſſæ dicuntur ſtare.

XX. *Vt Archipresbyter de clericorum adulteriis Epiſcopo, vel Archidiacono denuntiet.*

Quòd ſi presbyter, quod nefas eſt dicere, aut diaconus, aut ſubdiaconus, poſt acceptam benedictionem, infantes procreauerit, aut adulterium commiſerit, & Archipresbyter hoc Epiſcopo aut Archidiacono non innotuerit ſi ſcit, integro anno non communicet, illi verò qui hoc commiſerint deponantur.

XXI. *Vt clerici coniugati ab vxoribus abſtineant.*

Non licet presbytero, poſt acceptam benedictionem, in vno lecto cum presbytera ſua dormire, nec in peccato carnali miſceri, nec diacono, aut ſubdiacono.

XXII. *Relictæ clerici, poſt eius mortem, alteri nubere non licet.*

Non licet relictæ presbyteri, nec relictæ diaconi, nec ſubdiaconi, poſt eius mortem maritum accipere.

XXIII. *De pœna Abbatis qui monachi peccata non emendat, aut denuntiat.*

Si monachus in monaſterio adulterium commiſerit, aut peculiare habere præſumpſerit, aut furtum fecerit, & hoc Abbas per ſe non emendauerit, aut Epiſcopo, aut Archidiacono non innotuerit, ad pœnitentiam agendam in alio monaſterio retrudatur.

XXIV. *Abbati aut monacho ad nuptias ire non licet.*

Non licet Abbati, nec monacho, ad nuptias ambulare.

XXV. *Abbati aut monacho filios de baptiſmo habere non licet.*

De Conſecr. diſt. 4. Non licet Abbati. Non licet Abbati filios de baptiſmo habere, nec monachis commatres habere.

XXVI. *De pœna Abbatis qui mulierem in monaſterium ingredi permiſerit.*

Quòd ſi quis Abbas mulierem in monaſterio ſuo ingredi permiſerit, aut feſtiuitates aliquas ibi ſpectare præceperit, tribus menſibus in alio monaſterio retrudatur, pane & aqua contentus.

XXVII. *Nouercam in vxorem accipere non licet.*

Non licet vt aliquis ſuam nouercam accipiat vxorem.

XXVIII. *Nec priuignam ducere.*

Non licet vt filiam vxoris ſuæ quis accipiat.

XXIX. *Nec cognatam.*

Non licet vt relictam fratris ſui quis in matrimonium ducat.

XXX. *Nec duas ſorores.*

Non licet duas ſorores, ſi vna mortua fuerit, alteram in coniugium accipere.

XXXI. *Nec conſobrinam, aut ſobrinam.*

Non licet conſobrinam, hoc eſt quæ de duobus fratribus, aut de duabus ſororibus procreatur, in coniugium accipere: nec qui de ipſis nati fuerint, in coniugio ſocientur.

XXXII. *Nec relictam auunculi.*

Non licet vt nepos auunculi vxorem accipiat.

XXXIII. *Vt presbyteri & diaconi reorum ſupplicia non ſpectent.*

Non licet preſbytero, nec diacono, ad trepalium, vbi rei torquentur, ſtare.

XXXIV. *Vt presbyter iudicio capitis non interſit.*

Non licet presbytero in iudicio illo ſtare, vnde homo ad mortem tradatur.

XXXV. *Vt clericus clericum ad iudicem ſæcularem non trahat.*

Non licet presbytero, aut diacono, vel cuiquam clericorum, de qualibet cauſa conclericum ſuum ad iudicem ſæcularem trahere.

XXXVI. *Vt mulier Euchariſtiam nuda manu non accipiat.*

Non licet mulieri nuda manu Euchariſtiam accipere.

XXXVII. *Ne mulier pallam Dominicam contrectet.*

Non licet mulieri manum ſuam ad pallam Dominicam mittere.

XXXVIII. *Vt nullus cum excommunicato communicet.*

Non licet cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum ſumere.

XXXIX. *Vt qui cum excommunicato communicat, ſimili ſententia ſubiaceat.*

Si quis presbyter, aut quilibet de clero, aut de populo, excommunicatum abſque voluntate ipſius, qui eum excommunicauit, ſciens receperit, aut cum illo panem manducauerit, vel colloquium habere decreuerit, ſimili ſententiæ ſubiacebit.

XL. *Ne presbyter inter epulas cantet aut ſaltet.*

Non licet presbytero inter epulas cantare vel ſaltare.

XLI. *Presbytero vel diacono accuſare non licet.*

Non licet presbytero, nec diacono, quemquam inſcribere; ſed in vice ſua, ſi cauſam habuerit, aut fratrem, aut quemcumque ſæcularem roget.

XLII. *Vt mulier ſine Dominicali non communicet.*

Vt vnaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum habeat. Quòd ſi qua non habuerit, vſque in alium diem Dominicum non communicet.

XLIII. *De pœna iudicis qui clericum ſine Epiſcopi conſenſu diſtrinxerit.*

Quicumque iudex, aut ſæcularis, presbytero, aut diacono, aut cuilibet de clero, aut de iunioribus, abſque voluntate Epiſcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbyteri, iniuriam inferre præſumpſerit, anno ab omnium Chriſtianorum conſortio habeatur extraneus.

XLIV. *De pœna laici qui Archipresbyteri admonitionem contemnit.*

Si quis ex ſæcularibus inſtitutionem aut admonitionem Archipresbyteri ſui, contumacia faciente, audire diſtulerit, tamdiu à liminibus ſanctæ Eccleſiæ habeatur extraneus, quamdiu tam ſalubrem inſtitutionem adimplere non ſtuduerit. Inſuper & mulctam, quam glorioſiſſimus dominus rex præcepto ſuo inſtituit, ſuſtineat.

XLV. *De obſeruatione horum canonum.*

Si quis hanc definitionem, quam ex auctoritate canonica communi conſenſu, & conuenientia conſcripſimus ac inſtituimus, tam ad clerum, quàm ad populum commonendum, vel ad id quod conſtitutum eſt conſeruandum, negligens inuentus fuerit, & ob hoc obſeruare diſtulerit, aut eos qui ipſum audire neglexerint, celauerit aut ſuppreſſerit, & in notitiam Epiſcopi non depoſuerit, anno a conſortio fratrum, vel ab omnium Chriſtianorum communione habeatur extraneus.

SVBSCRIPTIONES.

Aunacharius in Dei nomine Epiſcopus conſtitutionem hanc ſubſcr.
Vinobaudis Abbas ſubſcripſi.
Baudonius Abbas ſubſcripſi.
Francolus Abbas ſubſcripſi.
Cæſarius Abbas ſubſcripſi.
Deſideratus Abbas ſubſcripſi.
Amandus Abbas ſubſcripſi.
Tegredus Abbas ſubſcripſi.
Vigilius preſbyter ſubſcripſi.
Gregorius preſbyter ſubſcripſi.
Claudius preſbyter ſubſcripſi.
Anianus preſbyter ſubſcripſi.
Saupandus preſbyter ſubſcripſi.
Theodulfus preſbyter ſubſcripſi.
Ruricius preſbyter ſubſcripſi.
Niobaudis preſbyter ſubſcripſi.
Antonius preſbyter ſubſcripſi.
Seuardus preſbyter ſubſcripſi.
Addo preſbyter ſubſcripſi.
Sindulfus preſbyter ſubſcripſi.
Audouius preſbyter ſubſcripſi.
Medardus preſbyter ſubſcripſi.
Badericus preſbyter ſubſcripſi.
Syagrius preſbyter ſubſcripſi.
Friobaudis preſbyter ſubſcripſi.
Eominus preſbyter ſubſcripſi.
Elladius preſbyter ſubſcripſi.
Theodemodus preſbyter ſubſcripſi.
Launouius preſbyter ſubſcripſi.
Leonaſtis preſbyter ſubſcripſi.
Medardus preſbyter ſubſcripſi per diaconum Leudegiſilum.
Eunius preſbyter ſubſcripſi.
Filmatius preſbyter ſubſcripſi.
Nonnouius preſbyter ſubſcripſi.
Ballomeris preſbyter ſubſcripſi.
Romacharius preſbyter ſubſcripſi.
Medardus preſbyter ſubſcripſi.
Audila preſbyter ſubſcripſi.
Genulfus preſbyter ſubſcripſi.
Syagrius preſbyter ſubſcripſi.
Sindulfus preſbyter ſubſcripſi.
Vinobaudis preſbyter ſubſcripſi.
Apronius diaconus ſubſcripſi.
Barbario diaconus ſubſcripſi.
Leudegiſilus diaconus pro Medardo ſubſcripſi.

In hac Synodo fuerunt congregati Epiſcopus vnus, Abbates ſeptem, presbyteri XXXIV. *diaconi, qui in vice presbyterorum ſubſcripſerunt, tres tantùm.*

ANNO CHRISTI 579. CHILPERICI REGIS 18.

CONCILIVM CABILONENSE.

GVNTRAMNI REGIS IVSSV CONVOCATVM aduerſus Salonium Ebredunenſem, & Sagittarium Vapincenſem Epiſcopos, qui iterato iudicio in hac Synodo ab Epiſcopatu deiecti, atque in cuſtodiam retruſi ſunt, anno Chriſti DLXXIX. Pelagij II. Papæ ſecundo, Guntramni & Chilperici Regum XVIII.

Iam pridem damnati, vt dictum eſt, & honore ſpoliati fuerant in Synodo II. *Lugdunenſi, ſed Ioannis Papæ interuentu ſedibus ſuis poſtmodum reſtituti. Nunc ergo, cùm ad ingenium, & priſtina ſcelera rediiſſent, ac maieſtatis præterea crimine inſimularentur, in hoc iterum Concilio Epiſcopatu deiecti, atque in S. Marcelli baſilicam ſub cuſtodia detruſi ſunt.*

Digitized by Google

Rem paucis explicat Gregorius Turonenſis, addens illos hinc etiam fuga lapſos eſſe, alioſque tandem in eorum ciuitatibus Epiſcopos ſubrogatos. Sic enim ſcribit lib. v. *Hiſtoriæ cap.* XXVIII. Anno quarto Childeberti, qui fuit decimus octauus Gunthetamni & Chilperici regum, apud Cabillonum ciuitatem Synodus acta eſt ex iuſſu principis Gunthetamni: diſcuſſiſque diuerſis cauſis contra Salonium & Sagittarium Epiſcopos, iteratur illa antiqua calamitas. Obiiciuntur eis crimina, & non ſolùm de adulteriis, verùm etiam de homicidiis accuſantur. Sed hæc per pœnitentiam purgari cenſentes Epiſcopi, illud eſt additum, quòd eſſent rei maieſtatis, & patriæ proditores. Qua de cauſa ab Epiſcopatu diſcincti, in Baſilicam S. Marcelli ſub cuſtodia detruduntur. Ex qua per fugam lapſi diſceſſerunt per diuerſa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij ſubrogati ſunt.

ANNO CHRISTI 579. CHILPERICI REGIS 18.

CONCILIVM SANTONENSE.

IN QVO NANTINVS COMES ENGOLISMENSIS ab Heraclio Epiſcopo excommunicatus, in gratiam ab eodem Synodi rogatu receptus eſt, eodem, vt videtur, Chriſti anno DLXXIX.

REM altiùs repetit Gregorius Turonenſis lib.* v. *Hiſtoriæ cap.* XXVII. *Narrat enim Nantinum, vt Magnacharij auunculi ſui, quondam Comitis, poſtea Epiſcopi Engoliſmenſis, veneno extincti necem vlciſceretur, inter cetera, quæ contumelioſè ac violenter admiſerat, etiam presbytero, vt confeſſionem ab eo eliceret, tormentis vitam eripuiſſe: atque hac de cauſa ab Heraclio, qui Magnachario in Epiſcopatu poſt Frontonium vnius anni Pontificem ſucceſſerat, Eccleſiæ foribus prohibitum. Tum de Synodo ſubijcit quæ ſequuntur.* Conuenientibus, *inquit*, apud Santonas ſacerdotibus, deprecabatur Nantinus, vt pacem Epiſcopi mereretur, promittens ſe omnes Eccleſiæ res, quas ſine ratione abſtulerat, redditurum, atque humilem exhibere ſe ſacerdoti. At ille fratrum iuſſioni obaudire procurans, cuncta quæ petebantur indulſit. Cauſam tamen presbyteri omnipotenti Deo commendans, Comitem in caritate recepit. *& cetera, quibus Nantini eiuſdem iteratam excommunicationem, infelicemque exitum deſcribit.*

CONCILIVM

Anno Christi 580. # CONCILIVM BRENNACENSE. Chilperici Regis 19.

IN CAVSA GREGORII EPISCOPI TVRONENSIS, quem Leudaſtes Comes falsò apud Chilpericum regem accuſarat, anno Chriſti DXXC. Pelagij II. Papæ III. Chilperici eiuſdem Regis XIX.

ACCVSARAT *Gregorium Leudaſtes, quaſi is de Fredegunde regina obtrectans, eam cum Berthcramno Epiſcopo conſueſſe dixiſſet. Qua de cauſa cùm Synodum in Brennaco villa Chilpericus indixiſſet, Gregorius, qui hoc à ſe dictum inficiabatur, ſacramento ſe purgauit: Leudaſtes, qui calumniæ ſibi conſcius fugam inierat, publica excommunicatione multatus eſt. Gregorius ipſe lib.* v. *Hiſtoriæ Francorum poſt alia, quæ de Leudaſtis in ſe odio & inſidiis præmittit, de Synodo in hæc verba ſcribit cap.* XLIX. Igitur rex, *inquit*, arceſſitis regni ſui Epiſcopis, cauſam diligenter iuſſit exquiri. Congregati apud Brennacum villam Epiſcopi in vnam domum reſidere iuſſi ſunt. Dehinc adueniente rege, data omnibus ſalutatione, ac benedictione accepta reſedit. Tunc Bertheramnus Burdegalenſis ciuitatis Epiſcopus, cui hoc cum regina crimen impactum fuerat, cauſam proponit, méque interpellat, dicens à me ſibi ac reginæ crimen obiectum. Negaui ego in veritate hæc me locutum: & audiſſe quidem hæc alios. nam non excogitaſſe. Nam extra domum rumor in populo magnus erat dicentium, cur hæc ſuper ſacerdotem Dei obiiciuntur? cur alia rex proſequitur? numquid potuit Epiſcopus talia dicere vel de ſeruo? Heu, heu, Domine Deus, largire auxilium ſeruo tuo. Rex autem dicebat, Crimen vxoris meæ meum habetur opprobrium. Si ergo cenſetis, vt ſuper Epiſcopum teſtes adhibeantur, ecce adſunt. Certè ſi videtur vt hæc non fiant, & in fidem Epiſcopi committantur, dicite, libenter audiam quæ iubetis. Mirati ſunt omnes regis prudentiam vel patientiam ſimul. Tunc cunctis dicentibus, Non poteſt perſona inferior ſuper ſacerdotem credi; reſtitit ad hoc cauſa, vt dictis Miſſis in tribus altaribus me de his verbis exuerem ſacramento. Et licet canonibus eſſent contraria, pro cauſa tamen regis impleta ſunt. Sed nec hoc ſileo, quòd Rigunthis regina, condolens doloribus meis, ieiunium cum omni domo ſua celebrauit, quouſq; puer nuntiaret me omnia ſic impleſſe, vt fuerant inſtituta. Igitur regreſſi ſacerdotes ad regem aiunt, Impleta ſunt omnia ab Epiſcopo, quæ imperata ſunt, ô Rex: quid nũc ad te, niſi vt cum Bertheramno accuſatore fratris communione priueris? Et ille, Non, inquit, ego niſi audita narraui. Quærentibus illis quis hæc dixerit, reſpondit ſe hæc à Leudaſte audiſſe. Ille autem ſecundum infirmitatem vel conſilij, vel propoſitionis ſuæ, iam fugam inierat. Tunc placuit omnibus ſacerdotibus, vt ſator ſcandali, inficiator reginæ, accuſator Epiſcopi, ab omnibus arceretur Eccleſiis, eo quòd ſe ab audientia ſubtraxiſſet. Vnde & epiſtolam ſubſcriptam aliis Epiſcopis, qui non adfuerant, tranſmiſerunt. Et ſic vnuſquiſque in locum ſuum regreſſus eſt.

CONCILIVM MATISCONENSE I.

GVNTRAMNI REGIS EVOCATIONE CONgregatum die Kalend. Nouembrium, Indictione xv. id eſt anno Chriſti DXXCI. Pelagij II. Papæ v. Guntramni eiuſdem, & Chilperici Regum XXI.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt clerici cum extraneis feminis non habitent.*
2. *Ne clerici aut laici puellarum monaſteria ingredi, vel cum illis colloqui temere præſumant.*
3. *Vt mulier cubiculum Epiſcopi, niſi cum teſtibus, non ingrediatur.*
4. *Vt qui oblationes fidelium defunctorum retinent excommunicentur.*
5. *Vt clerici habitu decenti vtantur.*
6. *Vt Archiepiſcopus Miſſas ſine pallio non dicat.*
7. *Ne iudex ſæcularis clericum extra cauſam criminalem diſtringat.*
8. *Ne clericus vllum clericum trahat ad iudicem ſæcularem.*
9. *Vt à feſto S. Martini ad Natalem Domini ſecunda, quarta, & ſexta feria ieiunetur, & canones legantur:*
10. *Vt clerici dies feriatos celebrent cum Epiſcopo.*
11. *Vt honoratiores clerici, qui ad priſtinas vxores redierint, dignitate priuentur.*
12. *Vt puellæ Deo deuotæ, quæ poſtea nupſerint, vſque ad exitum vitæ cum adulteris ſuis excommunicentur.*
13. *Ne Iudæi iudices ſint, vel telonarij inter Chriſtianos.*
14. *Vt Iudæi à cœna Domini ad ſecundam feriam Paſchæ non vagentur: & vt clericis honorem impendant.*
15. *Vt Iudæorum conuiuiis Chriſtiani non participent.*
16. *Vt nullus Chriſtianus Iudæo deinceps ſeruiat, & vt mancipia quæ nunc ſunt redimantur.*
17. *De his qui alios ad periurium, ſeu falſum teſtimonium ſollicitant, & iis qui illis conſentiunt.*
18. *De illis qui innocentes accuſant.*
19. *De Agnete monacha.*

PRÆFATIO.

CVM ex euocatione glorioſiſſimi domni Gunthramni regis, tam pro cauſis publicis, quàm pro neceſſitatibus pauperum, in vrbe Matiſcenſi noſtra mediocritas conueniſſet; primo in loco viſum nobis eſt, vt in nomine Domini, non tam noua, quàm priſca patrum ſtatuta ſancientes, id ipſum conſtituamus, quod titulis præſentibus in canonibus legitur inſertum.

CANONES.

I. *Vt clerici cum extraneis feminis non habitent.*

Ideóque definitum eſt, vt Epiſcopi, vel preſbyteri, atque diaconi,

ita ſanctæ conſcientiæ luce reſplendeant, vt effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac teſtimonium in ſe diuinum implere contendant, quod Dominus ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & magnificent patrem veſtrum qui eſt in cælis.* Igitur auctoritate canonica, atque manſura in æuum conſtitutione ſancimus, vt fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantùm cum auia, matre, ſorore, vel nepte, ſi neceſſitas fuerit, habitent. Matth 5.16.

II. *Ne clerici aut laici puellarum monaſteria ingredi, vel cum illis temere colloqui præſumant.*

Vt nullus Epiſcopus, preſbyter, diaconus, clericus, vel quicumque ſæcularis, in monaſteriis puellarum, niſi probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, præter vtilitatem, aut quamcumque reparationem monaſterij, ad quaſcumque earum neceſſitates habitare, aut ſecretas collocutiones habere præſumant: nec extra ſalutatorium, aut oratorium vlteriùs ingredi permittantur. Præcipuè Iudæi, non pro quorumcumque negotiorum occaſione; puellis intra monaſterium Deo dicatis aliquid ſecretiùs colloqui, aut familiaritatem, vel moras ibi habere præſumant.

III. *Vt cubiculum Epiſcopi mulier, ſine teſtibus non ingrediatur.*

Vt nulla mulier in cubiculum Epiſcopi abſque duobus preſbyteris, aut certè diaconis, ingredi permittatur.

IV. *Vt qui oblationes fidelium retinent excommunicentur.*

Vt qui oblationes fidelium defunctorum, quæ Eccleſiis conferuntur, retinent, veluti retentatores Eccleſiæ, aut egentium necatores, ab Eccleſiæ liminibus arceantur.

V. *Vt clerici habitu decenti vtantur.*

Vt nullus clericus ſagum, aut veſtimenta vel calceamenta ſæcularia, niſi quæ religionem deceant, inducere præſumat. Quòd ſi poſt hanc definitionem clericus, aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniore ita coërceatur, vt xxx. dierum incluſione detentus, aqua tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.

VI. *Vt Archiepiſcopus Miſſas ſine pallio non dicat.*

Vt Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.

VII. *Ne Iudex ſæcularis clericum extra cauſam criminalem diſtringat.*

Vt nullus clericus de qualibet cauſa, extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui, à ſæculari iudicio iniuriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur. Quòd ſi quicumque iudex cuiuſcumque clericum, abſque cauſa cri-

minali, id eſt homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortaſſe præſumpſerit, quamdiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.

VIII. *Ne clericus vllum clericum trahat ad iudicem ſæcularem.*

11 q 1 Nullus clericus. Vt nullus clericus ad iudicem ſæcularem quemcumque alium fratrem de clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocumque modo præſumat; ſed omne negotium clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in presbyterorum, vel Archidiaconi præſentia finiatur. Quòd ſi quicumque clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat; ſin certè honoratior, XXX. dierum concluſione multetur.

IX. *Vt à feſto S. Martini ad Natale Domini feria* II. IV. *&* VI. *ieiunetur, & canones legantur.*

Vt à feria S. Martini vſque ad Natale Domini, ſecunda, quarta, & ſexta ſabbati ieiunetur, & ſacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus canones legendos eſſe ſpeciali definitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.

X. *Vt clerici dies feriatos celebrent cum Epiſcopo.*

Vt presbyteri, diaconi, vel quolibet ordine clerici, Epiſcopo ſuo obedienti deuotione ſubiaceant, & non alibi dies feriatos, niſi in obſequio illius liceat tenere, aut celebrare. Quòd ſi quis per quamcumque contumaciam, aut per cuiuſcumque patrocinium, hoc facere fortaſſe diſtulerit, ab officio regradetur.

XI. *Vt honoratiores clerici, qui ad priſtinas vxores redeunt, dignitate priuentur.*

Epiſcopi, presbyteri, vel vniuerſi honoratiores clerici, cùm ſublimi dignitatis apice ſublimantur, actibus omnino renuntient ſæculi, & ſacro electi miniſterio, repudient carnale conſortium, ac permixtionis priſtinæ contubernium permutent germanitatis affectu. Et quiſquis ille eſt, diuino munere benedictione percepta, vxori priùs ſuæ frater illico officiatur ex coniuge. Eos verò, quos reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto religionis cingulo, ad vomitum priſtinum & inhibita rurſus coniugia repetiſſe, atque inceſti quodammodo crimine clarum decus ſacerdotij violaſſe, quod nati etiam filij prodiderunt. Quod quiſquis feciſſe cognoſcitur, omni in perpetuum, quam admiſſo iam crimine perdidit, dignitate priuabitur.

XII. *Vt puellæ Deo deuotæ, quæ poſtea nupſerint, vſque ad exitum vitæ cum adulteris ſuis excommunicentur.*

De puellis verò, quæ ſe Deo vouerint, & præclaræ decore ætatis ad

terrenas nuptias tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt ſi qua puella voluntariè, aut parentibus ſuis rogantibus, religionem profeſſa, vel benedictionem fuerit cõſecuta, & poſtea ad côniugium, aut illecebras ſæculi, quod potiùs ſtuprum eſt, quàm coniugium iudicandum, tranſgredi præſumpſerit, vſque ad exitum, cum ipſo qui ſe huiuſmodi conſortio miſcuerit, communione priuetur. Quòd ſi ſe pœnitentia ducti ſequeſtrauerint, quamdiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, à communionis gratia ſuſpendantur; ita tamen, vt propter infirmitatem, aut ſubitaneum tranſitum, viaticum illis miſerationis intuitu non negetur.

XIII. *Ne Iudæi iudices ſint, aut telonarij inter Chriſtianos.*

Ne Iudæi Chriſtianis populis iudices deputentur, aut telonarij eſſe permittantur, per quod illis, quod Deus auertat, Chriſtiani videantur eſſe ſubiecti. Iuo Part. xii. c. 118.

XIV. *Vt Iudæi à cœna Domini ad ſecundam feriam Paſchæ non vagentur: & vt clericis honorem impendant.*

Vt Iudæis à cœna Domini vſque ad primum Paſcha, ſecundum edictum bonæ recordationis domni Childeberti regis, per plateas aut forum, quaſi inſultationis cauſa, deambulandi licentia denegetur: & vt reuerentiam cunctis ſacerdotibus Domini, vel clericis impendant; nec ante ſacerdotes conſeſſum, niſi ordinati, habere præſumant. Qui hoc facere fortaſſe præſumpſerit, à iudicibus locorum, prout perſona fuerit, diſtringatur. Conc. Aurel. III. c. 30.

XV. *Vt Iudæorum conuiuiis Chriſtiani non participent.*

Vt nullus Chriſtianus Iudæorum conuiuiis participare præſumat. Quòd ſi facere quicumque, quod nefas eſt dici, clericus aut ſæcularis præſumpſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe nouerit compeſcendum, quiſquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

XVI. *Vt nullus Chriſtianus Iudæo deinceps ſeruiat, & vt mancipia quæ nunc ſunt redimantur.*

Et licet quid de Chriſtianis, qui aut captiuitatis incurſu, aut quibuſcumque fraudibus Iudæorum ſeruitio implicantur, debeat obſeruari, non ſolùm canonicis ſtatutis, ſed & legum beneficio pridem fuerit conſtitutum: tamen quia nunc ita quorũdam querela exorta eſt, quoſdam Iudæos, per ciuitates aut municipia conſiſtentes, in tantam inſolentiam & proteruiam prorupiſſe, vt nec reclamantes Chriſtianos liceat vel pretio de eorum ſeruitute abſolui. Idcirco * præſenti Concilio, Deo auctore, ſancimus, vt nullus Chriſtianus Iudæo deinceps debeat deſeruire; ſed datis pro quolibet bono mancipio XII. ſo- D LIV. Præſenti Concilio.

lidis, ipſum mancipium quicumque Chriſtianus, ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſeruitium, licentiam habeat redimendi: quia nefas eſt, vt quos Chriſtus Dominus ſanguinis ſui effuſione redemit, perſecutorum vinculis maneant irretiti. Quòd ſi adquieſcere his quæ ſtatuimus quicumque Iudæus noluerit, quãdiu ad pecuniam conſtitutam venire diſtulerit, liceat mancipio ipſi cum Chriſtianis, vbicumque voluerit, habitare. Illud etiam ſpecialiter ſancientes, quòd ſi qui Iudæus Chriſtianũ mancipium ad errorem Iudaicum conuictus fuerit perſuaſiſſe, vt ipſo mancipio careat, & legali damnatione plectatur.

XVII. *De his qui alios ad periurium, ſeu falſum teſtimonium ſollicitant; & ijs qui illis conſentiunt.*

Id etiam pari conniuentia placuit, (quia in vniuerſo populo multi peccatis inuoluti eſſe dicuntur, qui ambitionis inſtinctu ſunt periuriis irretiti) vt * ſi quis conuictus fuerit alios ad falſum teſtimonium vel periurium attraxiſſe, aut quacumque corruptione ſollicitaſſe, ipſe quidem vſque ad exitum non communicet; hi verò, qui ei in peiurio conſenſiſſe probantur, pòſt ab omni ſunt teſtimonio prohibendi, & ſecundum legem infamia notabuntur.

22. q. 5. Si quis conuictus.

XVIII. *De ijs qui innocentes accuſant.*

De his verò, qui innocentes aut principi, aut iudicibus accuſare conuicti fuerint, ſi clericus honoratior fuerit, ab officij ſui ordine regradetur: ſi verò ſæcularis, cõmunione priuetur, donec malum, quod admiſit, per publicam pœnitentiam digna ſatisfactione componat.

XIX. *De Agnete monacha.*

Can. 12. huius Concilij.

Et licet priori titulo legatur definitum, quid de puellis, quæ ſe diuinis cultibus, aut parentum, aut ſua voluntate dicauerint, debeat obſeruari: tamen quia monacha nomine Agnes, quæ de monaſterij ſeptis fuga ante aliquot annos diſceſſerat, in eodẽ eſt monaſterio reuocata; & dicitur, inſtigante diabolo, agellos vel quaſcumque res ad ſe pertinentes, aliquibus potentibus velle donare, dũmodo per eorum patrocinium ſe poſſit de intra monaſterij ſui ſepta ſubtrahere, & voluptatibus ſæculi clandeſtina vel ſingulari habitatione vacare: ideo præſenti conſtitutione ſancimus, vt tam illa, quàm quæcumque alia monacha, quæ ſub hac argumentatione ſe de religionis habitu ad illecebras ſæculi ſubtrahere, aut res ſuas pro tam iniquæ deliberationis cauſa quibuſcumque dare cenſuerit, tam illa quæ hoc dare voluerit, quàm illi quicumque hoc acceperint, ne quod Deus auertat, ambitionis inſtinctu religionis videatur regula vitiari, tamdiu ſint à communionis gratia ſequeſtrati, quamdiu res ipſas eis, à quibus has acceperant, digna pœnitentiæ ſatisfactione reſtituant.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

PRISCVS in Dei nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Euantius peccator Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis conſt. noſtris ſubſcripſi.
Artemius Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ cóſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Remedius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Gallomagnus in Ch. n. Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſſinæ conſt. n. ſubſcripſi.
Siluester in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Veſontienſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Syagrius Epiſcopus Æduorum conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Aunacharius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Heſychius Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ conſtit. noſtris ſubſ.
Victor Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtinæ conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Heraclius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis conſtitut. noſtris ſubſcripſi.
Ragnoaldus Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ conſtit. n. ſubſcripſi.
Namatius Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis conſtitutionibus noſtris ſubſ.
Euſebius Epiſcopus Eccleſiæ Matiſconenſis conſtit. n. ſubſcripſi.
Agricola Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis conſtitutionibus noſtris ſubſ.
Mummolus Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ conſtit. n. ſubſcripſi.
Flauius Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis conſtitutionibus noſtris ſubſ.
Hiconius Epiſcopus Eccleſiæ Mauriennatis conſtit. n. ſubſcripſi.
Pappus Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Artemius Epiſcopus Eccleſiæ Vaſenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Martianus Epiſcopus Eccleſiæ Tarantaſiæ conſtitutionibus noſtris ſubſ.

Explicit Synodus Matiſcenſis, quæ fuit facta anno XXI. *regni domni noſtri Gunthramni regis, die Kalend. Nouemb. Indictione* XV.

PELAGII PAPAE
EPISTOLA II.
Ad Aunacharium Epiſcopum Autiſiodorenſem.

Regum Francorum fidem orthodoxam commendat, hortaturque vt illis ſuadeat, ne cum Longobardis fœdus habeant. & de reliquiis quas mittit.

DILECTISSIMO FRATRI AVNARIO PELAGIVS vrbis Romæ Epiſcopus.

LAVDANDA tuæ caritatis vota relegimus, quibus te, niſi gentilis motus obſiſteret, ad nos venire voluiſſe ſignificas. Licet enim ſpiritaliter, & ſimul & vnum ſemper ſimus in Domino: verum tamen etiam præſentias corporales & antiquiores patres, & ipſos quæſiſſe inuenimus Apoſtolos. Sed dum tua deſideria, cau-

ſáſque quibus obſtareris exponeres, mirati ſumus minùs te illud quod ipſis obuiaret excuſationibus adtendiſſe. Si enim mundo venerabilem iudicatis hanc vrbem, ſi ad pacem ſedis Apoſtolicæ cunctarum regere moderamina Eccleſiarum prædicatis; cur non & tribulationes noſtras, & temporales anguſtias caritatis compaſſione gemiſcitis? ſcientes diuino per Apoſtolum nobis ore mandari, vt nos inuicem diligamus, vt onera inuicem noſtra portemus; vt quotiens fratrum quicumque vritur, nos vramur: dum pene in conſpectu veſtro tantus ſanguis innocentium ſit effuſus, ita ſacra violentur altaria, ita catholicæ fidei ab idololatris inſultetur. Nouimus & nos, quòd temporalia iſta flagella ſint, & ad probationem, ſicut de cæleſti confidimus miſeratione, proficiant; & proximum, ſicut à vobis ſcribitur, Dominus noſter de tribulatione dat gaudium: quia qui nequiter agunt exterminabuntur, & inimici Dei mox exaltabuntur ſicut fumus deficient, & generaliter peribunt gentes de terra eius. Propter quod vos decuerat, qui illic catholicæ membra eſtis Eccleſiæ, vni corpori vnius capitis gubernatione coniuncta, omnibus quibus viribus valeretis paci quietíque noſtræ, pro ipſa ſancti Spiritus vnitate concurrere. Nec enim credimus otioſum, nec ſine magna diuinæ prouidentiæ admiratione diſpoſitum, quòd veſtri reges Romano Imperio in orthodoxæ fidei confeſſione ſunt ſimiles; niſi vt huic vrbi, ex qua fuerat oriunda, vel vniuerſæ Italiæ finitimos, adiutoréſque præſtaret. Cauete igitur, cariſſime frater, ne dum regibus veſtris iuuandi nos virtus ſit data diuinitus, caritatis veſtræ circa nos leuitas arguatur: qui illis & in fide, & in conſiliis, veſtro ſacerdotio ſic deuotis, ſuadere talia, aut negligitis, aut differtis. Sacras autem reliquias, quas & tua caritas, & glorioſiſſimus filius noſter petiit dirigendas, cum cohærenti ſibi ſanctificatione tranſmiſimus. Propter quod nihilominus admonemus, vt quorum virtutem quæritis, eorum templa à pollutione gentium liberari, in quantum vobis eſt poſſibile, feſtinetis: & veſtris regibus inſtantiſſimè ſuadeatis, quatenus ab amicitiis & coniunctione nefandiſſimi hoſtis, Longobardorum, ſalubri ſe prouiſione ſegregare feſtinent: ne dum illorum vindictæ tempus aduenerit, ſicut & celerè fieri diuina miſeratione confidimus, eorum etiam illi inueniantur eſſe participes: quia ſcriptum eſt, Non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus puniendos. Deus te incolumem cuſtodiat, cariſſime frater. Datum III. Nonas Octobres, imperante domno Tiberio Conſtantinopoli Aug. anno VII.

Rom 13.8. Galat.6.2. Rom.1.32.

CONCILIVM

CONCILIVM LVGDVNENSE III.

SVB GVNTRAMNO REGE ANNO REGNI eius XXII. menſe Maio celebratum, id eſt anno Chriſti DXXCIII. Pelagij II. Papæ VI. Chilperici regis XXII.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, extraneas feminas domi non habeant: & qui coniugati ordinantur, ab vxoribus ſequeſtrentur.*
2. *De epiſtolis captiuorum cautè examinandis & conſcribendis.*
3. *De puellis, quæ à monaſterio recedunt.*
4. *De inceſtis coniunctionibus.*
5. *Vt Epiſcopi Natale Domini, & Paſcha extra Eccleſiam ſuam non celebrent.*
6. *De leproſis cuiuſque ciuitatis & territorij, vt Epiſcopi eorum curam gerant.*

CANONES.

I. *Vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, extraneas feminas domi non habeant: & qui coniugati ordinantur, ab vxoribus ſequeſtrentur.*

MVLTA quidem anterioribus temporibus venerabilium patrum ſanxit auctoritas: nunc tamen, quia creſcente Deo propitio fide, oportet in clero vel populo catholico meliora ſalubri Pontificum conſilio renouari; idcirco beatiſſimorum patrum ſtatuta reminiſcentes, huius tituli definitione ſancimus, vt nullum clericum, ab ordine ſancto Antiſtitis vſque ad ſubdiaconi gradum, mulierem, præter matrem, amitam, & ſororē, in hoſpitio ſuo habere liceat. Placuit etiam, vt ſi quicumque vxoribus iuncti ad diaconatus, aut presbyteratus ordinem quoquomodo peruenerint, non ſolùm lecto, ſed etiam frequentatione quotidiana debeant de vxoribus ſuis ſequeſtrari. Quòd ſi, quod Deus auertat, de eorum familiari cōtubernio poſt acceptam benedictionem infans natus paruerit, ab officij gradu priuentur.

II. *De epiſtolis captiuorum cautè examinandis, & conſcribendis.*

Id etiam de epiſtolis placuit captiuorum, vt ita ſint ſancti Pontifices cauti, vt in ſeruitio Pontificibus conſiſtentibus, qui eorum manu vel ſubſcriptione agnoſcat epiſtolæ aut quælibet inſinuationum litteræ dari debeant, quatenus de ſubſcriptionibus nulla ratione poſſit

Deo propitio dubitari: & epiſtola commendationis pro neceſſitate cuiuſpiam promulgata, dies datarum,& pretia conſtituta, vel neceſſitates captiuorum, quos cum epiſtolis dirigunt, ibidem inſerantur.

III. *De puellis Deo deuotis, quæ à monaſterio recedunt.*

Puellæ verò, quæ conniuentia parentum ſuorum ſe voluntariè dedicauerint, & intra monaſterium puellarum cõcluſionem elegerint, & ſe de eodem monaſterio quacumque animi leuitate, aut vilitate corporis, extra captiuitatis incurſum, voluntate ſua ſubtraxerint, & de conuerſatione religioſa cuiuſcumque vocationis ſpiritu ſæculi delectationes elegerint, quouſque in monaſterium vnde egreſſæ ſunt reuertantur, à communionis gratia ſegregentur; viaticum tamen illis miſerationis intuitu præbeatur.

IV. *De inceſtis coniunctionibus.*

De inceſtis verò coniunctionibus hoc placuit cuſtodiri, quod priſca canonum ſtatuta ſanxerunt.

V. *Vt Epiſcopi Natale Domini, & Paſcha extra Eccleſiam ſuam non celebrent.*

Vt nullus Epiſcoporum Natalem Domini, aut Paſcha, alibi niſi ad Eccleſiam ſuam, præter infirmitatis incurſum, aut ordinem regium, celebrare præſumat.

VI. *De leproſis cuiuſque ciuitatis & territorij, vt eorum curam gerant Epiſcopi.*

Placuit etiam vniuerſo Concilio, vt vniuſcuiuſque ciuitatis leproſi, qui intra territorium ciuitatis ipſius aut naſcuntur, aut videntur conſiſtere, ab Epiſcopo Eccleſiæ ipſius ſufficientia alimenta, & neceſſaria veſtimenta accipiant, vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

PRISCVS in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Euantius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Syagrius Epiſcopus Æduorum conſtitutionibus noſtris ſubſcripſi.
Heſychius Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ ſubſcripſi.
Ragnoaldus Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ ſubſcripſi.
Euſebius Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis ſubſcripſi.
Agricola Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.
Flauius Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis ſubſcripſi.

Et miſſi Epiſcoporum, qui hos canones ſubſcripſerunt, duodecim.

CONCILIVM VALENTINVM II.

SYNODVS HABITA IN VRBE VALENTINA x. Kalendas Iunij, anno XXIII. regni glorioſiſſimi domini Guntheramni regis, Indictione II. id eſt anno Chriſti DXXCIV. Pelagij II. Papæ VII. Chilperici regis XXIII.

Confirmantur à Synodo quæcumque Guntramnus rex, ipſiuſque vxor, & filiæ, in diuerſas Eccleſias, vel alia pia loca contulerant.

CVM in vrbe Valentina, iuxta imperium glorioſiſſimi Guntheramni regis, noſtra mediocritas pro diuerſis pauperum querimoniis conueniſſet, id primò auctore Deo decreuimus ſanciendum, quod pro ſalute regis, & animæ ſuæ ſaluatione, vel religionis ſtatu cenſuimus opportunum. Id eſt, vt quia prædictus rex per virum illuſtrem Aſclepiodotum referendarium datis ad ſanctam Synodum epiſtolis ſuis iniunxit, vt quodcumque tam ipſe, quàm bonæ memoriæ iugalis ſua Auſtrechildis regina, vel filiæ eorum, Deo ſacratæ puellæ, id eſt bonæ memoriæ Clodebergis, vel Clodehildis, locis ſanctis contuliſſent, aut adhuc conferre decreuerint, auctoritate Apoſtolica deberet ſancta Synodus præſenti titulo manuum ſuarum ſubſcriptione firmare; & quia tam laudabili deuotioni, non ſolùm ſacerdotalem, ſed etiam diuinam credimus poſſe conniuentiam conſpirare: idcirco præſenti conſtitutione vnanimi conſenſu, Deo medio, Synodus ſancta decreuit, vt ſi quid Baſilicæ ſancti Marcelli, vel ſancti Symphoriani, vel quibuſcumque locis, vel ſeruientibus Deo, per quaſcumque auctoritates, vel ſcripturarum epiſtolas, præfatus dominus rex, vel ſuprà nuncupata iugalis ſua, & filiæ eorum, ſiue in miniſterio altariorum, ſiue in quibuſcumque ſpeciebus, quæ ad diuinum cultum pertinere noſcuntur, contuliſſe vel adhuc conferre voluerint, neque Epiſcopi locorum, neque poteſtas regia quocumque tempore ſucceſſura, de eorum voluntate quidquam

minorare, aut auferre præſumat. Quòd ſi quis hoc quocumque tempore temerare, aut auferre præſumpſerit, veluti necator pauperum, anathemate perpetui iudicij diuini plectatur, & veluti ſacrilegij perpetrator, criminis ſui reus, ſupplicij æterni teneatur obnoxius.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

Sapavdvs in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Arelatenſis ſubſcripſi.
Priſcus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis ſubſcripſi.
Euantius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis ſubſcripſi.
Iſitius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſię Gratianopolitanæ ſubſcripſi.
Ragnoaldus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ ſubſcripſi.
Trapidius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Arauſicæ ſubſcripſi.
Euſebius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis ſubſcripſi.
Flauius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis ſubſcripſi.
Pappus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Aptenſis ſubſcripſi.
Vrbicus in Chiſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Regenſis ſubſcripſi.
Aridius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis ſubſcripſi.
Artemius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Vaſenſis ſubſcripſi.
Martianus in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſię Tarantaſienſis ſubſcripſi.
Pologronius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Sigeſtaricæ ſubſcripſi.
Euſebius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtinæ ſubſcripſi.
Cariatto in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſiæ Genauenſis ſubſcripſi.
Boëtius in Chriſti nomine Epiſcopus Eccleſię Carpentoratenſis ſubſcripſi.

VERANI EPISCOPI CABELLICÆ SENTENTIA in aliqua huius temporis Synodo dicta.

De caſtitate ſacerdotum.

Ex vet. Codice S. Germani Pariſienſis.

Veranvs Epiſcopus dixit. Qvis præſidentem ſacris altaribus, atque ad ipſa ſancta ſanctorum honoris priuilegio venientem indigniſſimis carnalium voluptatum contaminari inlecebris patiatur; ac ſub ipſo coniugalis licentiæ nomine adquieſcat quempiam clericorum, & ſacerdotis agere officium, & mariti implere perſonam? Cum purificatis corporis atque animi motibus multa cogitatione perpendendum, quàm idoneus eſſe debet is, qui ad celebranda myſteriorum loca non ſolùm pro ſuis, verùm etiam pro alienis peccatis interceſſurus accedit. Incongruum ſiquidem mibi videtur, de coniugali toro aliquem conſurgentem altariorum ſępta penetrare. Ipſi vtique inluminati & docti de Spiritu ſancto optimè noſtis, oblaturum ſpiritalis ſacrificij victimas quali oporteat igne flagrare. Si enim in lege veteri, vbidum Euangelicæ perfectionis auctoritas præfulgeat, ſancto Dauid, cùm fugæ neceſſitate premeretur, ſacerdos Sadoch non priùs panes propoſitionis tradidit, quàm ſe & pueros ſuos iam die tertio mundos eſſe à mulieribus fateretur; quis immaculatas agni carnes ad ſalutem mundi præſtitas poſt paſſionum inquinamenta, vel etiam audeat conſecrate? Beatus Paulus Apoſtolus in veritate nos conteſtatur dicens, Probet ſe vnuſquiſque miniſtrorum, & ſic panem illum præſumat offerre. Notum vobis eſt, circa loca beatitudinis veſtræ, ſub magnorum patrum diſciplina, monachorum congregationes eſſe non paruas, vnde ad ſupplenda clericorum officia in promptu eſt viros bonos adſumi. Vtilior eſt enim in Eccleſia paucorum bonorum electa probatio, quàm erraticæ multitudinis præſentia conglobata: ac plus ædificationis adferunt rara virtutis exempla, quàm popularis licentiæ abundans & incorrecta præſumptio.

CONCILIVM MATISCONENSE II.

GVNTRAMNI REGIS IVSSV, ANNO REGNI eius XXIV. celebratum, id eſt anno Chriſti DXXCV. Pelagij II. Papæ VIII. Clotarij iunioris regis II.

TITVLI CANONVM.

1. De intermiſſo diei Dominicæ cultu reſtituendo.
2. De Paſchate per ſex dies feſtos agendo.
3. De baptiſmo in Paſchate celebrando.
4. De oblationibus in omnibus Dominicis diebus populo faciendis.
5. De decimis à populo clericis ex antiquo more ſoluendis.
6. De Miſſis non niſi à ieiunis celebrandis.
7. De libertorum cauſis ab Epiſcopis iudicādis.
8. De reis ab Eccleſia non extrahendis.
9. De Epiſcopis ad ſæcularia iudicia non trahendis.
10. De clericis coram Epiſcopis conueniendis.
11. De hoſpitalitate ſeruanda.
12. De viduis & pupillis, non niſi coram Epiſcopis iudicandis.
13. De canibus & accipitribus ab Epiſcopis non alendis.
14. De violentia potentum in miſeros coërcēda.
15. De honore clericis honoratioribus à ſæcularibus exhibendo, adeo vt clerico pedeſtri eques obuiam ſæcularis ad terram deſiliat.
16. De vxoribus clericorum, ne poſt eorum mortem ineant ſecunda matrimonia.
17. De alieno ſepulturæ iure non vſurpando.
18. De inceſtuoſis copulationibus vitandis.
19. De clericis, ne forum criminale frequentent, nec reorum neci interſint.
20. De Concilio tertio quoque anno celebrando.

PRÆFATIO.

RESIDENTIBVS Priſco, Euantio, Prætextato, Bertechranno, Artemio, Sulpitio Metropolitanis Epiſcopis, cum omnibus conſacerdotibus eorum, Priſcus Epiſcopus Patriarcha dixit: Gratias agimus Domino Deo noſtro, fratres & conſacerdotes mei, qui nos in hoc die congregans, alterna nos fecit ſoſpitate gaudere. Cæteri Epiſcopi Metropolitani reſponderunt: Gaudemus, frater ſanctiſſime, quòd omnes Epiſcopi, qui in regno glorioſi domini Guntramni regis Epiſcopali honore funguntur, in vno ſe conſpiciunt coadunati Concilio. Propterea indeſinenter omnes nos orare oportet, vt Dei omnipotentis maieſtas, & regis noſtri incolumitatem ſolita pietate conſeruet, & nos omnes, qui membra ſumus vno ſub noſtro capite Chriſto coadunati, illa nos operari concedat, quæ ſerenitati ac maieſtati eius ritè complaceant. Vniuerſi Epiſcopi dixerunt: Congratulamur & nos, patres ſanctiſſimi, qui per interualla temporum ſeparati, hodie noſcimur poſt tot temporum curricula, fraterna dilectione corpo-

raliter iungi: ideoque petimus, vt quæ tractanda ſunt, vobis præcipientibus, celeriter pertractentur, ne nos ſæuæ hyemis procelloſa tempeſtas à ſedibus propriis, quia longè ſunt, longitudine ſua arceat. Metropolitani omnes dixerunt: Deo auxiliante, communi deliberatione ſingula quæ neceſſaria ſunt à nobis definientur. Hoc vniuerſæ fraternitati veſtræ ſuademus, vt ea quæ Spiritu ſancto dictante, per ora omnium noſtrorum terminata fuerint, ſine aliqua excuſatione condiſcat. Quoniam nos indiuidua Trinitas, quemadmodum ſpiritu, corpore quoque in vno copulauit conuentu, debemus ſapienti conſilio omnibus ſubuenire, ne fortè taciturnitas noſtra & nobis præiudicium diuinitatis afferat, & ſubiectos in tentationem inducat.

CANONES.

I. *De intermiſſo diei Dominicæ cultu reſtituendo.*

Videmus enim populum Chriſtianum temerario more diem Dominicam contemptui tradere, & ſicut in priuatis diebus, operibus continuis indulgere. Propterea per hanc Synodalem noſtram epiſtolam decernimus, vt vnuſquiſque noſtrûm in ſacroſanctis Eccleſiis admoneat ſibi ſubditam plebem. Et ſi quidem admonitioni conſenſum præbuerint, ſuis proderunt vtilitatibus: ſin autem, ſubiacebunt pœnis à nobis diuinitus definitis. Omnes itaque Chriſtiani, qui non incaſſum hoc nomine fruimini, noſtræ admonitioni aurem accommodate, ſcientes quoniam noſtræ eſt auctoritatis vtilitati veſtræ proſpicere, & à malis operibus coërcere. Cuſtodite diem Dominicam, quæ nos denuò peperit, & à peccatis omnibus liberauit. Nullus veſtrûm litium fomitibus vacet: nullus cauſarum actiones exerceat: nemo ſibi talem neceſſitatem exhibeat, quæ iugum ceruicibus iuuencorum imponere cogat. Eſtote omnes in hymnis & laudibus Dei animo corporeque intenti. Si quis veſtrûm proximam habet Eccleſiam, properet ad eamdem, & ibi Dominico die ſemetipſum precibus lacrymiſque afficiat. Sint oculi, manuſque veſtræ toto illo die ad Deum expanſæ. Ipſe eſt enim dies requietionis perpetuus: ipſe nobis per ſeptimæ diei vmbrã inſinuatus noſcitur in lege, & Prophetis. Iuſtum igitur eſt, vt hãc diem vnanimiter celebremus, per quã facti ſumus quod non fuimus: fuimus enim ante ſerui peccati, ſed per eam facti ſumus ſerui iuſtitiæ. Exhibeamus Domino liberam ſeruitutem, cuius nos nouimus pietatẽ de ergaſtulis liberatos erroris. Non quia hoc Dominus noſter à nobis expetit, vt corporali abſtinentia diem Dominicam celebremus: ſed quærit obedientiam, per quam nos calcatis terrenis actibus ad cælum vſque miſericorditer prouehat. Si quis itaque veſtrûm hanc ſalubrem exhortationem parui penderit, aut contemptui tradiderit, ſciat ſe pro qualitatis merito principaliter à Deo puniri, & deinceps ſacerdotali quo-

que iræ implacabiliter ſubiacere. Si cauſidicus fuerit, irreparabiliter cauſam omittet: ſi ruſticus aut ſeruus, grauioribus fuſtium ictibus verberabitur: ſi clericus aut monachus, menſibus ſex à conſortio ſuſpendetur fratrum. Hæc namque omnia & placabilem erga nos Dei animum reddunt, & plagas morborum vel ſterilitatem amouent atque repellunt. Noctem quoque ipſam, quæ nos inſpiratæ luci inacceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis; nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine tenus Chriſtiani eſſe noſcuntur: ſed oremus & vigilemus operibus ſacris, vt digni habeamur in regno heredes fieri Saluatoris.

II. *De Paſchate per ſex dies feſtos agendo.*

Paſcha itaque noſtrum, in quo ſummus ſacerdos & Pontifex pro noſtris delictis nullam habens obnoxietatem peccati immolatus eſt, debemus omnes feſtiſſimè colere, & ſedulæ obſeruationis ſinceritate in omnibus venerari: vt illis ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſeruile opus audeat facere; ſed omnes ſimul coadunati, hymnis paſchalibus indulgentes, perſeuerationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem ac regeneratorem noſtrum veſpere, mane, & meridie.

III. *De baptiſmo in Paſchate celebrando.*

Relatione quorumdam fratrum noſtrorum comperimus, Chriſtianos non obſeruantes legitimum diem baptiſmi, pene per ſingulos dies ac natales Martyrum, filios ſuos baptizare, ita vt vix duo vel tres reperiantur in ſancto Paſcha, qui per aquam & Spiritum ſanctum regenerentur. Idcirco cenſemus, vt ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, præter illos quos infirmitas nimia, aut dies extremus compellit filiis ſuis baptiſmum percipere. Ideoque præſentibus admonitionibus à ſuis erroribus vel ignorantia reuocati, omnes omnino à die quadrageſima cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſeruare præcipimus, vt impoſitionem manuum certis diebus adepti, & ſacri olei liquore peruncti, legitimi diei feſtiuitate fruantur, & ſacro baptiſmate regenerentur: quò poſſint & honoribus, ſi vita comes fuerit, ſacerdotalibus fungi, & ſingularis celebrationis ſolennitate frui.

IV. *De oblationibus in omnibus Dominicis diebus populo faciendis.*

Reſidentibus nobis in ſancto Concilio, cognouimus quoſdam Chriſtianos, relicto fratrum cœtu, à mandato Dei aliquibus locis deuiaſſe; ita vt nullus eorum legitimo obſecundationis parere velit officio Deitatis, dum ſacris altaribus nullam admouent hoſtiam. Propterea decernimus, vt omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab Iuo Part. II. c. 41.

omnibus viris & mulieribus offeratur tam panis quàm vini: vt per has immolationes, & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel cæteris iuſtè offerentibus, promereantur eſſe conſortes. Omnes autem qui definitiones noſtras per inobedientiam euacuare contendunt, anathemate percellantur.

V. *De decimis à populo clericis ex antiquo more ſoluendis.*

Omnes igitur reliquas fidei ſanctæ catholicæ cauſas, quas temporis longitudine cognouimus deterioratas fuiſſe, oportet nos ad ſtatum priſtinum reuocare; ne nobis ſimus aduerſarij, dum ea, quæ cognoſcimus ad noſtri ordinis qualitatem pertinere, aut non corrigimus, aut, quod nefas eſt, ſilentio præterimus. Leges itaque diuinæ, conſulentes ſacerdotibus ac miniſtris Eccleſiarum, pro hereditatis portione omni populo præceperunt decimas fructuum ſuorum locis ſacris præſtare, vt nullo labore impediti, horis legitimis ſpiritalibus poſſint vacare miniſteriis. Quas leges Chriſtianorum congeries longis temporibus cuſtodiuit intemeratas. nunc autem paulatim præuaricatores legum penè Chriſtiani omnes oſtenduntur, dum ea quæ diuinitus ſancita ſunt adimplere negligunt. Vnde ſtatuimus ac decernimus, vt mos antiquus à fidelibus reparetur; & decimas Eccleſiaſticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat, quas ſacerdotes aut in pauperum vſum, aut in captiuorum redemptionem prærogantes, ſuis orationibus pacem populo ac ſalutem impetrent. Si quis autem contumax noſtris ſtatutis ſaluberrimis fuerit, à membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur.

VI. *De Miſſis à ieiunis celebrandis: & de reliquiis ſacrificiorum.*

Item decernimus, vt nullus preſbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, ſacrificia contrectare, aut Miſſas priuatis feſtiſque diebus concelebrare præſumat. Iniuſtum eſt enim, vt ſpiritali alimento corporale præponatur: ſed ſi quis hoc attentare curauerit, dignitatem amittat honoris. Iam enim de tali cauſa & in Conciliis Africanis definitum eſt. Quam definitionem noſtro quoque dignum duximus ſociare decreto: Et ad locum. *Vt ſacramenta altaris non niſi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuerſario, quo cœna Domini celebratur.* Quæcumque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam Miſſam in ſacrario ſuperſederint, quarta vel ſexta feria innocentes ab illo, cuius intereſt, ad Eccleſiam adducantur, & indicto eis ieiunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant.

Conc. Afric. c. 8.

De Conſecr. diſt. 1. Sacramenta alt.

VII. *De libertorum cauſis ab Epiſcopis iudicandis.*

Quæ dum poſtea vniuerſo cœtui ſecundum conſuetudinem recitata innoteſcerent, Prætextatus & Pappulus viri beatiſſimi dixerunt:

runt: Decernat itaque, & de miſeris libertis veſtræ auctoritatis vigor inſignis, qui ideo plus à iudicibus affliguntur, quia ſacris ſunt commendati Eccleſiis: vt ſi quas quiſpiam dixerit contra eos actiones habere, non audeat eos magiſtratui contradere; ſed in Epiſcopi tantum iudicio, in cuius præſentia litem conteſtans, quæ ſunt iuſtitiæ ac veritatis audiat. Indignum eſt enim, vt hi qui in ſacroſancta Eccleſia iure noſcuntur legitimo manumiſſi, aut per epiſtolam, aut per teſtamentum, aut per longinquitatem temporis libertatis iure fruuntur, à quolibet iniuſtiſſimè inquietentur. Vniuerſa ſacerdotalis congregatio dixit: Iuſtum eſt, vt contra calumniatorum omnium verſutias defendantur, qui patrocinium immortalis Eccleſiæ concupiſcunt. Et quicumque à nobis de libertis latum decretum ſuperbiæ auſu præuaricare tentauerit, inreparabili damnationis ſuæ ſententia feriatur. Sed ſi placuerit Epiſcopo ordinarium iudicem, aut quemlibet alium ſæcularem, in audientiam eorum accerſiri, cùm libuerit fiat, & nullus alius audeat cauſas pertractare libertorum, niſi Epiſcopus cuius intereſt, aut is, cui idem audiendum tradiderit.

VIII. *De reis ab Eccleſia non extrahendis.*

Item Chriſtianæ religionis negotia pertractantes comperimus, quoſdam Pſeudo-chriſtianos de ſacroſanctis Eccleſiis, ſuæ religionis oblitos, fugitiuos ſubtrahere. Ideóque vim illatam nequaquam inultam relinquentes, cenſemus pro Dei timore, vt quicumque culpa compellente, aut potentum importunia non ſuſtinens, ſuæ gremium matris Eccleſiæ petierit, vſque in præſentiam ſacerdotis in eodem loco inconcuſsè permaneat: nulli permittentes, quolibet dignitatis gradu functo, fugitiuo etiam in locis ſacris violentiam inferre. Si enim mundani Principes ſuis legibus cenſuerunt, vt quicumque ad eorum ſtatuas fugerit, illæſus habeatur; quanto magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis regni & cæleſtis adepti ſunt? Si tamen aliquo facto tenentur obnoxij, qui ad Eccleſiam ſunt à fuga verſi, coram ſacerdote culpæ eorum innoteſcant, & ipſe conſultum ferat, qualiter Dei habitaculum per ſubtractionem non violetur illorum.

IX. *De Epiſcopis ad ſæcularia iudicia non trahendis.*

Licet reuerentiſſimi canones, atque ſacratiſſimæ leges, de Epiſcopali audientia in ipſo penè Chriſtianitatis principio ſententiam protulerint: tamen quoniam eadem poſtpoſita, humana in ſacerdotes Dei graſſatur temeritas; ita vt eos de atriis venerabilium Eccleſiarum violenter abſtractos, ergaſtulis publicis addicant: cenſemus vt Epiſcopum nullus ſæcularium faſcibus præditus, iure ſuo contumaciter & perperam agens, de ſancta Eccleſia, cui præeſt, trahere au-

deat. Sed ſi quid contentionis aduerſus Epiſcopum potentior perſona habuerit, pergat ad Metropolitanum Epiſcopum, & ei cauſas alleget, & ipſius ſit poteſtatis honorabiliter Epiſcopum, de quo agitur, euocare, vt in eius præſentia accuſatori reſpondeat, & oppoſitas ſibi actiones extricet. Quòd ſi talis fuerit immanitas cauſæ, vt eam ſolus Metropolitanus definire non valeat, aduocet ſecum vnum vel duos coepiſcopos. Quòd ſi & ipſis dubietas fuerit, Conciliabulum definito die vel tempore inſtituant, in quo vniuerſa ritè collecta fraternitas coepiſcopi ſui cauſas diſcutiat, & pro merito aut iuſtificet, aut culpet. Nefas eſt enim, vt illius manibus Epiſcopus, aut iuſſione, de Eccleſia trahatur, pro quo ſemper Deum exorat, & cui, inuocato nomine Domini, ad ſaluationem corporis animæque Euchariſtiam ſæpe porrexit. Hoc enim decretum à nobis præfixum qui fuerit audacter tranſgreſſus, tam ipſe, quàm omnes qui ei conſenſerint, vſque ad generale Concilium anathemate de Eccleſia ſeparentur.

X. *De clericis coram Epiſcopo conueniendis.*

Quod de Epiſcopis cenſuimus, obtinet & in clero, vt neque preſbyter, neque diaconus, neque ſubdiaconus de Eccleſiis trahantur, aut iniuriam aliquam inſcio Epiſcopo eorum patiantur: ſed quidquid quis aduerſus eos habuerit, in notitiam Epiſcopi proprij perducat; & ipſe cauſam iuſtitia præeunte diſcutiens, animo clericos accuſantis ſatisfaciat.

XI. *De hoſpitalitate ſeruanda.*

Sectatores nos hoſpitalitatis eſſe non ſolùm Dominus Iesvs admonet, cùm ſe dicit in hoſpite receptum fuiſſe, ſed etiam eius Apoſtolus, omnibus penè ſuis præceptis. Propterea, beatiſſimi fratres, vnumquemque noſtrûm oportet non ſolùm ſemetipſum ad hoc opus hortari, ſed etiam omnium fidelium mentes, vt poſſint apud Deum miſericordiæ operibus pro noſtris peccatis intercedere, & nos ei per puram hoſpitalitatem reconciliare. Si quis ergo noſtrûm non admonuerit, aut exemplum exhortationis ſuæ ipſe prius opere non comprobarit, indignationem proculdubio incurret Domini maieſtatis. Prædicetur hoc noſtræ mediocritatis ſtatutum in auribus omnium Chriſtianorum.

XII. *De viduis & pupillis non niſi coram Epiſcopo iudicandis.*

Quid autem ſcriptura diuina de viduis & pupillis præcipiat, nobis clàm non eſt. Ideóque, quoniam prouiſioni noſtræ, Deo auctore, cauſæ principaliter viduarum & pupillorum ſunt commiſſæ, peruenit ad nos, quòd à iudicibus crudeliùs pro leuiſſimis cauſis, veluti defenſore carentes, inremediabiliter affligantur. Ob quam cauſam de-

cernimus, vt iudices non priùs viduas & pupillos conueniant, quàm Epiſcopo nuntiarint, cuius ſub velamine degunt. Quòd ſi Epiſcopus præſens non fuerit, Archidiacono vel preſbytero cuidam eius, vt pariter ſedentes, communi deliberatione cauſis eorum terminos figant, ita iuſtè ac rectè, vt deinceps de talibus antedictæ perſonæ non conquaſſentur. Quòd ſi is qui iudex eſt, aut impetitor, eis aut iniuriam aliquam ingeſſerit, aut definitionem tanti Concilij tranſgreſſus fuerit, à communione ſuſpendatur. Quibus igitur magnarum rerum cauſæ commiſſę ſunt, nec minimarum dignum eſt cauſas paruipendere perſonarum. Solent enim & minima paulatim deſpecta in magnum malum trahere.

XIII. *De canibus vel accipitribus ab Epiſcopis non alendis.*

Propterea tractatis omnibus, quæ diuinæ legis, vel humani iuris fuerunt, & ad finem vſque perductis, putauimus congruum eſſe, de canibus etiam vel accipitribus aliqua ſtatuere. Volumus igitur quòd Epiſcopalis domus, quæ ad hoc Deo fauente inſtituta eſt, vt ſine perſonarum acceptione omnes in hoſpitalitate recipiat, canes non habeat; ne fortè hi qui in ea miſeriarum ſuarum leuamen habere confidunt, dum infeſtorum canum morſibus laniantur, detrimentum verſa vice ſuorum ſuſtineant corporum. Cuſtodienda eſt igitur Epiſcopalis habitatio hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morſibus venenoſis. Vbi igitur Dei eſt aſſiduitas cantilenæ, monſtrum eſt & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare.

XIV. *De violentia potentum in miſeros coërcenda.*

Ex interpellatione quorumdam cognouimus, quòd calcatis canonibus & legibus, hi qui lateri regis adhærent, vel aliqui qui potentia ſæculari inflantur, res alienas competere, & nullis exertis actionibus, aut conuictionibus prærogatis, miſeros non ſolùm de agris, ſed etiam de domibus propriis exulare. Idcirco in remedium conſulentes decernimus, vt deinceps huius mali licentiam quiſpiam non habeat: ſed ſecundum canonum atque legum tenorem cauſarum ſuarum actionem proponat; vt nullus miſerorum rebus ſuis per vim, aut aſſentationem quamlibet defraudetur. Illi autem, qui contra diſpoſitum non ſolùm noſtrum, ſed etiam antiquorum patrum & regum, venire tentauerint, procelloſi anathematis vltione plectantur.

XV. *De honore clericis honoratioribus à ſæcularibus exhibendo, adeo vt clerico pedeſtri eques obuians ſæcularis ad terram deſiliat.*

Et quia ordinationi ſacerdotum, annuente Deo, congruit de omnibus diſponere, & cauſis ſingulis honeſtum terminum dare, vt per hos reuerentiſſimos canones, & præteritorum canonum viror, ac

florida germina maturis fructibus eniteſcant; ſtatuimus vt ſi quis ſæcularium quempiam clericorum honoratorum in itinere obuium habuerit, vſque ad inferiorem gradum honoris veneranter, ſicut condecet Chriſtianum, illi colla ſubdat, per cuius officia & obſequia fideliſſima Chriſtianitatis iura promeruit. Et ſi quidem ille ſæcularis equo vehitur, clericuſque ſimiliter, ſæcularis galerum de capite auferat, & clerico ſinceræ ſalutationis munus adhibeat. Si verò clericus pedes graditur, & ſæcularis vehitur equo ſublimis, illico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto clerico ſinceræ caritatis exhibeat: vt Deus qui vera caritas eſt, in vtriſque lætetur, & dilectioni ſuæ vtrumque adſciſcat. Qui verò hæc, quæ Spiritu ſancto dictante ſancita ſunt, tranſgredi voluerit, ab Eccleſia, quam in ſuis miniſtris dehonorat, quamdiu Epiſcopus illius Eccleſiæ voluerit, ſuſpendatur.

XVI. *De vxoribus clericorum, ne poſt eorum mortem ineant ſecunda matrimonia.*

Illud quoque rectum nobis viſum eſt diſponere, vt quæ vxor ſubdiaconi, vel exorciſtæ, vel acolythi fuerat, mortuo illo, ſecundo ſe non audeat ſociare matrimonio. Quòd ſi fecerit, ſeparetur, & in cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem vſque ad exitum vitæ ſuæ permaneat.

XVII. *De alieno ſepulturæ iure non vſurpando.*

Comperimus multos necdum marcidatis mortuorum membris ſepulcra reſerare, & mortuos ſuos ſuperimponere, vel aliorum, quod nefas eſt, mortuis ſuis religioſa loca vſurpare, ſine voluntate ſcilicet domini ſepulcrorum. Ideóque ſtatuimus, vt nullus deinceps hoc peragat. Quòd ſi factum fuerit, ſecundum legum decreta ſuperimpoſita corpora de eiſdem tumulis reiactentur.

XVIII. *De inceſtuoſis copulationibus vitandis.*

Inceſtam copulationem, in qua nec coniunx, nec nuptiæ rectè appellari leges ſanxerunt, catholica omnino deteſtatur atque abominatur Eccleſia: & grauioribus pœnis eos afficere promittit, qui natiuitatis ſuæ gradus libidinoſo ardore contemnentes, in merda, quod nefas eſt, ſua vt ſues teterrimi conuoluuntur.

XIX. *De clericis ne forum criminale frequentent, nec reorum neci interſint.*

Cognouimus etiam, quoſdam clericorum infrunitos ad forales reorum ſententias frequenter accedere. Propterea prohibitionis eorum acceſſus hunc canonem protulimus, definientes vt ad locum examinationis reorum nullus clericorum accedat; neque interſit atrio ſauciolo, vbi pro reatus ſui qualitate quiſpiam interficiendus

eſt. Si tamen nunc aliquis eorum definita contemnens illuc acceſſerit, aut interfuerit, defraudatus honeſti honoris ſtola, illis gregibus examinatorum ſocietur, quos diuinis prætulit myſteriis.

XX. *De Concilio tertio quoque anno celebrando.*

Vniuerſæ fraternitatis deliberatione ac definitione complacuit, vt antiquorum patrum iuribus in omnibus cuſtoditis, ad Synodum poſt trietericum tempus omnes conueniant: vt de alterna principaliter ſoſpitate exhilarati, cauſas exurgentes tam diuinæ religionis, quàm humanæ neceſſitatis, diſcutiant, & omnibus iuſtum æquumque finem imponant. Et hoc adimplere ſollicitudinis ſit Metropolitani Lugdunenſis Epiſcopi, vna cum diſpoſitione magnifici principis noſtri, priùs definientis locum mediterraneum, ad quem omnes Epiſcopi ſine labore alacres congregentur. Et ſi aliquis eorum contumax fuerit, aut excuſationem falſæ neceſſitatis, quare non interſit, inuenerit; & poſtea publicatum fuerit, quòd inepta erat eius excuſatio, volumus vt vſque ad Concilium vniuerſale à communione & caritate fraterna maneat alienus.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.

PRISCVS Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis ſubſcripſi.
Euantius Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis ſubſcripſi.
Prætextatus Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis ſubſcripſi.
Bertechrannus Epiſcopus Eccleſiæ Burdegalenſis ſubſcripſi.
Artemius Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ ſubſcripſi.
Sulpitius Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ ſubſcripſi.
Syagrius Epiſcopus Eccleſiæ Æduorum ſubſcripſi.
Fauſtus Epiſcopus Eccleſiæ Auſciorum ſubſcripſi.
Oreſtes Epiſcopus Eccleſiæ Vaſaticæ ſubſcripſi.
Aunacharius Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcripſi.
Eſitius Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ ſubſcripſi.
Silueſter Epiſcopus Eccleſiæ Veſontienſis ſubſcripſi.
Theodorus Epiſcopus Eccleſiæ Maſſilienſis ſubſcripſi.
Ferreolus Epiſcopus Eccleſiæ Lemouicinæ ſubſcripſi.
Palladius Epiſcopus Eccleſiæ Santonicæ ſubſcripſi.
Ragnoaldus Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ ſubſcripſi.
Pappolus Epiſcopus Eccleſiæ Carnotinæ ſubſcripſi.
Heraclius Epiſcopus Eccleſiæ Dinienſis ſubſcripſi.
Euſebius Epiſcopus Eccleſiæ Matiſcenſis ſubſcripſi.
Namatius Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis ſubſcripſi.
Agricola Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.
Ragnemodus Epiſcopus Eccleſiæ Pariſiorum ſubſcripſi.
Mummolus Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.
Marius Epiſcopus Eccleſiæ Auenticæ ſubſcripſi.
Trapetius Epiſcopus Eccleſiæ Arauſicæ ſubſcripſi.

Flauius Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis ſubſcripſi.
Veranus Epiſcopus Eccleſiæ Cabellicarum ſubſcripſi.
Antidius Epiſcopus Eccleſiæ Agennenſis ſubſcripſi.
Carterius Epiſcopus Eccleſiæ Petrocoricæ ſubſcripſi.
Ruſticus Epiſcopus Eccleſiæ Vicoiulienſis ſubſcripſi.
Sauinus Epiſcopus Eccleſiæ Benarnenſium ſubſcripſi.
Rufinus Epiſcopus Eccleſiæ Conuenicæ ſubſcripſi.
Nicaſius Epiſcopus Eccleſiæ Aquilimenſium ſubſcripſi.
Baudigiſilus Epiſcopus Eccleſiæ Cenomannorum ſubſcripſi.
Cariatto Epiſcopus Eccleſiæ Genauenſis ſubſcripſi.
Lucerius Epiſcopus Eccleſiæ Eloronenſium ſubſcripſi.
Amelius Epiſcopus Eccleſiæ Bigorritanæ ſubſcripſi.
Vrſicinus Epiſcopus Eccleſiæ Cadurcinæ ſubſcripſi.
Vrbicus Epiſcopus Eccleſiæ Regenſis ſubſcripſi.
Aredius Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis ſubſcripſi.
Emeritus Epiſcopus Eccleſiæ Ebredunenſis ſubſcripſi.
Hiconius Epiſcopus Eccleſiæ Maurienna tis ſubſcripſi.
Agrœcius Epiſcopus Eccleſiæ Glannatinæ ſubſcripſi.

Item Miſſi Epiſcoporum, qui in ea Synodo ſubſcripſerunt.

Sapaudi Epiſcopi ab Arelato.
Optati Epiſcopi ab Antipoli.
Deuterij Epiſcopi à Ventio.
Deſiderij Epiſcopi à Telone.
Pientij Epiſcopi ab Aquis.
Pauli Epiſcopi à Dea.
Laban Epiſcopi ab Eluſa.
Magnulfi Epiſcopi à Toloſa.
Pologronij Epiſcopi à Segeſterico.
Martiani Epiſcopi à Tarantaſia.
Artemij Epiſcopi à Vaſione.
Boëtij Epiſcopi à Carpentorato.
Pappi Epiſcopi ab Apta.
Euſebij Epiſcopi Eccl. Tricaſtinorũ.
Catulini Epiſcopi à Nicia.
Heliodori Epiſcopi à Sedunis.
Ioannis Epiſcopi ab Auenione.
Vigilij Epiſcopi à Senetio.

Item Epiſcopi qui in ea Synodo fuerunt non habentes ſedes.

Fronimius Epiſcopus. Promotus Epiſcopus. Fauſtianus Epiſcopus.

PRAECEPTIO GLORIOSISSIMI REGIS GVNTRAMNI AD EPISCOPOS ET Iudices regni ſui, poſt Synodum ſupraſcriptam edita, de obſeruando die Dominico, & aliis.

GVNTHRAMNVS rex Francorum omnibus Pontificibus, ac vniuerſis ſacerdotibus, & cunctis iudicibus in regione noſtra conſtitutis. PER hoc ſupernæ maieſtatis auctorem, cuius vniuerſa reguntur imperio, placari credimus, ſi in populo noſtro iuſtitiæ iura ſeruamus: & ille pius pater & dominus, qui humanæ fragilitatis ſubſtantiam ſuo ſemper adiuuare conſueuit auxilio, meliùs dignabi-

tur cunctorum neceſſitatibus quæ ſunt opportuna concedere, quos cognoſcit præceptorum ſuorum monita cuſtodire. Dum pro regni ergo noſtri ſtabilitate, & ſaluatione regionis, vel populi ſollicitudine attentiùs pertractaremus; agnouimus infra regni noſtri ſpatia vniuerſa ſcelera, quæ canonibus & legibus pro diuino timore puniri conſuerant, ſuadente aduerſario boni operis perpetrari: & ex hoc proculdubio indignatione cæleſti, per diuerſas ſæculi tempeſtates, homines ac pecora, aut morbo conſumi cenſentur, aut gladio, dum diuina iudicia non timentur: atque ita fit, vt admittendo illicita per ignorantiam multi depereant, & non ſolùm præſentem vitam celeriùs cogantur amittere, ſed & inferni ſupplicia ſuſtinere. Ad vos ergo, ſacroſancti Pontifices, quibus diuina clementia poteſtatis paternæ conceſſit officium, in primis noſtræ ſerenitatis ſermo dirigitur, ſperantis quòd ita populum vobis prouidentia diuina commiſſum frequenti prædicatione ſtudeatis corrigere, & paſtorali ſtudio gubernare, quatenus dum vniuerſi diligendo iuſtitiam conuerſatione præcipua cum omni honeſtate ſtuduerint viuere meliùs, cuncta rerum aduerſitate remota, cæleſti beneficio concedatur tranquillitas temporum, & congrua ſaluatio populorum. Et licèt abſque noſtra admonitione ad vos ſpecialiter prædicandi cauſa pertineat; attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus eſſe participes, ſi filiorum veſtrorum culpas non aſſidua obiurgatione corrigitis, ſed ſilentio præterîtis. Nam nec nos, quibus facultatem regnandi ſuperni regis commiſit auctoritas, iram eius euadere poſſumus, ſi de ſubiecto populo ſollicitudinem non habemus. Idcirco huius decreti ac definitionis generalis vigore decernimus, vt in omnibus diebus Dominicis, in quibus ſanctæ reſurrectionis myſterium veneramur, vel in quibuſcumque reliquis ſolennitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula vniuerſæ plebis coniunctio deuotionis congregatur ſtudio, præter victum quem præparari conuenit, ab omni corporali opere ſuſpendantur, nec vlla cauſarum præcipuè iurgia moueantur: ſed vos, Apoſtolici Pontifices, iungentes vobiſcum conſacerdotes veſtros, & filios ſeniores Eccleſiæ, ac iudices locorum, quoſcumque agnoſcitis quòd vitæ qualitas honeſta commendat, ita vniuerſam populi multitudinem conſtanti vel Deo placita iugiter prædicatione corrigite, vt & benè viuentes myſticus adhortationis ſermo mulceat, & excedentes ad viam recti itineris correctio paſtoralis adducat: quatenus omnes vnanimi deliberatione laudabiliter ſtudeant viuere, vel æquitatem & iuſtitiam conſeruare: qualiter ab omni peccatorum fece liberos ſuos ſancta ſuſcipiat Eccleſia Chriſtianos. Enimuerò quicumque ſacerdotum, aut ſæcularium, intentione mortifera perdurantes, crebriùs admoniti emendare neglexerint, alios canonica ſeueritas corrigat, alios legalis pœna percellat: quoniam nec innocentes poteſt reddere collata ſecuritas liberos, niſi culparum probatio punierit criminoſos; nec minor eſt pietas proteruos conterere, quàm releuare compreſſos. Conuenit ergo, vt iuſtitiæ & æquitatis in omnibus vigore ſeruato, diſtringat legalis vltio iudicum, quos non corrigit canonica prædicatio ſacerdotum: quo fiat vt dum præterita reſecantur ſcelera, nullus audeat perpetrare futura; & ita vniuerſos excedentes pro diſciplinæ tenore ſeruando correctionis fræna conſtringant, vt in vniuerſa re-

gione noſtra pacis & concordiæ iura proficiant. Cuncti itaque iudices iuſta, ſicut Deo placet, ſtudeant dare iudicia. Nam non dubium eſt, quòd acriùs illos condemnabit ſententia noſtri iudicij, à quibus non tenetur æquitas iudicandi. Non vicarios, aut quoſcumque de latere ſuo, per regionem ſibi commiſſam inſtituere vel deſtinare præſumant, qui, quod abſit, malis operibus conſentiendo, venalitatem exerceant, aut iniqua quibuſcumque ſpolia inferre præſumant. Clericorum tranſgreſſiones cùm aduerſario inſtigante contigerint, quatenus illis pro diuino amore reuerentia maior impenditur, tantùm conuenit vt acriùs reſecentur: quoniam ſi ſancti paſtores, aut inſtituti iudices, quod nefas eſt, ſubiectorum ſuorum ſcelera potiùs occultare, quàm reſecare tentauerint, ſe ex hoc ampliùs reos eſſe vel noxios non ignorant. Cuncta ergo quæ huius edicti tenore decreuimus, perpetualiter volumus cuſtodiri, quia in ſancta Synodo Matiſconenſi hæc omnia, ſicut noſtis, ſtuduimus definire, quæ præſenti auctoritate vulgamus. Subſcriptio domni Gunthramni regis, Perrunas. Data ſub die IV. Idus Nouemb. anno XXIV. regni ſupraſcripti regis.

GVNTRAMNI REGIS ADLOCVTIO.

QVANDO IN AVDIENTIA PVBLICA, CONVOCATIS Epiſcopis, & optimatibus, diſcuſſi ſunt Duces, qui rem bellicam malè adminiſtrarant anno Chriſti DXXCV.

Bello quod Guntramnus aduerſus Hiſpanos Ingundis filiæ cauſa deſtinarat, cùm exercitum in Septimaniam præmiſiſſet, milites ſoluta diſciplina, quacumque iter erat, cædibus & rapinis, ac ſacrorum etiam locorum direptionibus omnia populati ſunt. Quo factum, vt non modò nihil promouerint, verùm etiam in reditu, cùm per eadem loca regrederentur, partim fame ob rerum inopiam, partim ſeditionibus perierint ſupra quinque millia. Quibus reuerſis, *ait Gregorius Turonenſis lib.* VIII. *cap.* XXX. magna Guntheramnum regem amaritudo cordis obſedit. Duces verò ſupradicti exercitus ad baſilicam S. Symphoriani martyris expetierunt. Veniente itaque rege ad eius ſolennitatem, repræſentati ſunt ſub conditione audientiæ in poſtmodum futuræ. Poſtea verò, quatuor conuocatis Epiſcopis, nec non » & maioribus natu laicorum, Duces diſcutere cœpit dicens. QVALITER » nos hoc tempore victoriam obtinere poſſumus, qui ea quæ patres noſtri » conſecuti ſunt non cuſtodimus? Illi verò Eccleſias ædificantes, in Deum » ſpem omnem ponentes, martyres honorantes, ſacerdotes venerantes, vi- » ctorias obtinuerunt, genteſque aduerſas diuino opitulante adiutorio, in » enſe & parma ſæpius ſubdiderunt. Nos verò non ſolùm Deum non me- » tuimus; verùm etiam ſacra eius vaſtamus, miniſtros interficimus, ipſa quo- » que Sanctorum pignera in ridiculo diſcerpimus ac vaſtamus. Non enim

poteſt

poteſt obtineri victoria, vbi talia perpetrantur. Ideo manus noſtræ ſunt inualidæ, enſis tepeſcit, nec clypeus nos, vt erat ſolitus, defendit ac protegit. Ergo ſi hoc meæ culpæ adſcribitur, iam id Deus capiti meo reſtituat. Certè ſi vos regalia iuſſa contemnitis, & ea quæ præcipio implere differtis, iam debet ſecuris capiti veſtro ſubmergi. Erit enim documentum omni exercitui, cùm vnus de prioribus fuerit interfectus. Verumtamen iam experiri debemus, quid agi oporteat. Si quis iuſtitiam ſequi deſtinat, iam ſequatur: ſi quis contemnit, iam vltio publica ceruici eius immineat. Satius eſt enim, vt pauci contumaces pereant, quàm ira Dei ſuper omnem regionem dependat innoxiam. Hæc rege dicente, reſponderunt Duces: Bonitatis tuæ magnanimitas, rex optime, enarrari facilè non poteſt: qui timor tibi in Deum ſit, qui amor in Eccleſias, quæ reuerentia in ſacerdotes, quæ pietas in pauperes, quæve diſpenſatio in egenos. Sed quia omnia, quæ gloria veſtra profert, recta veráque eſſe cenſentur, quid faciemus quòd populus omnis in vitium eſt dilapſus, omnémque hominem agere quæ ſunt iniqua delectat? Nullus regem metuit, nullus Ducem, nullus Comitem reueretur: & ſi fortaſſis alicui iſta diſplicent, & ea pro longanimitate vitæ veſtræ emendare conatur, ſtatim ſeditio in populo, ſtatim tumultus exoritur; & in tantùm vnuſquiſque contra ſeniorem ſæua intentione graſſatur, vt vix ſe credat euadere, ſi tandem ſilere nequiuerit. Ad hæc rex ait: Si quis ſequitur iuſtitiam, viuat: ſi quis legem mandatúmque noſtrum reſpuit, iam pereat, ne nos diutius hoc blaſphemium proſequatur.

CONVENTVS APVD ANDELAVM.

QVANDO INTER GVNTRAMNVM ET CHILDEbertum reges, Epiſcoporum, procerúmque conſilio pax firmata, mutuíque fœderis pactio conſcripta eſt anno Chriſti DXXCVII.

De hoc conuentu & fœdere ſcribit Gregorius Turon. lib. IX. *Hiſtor. cap.* XI. Rex, *inquit*, Guntramnus, cum nepote ſuo ac Reginis, *id eſt cum Childeberto rege, & cum Brunichilde matre, ac Faileuba vxore Childeberti*, pacem firmauit, & conſcriptis pactionibus regreſſus eſt vnuſquiſque in ciuitatem ſuam. *Pactionis verò exemplar profert idem cap.* XX. *quo loco illam Childeberti legati à Guntramno prolatam ac relegi iuſſam narrat.*

EXEMPLAR PACTIONIS.

CVM in Chriſti nomine præcellentiſſimi domini Gunthcramnus & Childebertus reges, & glorioſiſſima domina Brunichildis regina, Andelaum caritatis ſtudio conueniſſent, vt omnia quæ vndecumque inter ipſos ſcandalum poterant generare, pleniori conſilio definirent; id inter eos, mediantibus ſacerdotibus atque proceribus, Deo medio, caritatis ſtudio ſedit, complacuit, atque conue-

nit, vt quamdiu eos Deus omnipotens in præſenti ſæculo ſupereſſe voluerit, fidem & caritatem puram & ſimplicem ſibi debeant conſeruare. Similiter quia domnus Gunthcramnus, iuxta pactionem, quam cum bonæ memoriæ domno Sigibetto inierat, integram portionem, quæ eſt de regno Chariberti, illis fuerat conſecutus, ſibi diceret in integrum redhiberi; & pars domni Childeberti, ea quæ pater ſuus poſſederat, ad ſe vellet ex omnibus reuocare: id inter ipſos conſtat fixa deliberatione finitum, vt in illam tertiam portionem de Pariſienſi ciuitate cum terminis & populo ſuo, quæ ad domnum Sigibertum de regno Chariberti conſcripta pactione peruenerat, cum caſtellis Duno & Vindocino, & quicquid de pago Stampenſi, vel Carnoteno, in peruio illo antefatus Rex cum terminis & populo ſuo perceperat, in iure & dominatione domni Gunthcramni, cum eo quod ſuperſtite domno Sigiberto de regno Chariberti antea tenuit, debeant perpetualiter permanere: pari conditione ciuitates Meldonenſes, & duas portiones de Siluanectis, Turonos, Pictauos, Abrincatas, Vicū Iulienſem, cum Conſorannis, Lapurdo, & Albige, domnus Childebertus rex cum terminis, à præſenti die ſuæ vindicet poteſtati. Ea igitur conditione ſeruata, vt quem Deus de ipſis regibus ſuperſtitem eſſe præceperit, regnum illius, qui abſque filiis de præſentis ſæculi luce migrauerit, ad ſe in integritatem iure perpetuo debeat reuocare, & poſteris ſuis Domino auxiliante relinquere. Illud ſpecialiter placuit per omnia inuiolabiliter conſeruari, vt quicquid domnus Gunthcramnus rex filiæ ſuæ Chlotildi contulit, aut adhuc Deo propitiante contulerit, in omnibus rebus atque corporibus, tam in ciuitatibus, quàm agris vel reditibus, in iure & dominatione ipſius debeat permanere: & ſi quid de agris fiſcalibus, vel ſpeciebus atque præſidio, pro arbitrij ſui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante Domino conſeruetur; neque à quocumque vllo vnquam tempore conuellatur: & ſub tuitione ac defenſione domni Childeberti, cum his omnibus quæ ipſam tranſitus genitoris ſui inuenerit poſſidentem, ſub omni honore & dignitate ſecura debeat poſſidere. Pari conditione repromittit domnus Gunthcramnus rex, vt ſi, vt habet humana fragilitas, quod diuina pietas non permittat, nec ille videre deſiderat, ſi contigerit domnum Childebertum eo ſuperſtite de hac luce migrare, filios ſuos Theodobertum & Theodoricum regem, vel ſi adhuc alios ipſi Deus dare voluerit, vt pius pater ſub ſua tuitione & defenſione recipiat: ita vt regnum patris eorum ſub omni ſoliditate poſſideant, & genitricem domni Childeberti, domnam Brunichildem reginam, vel filiam eius Chlodoſuindam, germanam domni Childeberti regis, quamdiu intra regionem Francorum fuerit, vel eius reginam Faileubam, tamquam ſororem bonam, & filias in ſua tuitione & defenſione, ſpiritali dilectione recipiat, & ſub omni honore & dignitate cum omnibus rebus earum, cum ciuitatibus, agris, reditibus, vel cunctis titulis, & omni corpore facultatis, tam quod præſenti videntur tempore poſſidere, quàm quod adhuc Chriſto præſule iuſtè potuerint augmentare, ſub omni ſecuritate & quiete poſſideant: vt ſi quid de agris fiſcalibus, vel ſpeciebus atque præſidio, pro arbitrij ſui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerint, fixa ſtabilitate in perpetuo conſeruetur, nec à quibuſcumque voluntas illarum

vllo tempore conuellatur. De ciuitatibus verò, hoc eſt Burdegala, Lemouica, Cadurco, Benarno, & Begorra, quas Gaileſuindam germanam domnæ Brunichildis tam in dote, quàm in morganegiba, hoc eſt matutinali dono, in Franciam venientem certum eſt adquiſiſſe; quas etiam per iudicium glorioſiſſimi domni Guntheramni regis, vel Francorum, ſuperſtitibus Chilperico & Sigiberto regibus, domna Brunichildis noſcitur acquiſiſſe; ita conuenit, vt Cadurcam ciuitatem, cum terminis & cuncto populo ſuo, domna Brunichildis de præſenti in ſua proprietate percipiat: reliquas verò ciuitates ex hac conditione ſuperiùs nominatas, domnus Guntheramnus dum aduiuit poſſideat; ita vt quandoque poſt eius tranſitum, in dominationem domnæ Brunichildis, heredúmque ſuorum cum omni ſoliditate Deo propitiante reuertantur; nec ſuperſtite domno Guntheramno, neque à domna Brunichilde, neque à filio ſuo Childeberto rege, filiiſque ſuis, quolibet ingenio vel tempore repetantur. Simili modo conuenit, vt Siluanectum domnus Childebertus in integritate teneat, & quantum tertia domni Guntheramni exinde debita competit, de tertia domni Childeberti, quæ eſt in Roſſontenſi, domni Guntheramni partibus compenſetur. Similiter conuenit, vt ſecundum pactiones inter domnum Guntheramnum, & bonæ memoriæ domnum Sigibertum initas, leudes illi, qui domno Guntheramno poſt tranſitum domni Chlotarij ſacramenta primitus præbuerunt; & ſi poſtea conuincuntur ſe in parte alia tradidiſſe, de locis, vbi commanere videntur, conuenit vt debeant remoueri. Similiter & qui poſt tranſitum domni Chlotarij conuincuntur domno Sigiberto ſacramenta primitus præbuiſſe, & ſe in aliam partem tranſtulerunt, modo ſimili remoueantur. Similiter quicquid antefati reges Eccleſiis, aut fidelibus ſuis contulerint, aut adhuc conferre cum iuſtitia, Deo propitiante, voluerint, ſtabiliter conſeruetur: & quicquid vnicuique fidelium in vtriuſque regno per legem & iuſtitiam redhibetur, nullum ei præiudicium pariatur; ſed liceat res debitas poſſidere atque recipere. Et ſi aliquid cuicumque per interregna ſine culpa ſublatum eſt, audientia habita reſtauretur. Et de eo quod per munificentiam præcedentium regum vnuſquiſque vſque ad tranſitum glorioſæ memoriæ domni Chlotarij regis poſſedit, cum ſecuritate poſſideat. Et quod exinde fidelibus perſonis ablatum eſt, de præſenti recipiat. Et quia inter præfatos reges pura & ſimplex eſt in Dei nomine concordia inligata, conuenit vt in vtroque regno vtriuſque fidelibus, tam pro cauſis publicis, quàm priuatis, quicumque voluerit ambulare, peruium nullis temporibus denegetur. Similiter conuenit, vt nullus alterius leudes nec ſollicitet, nec venientes excipiat. Quòd ſi forſitan pro aliqua amiſſione partem alteram crediderit expetendam, iuxta æqualitatem culpæ excuſati reddantur. Hoc etiam huic addi placuit pactioni, vt ſi qua pars præſentia ſtatuta ſub quacumque calliditate, tempore quocumque tranſcenderit, omnia beneficia, tam repromiſſa, quàm in præſenti collata amittat, & illi proficiat qui inuiolabiliter omnia ſupraſcripta ſeruauerit: & ſit de ſacramentorum obligatione in omnibus abſoluta. His itaque omnibus definitis, iurant partes per Dei omnipotentis nomen, & inſeparabilem Trinitatem, vel diuina omnia, ac tremendum diem iudicij, ſe omnia quæ ſuperiùs ſcripta ſunt abſque vllo dolo

malo, vel fraudis ingenio, inuiolabiliter ſeruaturos. Facta pactio ſub die quarto Calendas Decembris, anno viceſimo ſexto regni domni Gunthcramni regis, domni Childeberti verò duodecimo anno.

Anno Christi 588. Clotarii II. Regis 4.

CONCILIVM ARVERNENSE.

DE PAROCHIIS CADVRCINIS REPETENTI Epiſcopo Ruthenenſi adiudicatis, ſub annum Chriſti DXXCVIII. hoc eſt regum Guntramni XXVII. Childeberti XIII. Clotarij iunioris IV.

SYNODVS *hæc apud vrbem Aruernam celebrata eſt à Sulpitio Metropolitano Bituricenſi cum ſuis prouincialibus, in quorum numero cenſebantur Ruthenenſis & Cadurcinus Epiſcopi, cum reliquis Aquitaniæ primæ. Quæ autem conuocandæ Synodi occaſio, quodque illius de orta inter vtrumque Antiſtitem controuerſia iudicium fuerit, apud Gregorium Turonenſem legere eſt lib.* VI. *Hiſtoriæ cap.* XXXVIII. Theodoſius, *inquit*, Ruthenorum Epiſcopus obiit, & Innocentius Gabalitanorum Comes eligitur ad Epiſcopatum, opitulante Brunichilde regina. Sed aſſumpto Epiſcopatu, confeſtim Vrſicinum Cadurcinæ vrbis Epiſcopum laceſſere cœpit, dicens, quia diœceſes Ruthenæ Eccleſiæ debitas retineret. Vnde factum eſt, vt diuturna intentione gliſcente, poſt aliquot annos coniunctus Metropolitanus cum ſuis prouincialibus apud vrbem Aruernam reſidens iudicium emanaret, ſcilicet vt parochias, quas numquam Ruthena Eccleſia tenuiſſe recolebatur reciperet, quod ita factum eſt. *Et capite ſequenti.* Remigius Biturigum Epiſcopus obiit. Poſt hæc Sulpitius in ipſa vrbe ad ſacerdotium Guntheramno rege fauente præeligitur. Hic Synodum illam, cuius ſuprà meminimus, pro parochiis Cadurcinis fieri commonuit.

CONCILIVM APVD SAVRICIACVM VILLAM.

QVOD DROCTIGISILO EPISCOPO SVESSIOnenſi, vt vrbem ſuam, cuius aditu prohibebatur, ingredi liceret conſtituit, anno Chriſti DXXCIX.

DROCTIGISILO *Epiſcopo Sueſſionenſi obijciebatur amentia, maleficio, vt fama erat, inflicta: alij nimio potu contractam ferebant. Rei ſeriem exponit Gregorius Turonenſis lib.* IX. *Hiſtoriæ cap.* XXXVII. Erat, *inquit*, apud vrbem Sueſſionas his diebus Droctigiſilus, qui propter nimiam, vt ferunt, potationem, quarto inſtante anno ſenſum perdiderat. Adſerebant enim multi ciuium, quòd hoc ei maleficiis acceſſiſſet per emiſ-

ſionem Archidiaconi, quem ab honore repulerat: in tantum, vt intra muros vrbis hanc amentiam magis haberet; ſi verò de ciuitate fuiſſet egreſſus, agebat commodiùs. Cúmque rex ſupradictus, Theodebertus Childeberti filius, ad vrbem veniſſet, & hic meliùs ageret, permittebatur ingredi vrbem propter regem qui aduenerat. Et licet eſſet vorax cibi, ac potator vini extra modum, quàm ſacerdotalem cautelam decet; tamen nullum de eo adulterium quiſpiam eſt locutus. Verumtamen in ſequenti, cùm apud Sauriciacum villam Epiſcoporum Synodus aggregata fuiſſet, iuſſum eſt, vt liceret ei ingredi vrbem ſuam.

CONCILIVM SEV CONVENTVS EPISCOPORVM DVPLEX.

IN QVORVM ALTERO APVD PICTAVOS iniecta eſt, in altero apud Guntramnum regem confirmata excommunicatio in Chrodieldem, & reliquas moniales, quæ à S. Radegundis monaſterio receſſerant, anno Chriſti DXXCIX.

IN monaſterio Pictauenſi, poſt exceſſum B. Radegundis, grauis orta eſt perturbatio, cuius auctor & princeps fuit Chrodieldis, Chariberti quondam regis filia. Hæc enim Leubouera Abbatiſſæ ſuæ, cuius locum adfectabat, imperium non ferens, cum Baſina conſobrina, Chilperici filia, & aliis ampliùs quadraginta puellis, quas in partes ſuas traxerat, monaſterio egreſſa, Turonos ad Gregorium Epiſcopum, inde ad Guntramnum regem in Burgundiam profecta eſt, multis vbique Abbatiſſam conuitiis, falſiſque criminibus inſectans. Poſt hæc cum ſodalibus, quas Turonis reliquerat, Pictauos reuerſa, B. Hilarij baſilicam inſedit; collectáque perditorum hominum manu, ibi ſe communiit, negans ſe ad monaſterium, niſi eiecta Leubouera redituram. Quin etiam cùm ad eas Gundegiſilus Burdigalenſis Metropolitanus, cum Nicaſio Engoliſmenſi, Saffario Petragorico, & Maroueo Pictauenſi, ad monaſterium reducere cupiens aduenifſet, obſtinatiuſque reluctantibus excommunicationem indiceret, ſic in eos repentè illa ſicariorum turba graſſata eſt, vt clericis ſanguine reſperſis Epiſcopi vix euaſerint. Cùm has ergo Gundigiſilus, vt dictum eſt, à communione ſubmouiſſet, epiſtolam ex ſuo fratrúmque nomine conſcripſit ad Epiſcopos, qui tunc à Guntramno rege, vt hoc Chrodieldis cum Abbatiſſa diſcidium diſcuterent, erant adgregati. Sed epiſtolæ huius exemplar non exſtat. Reſcriptum autem Epiſcoporum apud Gregorium Turonenſem lib. IX. cap. XLI. eſt huiuſmodi.

RESCRIPTVM EPISCOPORVM QVI APVD Guntramnum regem erant, ad Epiſcopos, qui Pictauis Chrodieldem & reliquas monachas illi adhærentes excommunicarant.

DOMINIS ſemper ſuis atque Apoſtolica ſede digniſſimis, Gundegiſilo, Nicaſio, & Saffario, Ætherius, Syagrius, Aunacharius, Heſychius, Agricola, Vrbicus, Felix, Veranus, item Felix, & Berthetamnus Gregor. Tur. lib. 9. c. 41.

Epiſcopi. Litteras veſtræ beatitudinis tantùm referante nuntio de veſtra ſoſpitate gauiſi excepimus: tantùm de iniuria quam vos pertuliſſe ſignaſtis, non modico mœrore adſtringimur, dum & regula tranſcenditur, & nulla reuerentia religioni ſeruatur. Sed quia indicaſtis monachas, quæ de monaſterio bonæ memoriæ Radegundis inſtigante Diabolo fuerunt digreſſæ, quòd nullam à vobis acquieuerint correctionem audire, nec intra monaſterij ſui ſepta, de quo egreſſæ fuerant, voluiſſent reuerti: inſuper baſilicæ domni Hilarij per cædes veſtras veſtrorumque iniuriam intuliſſe. Quapropter ipſas à communionis gratia viſi fueritis ſuſpendere: ac per hoc noſtram exinde mediocritatem elegiſtis conſulere. Igitur quia optimè vos nouimus ſtatuta canonum percurriſſe, ac regulæ plenitudinem continere, vt qui in talibus exceſſibus videntur deprehendi, non ſolùm excommunicatione, verùm etiam pœnitentiæ ſatisfactione debeant coërceri: ea de re addentes cum venerationis cultu ſummæ auiditatis dilectionis inſtinctum, indicamus ea quæ definiſtis nos concordantes veſtræ ſententiæ conſentire; quoaduſque in Synodali Concilio Kalendis Nouembris pariter poſiti debeamus conſilio pari tractare, qualiter talium temeritas frænum diſtrictionis poſſit accipere, vt deinceps nulli liceat ſub hunc lapſum faciente iactantia ſimilia perpetrare. Attamen quia nos ſua dictione domnus Paulus Apoſtolus indeſinenter videtur monere, vt opportunè importunéque debeamus quoſcumque credentes ſedula prædicatione corrigere, & pietatem proteſtatur ad omnia vtilem eſſe: ideo ſuggerimus, vt adhuc oratione aſſidua Domini miſericordiam depreceminì, vt ipſe ſpiritus compunctionis ipſas inflammare dignetur, vt id quod per delictum viſæ ſunt contraxiſſe, digna ſatisfactione pœniteant: vt in monaſterio ſuo veſtra prædicatione animæ, quæ quodammodo perierunt, propitio Chriſto reuertantur: vt ille qui vnam humeris inlatam errantem ouem ad ouile reduxit, & de iſtarum tranſgreſſione, quaſi adquiſito gregi congaudere dignetur: hoc ſpecialiùs poſtulantes, vt pro nobis interceſſionum veſtrarum ſuffragia indeſinenter, vt confidimus, tribuatis.

SVBSCRIPTIONES.

Peculiaris veſter Ætherivs peccator ſalutare præſumo.
Cliens veſter Heſychius reuerenter audeo ſalutare.
Amator veſter Syagrius reuerenter ſaluto.
Cultor veſter Vrbicus peccator famulanter ſaluto.
Venerator veſter Veranus Epiſcopus reuerenter ſaluto.
Famulus veſter Felix ſalutare præſumo.
Humilis veſter atque amator Felix audeo ſalutare.
Humilis atque obediens veſter Bertchramnus Epiſcopus audeo ſalutare.

CONCILIVM NARBONENSE.

RECCAREDI GOTHORVM IN HISPANIA

regis tempore celebratum, ſub die Kalendarum Nouembrium, æra DCXXVII. hoc eſt anno Chriſti DXXCIX. Pelagij iunioris Papæ XII. Clotarij II. regis VI.

TITVLI CANONVM.

1. Vt clerici purpureis veſtibus non induantur.

2. Vt in fine cuiuſque pſalmi, & per interualla maiorum, Gloria dicatur.

3. Vt clerici per plateas non ſedeant, nec confabulentur.

4. Vt dies Dominicus ab omnibus obſeruetur, & nulla eo die fiant opera.

5. Vt clerici à conſpirationibus abſtineant, & qui inferioris ſunt gradus in ſuperiorem ne inſurgant.

6. Vt cum clericis, qui ob culpas in monaſterium retruduntur, ſic agat Abbas, vt ab Epiſcopo fuerit conſtitutum.

7. Vt clericus, qui aduerſus Eccleſiæ vtilitatem egerit, gradu deijciatur.

8. Vt clericus, qui de rebus Eccleſiæ fraudem fecerit, reſtituat, & pænitentiæ ſubijciatur.

9. Vt Iudæis mortuos ſuos pſallendo deducere non liceat.

10. Vt clericus Epiſcopo non obediens ſtipendio careat, & communione priuetur.

11. Vt abſque literis qui eſt idiota non ordinetur.

12. Vt nullus clericus, dum Miſſa celebratur, de altario ante finem egredi audeat.

13. Vt clerici omnes ſenioribus ſuis ſubiaceant, & illis exeuntibus atque ingredientibus vela ſubleuent.

14. Vt qui ſortilegos conſulunt excommunicentur, & pecunia multentur: qui verò ſortes faciunt, venundentur, & pretium pauperibus erogetur.

15. Vt quinta feria, niſi aliqua feſtiuitas in eam incidat, feriari & ceſſare non liceat.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini noſtri IESV Chriſti. Anno feliciter quarto regni domini noſtri glorioſiſſimi Reccaredi regis, Narbone Migetius, Sedatius, Benenatus, Boëtius, Pelagius, Tigridius, Agrippinus, & Sergius, Epiſcopi Galliæ prouinciæ. Concilia Sanctorum antiquorum Patrum, vel decreta obſeruare cum Dei timore cupientes, nos in vrbe Narbona, ſecundum quod ſancta Synodus per ordinationem glorioſiſſimi domini noſtri Reccaredi regis in vrbe Toletana definiuit, die Kalend. Nouemb. Deo auſpice in vnum conuenimus, & aliquanta, quæ iuſtè & piè ſunt edita, & per patrocinationis poteſtatem non ſupplebantur, ad memoriam nunc temporibus Domini noſtri ſub præfationibus deducentes recapitulare fecimus: & quæ pro regula, & fidei catholicæ diſciplina adhuc viſa ſunt, com-

muni tractatu elegimus conſcribenda, & canonibus definiuimus adiungenda: quæ tenore Capitulorum ſubſequenter euidenti iure declarantur.

CANONES.

I. *Vt clerici purpureis veſtibus non induantur.*

Hoc regulariter definitum eſt, vt nullus clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem; vt ſicut eſt deuotio in mente, ita & oſtendatur in corpore: quia purpura maximè laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis. Quòd ſi quis non obſeruauerit, velut tranſgreſſorem legis coërcendum.

II. *Vt in fine cuiuſque pſalmi, & per interualla maiorum, Gloria dicatur.*

Hoc itaque definitum eſt, vt in pſallendis ordinibus per quemque pſalmum gloria dicatur omnipotenti Deo: per maiores verò pſalmos, prout fuerint prolixiùs, pauſationes fiant, & per quamque pauſationem gloria Trinitatis Domino decantetur.

III. *Vt clerici per plateas non ſedeant, nec confabulentur.*

Nam & hoc ſecundum priſcorum cenſuram canonum finitum, vt nullus clericus, ſubdiaconus, diaconus, vel preſbyter in plateis reſideat: certè nec in plateis ſtare, & fabulis diuerſis commiſceri. Quòd ſi quis facere præſumpſerit, repellendum omnino ab officio, & execrandum, ſi non emendauerit, & à communione, & ab officio priuetur.

IV. *Vt dies Dominicus ab omnibus obſeruetur, & nulla eo die fiant opera.*

Vt omnis homo, tam ingenuus, quàm ſeruus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Iudæus, die Dominico nullam operam faciant, nec boues iungantur, excepto ſi in mutando neceſſitas incubuerit. Quòd ſi quiſquam præſumpſerit facere, ſi ingenuus eſt, det Comiti ciuitatis ſolidos ſex; ſi ſeruus, centum flagella ſuſcipiat.

V. *Vt clerici à conſpirationibus abſtineant, & qui inferioris ſunt gradus in ſuperiorem non inſurgant.*

Secundum Concilium Nicænum ſanctiſſimum, conciliabula vel coniurationes non fiant clericorum, quæ ſub patrocinio ſolebant fieri laicorum. Nec vnuſquiſque de inferiore gradu ſeniorem ſibi elatus, aut increpet, aut iniuriet. Quòd ſi quis prætermiſſo tam iuſtæ cenſuræ ordine auſus fuerit facere, diſtrictione ſæuiſſima corrigatur, vt ſub pœnitentiæ nomine vitia recedant: id eſt anno vno in monaſterio

monaſterio ſciat abiicere ſuperbiam vnde inflatur, quod eſt diabolus; & addiſcat humiliationem Chriſti, quia per ipſam mortem guſtare dignatus eſt.

VI. *Vt cum clericis, qui ob culpas in monaſterium retruduntur, ſic agat Abbas, vt ab Epiſcopo fuerit conſtitutum.*

Secundum Concilia priſcorum orthodoxorum decreuit fraternitas, vt quicumque fuerit culpabilis inuentus clericus, aut honoratus de ciuitate, & ad monaſterium fuerit deputatus, ſic Abba qui eſt præfectus, cum illo qui dirigitur agat, ſicut ab Epiſcopo manifeſta correctione fuerit ordinatum. Aliter ſi Abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod ſuſpendatur: quia ob hanc cauſam dirigitur, vt emendetur, non paſſim ferculis diuerſis ſaturetur.

VII. *Vt clericus qui aduerſus Eccleſiæ vtilitatem egerit, gradu deiiciatur.*

Quicumque clericorum à maximo vſque ad infra contra ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem agere, tractare, vel conari fuerit repertus, meritò deiiciatur, qui fidem ſeruare minimè cognoſcitur.

VIII. *Vt clericus qui de rebus Eccleſiæ fraudem fecerit, reſtituat, & pœnitentiæ ſubiiciatur.*

Quicumque clericus, ſubdiaconus, diaconus, preſbyter, ſine conſcientia Epiſcopi aliquid de poſſeſſionibus, vel de domo Eccleſiæ tulerit, aut fraudem fecerit, non ſolùm cum omni dedecore conſtrictus reſtituat quod fecerit, ſed etiam non debet ibi in Eccleſia eſſe, vbi fraudem viſus eſt operaſſe: duobus iaceat ſub pœnitentia annis, & cum defleuerit factum, reuertatur ad officium.

IX. *Vt Iudæis mortuos ſuos pſallendo deducere non liceat.*

Hoc ante omnia decretum eſt, vt Iudæis non liceat corpus defuncti deducere pſallendo; ſed vt eorum habuit mos & conſuetudo antiqua, corpus deducant & deponant. Quòd ſi aliter facere præſumpſerint, inferant Comiti ciuitatis vncias ſex.

X. *Vt clericus Epiſcopo non obediens ſtipendio careat, & communione priuetur.*

Hoc maximè definitum eſt, vt nullus audeat clericorum ordinationem ſui Epiſcopi contemnere; ſed vbi ordinatus fuerit, ambulare debeat cum gratia & obedientia, & quæ iniuncta fuerint agere. Quòd ſi ſub cothurno ſuperbiæ neglexerit implere, non ſolùm à ſtipendio, ſed vno anno à communione priuetur.

XI. *Vt abſque litteris qui eſt idiota non ordinetur.*

Amodo nulli liceat Epiſcoporum ordinare diaconum, aut preſbyterum literas ignorantem: ſed ſi qui ordinati fuerint, cogantur diſcere. Qui verò diaconus, aut preſbyter fuerit literis ineruditus, & deſidiosè legere vel implere officium diſtulerit, & in Eccleſia ad omnia vtilis non fuerit, ab ſtipendio reiiciendum & inclinandum, quoadusque curuatus impleat & defendat, quod eſſe cognoſcitur. Ad quid erit in Eccleſia Dei, ſi non fuerit ad legendum exercitatus? Et ſi perſeuerauerit deſidiosè, & non vult proficere, mittatur in monaſterio, quia non poteſt ædificare populum.

XII. *Vt nullus clericus, dum Miſſa celebratur, de altario ante finem egredi audeat.*

Hæc maximè pro Dei timore, & modo diſciplinæ canonicæ, elegimus cuſtodienda vel tenenda, vt dum Miſſa celebratur, nullus preſbyter, aut diaconus, abſque aliqua infirmitate, dum Miſſa perficitur, egredi de altario audeat. Nec diaconus, aut ſubdiaconus certè, vel lector, antequam Miſſa conſummetur, alba ſe præſumat exuere. Quòd ſi quiſquam non impleuerit conſtitutum, preſbyteri increpentur vt redeant, diaconos & execrandos, & ſtipendio priuandos, reliquos diſtrictione ſtrictiſſima condemnandos.

XIII. *Vt clerici omnes ſenioribus ſuis ſubiaceant, & illis exeuntibus, atque ingredientibus vela ſubleuent.*

Hoc regulariter ſecundum priorum ſtatuta canonum finitum eſt, vt tam ſubdiaconus quàm oſtiarius, & reliqui, ſeruitium ſanctæ Eccleſiæ conſuetum abſque vlla deſidia impleant, & ſenioribus vela ad oſtia ſubleuent. Qui contempſerit facere & adimplere, ſubdiaconos verbis corripiendos, & ſi non emendauerint, ſtipendio priuandos, reliquos flagris coërcendos.

XIV. *Vt qui ſortilegos conſulunt excommunicentur, & pecunia multentur: qui verò ſortes faciunt venundentur, & pretium pauperibus erogetur.*

Hoc itaque propter ampliandam fidei catholicæ diſciplinam elegimus definiendum vel tenendum; vt ſi qui viri ac mulieres diuinatores, quos dicunt eſſe caragios atque ſorticularios, in cuiuſcumque domo Gothi, Romani, Syri, Græci, vel Iudæi, fuerint inuenti, aut quis auſus fuerit amodo in eorum vana carmina interrogare, & non publicè hoc voluerit annuntiare; pro hoc quod præſumpſit, non ſolùm ab Eccleſia ſuſpendatur, ſed etiam ſex auri vncias Comiti ciuitatis inferat. Illi verò qui tali iniquitate repleti ſunt, & ſortes, & diui-

nationes faciunt, & populum præuaricando ſeducunt, vbi inuenti vel inuentæ fuerint, ſeu liberi, ſeu ſerui vel ancillæ ſint, grauiſſimè publicè fuſtigentur, & venundentur, & pretia ipſorum pauperibus erogentur.

XV. *Vt quinta feria, niſi aliqua feſtiuitas in eam incidat, feriari & ceſſare non liceat.*

Ad nos peruenit, quoſdam de populis catholicæ fidei execrabili ritu diem quintam feriam, qui & dicitur Iouis, multos excolere, & operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes & blaſphemantes, quicumque ab hac die, præter feſtiuitates in eo die venientes, auſus vel auſa fuerit vacare, & operam non facere, ſi ingenuus eſt aut ingenua, de Eccleſia repellendus, & ſub pœnitentia mittendus anno vno, & eleemoſyna & fletu ſatisfaciat, vt ei Dominus ignoſcat: ſi ſeruus aut ancilla fuerit, flagellis correcti domino conſignentur, & vltrà talia eos obſeruare non permittat.

SVBSCRIPTIONES.

MIGETIVS in Chriſti nomine Eccleſiæ catholicæ Narbonenſis Epiſcopus has conſtitutiones, ſecundum quod nobis cum fratribus noſtris Deo conſpirante placuit, relegi & ſubſcripſi.

Sedatius in Chriſti nomine Eccleſiæ catholicæ Biterrenſis Epiſcopus, his conſtitutionibus interfui & ſubſcripſi.

Boëtius in Chriſti nomine Eccleſiæ Magalonenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Pelagius in Chriſti nomine Eccleſiæ Nemauſenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Tigridius in Chriſti nomine Eccleſiæ Agathenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Sergius in Chriſti nomine Eccleſiæ Carcaſſonenſis Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

Agrippinus de ciuitate Loteua in Chriſti nomine Epiſcopus, in has conſtitutiones interfui & ſubſcripſi.

ANNO CHRISTI 590. CLOTARII II. REGIS 6.

GREGORIVS PAPA.

CONCILIVM IN CONFINIO TRIVM CIVITATVM.

ADVERSVS TETRADIAM, QVÆ EVLALII COMIris vxor fuerat, celebrarum anno Chriſti DXC. Gregorij magni Papæ I. Childeberti regis XV. Clotarij iuniotis VI.

TETRADIA *Eulalij Comitis Aruerni vxor, cùm ab eo inhumaniùs tractaretur, clàm ad Deſiderium Ducem, cum rebus Eulalij, quas auferre poterat, ſe contulit, atque eidem poſtea, vxore ipſius mortua, nupſit. Eulalius poſt Deſiderij obitum res ſuas à Tetradia repetiit: quas illa ex Synodi huius ſententia in quadruplum reſtituere coacta eſt. Gregorius Turon. lib. x. Hiſtoriæ cap.* VIII. In confinio, *inquit*, termini Aruerni, Gabalitani, atque Ruteni, Synodus Epiſcoporum facta eſt contra Tetradiam relictam quondam Deſiderij, eo quòd repeterer ab ea Eulalius Comes res, quas ab eo fugiens ſecum tuliſſet. *Et poſt alia.* Igitur coniunctis, vt diximus, ſacerdotibus, & viris magnificis, in confinio ſupradictarum vrbium, Tetradia ab Aginno repræſentatur, atque Eulalius contra eam cauſaturus acceſſit. Cúmque res, quas de eius, abiens ad Deſiderium, domo abſtulerat, inquireret, iudicatum eſt Tetradia vt quadrupla ſatisfactione ablata reſtitueret; filióſque, quos de Deſiderio conceperat, incertos haberi. Illud inſuper ordinantes, vt ſi hæc quæ Eulalio eſt iuſſa diſſolueret, accedendi in Aruernum licentia pręberetur, rebuſque ſuis, quæ ei ex paterna ſucceſſione obuenerant, abſque calumnia frueretur. Quod ita factum eſt.

Anno Christi 590. Clotarii II. Regis 6.

CONCILIVM PICTAVENSE.

IN QVO MONASTERII PICTAVENSIS CAVSA inter Chrodieldem & Abbatiſſam, ab vtriuſque regni Epiſcopis diſcuſſa & iudicata eſt, anno Chriſti DXC. Guntramni regis XXIX. Childeberti XV.

CVM eò tandem prorupiſſet Chrodieldis audacia, vt occupato nocte per emiſſarios ſuos monaſterio, vi Abbatiſſam inde abduceret; ex quo dira mox ſecuta ſeditio cædibus ac ſtragibus vrbem fœdabat; re ad principes delata, conuenit inter eos, vt delecti ex vtroque regno Antiſtites mitterentur, qui de omnibus Eccleſiaſtico more cognoſcerent: Macconi etiam Comiti mandatum, vt ſeditionem, ſi qui reſiſterent, vi opprimeret. Synodus ergo in baſilica S. Hilarij habita eſt. Quid in ea geſtum ſit, declarat Synodica Epiſcoporum ad reges, quæ apud Gregorium Turonenſem lib. x. cap. XVI. *legitur his verbis.*

IVDICIVM EPISCOPORVM QVI PICTAVIS *conuenerant contra Chrodieldem & Baſinam, ac ſocias latum, ad Guntramnnm & Childebertum reges.*

DOMNIS GLORIOSISSIMIS REGIBVS Epiſcopi qui adfuerunt.

PROPITIA diuinitate piis atque catholicis populo datis principibus, quibus conceſſa eſt regio, rectiſſimè ſuas cauſas patefacit religio, intelligens ſacroſancto participante ſpiritu, eorum qui dominantur ſe ſociari & conſtabiliri decreto. Et quia ex iuſſione poteſtatis veſtræ, cùm ad Pictauam ciuitatem pro conditionibus monaſterij ſanctæ recordationis Radegundis conuenimus, vt altercationes inter Abbatiſſam eiuſdem monaſterij & monachas, quæ de ipſo grege non ſalubri deliberatione progreſſæ ſunt, ipſis diſceptantibus agnoſcere deberemus, euocatis partibus, interrogata Chrodieldis & Baſina, quare tam audacter contra ſuam regulam foribus monaſterij confractis diſceſſerant, & hac occaſione congregatio adunata diſciſſa ſit. quæ reſpondentes profeſſæ ſunt, famis, nuditatis, inſuper & cædis ſe iam non ferre periculum; adiicientes etiam, eo quòd diuerſi earùm in balneo lauarentur incongruè, ad tabulam ipſa luſerit, atque ſæculares cum Abbatiſſa reficerent, etiam & ſponſalia in monaſterio facta ſint, de palla holoſerica veſtimenta neptis ſuæ temerariè fecerit; foliola aurea, quæ fuerant in gyro pallæ, inconſultè ſuſtulerit, & ad collum neptis ſuæ facinoroſè ſuſpenderit; vittam de auro exornatam eidem nepti ſuæ ſuperfluè fecerit; barbatorias intus eo quòd celebrauerit. Interrogantes Abbatiſſam quid ad hæc reſponderet, dixit: De fame quod conqueruntur, ſecundum quod temporis penuria permitteret, numquam ipſæ nimiam egeſtatem pertulerunt. De veſtimento verò dixit: Si quis earum arcellulas ſcrutaretur, ampliùs eas habere, quàm neceſſitas indigeret. De balneo verò quod opponeretur, retulit hoc factum diebus Quadrageſimæ: & pro calcis amaritudine, ne lauantibus noceret nouitas ipſius fabricæ, iuſſiſſe domnam Radegundem, vt ſeruientes monaſterij publicè hoc viſitarent, donec omnis odor nocendi diſcederet: quòd per Quadrageſimam vſque ad Pentecoſtem in vſu famulis fuerit. Ad hæc Chrodieldis reſpondit, Et poſtea ſimiliter multi per tempora lauerunt. Retulit Abbatiſſa, ſe nec probare quod dicerent, & ſe neſcire an factum ſit. Sed adhuc inculpans eaſdem, quòd ſi ipſæ vidiſſent, cur Abbatiſſæ non proderent. De tabula verò reſpondit, Etſi luſiſſet viuente domna Radegunde, ſe minùs culpa reſpiceret: tamen nec in regula per ſcripturam prohiberi, nec in canonibus retulit: ſed ad iuſſionem Epiſcoporum repromiſit, ceruice ſe inflexa per pœnitentiam quicquid iuberetur implere. De conuiuiis etiam ait, ſe nullam nouam feciſſe conſuetudinem, niſi ſicut actum eſt ſub domna Radegunde: ſe Chriſtianis fidelibus eulogias obtuliſſe, nec ſibi comprobari cum illis vllatenus conuiuaſſe. De ſponſalibus quoque ait, Coram Pontifice, cle-

Gregor. Tur. lib. 10. c. 16.

ro, vel ſenioribus, pro nepte ſua orphanula arras accepiſſe: & tamen ſi hæc culpa ſit, veniam ſe coram cunctis petere profeſſa eſt: tamen nec tunc conuiuium in monaſterio fecerit. De palla quod reputarent, protulit monacham nobilem, quæ ei mafortem holoſericum, quem de parentibus detulit, muneris cauſa conceſſerit, & inde partem abſcidiſſet, vnde quod vellet & faceret; de reliquo verò, quantum opportunum fuit ad ornatum altaris, pallam condignè condiderit, & de illa inſciſſura, quæ pallæ ſuperfuit, purpuram nepti ſuæ in tunica poſuerit, quam ibi dediſſe dixit, quo monaſterio profuit: quæ omnia donatrix Didinia confirmauit. De foliolis aureis, & vitta auro exornata, Macconem famulum veſtrum præſentem teſtem adhibuit, eo quòd per manum eius à ſponſo puellæ prædictæ neptis ſuæ xx. ſolidos accepit, vnde hoc publicè fecerit, nec de re monaſterij quicquam ibi permixtum ſit. Interrogata Chrodieldis cum Baſina, ſi forſitan aliquid Abbatiſſæ, quod abſit, adulterij reputarent, ſiue quid homicidij, vel maleficij fecerit, aut crimen capitale quo percuteretur, edicerent; reſpondentes protulerunt, Non habere ſe aliquid, niſi per hæc, quæ dixerant, eam iſta feciſſe contra regulam proclamarent. Ad extremum pro peccatis, quia clauſtra diſrupta ſunt, & miſeris licuit ſine diſciplina Abbatiſſæ ſuæ, quod vellent committere per tot menſium ſpatia, quas credebamus innocentes, monachas nobis protulerunt prægnantes. Quibus per ordinem diſcuſſis, nec inuento crimine quod Abbatiſſam deiiceret, de leuioribus cauſis paterna commonitione conteſtati ſumus, vt hæc nullatenus deinceps pro reprehenſione repeteret. Tunc nobis percunctantibus cauſam aduerſæ partis, quæ maiora crimina commiſerunt, id eſt quæ prædicationem ſui ſacerdotis intra monaſterium, ne foras procederent, deſpexerunt, Pontifice conculcato, & in ſummo contemptu in monaſterio relicto, confractis ſeris & ianuis, irrito facto diſceſſerunt, & ad ſuum peccatum aliæ tractæ tranſgreſſæ ſunt. Inſuper & Gundegiſilus Pontifex cum ſuis prouincialibus pro ipſa cauſa commonitus per præceptionem regum Pictauos acceſſiſſet, & ad audientiam eas ad monaſterium conuocarent, deſpecta commonitione, ipſis occurrentibus ad B. Hilarij confeſſoris baſilicam, vbi ipſæ commorabâtur accedentes, vt condecet paſtorum ſollicitudinem dum commonerentur, facta ſeditione fuſtibus tam Pontifices, quàm miniſtros, affecerunt, & intra baſilicam fuderunt ſanguinem Leuitarum. Dehinc ex iuſſione domnorum principum cùm vir venerabilis Teutharius presbyter in cauſa directus fuerat, & ſtatutum fuiſſet quando iudicium fieret, non expectato tempore, monaſterium ſeditioſiſſimè accenſis in corte cuppis, vectibus ac ſecuribus confractis poſticis, igne accenſo, intra ſepta cæſis & vulneratis monachabus, in ipſis oratoriis ſpoliato monaſterio, denudata & diſciſſa capillis Abbatiſſa, grauiter ad ridiculum ducta & tracta per compita, & in locum retruſa, etſi non ligata, nec libera; ſuperueniente die Paſchæ feſto per ſæculum, offerente Pontifice pro condemnata pretium, vt ſpectaret vel baptiſmum, nec vlla ſuaſione hoc impetraſſet vox ſupplicum: atque reſpondente Chrodielde, eo quòd tale facinus nec ſciſſent, nec iuſſerint; adhuc Chrodielde aſſerente ad interſignium ſuum, ne à ſuis interficeretur, obtentum ſit: vnde certum eſt tractari quid ex hoc datur intelligi,

quod additur crudelitati, ad ſepulcrum B. Radegundis fugientem ſeruum Monaſterij ſui occiderent, & creſcente ſcelere nihil petendo ſanauerint; ſed per ſe pòſt intrantes monaſterium ceperint, & ad domnorum iuſſionem, vt ſeditioſos illos in publico repræſentarent, nolentes adquieſcere, & contra regum præcepta magis arma tenerent, & ſe ſagittis vel lanceis contra Comitem & plebem indignanter erigerent. Hinc denuo egreſſæ ad audientiam publicam, extrahunt crucem ſanctam ſacratiſſimamque occultè, & ad iniuriam indecenter ad culpam, quæ poſtea reſtituere coactæ ſunt in Eccleſia. Quibus tot capitalibus agnitis facinoribus, nec refrænatis, ſed iugiter magis auctis criminibus, nobis eiſdem dicentibus, vt Abbatiſſæ pro culpa veniam peterent, aut quod malè direptum fuerat emendarent: & nolentes hoc facere, ſed magis de eius interfectione tractarent, quod publicè ſunt profeſſæ, reſeratis à nobis & recenſitis canonibus, viſum eſt ęquiſſimum, eas, vſquequo dignam agerent pœnitentiam, à communione priuari, & Abbatiſſam ſuo loco permanſuram reſtitui. Hæc nos pro veſtra iuſſione, quod ad Eccleſiaſticum pertinet ordinem, circumſpectis canonibus abſque perſonarum aliqua acceptione ſuggerimus peregiſſe. De cætero quod de rebus monaſterij, vel inſtrumentis chartarum domnorum regum parentum veſtrorum de loco ſubreptum eſt, quæ ſe habere profeſſæ ſunt, ſed nobis inobedientes nullatenus erunt voluntariè reddituræ, qualiter veſtra vel anteriorum principum merces æterna permaneat, ad loci inſtaurationem, veſtræ pietatis atque poteſtatis eſt auctoritate regia cogere reformari. Neque ipſas ad locum, quem tam impiè ac profaniſſimè deſtruxerunt, ne peiora proueniant, vel redire concedite, vel permittatis iterum adſpirare: quatenus his in integrum præſtante Domino reſtitutis, ſub catholicis regibus totum adquiratur Deo, nihil perdat religio: vt ſtatus conſeruatus tam patrum quàm canonum nobis proficiat ad cultum, vobis propagetur ad fructum. Chriſtus vos Dominus alat, regatque, regnum tribuens prolixius, vitamque conferat beatam.

ANNO CHRISTI 590. CLOTARII II. REGIS 6.

CONCILIVM METENSE.

IN QVO ÆGIDIVS REMORVM EPISCOPVS OB crimen maieſtatis, obtenta vita, Epiſcopatus gradu deiectus eſt; Chrodieldis & Baſina in communionem receptæ, anno Chriſti DXC. Gregorij magni Papæ I. Childeberti Francorum in Auſtraſia regis XV.

ETSI de Rauingi & ſociorum coniuratione, cuius particeps Ægidius Epiſcopus ferebatur, veniam is à Childeberto rege impetrarat, vt Gregorius Turonenſis ſcribit lib. IX. cap. XIV. & compoſita iam ac ſopita contentio videbatur: tamen cùm eius criminis hoc anno memoria Sunnigiſilo in tormentis prodente recruduiſſet; atque aliis etiam nominibus regi ſuſpectus & exoſus eſſet Ægidius, conuocata in eam rem Synodi examen, iudicium-

que ſubire coactus eſt : cuius progreſſum, exitúmque Gregorius idem his verbis enarrat lib. x. *cap.* XIX. SVNNIGISILVS in tormentis diuerſa ſcelera ſe admiſiſſe confeſſus eſt. Inter quas confeſſiones addidit etiam Ægidium Remenſem Epiſcopum ſocium fuiſſe in illo Rauingi, Vrſionis, ac Berthefredi conſilio ad interficiendum Childebertum regem. Nec mora, tenetur Epiſcopus, & ad Metenſem vrbem, cùm eſſet valde ab ægrotatione longinqua defeſſus, adducitur: ibique ſub cuſtodia degens, rex Epiſcopos accerſiri ad eius examinationem præcepit; ſcilicet vt initio menſis octaui apud Viridunenſem vrbem adeſſe deberent. Tunc ab aliis ſacerdotibus increpatus, cur hominem abſque audientia ab vrbe rapi, & in cuſtodiam retrudi præcepiſſet; permiſit eum ad vrbem ſuam redire, dirigens epiſtolas, vt ſuprà diximus, ad omnes regni ſui Pontifices, vt medio menſe nono ad diſcutiendum in vrbe ſupradicta adeſſe deberent. Erant autem pluuiæ validæ atque immenſæ, rigor intolerabilis, diſſolutæ luto viæ, amnes litora excedentes; ſed præceptioni regiæ obſiſtere nequiuerunt. Denique conuenientes pertracti ſunt vſque Metenſem vrbem; ibique & præfatus Ægidius adfuit. Tunc rex inimicum eum ſibi, regioniſque proditorem denuntians, Ennodium ex Duce ad negotium delegit proſequendum. Cuius propoſitio prima hæc fuit. Dic mihi, ô Epiſcope, quid tibi viſum fuit, vt relicto rege, in cuius vrbe Epiſcopatus honore fruebaris, Chilperici regis amicitiis ſubdereris, qui ſemper inimicus domino noſtro regi fuiſſe probatur? qui patrem eius interfecit, matrem exilio condemnauit, regnúmque peruaſit, & in iis vrbibus, quas, vt diximus, iniquo peruaſiônis ordine ſuo dominio ſubiugauit, tu ab eodem poſſeſſionum fiſcalium prædia meruiſti. Ad hæc ille reſpondit: Quòd fuerim amicus Chilperici regis, negare non potero: non tamen contra vtilitatem regis Childeberti hæc amicitia pullulauit. Villas verò, quas memoras, per iſtius regis chartas emerui. Tunc proferente eaſdem in publico, negat rex ſe largitum fuiſſe: requiſituſque Otho, qui tunc Referendarius fuerat, cuius ibi ſubſcriptio meditata tenebatur, adfuit, negat ſe ſubſcripſiſſe. Conficta enim erat manus eius in huius præceptionis ſcripto. In hac igitur cauſa primùm Epiſcopus fallax repertus eſt.

Poſt hæc epiſtolæ prolatæ ſunt, in quibus multa de improperiis Brunechildis tenebantur, quæ ad Chilpericum ſcriptæ fuerant. Similiter & Chilperici ad Epiſcopum delatæ, in quibus inter reliqua habebatur inſertum, Quia ſi radix cuiuſlibet rei inciſa non fuerit, culmus qui in terris eſt editus non areſcet. Vnde prorſus manifeſtum eſt, ideo hæc ſcripta, vt ſuperata Brunichilde filius eius opprimeretur. Negauit ſe Epiſcopus has epiſtolas, vel miſiſſe ſuo nomine, vel ſuſcepiſſe à reſcripto Chilperici. Sed puer eius familiaris adfuit, qui hæc notarum titulis per tomos chartarum comprehenſa tenebat. Vnde non dubium fuit reſidentibus, hæc ab eodem directa. Deinde prolatæ ſunt pactiones, quaſi ex nomine Childeberti ac Chilperici regis, in quibus tenebatur inſertum, vt eiecto Gunthramno rege, hi duo reges inter ſe eius regnum vrbeſque diuiderent. Sed negauit hæc rex cum ſuo facta conſilio, dicens, quia tu commiſiſti patruos meos, vt inter illos bellum ciuile conſurgeret. Vnde factum eſt, vt commotus exercitus Bituricas vrbem, pagumque Stampenſem, vel Miliodunenſe caſtrum adtererent

tererent atque depopularentur: in quo bello multi perempti ſunt, quorum vt puto animæ erunt Dei iudicio de tuis manibus requirendæ. Hæc Epiſcopus negare non potuit. Scripta enim iſta in regeſto Chilperici regis in vno ſcriniorum pariter ſunt reperta; ac tunc ad eum peruenerunt, quando interempto Chilperico theſauri eius de Calenſi Pariſiacæ vrbis villa ablati ad eumdem delati ſunt. Cúmque de huiuſmodi cauſis altercatio diutiùs traheretur, adfuit & abbas Epiphanius baſilicæ S. Remigij, dicens quòd duo millia ſolidorum, ſpecieſque multas pro conſeruanda regis Chilperici amicitia accepiſſet. Adſtiteruntque etiam & legati, qui cum eodem ad memoratum regem fuerant, dicentes, Quia nobis relictis ſolus cum eodem diutiùs conlocutus eſt, de quibus verbis nihil intelleximus, niſi ſupradicti excidij proſecutionem in poſterum cognoſcentes. Hæc eo negante, abbas, qui fuerat ſemper in his conſiliorum arcanis particeps, locum hominémque denominat, vbi & qui aureos quos diximus detuliſſet; & qualiter de excidio regionis ac regis Gunthramni conuentum fuerat, vt geſtum eſt, ex ordine denarrauit. Quæ & ille conuictus deinceps eſt confeſſus. Hæc audientes Epiſcopi, qui euocati fuerant, & in tantis malis ſacerdotem Domini contuentes fuiſſe ſatellitem, ſuſpirantes de iis triduani temporis ſpatium deprecantur tractandi: ſcilicet vt forſitan reſipiſcens Ægidius vllum modum reperire poſſet, per quem ſe ab his noxiis, quæ ei obiiciebantur, excuſare valeret. Sed inluceſcente die tertia, conuenientes in Eccleſiam interrogant Epiſcopum, ſi aliquid excuſationis haberet ediceret. At ille confuſus ait: Ad ſententiam dandam ſuper culpabilem ne moremini. Nam ego noui me ob crimen maieſtatis reum eſſe mortis, qui ſemper contra vtilitatem huius regis, matriſque eius abij; ac per meum conſilium multa fuiſſe geſta certamina, quibus nonnulla Galliarum loca depopulata ſunt. Hæc Epiſcopi audientes, ac lamentantes fratris opprobrium, obtenta vita, ipſum ab ordine ſacerdotali, lectis canonum ſanctionibus, remouerunt. Qui ſtatim ad Argentoratenſem vrbem, quam nunc Strataburgum vocant, deductus exilio condemnatus eſt. In cuius locum Romulfus filius Lupi ducis, iam preſbyterij honore præditus, Epiſcopus ſubrogatus eſt; Epiphanio abbatis officio, qui baſilicæ S. Remigij præerat, remoto. Multa enim auri argentique in huius Epiſcopi regeſto pondera ſunt reperta. Quæ autem de illa iniquitatis militia erant, regalibus theſauris ſunt illata: quæ autem de tributis, aut reliqua ratione Eccleſiæ inuenta ſunt, inibi relicta.

In hac Synodo Baſina Chilperici regis filia, quam ſuprà cum Chrodielde à communione remotam diximus, coram Epiſcopis ſolo proſtrata veniam petiit, promittens ſe cum caritate Abbatiſſæ monaſterium ingredi, ac de regula nihil tranſcendere. Chrodieldis autem obteſtata eſt, quòd Leobouera abbatiſſa in hoc monaſterio commorante, ibidem nuſquam ingrederetur. Sed vtriſque rex veniam impertiri deprecatus eſt: & ſic in communionem receptæ Pictauos regredi iuſſæ ſunt. Scilicet vt Baſina in monaſterium, vt præfati ſumus, regrederetur: Chrodieldis verò in villa, quæ quondam Vvaddonis ſuperiùs memorati fuerat, ſibi à rege conceſſa reſideret. Cap. 20.

CONVENTVS NEMPTODORENSIS.

IN QVO BAPTIZATVS EST CLOTARIVS REX puer, ſuſceptuſque de ſacro fonte à Guntramno patruo ſuo rege, anno Chriſti DXCI. Clotarij ipſius regis VII. Guntramni XXX.

ACTVM *iam quidem antea non ſemel fuerat de baptiſmo Clotarij; ad quem celebrandum, & ante annos quinque inuitatus Guntramnus, Pariſios ex Burgundia venerat, vt auctor eſt Gregorius Turonenſis lib.* VIII. *cap.* I. *&* IX. *Sed res tum ſtudio dilata, variiſque poſthæc intercedentibus cauſis impedita, hoc demum anno apud Nemptodorum Pariſienſis agri vicum, in Epiſcoporum quos Guntramnus adeſſe iuſſerat conuentu peracta eſt, vt Gregorius idem narrat lib.* x. *cap.* XXVIII. Poſt hæc, *inquit*, Fredegundis legatos ad Guntheramnum regem mittit dicens: Proficiſcatur dominus meus rex vſque Pariſios, & arceſſito filio meo nepote ſuo, iubeat eum baptiſmatis gratia conſecrari; ipſúmque de ſancto lauacro exceptum tamquam alumnum proprium habere dignetur. Hæc audiens rex, commotis Epiſcopis, id eſt Ætherio Lugdunenſi, Syagrio Auguſtodunenſi, Flauióque Cabillonenſi, & reliquis quos voluit, Pariſios accedere iubet, indicans ſe poſtmodum ſecuturum. Fuerunt enim ad hoc placitum multi de regno eius, tam domeſtici, quàm Comites, ad præparanda regalis expenſæ neceſſaria. Rex autem deliberatione acta, vt ad hæc deberet accedere, pedum eſt dolore prohibitus. Poſtquam autem conualuit, acceſſit Pariſios: exinde ad Rotoialenſem villam ipſius vrbis properans, euocato puero iuſſit baptiſterium præparari in vico Neptodoro. Dum autem hæc agerentur, legati Childeberti regis acceſſerunt ad eum dicentes: Non enim iſta nuper nepoti tuo Childeberto pollicitus eras, vt cum inimicis eius amicitias conligares. Sed in quantum cernimus, nihil de promiſſione tua cuſtodis, ſed potiùs quæ promiſeras prætermittis; & puerum iſtum in vrbis Pariſiacæ cathedra regem ſtatuis. Iudicabit autem Deus, quia non reminiſceris quæ vltro pollicitus es. Hæc iis dicentibus rex ait: Promiſſionem, quam in nepotem meum Childebertum regem ſtatutam habeo, non omitto. Nam illum non oportet ſcandalizari, ſi conſobrinum eius, filium fratris mei, de ſancto ſuſcipiam lauacro; quia hanc petitionem nullus Chriſtianorum debet abnuere. Eamque ego, vt Deus manifeſtiſſimè nouit, non calliditate aliqua, ſed in ſimplicitate puri cordis agere cupio, quia offenſam diuinitatis incurrere formido. Non eſt enim humilitas gentis noſtræ, ſi hic à me excipiatur. Si enim domini proprios famulos de ſacro fonte ſuſcipiunt, cur & mihi non liceat propinquum parentem excipere, ac filium facere per baptiſmi gratiam ſpiritalem? Abſcedite nunc, & nuntiate domino veſtro, pactionem, quam tecum pepigi cuſtodire cupio inlibatam; quam ſi tuæ conditionis noxa non omiſerit, à me prorſus omitti

nequibit. Et hæc dicens, legatis diſcedentibus, Rex accedens ad lauacrum ſanctum, obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens Chlotarium vocitari voluit, dicens, Creſcat puer, & huius ſit nominis executor, ac tali potentia polleat, ſicut ille quondam, cuius nomen indeptus eſt. Quo myſterio celebrato, inuitatum ad epulum paruulum multis muneribus onerauit. Similiter & rex ab eodem inuitatus, pleriſque donis refertus abſceſſit, & ad Cabillonenſem vrbem redire ſtatuit.

S. GREGORII PAPAE
EPISTOLA I.

Ad Virgilium & Theodorum Epiſcopos.

Iudæos non eſſe ad baptiſmum cogendos, ſed ad fidem amplectendam ſuauiter excitandos.

GREGORIVS VIRGILIO ARELATENSI, ET Theodoro Epiſcopo Maſſiliæ Galliarum.

SCRIBENDI ad fraternitatem veſtram, reddendíſque debitæ ſalutationis alloquium, licèt nulla congrui temporis vel perſonarum eſſet occaſio; actum eſt, vt vno in tempore, & quæ decebant de dilectione proximitatis fraternæ perſoluerem, & quorumdam querimoniam, quæ ad nos perlata eſt, quomodo errantium animæ ſaluandæ ſint, non tacerem. Plurimi ſi quidem Iudaicæ religionis viri in hac prouincia commorantes, ac ſubindè in Maſſiliæ partes pro diuerſis negotiis ambulantes, ad noſtram perduxere notitiam, multos conſiſtentium in illis partibus Iudæorum, vi magis ad fontem baptiſmatis, quàm prædicatione perductos. Nam intentionem quidem huiuſcemodi & laude dignam cenſeo, & de Domini noſtri dilectione deſcendere profiteor. Sed hanc eandem intentionem niſi competens ſcripturæ ſacræ comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exindè non proueniat, aut iuxta aliquid animarum quas eripi volumus, quod abſit, diſpendia ſubſequantur. Dum enim quiſpiam ad baptiſmatis fontem non prædicationis ſuauitate, ſed neceſſitate peruenerit, ad priſtinam ſuperſtitionem remeans, inde deteriùs moritur, vnde renatus eſſe videbatur. Fraternitas ergo veſtra huiuſmodi homines frequenti prædicatione prouocet; quatenus mutare veterem vitam magis de doctoris ſuauitate deſiderent. Sic enim & intentio veſtra rectè perficitur, & conuerſi animus ad priorem denuò vomitum non mutatur. Adhibendus ergo eſt illis ſermo, & qui errorum in ipſis ſpinas vrere debeat, & prædicando quod in his tenebreſcit illuminet: vt pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas veſtra capiat, & eos, quantum Deus donauerit, ad nouæ regenerationem vitæ perducat. Lib. I. epiſt. 45.

Menſe Iunio Indictione IX.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Dynamium Patricium.

Quadringentos ſolidos de reditibus Eccleſiæ Rom. ſe accepiſſe ſignificat. mittit crucem ſacris reliquiis refertam.

GREGORIVS DYNAMIO PATRICIO Galliarum, &c.

Lib. II. Epiſt. 33. MONSTRAT quàm benè diſpenſet propria, qui fideliter adminiſtrat aliena. Quod veſtra nobis gloria oſtendit, quæ perenni muneri intenta, beato Petro Apoſtolorum principi ſuorum redituum fructus intulit: cui dum ſua fideliter impenditis, hæc apud eum munera veſtra feciſtis. Sic quippe agere huius terræ glorioſos de æterna gloria cogitantes decet, vt in eo quod temporaliter præualent, mercedem ſibi non temporalem parent. Proindè debitum ſalutationis alloquium perſoluentes, omnipotentem Dominum deprecamur, vt vitam veſtram, & bonis præſentibus repleat, & ad ſublimia gaudia æternitatis extendat. Suſcepimus námque per Hilarium filium noſtrum de præfatis Eccleſiæ noſtræ reditibus Gallicanis ſolidos quadringentos. Tranſmiſimus autem beati Petri Apoſtoli benedictionem, crucem paruulam, cui de catenis eius beneficia ſunt inſerta. Quæ illius quidem ad tempus ligauerunt, ſed veſtra colla in perpetuum à peccatis ſoluant. Per quatuor verò in circuitu partes, de beati Laurentij craticula, in qua peruſtus eſt, beneficia continentur; vt hoc vbi corpus illius pro veritate crematum eſt, veſtram mentem ad amorem Domini accendat. *Menſe Aprili Indictione* XI.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA III.
Ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem.

Vices illi ſuas in regno Childeberti concedit. Monet vt Simoniacam labem prohibeat, & ne ex laicis repentè fiant Epiſcopi. De pallij vſu, & quatenus vices Apoſtolicas obire debeat.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO Arelatenſi.

Lib. IV. Epiſt. 50. QVAM bona eſt caritas, quæ abſentia per imaginem præſentia ſibimetipſis exhibet per amorem, diuiſa vnit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat. Quam rectè
Coloſſ. 3. 14. prædicator egregius vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem generant, ſed tamen eas caritas etiam ligat, vt ab amantis mente diſſolui iam nequeant. Hac itaque virtute, frater

cariſſime, plenum te eſſe reperio, ſicut mihi de te, & hi qui ex Gallicanis partibus veniunt, & epiſtolæ tuæ ad me directæ verba teſtantur. Quòd verò in eis, iuxta antiquum morem, vſum pallij, ac vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit ne aut rranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamenrum, in vicibus noſtris ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, vndè in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cùm priſcam conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ fraternitas veſtra repetit, quid aliud quàm bona ſóboles ad ſinum matris Eccleſiæ recurrit? Libenti ergo animo poſtulata concedimus, ne aut vobis quicquam de debito honore ſubtrahere, aut præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti regis petitionem contempſiſſe videamur. Sed iam nunc ſtudio maiori res indiget, vt cùm honor creſcit, etiam ſollicitudo proficiat, & erga ceterorum cuſtodiam vigilantia excreſcat, vitæ quoque merita ſubiectis in exemplum veniant, & numquam ſua per ſuſcepti honoris gratiam, ſed lucra cæleſtis patriæ veſtra fraternitas exquirat. Noſtis enim quid beatus Apoſtolus gemens dicat, *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ ſunt Chriſti* IESV. Quibuſdam namque narrantibus agnoui, quòd in Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad ſacrum ordinem ſine commodi darione perueniat. Quod ſi ita eſt, flens dico, gemens denuntio, quia cùm ſacerdotalis ordo inrus cecidit, foris quoque diu ſtare non poterit. Scimus quippe ex Euangelio quid Redemptor noſter per ſemetipſum fecerit, quia ingreſſus templum cathedras vendentium columbas euertit. Columbas enim vendere, eſt de Spiritu ſancto, quem Deus omnipotens conſubſtantialem ſibi per impoſitionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, vt prædixi, malo iam innuitur quid ſequatur; quia qui in templo Dei columbas vendere præſumpſerunt, eorum Deo iudice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in ſubditis cum augmento propagatur. Nam ipſe quoque, qui pretio ad ſacrum ordinem perducitur, iam in ipſa prouectus ſui radice viriatus, paratior eſt aliis venundare quod emit. Et vbi eſt, quod ſcriptum eſt, *Gratis accepiſtis, gratis date?* Et cùm prima ſimoniaca hæreſis ſit contra Eccleſiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum, quem quis pretio ordinat, prouehendo agit, vt hæreticus fiat? Alia quoque nobis res eſt valde deteſtabilis nuntiata, quòd quidam ex laico habitu, per appetitum gloriæ temporalis, defunctis Epiſcopis tonſurantur, & fiunt ſubitò ſacerdotes. Qua in re iam notum eſt qualis ad ſacerdotium venit, qui repente de laico habitu ad ſacrum tranſit ducatum; & qui miles numquam extitit, dux religioſorum fieri non extimeſcit. Quam iſte prædicationem habiturus eſt, qui fortaſsè numquam audiuit alienam? aut quando aliena mala corrigat, qui necdum ſua fleuit? Et cùm ad ſacros ordines Paulus Apoſtolus neophytum venire prohibeat, ſciendum nobis eſt, quia ſicut neophytus tunc vocabatur, qui adhuc nouiter erat eruditione plantatus in fide; ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc nouus eſt in ſancta conuerſatione. Scimus autem, quòd ædificati parietes non priùs tignorum pondus accipiunt, niſi nouitatis ſuæ humore ſiccentur; ne ſi antè pondera quàm ſolidantur accipiant, cunctam ſimul fabricam ad terram deponant. Et cùm ad ædificium arbuſta ſuccidimus, vt priùs viriditatis humor exſiccari debeat exſpectamus; ne ſi eis adhuc recentibus

Philip.2.21.
Matth.21.12.
Matth.10.8.
1.Tim.3.6.

fabricæ pondus imponitur, ex ipſa nouitate curuentur, & confracta citiùs corruant, quæ immaturè in altum leuata videbantur. Cur ergo hoc non ſubtiliter in hominibus cuſtoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta conſideratione perpenditur? Qua de re neceſſe eſt, vt veſtra fraternitas præcellentiſſimum filium noſtrum Childebertum regem admonere ſtudeat, vt huius peccati maculam à regno ſuo funditùs repellat: quatenus omnipotens Deus tanto illi apud ſe maiora retribuat, quanto eum conſpicit, & amare quod ipſe diligit, & vitare quod odit. Itaque fraternitati veſtræ vices noſtras in Eccleſiis, quæ ſub regno ſunt præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti, iuxta antiquum morem, Deo auctore, committimus: ſingulis ſiquidem Metropolitis, ſecundum priſcam conſuetudinem, proprio honore ſeruato. Pallium quoque tranſmiſimus, quo fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolennia vtatur. Sicubi autem longiùs Epiſcoporum quiſquam pergere fortè voluerit, ſine tuæ ſanctitatis auctoritate ei ad loca alia tranſire non liceat. Si qua verò inquiſitio de fide, vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, quæ diſcerni difficiliùs poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur, atque decidatur. Si autem decidi nequiuerit, diſcuſſa veritate ad noſtrum iudicium referatur. Omnipotens autem Deus ſua vos protectione cuſtodiat, honorémque perceptum vos in moribus ſeruare concedat. Data die VI. Iunij, Indictione XIII.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA IV.

Ad Epiſcopos Galliarum.

Vt Virgilio Arelatenſi, cui vices ſuas commiſit, obediant, ab eóque vocati ad Synodum veniant, nec ad longinqua loca ſine illius auctoritate pergant.

GREGORIVS VNIVERSIS EPISCOPIS GALLIARVM, qui ſub regno Childeberti ſunt.

Lib. IV. Epiſt. 52.

AD hoc diſpenſationis diuinæ prouiſio gradus diuerſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordiæ fieret ex diuerſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas alia poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia verò quæque creatura in vna eadémque qualitate gubernari vel viuere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſunt Angeli, & ſunt Archangeli, liquet quòd non ſunt æquales, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui ſine peccato ſunt, iſta conſtat eſſe diſtinctio; quis hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere, cui nouit etiam Angelos obedire? Hinc etenim pax & caritas mutua ſe vice complectuntur, & manet firma concordiæ in alterna & Deo placita dilectione ſinceritas. Quia igitur vnumquodque tunc ſalubriter com-

pletur officium, cùm fuerit vnus ad quem poſſit recurri præpoſitus; idcirco opportunum eſſe perſpeximus, in Eccleſiis, quæ ſub regno præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti regis ſunt, ſecundum antiquam conſuetudinem, fratri noſtro Virgilio Arelatenſis ciuitatis Epiſcopo vices noſtras tribuere: quatenus & catholicæ fidei integritas, id eſt ſanctarum quatuor Synodorum Deo protegente ſollicita deuotio ſeruetur; & ſi inter fratres conſacerdoteſque noſtros aliqua euenerit fortè contentio, auctoritatis ſuæ vigore, vicibus nempe Sedis Apoſtolicæ functus, diſcreta moderatione compeſcat. Cui etiam iniunximus, vt ſi quarumdam cauſarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præſentia opus ſit, congregatis ſibi in numero competenti fratribus & coepiſcopis noſtris, ſalubriter hoc ſeruata æquitate diſcutiat, & canonica integritate definiat. Si quam verò contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens ſit fortaſſe dubietas, & pro ſui magnitudine iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, relatione ſua ad noſtram ſtudeat perducere notionem; quatenus à nobis valeat congrua ſine dubio ſententia terminari. Et quoniam neceſſe eſt, vt ad eum, cui noſtras vices iniunximus, quoties oportere perſpexerit, pro facienda collatione aptis debeant Epiſcopi temporibus conuenire; hortamur vt nullus mandatis eius inobediens eſſe præſumat, nec communi congregationi intereſſe poſtponat, niſi aut corporis infirmitas quempiam fortaſſe vetuerit, aut cuiuſdam eum cauſæ iuſta excuſatio minimè venire permiſerit. Hi tamen, qui prohibente aliqua neceſſitate nequeunt in Synodum conuenire, loco ſuo preſbyterum aut diaconum dirigant: quatenus quæ à noſtro vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum qui abſens eſt, per ipſum quem miſerit fida relatione perueniant, vt inconcuſſa firmitate ſeruentur, & nullius ea quæ conſtituerit audeat occaſionis excuſatio violare. Hoc etiam vos pariter præuidimus admonendos, vt nullus veſtrûm ad longinquiora loca ſine præfati fratris & coepiſcopi noſtri Virgilij auctoritate tentet aliquo modo proficiſci: ſcientes quia & prædeceſſorum noſtrorum, qui vices ſuas eius prædeceſſoribus commiſerunt, ſic proculdubio mandata definiunt. Hortamur præterea, vt de officio ſuo ſit quiſq; veſtrûm ſollicitus: vt qui promiſſam cupit mercedem paſtionis accipere, commiſſum ſibi gregem ſollicitudine & oratione cuſtodiat; ne lupus inſidians oues creditas inuadendo dilaniet, & ſit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres cariſſimi, & totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, vt dilectionem veſtram in amoris ſui conſtantia faciat magis magiſque feruęſcere, atque in pace Eccleſiæ manere, & in vna vos concedat magnopere retineri concordia. Nuntiatum verò nobis eſt, quòd per ſimoniacam hæreſim ad ſacros quidam ordines adducantur, & hoc ſupraſcripto fratri & coepiſcopo noſtro Virgilio per omnia prohibendum mandauimus. quod vt veſtra fraternitas recognoſcat, & ſtudioſè cuſtodiat, & ipſa coram vobis eſt epiſtola relegenda. Data die XI. menſis Auguſti, Indictione XIII.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA V.

Ad Childebertum regem Francorum.

Virgilio ſe vices ſuas, & pallium regis petitu conceßiſſe: hortatur viciſſim, vt illi faueat in prohibenda ſimonia, & ne ex laicis repente fiant Epiſcopi.

GREGORIVS CHILDEBERTO REGI Francorum.

Lib. iv. Epiſt. 53.

LÆTOS nos excellentiæ veſtræ vehementer fecit epiſtola, quæ pia vos affectione de honore & reuerentia ſacerdotali teſtatur eſſe ſollicitos. Hinc etenim cunctis oſtendiris fideles Dei vos eſſe culrores, dum ſacerdotes ipſius grata ac debita veneratione diligitis, & Chriſtiana deuotione quicquid ad eorum augmentum pertinet agere feſtinaris. Vnde & gratanter ea quæ ſcripſiſtis accepimus, & quæ voluiſtis animo libenri conceſſimus. Arque ideo fratri noſtro Virgilio Arelatenſis ciuitatis Epiſcopo vices noſtras iuxta antiquum morem, & excellenriæ veſtræ deſiderium, Deo fauente, commiſimus: cui etiam & pallij vſum, ſicut priſca habuit conſuetudo, conceſſimus. Sed quia aliqua ad nos perlata ſunt, quæ & omnipotentem Deum nimis offendunr, & quampiurimum ſacerdotij honorem reuerentiámque confundunr: quæſumus vt poteſtatis veſtræ adnitente cenſura, modis omnibus emendentur; ne dum laudandæ deuotioni veſtræ res temerariæ ac peruerſæ repugnant, aliorum, quod abſit, culpa aut regnum veſtrum grauetur, aut anima. Peruenit autem ad nos, obeuntibus Epiſcopis quoſdam ex laicis tonſurari, atque ad Epiſcopatum præcipiti ſaltu conſcendere: & qui diſcipulus non fuit, inconſiderata ambitione magiſter efficitur; & quoniam quod poſſit docere non didicit, ſacerdorium tantummodo gerit in nomine, nam laicus in ſermone priſtino perſeuerat & opere. Quomodo ergo pro aliorum peccatis intercesſurus eſt, qui ſua primitus non defleuit? Talis enim paſtor non munit gregem, ſed decipit: quia dum conrradicente verecundiâ non poteſt aliis, quod ipſe non facit, ſuadere, quid eſt aliud niſi vt plebs Dominica prædonibus populanda remaneat, & indè ſumat interitum, vnde ſalutiferæ protectionis magnum debuit habere ſubſidium? Quod quàm prauum ſit, quámve peruerſum, ex ſua quoque ordinatione excellentiæ veſtræ celſitudo perpendat. Certum namque eſt, non vos antè exercitui ducem præponere, niſi vobis labor eius fidéſque probara conſtiterit, niſi eum anteactæ vitæ virtus & ſollicitudo aptum eſſe monſtrauerit. Si verò non aliis, niſi huiuſmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux eſſe debeat animarum, ex iſtius rei conſideratione, ſeu comparatione, benè colligitur. Sed verecundum nobis eſt, & dicere pudet, quia ducatum ſibi ſacerdotes arripiunt, qui exordium religioſæ militiæ non viderunt. Simul autem & illud valde exſecrandum nobis eſt nunriatum, quòd ſacri ordines per ſimoniacam hæreſim, id eſt, accepro præmio conferuntur. Et quia peſtiferum nimis eſt, & ſanctæ Eccleſiæ vniuerſali conrrarium,

contrarium, in ſacrum quempiam ordinem non meritis, ſed pretio collocari; horramur, vt tam deteſtabile facinus de regno ſuo excellentia veſtra prohiberi præcipiat. Nam ipſe ſe ad hoc officium oſtendit prorſus indignum, qui donum Dei pecuniâ mercari non metuit, & commodis præſumit appetere, quod habere per gratiam non meretur. Hæc igitur, præcellentiſſime fili, idcirco admoneo, quia animam veſtram ſaluari deſidero. Quæ etiam dudum ſcribere volui, ſi voluntatem meam innumeræ occupationes minimè præpediſſent. At poſtquàm ſe congruum reſcribendi tempus ingeſſit, quod facere me oportuit non omiſi. Salutantes itaque excellentiam veſtram paternæ caritatis affectu, petimus vt cuncta quæ ſupraſcripto fratri & coepiſcopo noſtro fieri ſeruarſque mandauimus, fauoris veſtri præſidio compleantur, ne cuiuſquam ea aliquo modo elatione, aut ſuperbiâ conuelli permittatis: ſed ſicut per prædeceſſores eius ſingulos, ſub glorioſi patris veſtri regno ſeruata ſunt; ita quoque auxilio veſtro ſollicita omninò deuotione ſeruentur. Oportet ergo, vt hoc nobis vicariè rependatur, & ſicut nos veſtram implere non diſtulimus voluntatem, ita & vos propter Deum, & beatum Petrum Apoſtolorum principem, noſtra faciatis in omnibus ſeruari ſtatuta; quatenus excellentiæ veſtræ laudabilis, & Deo placita ſe circumquaque tendat opinio. Data die XII. menſis Auguſti, Indictione XIII.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA VI.

Ad Brunichildem reginam Francorum.

Laudat illam à recta filij educatione. Candidum presbyterum patrimonij, quod erat in Gallia, rectorem deſignatum commendat.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

EXCELLENTIÆ veſtræ prædicandam ac Deo placitam bonitatem, & gubernacula regni teſtantur, & educatio filij manifeſtat. Cui non ſolùm incolumem rerum temporalium gloriam prouida ſollicitudine conſeruaſtis, verumetiam æternæ vitæ præmia prouidiſtis, dum mentem ipſius in radice veræ fidei materna, vt decuit, & laudabili inſtitutione plantaſtis. Vnde non immeritò contigit, vt cuncta gentium regna præcelleret: quippe qui earumdem gentium creatorem & purè colit, & veraciter confitetur. Sed vt laudabiliùs in eo fides cum operibus eniteſcat, adhortationis veſtræ eum verba ſuccendant: quatenus ſicut ſublimem illum inter homines potentia regalis oſtendit; ita ante Deum magnum faciat pietas actionis. Quia verò multarum rerum experimenta nos admonent de excellentiæ veſtræ Chriſtianitate confidere; idcirco paterno ſalutantes affectu, quæſumus vt propter amorem beati Petri Apoſtolorum principis, quem toto vos ſcimus corde diligere, dilectiſſimum filium noſtrum Candidum presbyterum præſentium portitorem, vnà cum patrimoniolo, ad cuius eum gubernationem tranſ- Lib. vi. epiſt. 5.

miſimus, auxilij veſtri patrocinio foueatis: quatenus poteſtatis veſtræ gratiâ roboratus, patrimoniolum ipſum, quod pauperum conſtat expenſis proficere, & ſalubriter regere, & ſi qua exinde ablata ſunt, veſtro fultus auxilio diligenter inquirere, & Deo propitio in priſtinum poſſit reformare ſtatum. Ad ipſius verò patrimonioli regimen proprius Eccleſiæ homo tranſmiſſus eſt. Excellentia ergo veſtra ita ſe libenter in his quæ poſcimus dignetur impendere, vt beatus Petrus Apoſtolorum princeps, cui à Domino IESV Chriſto ligandi ac ſoluendi data eſt poteſtas, & hîc excellentiam veſtram in ſobole gaudere concedat, & poſt multorum annorum curricula, à malis omnibus abſolutam, ante conſpectum æterni faciat iudicis intueri. *Menſe Septembri Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA VII.
Ad Childebertum regem Francorum.

Laudat in illo ſtudium fidei catholicæ, Candidumque commendat, patrimonij rectorem, Dynamij patricij loco, deſignatum.

GREGORIVS CHILDEBERTO REGI Francorum.

Lib. v. epiſt. 6.

QVANTO ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni veſtri profectò culmen excellit. Eſſe autem regem, quia ſunt & alij, non mirum eſt: ſed eſſe catholicum, quod alij non merentur, hoc ſatis eſt. Sicut enim magnæ lampadis ſplendor in tetræ noctis obſcuritate luminis ſui claritate fulgeſcit: ita fidei veſtræ claritas inter aliarum gentium obſcuram perfidiam rutilat ac coruſcat. Quicquid autem reges ſe ceteri gloriantur habere, haberis. Sed ipſi in hac re vehementiùs ſuperantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis. Vt ergo ſicut fide, ita & actione vincantur, benignam ſe excellentia veſtra ſuis ſubiectis ſemper exhibeat: & ſi qua ſunt quæ eius animum offendere valeant, ea indiſcuſſa non ſinat. Tunc enim verè regi regum, id eſt omnipotenti Domino ampliùs placebit, ſi poteſtatem ſuam reſtringens, minùs ſibi crediderit licere quàm poteſt. Quia igitur ſinceritatem fidei & mente ſeruatis & opere, beati Petri Apoſtolorum principis amor, qui in vobis eſt, euidenter oſtendit; cuius res, Chriſtianæ religionis intuitu, ſub veſtri culminis poteſtate benè hactenus gubernatæ & conſeruatæ ſunt. Sed quoniam Dynamius Patricius, qui ex noſtra commendatione rebus ipſis ſollicitudinem impendebat, eas modò gubernare, vt cognouimus, non poteſt; ne patrimoniolum ibidem conſtitutum faciente negligentia deperiret, idcirco præſentium portitorem dilectiſſimum filium noſtrum Candidum preſbyterum ad id gubernandum tranſmiſimus. quem excellentiæ veſtræ, præmiſſo paterna caritate ſalutationis alloquio, in omnibus commendamus; petentes, vt ſi aliquod illic fortaſſe præiudicium factum eſt, aut res eiuſdem patrimonioli ab aliquo detinentur, poteſtatis veſtræ iuſtitia corrigatur, &

iuri priſtino quæ ablata ſunt reformentur: quatenus ſicut fides veſtra, ita & æquitas omnibus, quod eſt valde glorioſum atque laudabile, gentibus eniteſcat. Claues præterea ſancti Petri, in quibus de vinculis catenarum eius incluſum eſt, excellentiæ veſtræ direximus, quæ collo veſtro ſuſpenſæ à malis vos omnibus tueantur. *Menſe Septembri Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA VIII.

Ad Candidum preſbyterum, rectorem patrimonij Galliarum.

Iubet vt ex reditibus patrimonij pueros Anglos emat, & veſtimenta pauperum.

GREGORIVS CANDIDO PRESBYTERO eunti ad patrimonium Galliæ.

PERGENS, auxiliante Domino Deo noſtro IESV Chriſto, ad patrimonium, quod eſt in Galliis, gubernandum, volumus vt dilectio tua ex ſolidis quos acceperit, veſtimenta pauperum, vel pueros Anglos, qui ſunt ab annis decem & ſeptem, vel decem & octo, vt in monaſteriis dati Deo proficiant, comparet; quatenus ſolidi Galliarum, qui in terra noſtra expendi non poſſunt, apud locum proprium vtiliter expendantur. Si quid verò de pecuniis redituum, quæ dicuntur ablatæ, recipere potueris, ex his quoque veſtimenta pauperum comparare te volumus; vel ſicut præfati ſumus, pueros qui in omnipotentis Dei ſeruitio proficiant. Sed quia pagani ſunt, qui illic inueniri poſſunt; volo vt cum eis preſbyter tranſmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, vt quos morituros conſpexerit debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, vt hæc diligenter implere feſtinet. *Menſe Septembri Indictione* XIV. Lib. v. Epiſt. 10.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA IX.

Ad Palladium Epiſcopum Santonenſem.

Mittit reliquias ad dedicationem quatuor altarium in baſilica, quam Palladius conſtruxerat.

GREGORIVS PALLADIO EPISCOPO Santonis.

VENIENS lator præſentium Leuparicus, preſbyter veſter, inſinuauit nobis, fraternitatem veſtram Eccleſiam in honorem beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon Laurentij atque Pancratij martyrum, conſtruxiſſe, atque illic tredecim altaria collocaſſe, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remanſiſſe, ob hoc quòd ſupradictorum ſanctorum reliquias illic collocare Deo annuente diſponitis. Et quia reliquias ſanctorum Petri & Pauli, necnon Laurentij atque Pancratij martyrum, cum veneratione præbuimus; hor- Lib. v. Epiſt. 50.

tamur vt eas cum reuerentia ſuſcipere, & collocare auxiliante Domino debeatis: prouiſuri ante omnia, vt ſeruientibus ibidem non debeant alimoniarum deeſſe ſuffragia. *Menſe Iulio Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA X.
Ad Brunichildem reginam Francorum.

Reliquias mittit, quas poſtulabat. hortatur vt eorum qui his deſeruient quieti proſpiciat.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

Lib. v. epiſt. 51.

EPISTOLARVM veſtrarum ſeries, quæ religioſum animum & piæ mentis ſtudium continebat, non ſolùm voluntatis veſtræ fecit nos laudare propoſitum, ſed etiam libenter inuitauit poſtulata concedere. Non enim nos negare decuit, quod Chriſtiana deuotio & recti cordis deſiderium flagitabat: præſertim dum illa poſtulari, & tota ampſecti mente cognouimus, quæ & credentium fidem valde protegere, & animarum ſalutem operari nihilominus poterunt, ac ſeruare. Atque ideo congruo honore veſtram excellentiam ſalutantes, indicamus latori præſentium Leupatico, quem vos eſſe preſbyterum ſcripſiſtis, per quem eloquia veſtrarum ſuſcepimus litterarum, reliquias nos beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, iuxta excellentiæ veſtræ petitionem, cum ea veneratione qua dignum eſt præbuiſſe. Sed vt in vobis magis magiſque laudabilis, & religioſa poſſit clarere deuotio, prouidendum vobis eſt, vt ſanctorum beneficia cum reuerentia & debito honore condantur; & ſeruientes ibidem nullis oneribus, nulliſque moleſtiis affligantur: ne forſitan neceſſitate exteriùs imminente in Dei ſeruitio inutiles ſegneſque reddantur, & iniuriam, quod abſit, neglectumque beneficia ſanctorum collocata ſuſtineant. Quieti ergo eorum excellentia veſtra proſpiciat, quatenus dum veſtro beneficio liberi, & ab omni fuerint inquietudine cuſtoditi, & illi Deo noſtro ſecura mente laudes exſoluant, & vobis in æterna vita merces accreſcat. *Menſe Iulio Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XI.
Ad Palladium, Pelagium, & Serenum Epiſcopos.

Commendat Auguſtinum in Angliam euntem cum ſociis, & Candidum rectorem patrimonij.

GREGORIVS PALLADIO EPISCOPO DE Sanctonis, Pelagio de Turonis, & Sereno de Maſſilia, Epiſcopis Galliarum, à paribus.

Epiſt. 52. Lib. v.

LICET apud ſacerdotes habentes Deo placitam caritatem religioſi viri nullius commendationis indigeant; quia tamen aptum ſcribendi tempus ingeſſit, fraternitati veſtræ noſtra mittere ſcripta curaui-

mus, inſinuantes latorem præſentium Auguſtinum ſeruum Dei, de cuius certi ſumus ſtudio, cum aliis ſeruis Dei, illuc nos pro vtilitate animarum, auxiliante Domino, direxiſſe. Quem neceſſe eſt vt ſacerdotali ſtudio ſanctitas veſtra adiuuare, & ſua ei ſolatia præbere feſtinet. Cui etiam vt promptiores ad ſuffragandum poſſitis exiſtere, cauſam vobis iniunximus ſubtiliter indicare; ſcientes quòd ea cognita, tota vos propter Deum deuotione ad ſolatiandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimonioli Eccleſiæ noſtræ tranſmiſimus, caritati veſtræ in omnibus commendamus. *Menſe Iulio Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XII.
Ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem.

Commendat Auguſtinum, ac ſimul Candidum presbyterum; monetque vt huic patrimonij penſiones reſtituat, quas ipſius deceſſor collegerat.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO Arelatenſi, Metropolitano Galliæ.

QVAMVIS fraternitatem veſtram bonis eſſe intentam operibus, & ſpontè ſe exhibere in cauſis Deo placitis confidamus; verumtamen vtile eſſe fraterna vos alloqui caritate credidimus, vt ſolatia, quæ vos vltrò decet impendere, noſtris quoque prouocati epiſtolis augeatis. Atque ideo indicamus ſanctitati veſtræ, Auguſtinum ſeruum Dei præſentium portitorem, cuius zelus & ſtudium benè eſt nobis cognitum, cum aliis ſeruis Dei, pro animarum nos illuc compendio tranſmiſiſſe, ſicut ipſe vobis coràm poſitus poterit indicare. In qua re oratione vos eum, & auxiliis adiuuare neceſſe eſt; atque vbi opus exegerit, ſolatiorum veſtrorum ei præbere ſuffragia, & paterna ac ſacerdotali illum conſolatione, ſicut conuenit, refouere: quatenus dum ſanctitatis veſtræ fuerit ſolamina conſecutus, ſi quid Deo noſtro lucrifacere, ſicut optamus, valuerit, & vos poſſitis pariter mercedem acquirere, qui ad bona opera ſuffragij veſtri deuotè copiam miniſtratis. Candidum autem presbyterum communem filium, & patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ, fraternitas veſtra, quippe vt vnanimis nobis, ſtudeat habere commendatum; vt aliquid indè pauperum alimoniis ſanctitate veſtra valeat adiuuante proficere. Quia igitur patrimoniolum ipſum per annos plurimos prædeceſſor veſter tenuit, & collectas apud ſe penſiones ſeruauit, fraternitas veſtra cuius ſint res, vel cui erogentur, conſideret; atque eas animæ ſuæ reſpectu ſuprascripto filio noſtro Candido presbytero nobis reſtituat dirigendas. Nam valde eſt execrabile, vt quod à regibus gentium ſeruatum eſt, ab Epiſcopis dicatur ablatum. Lib. v. Epiſt. 53.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XIII.
Ad Deſiderium & Syagrium Epiſcopos.

Auguſtinum & Candidum commendat.

GREGORIVS DESIDERIO VIENNENSI, ET Syagrio Auguſtudunenſi, Epiſcopis Galliæ, à paribus.

Lib. v. Epiſt. 54. DE fraternitatis veſtræ ſincera caritate benè confidimus, quòd amore beati Petri Apoſtolorum principis hominibus noſtris veſtra deuota ſolatia commodetis; præſerrim dum cauſæ qualitas exigat, vbi etiam ſponte concurrere & laborare magis oportetis. Indicamus itaque ſanctitati veſtræ, nos Auguſtinum ſeruum Dei præſentium portitorem, cuius zelus & ſtudium benè nobis eſt cognitum, cum aliis ſeruis Dei, pro animarum illuc cauſa diſponente Domino direxiſſe: cuius relatione quid ſibi iniunctum ſit ſubtiliter agnoſcens fraternitas veſtra ei modis omnibus, in quibus cauſa popoſcerit, impendat ſolatia, vt boni operis adiutores, ſicut decet & conuenit, poſſitis exiſtere. Ita ergo fraternitas veſtra in hac re ſe deuotam ſtudeat demonſtrare, vt bona quæ de vobis opinione narrante didicimus, vera eſſe opere comprobemus. Dilectiſſimum verò communem filium Candidum, cui patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ commiſimus in illis partibus conſtitutum, vobis per omnia commendamus. *Menſe Iulio Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XIV.
Ad Protaſium Epiſcopum Aquenſem.

Vt Virgilio Epiſcopo Arelatenſi de penſionibus Eccleſiæ inſinuet, & Candidum habeat commendatum.

GREGORIVS PROTASIO EPISCOPO de Aquis Galliæ.

Lib. v. Epiſt. 55. QVANTVS in vobis beati Petri Apoſtolorum principis amor excellat, non ſolùm officij veſtri prærogatiua, ſed etiam deuotio, quam circa vtilitates Eccleſiæ ipſius geritis, patefecit. Quæ quia Auguſtino ſeruo Dei præſentium latore cognouimus referente, de affectu & veritatis ſtudio, quod in vobis eſt, valde gaudemus, & gratias agimus: quia etſi corpore abſentes, mente tamen & animo nobiſcum vos eſſe monſtratis; quippe erga quos caritatem fraternam, vt conuenit exhibetis. Vt igitur bona, quæ de vobis prædicauit opinio, rerum poſſit veritas confirmare, Virgilio fratri & coepiſcopo noſtro dicite, vt penſiones, quas prædeceſſor eius per annos plurimos de patrimoniolo noſtro percepit, & apud ſe retinuit, ad nos, quia pauperum res ſunt, ſtudeat deſtinare. Qui ſi fortè aliquo ſe modo, quod non credimus, excuſare vo-

lueriț; vos qui veritatem ipſam ſublimiùs noſtis, reuera qui in Ecclesia ipſa tunc temporis curam Vicedomini gerebatis, qualiter ſe habeat cauſa diſſerite, & ne res ſancti Petri, & pauperum eius, apud ſe retinere debeat imminete. Sed etſi fortaſſe hominibus noſtris neceſſarium fuerit, veſtrum in cauſa teſtimonium non negate: vt tam pro veritatis, quàm pro voluntaris veſtræ deuotione, beatus Petrus Apoſtolus, cuius amore hæc facitis, ſua vobis & hîc & in futura vita interceſſione reſpondeat. Candidum presbyterum communem filium, cui patrimoniolum ipſum commiſimus, ſanctitati veſtræ magnopere commendamus. *Menſe Iulio Indictione* x i v.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XV.
Ad Stephanum Abbatem Lirinenſem.

Vt ſollicitus ſit circa congregationem ſibi commiſſam.

GREGORIVS STEPHANO ABBATI DE Monaſterio Liriino Galliæ.

Lætos nos relatio Auguſtini ſerui Dei præſentium portitoris effecit, quòd dilectionem tuam, vt oportet, vigilantem eſſe narrauit: denique & presbyteros, & diaconos, cunctámque congregationem vnanimes viuere ac concordes affirmat. Et quoniam præpoſitorum bonitas ſubiectorum ſalubris eſt regula, omnipotentem Dominum deprecamur, vt in bonis te ſemper operibus gratia ſuæ pietatis accendat, & commiſſos tibi ab omni catholicæ fraudis rentatione cuſtodiat, & tecum cum caritate, & placita ſibi viuere conuerſatione concedat. Quia verò humani generis inimicus inſidiari noſtris actibus non quieſcit, ſed aſſidua calliditate hoc nititur, vt Deo ſeruientes animas in qualibet parte decipiat: ideo dilectiſſime fili hortamur, vt ſollicitudinem tuam vigilanter exerceas, & ita commiſſos tibi oratione, & cura prouidéri cuſtodias, vt lupus circumiens nullá dilaniandi occaſionem inueniat: quatenus dum Deo noſtro incolumes, quorum ſuſcepiſti curam, reddideris, & præmia labori tuo gratia ſua rependat, & tibi æternæ vitæ deſideria multiplicet. Cocleares verò & circulos quos direxiſti ſuſcepimus, & caritati tuæ gratias agimus: quia qualiter pauperes diligas oſtendiſti, qui ad vſus eorum quæ ſunt neceſſaria tranſmiſiſti. *Menſe Iulio Indictione* x i v. Lib. v. epiſt. 56.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XVI.
Ad Arigium Patricium.

Commendat Auguſtinum, & Candidum.

GREGORIVS ARIGIO PATRICIO DE GALLIIS.

Qvanta in vobis bonitas, quantáque manſuetudo cum Chriſto placita caritate reſplendeat, latore præſentium Auguſtino ſeruo Dei referente comperimus: atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui Lib. v. epiſt. 57.

hæc vobis pietatis ſuæ dona conceſſit, per quæ inter homines valde laudabiles, & ante conſpectum ipſius, quod eſt veraciter vtile, glorioſi poſſitis exiſtere. Oramus ergo omnipotentem Dominum, vt hæc in vobis quæ conceſſit dona multiplicet, & ſua vos cum omnibus veſtris protectione cuſtodiat; & ita actionem gloriæ veſtræ in hoc ſæculo diſponat, vt & hîc vobis, & in futura, quod magis optandum eſt, vita proficiat. Salutantes itaque gloriam veſtram paterna dulcedine, petimus vt lator præſentium, & ſerui Dei qui cum eo ſunt, veſtra in quibus neceſſe fuerit ſolatia conſequantur: quatenus dum veſtrum fauorem inuenerint, iniuncta ſibi meliùs adiuuante Domino valeant adimplere. Præterea filium noſtrum Candidum preſbyterum, quem ad gubernationem patrimonioli Eccleſiæ noſtræ, quod illic eſt, tranſmiſimus, vobis per omnia commendamus; confidentes à Deo noſtro vos mercedis vicem recipere, ſi rebus pauperum ſolatia ſua gloria veſtra deuota mente præſtiterit. *Menſe Iulio Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XVII.
Ad Theodoricum & Theodebertum reges Francorum.

Commendat illis Auguſtinum, cui iniunxit, vt aliquos ſecum è vicino presbyteros in Angliam ducat. commendat item Candidum rectorem patrimonij.

GREGORIVS THEODORICO ET THEODEBERTO regibus Francorum, à paribus.

Lib. v. epiſt. 58. POSTQVAM Deus omnipotens regnum veſtrum fidei rectitudine decorauit, & integritate Chriſtianæ religionis inter gentes alias fecit eſſe conſpicuum; magnam de vobis materiam præſumendi concepimus, quòd ſubiectos veſtros ad eam conuerti fidem per omnia cupiatis, in qua eorum nempe reges eſtis & domini. Atque ideo peruenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam Deo miſerante deſideranter velle conuerti; ſed ſacerdotes veſtros è vicino negligere, & deſideria eorum ceſſare ſua adhortatione ſuccendere. Ob hoc igitur Auguſtinum ſeruum Dei præſentium portitorem, cuius zelus & ſtudium benè nobis eſt cognitum, cum aliis ſeruis Dei illuc præuidimus dirigendum. Quibus etiam iniunximus, vt aliquos ſecum è vicino debeant preſbyteros ducere, cum quibus eorum poſſint mentes agnoſcere, & voluntates admonitione ſua, quantum Deus donauerit, adiuuare. In qua re vt efficaces valeant atque idonei apparere, excellentiam veſtram paterna ſalutantes caritate quæſumus, vt hi quos direximus fauoris veſtri inuenire gratiam mereantur. Et quia animarum cauſa eſt, veſtra eos poteſtas tueatur & adiuuet, vt Deus omnipotens, qui vos in cauſa ſua deuota mente, & toto ſtudio ſolatiari cognoſcit, cauſas veſtras ſua protectione diſponat, & poſt terrenam poteſtatem ad cæleſtia regna perducat. Præterea dilectiſſimum

lectiſſimum filium noſtrum Candidum preſbyterum, & patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ, quod in illis partibus eſt conſtitutum, vt commendatum excellentia veſtra habere debeat poſtulamus: quatenus beatus Petrus Apoſtolorum princeps ſua vobis intercesſione reſpondeat, qui mercedis intuitu tuitionem in rebus pauperum eius impenditis. *Menſe Iulio Indictione* XIV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XVIII.
Ad Brunichildem reginam Francorum.

Vt ſuam Auguſtino in Angliam eunti, & Candido rectori patrimonij tuitionem & auxilium impendat.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

EXCELLENTIÆ veſtræ Chriſtianitas ita nobis veraciter olim innotuit, vt de bonitate eius nullatenus dubitemus; ſed magis certum modis omnibus teneamus, quia in cauſa fidei deuotè & ſtudioſè concurrat, & religioſæ ſinceritatis ſuæ ſolatia copioſiſſimè ſubminiſtret. Ex qua re benè confidentes, paterna caritate ſalutantes indicamus ad nos perueniſſe, Anglorum gentem Deo annuente velle fieri Chriſtianam, ſed ſacerdotes qui in vicino ſunt paſtoralem erga eos ſollicitudinem non habere. Quorum ne animæ in æterna damnatione valeant deperire, curæ nobis fuit præſentium portitorem Auguſtinum ſeruum Dei, cuius zelus & ſtudium benè nobis eſt cognitum, cum aliis ſeruis Dei illuc dirigere, vt per eos potuiſſemus ipſorum voluntates addiſcere, & de eorum conuerſione, vobis quoque annitentibus, in quantum eſt poſſibile cogitare. Quibus etiam iniunximus, vt ad agenda hæc è vicino ſecum debeant preſbyteros ducere. Excellentia ergo veſtra, quæ prona in bonis conſueuit eſſe operibus, tã pro noſtra petitione, quàm etiam diuini timoris conſideratione eũ dignetur in omnibus habere commendatum, atque ei tuitionis ſuæ gratiam vehementer impendar, & labori eius patrocinij ſui ferat auxilium: & vt pleniſſimè poſſit habere mercedem, ad ſupraſcriptam Anglorum gentem ſua tuitione ſecurum iter prouideat: quatenus Deus noſter, qui in hoc ſæculo vos bonis ſibi placitis decorauit, hic & in æterna requie cum ſuis vos ſanctis faciat gratulari. Præterea dilectum filium noſtrum Candidum preſbyterum, & patrimoniolum Eccleſiæ noſtræ, quod illic conſtitutum eſt, veſtræ Chriſtianitati commendantes, petimus vt tuitionis veſtræ gratiam in omnibus conſequamur. *Menſe Iulio Indictione* XIV. Lib. v. epiſt. 59.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XIX. Ad Reſpectam Abbatiſſam Maſſilienſem.

Præceptum de priuilegiis eius monaſterio conceſſis.

GREGORIVS RESPECTÆ ABBATISSÆ de Galliis, Maſſiliæ.

Lib. vi. epiſt. 12.

PIæ poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri; quatenus & deuotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat, & vtilitas poſtulata vires indubitanter aſſumat. Proinde monaſterio, quod in honorem S. Caſſiani eſt conſecratum, in quo præeſſe dinoſceris, iuxta petitionem filiorum noſtrorum Dynamij atque Aureliani, qui id religioſa deuotione domui ſui iuris iniunctis vniiſſe ædificiis comprobantur, hæc priuilegia præuidimus indulgeri. Conſtituentes vt obeunte antedicti monaſterij Abbatiſſa, non extranea, ſed quam congregatio ſibi de ſuis elegerit, ordinetur: quam tamen, ſi digna huic miniſterio iudicata fuerit, eiuſdem loci Epiſcopus ordinet. In rebus autem, vel in diſpoſitione monaſterij eiuſdem, nec Epiſcopum, nec Eccleſiaſticorum quemquam habere decernimus poteſtatem: ſed hæc ad ſollicitudinis tuæ, vel quæ poſt te in eodem loco fuerit Abbatiſſa, curam ſtatuimus per omnia pertinere. Die ſiquidem natalis vel dedicationis ſupradicti monaſterij, Epiſcopo illic Miſſarum ſacra conueniat ſolennia celebrare. A quo tamen ita eſt hoc officium exſoluendum, vt cathedra eius, niſi prædictis diebus dum illic Miſſarum ſolennia celebrat, non ponatur. Quo diſcedente, ſimiliter etiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Ceteris verò diebus per presbyterum, qui ab eodem Epiſcopo fuerit deputatus, Miſſarum officia peragantur. Præterea erga vitam actúſque ancillarum Dei, ſiue Abbatiſſæ, quæ in ſupraſcripto fuerit monaſterio conſtituta, Epiſcopo ſecundum Dei timorem, ſollicitudinem ſtatuimus adhibere; vt ſi aliquam de illic habitantibus exigente culpa oportuerit vltioni ſubmitti, ipſe iuxta ſacrorum canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. His ergo à nobis ſtatutis atque conceſſis, ita te in congregationis tuæ diſpoſitione cuſtodiam ſtude ſollicitiorem enixiùs in omnibus exhibere, vt iniqui hoſtis malitia nihil ibi quod maculari poſſit inueniat. Hæc igitur omnia, quæ huius pagina præceptionis amplectitur, monaſterio tuo in omnibus, & ab omnibus in perpetuum ſeruari Chriſto protegente cenſemus: quatenus indultorum priuilegiorum beneficia in ſua ſemper inuiolabiliter firmitate permaneant. *Menſe Octobri Indictione* xv.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XX.

Ad Candidum preſbyterum, rectorem patrimonij Galliarum.

Vt Chriſtianos redimat, qui in Iudæorum ſeruitio Narbone detinebantur.

GREGORIVS CANDIDO PRESBYTERO noſtro, per Gallias.

DOMINICVS præſentium portitor lacrymabiliter nobis innotuit, quatuor fratres ſuos de captiuitate à Iudæis redemptos eſſe, atque eos nunc Narbonæ in eorumdem Iudæorum ſeruitio detineri. Et quia omnino graue execrandumque eſt, Chriſtianos eſſe in ſeruitio Iudæorum, dilectionem tuam ſcriptis præſentibus adhortamur, vt cum omni ſubtilitate & ſollicitudine ſtudeat perſcrutari: & ſi reuera ita eſt, atque manifeſta tibi veritate conſtiterit, quia neque ipſi vnde ſe redimant, neque ſupraſcriptus portitor habet, eos ſtudij tui ſit redimere; ſciens quia quicquid in eis dederis, tuis ſine dubio rationibus imputabitur. *Menſe Maio Indictione* XV. Lib. VI. epiſt. 21.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXI.

Ad Dynamium & Aureliam.

Vt ad meliora orationi ſemper intenti proficiant, & de codice tranſmittendo.

GREGORIVS DYNAMIO ET AVRELIÆ, per Franciam.

SCRIPTORVM veſtrorum pagina lectione percurſa, magnam nobis ſtudio veſtro contulit indicato lætitiam: quia per hoc quòd vos ſacræ lectionis pabula quærere, & ſupernæ patriæ deſiderare gaudia nuntiauit, dilectionem veſtram religioſam conuerſationem non ſolùm amare nomine, ſed etiam tenere vita monſtrauit. Et quoniam deſiderata vos adepturos eſſe confidimus, vehementi vobis cor noſtrum exultatione congaudet. Nam quia huiuſmodi deſiderium gratia diuina non deſerat, ipſa nos veritas teſtimonio ſuæ vocis informat dicens, *Omnis qui quærit inuenit, qui petit accipit, & pulſanti aperietur.* Hac itaque fulti certitudine, de eiuſdem Redemptoris noſtri miſericordia nihil ambigere, ſed ſpe debemus indubitata præſumere. Nec enim muneris ſui largitate fruſtrabitur, ſed vires obtinendi prorſus indulget, qui velle conceſſit. Nam iam hoc ipſum deſideranter appetere, donum eſt. Quia tamen ita de gratia debemus ſuperna præſumere, vt non ſimus negligentes in oratione vel opere, voce item eiuſdem veritatis exprimitur, *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Petamus igitur orando, quæramus

Lib. VI. epiſt. 33. Matth. 7. 7. Luc. 11. 9. Luc. 18. 1.

legendo, pulſemus operando. Sit igitur mens vigilans, ſit vndique ſuſpecta, ſit vbique ſollicita, vt inſidiantis poſſit ſemper laqueos præcauere. Sed quia quanto hoſtis noſter cautum contra ſe vnumquemque cognoſcit, tanto corda ſibi reſiſtentium ſubtili molitur arte ſubuertere, omnipotentem Dominum aſſiduis lacrymis & deprecatione poſcamus, vt nos veneni eius non ſinat infectione corrumpi; ſed contra certamina, & latentes ſuggeſtiones quas ingerit, potentiæ ſuæ nos ſcuto circumtegat, in quo iacula illius illiſa frangantur, & cor noſtrum percuſſionis ipſius contactu non vulneretur, ſed gratiæ ſuæ dono eius nobis inſidias & intelligere donet, & vincere. Codicem verò quem dirigeremus, talem qui vos vt petiſtis inſtrueret, minimè paratum habuimus, ſed in ſubſequenti tranſmittemus. *Menſe Iulio Indictione* XV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXII.
Ad Brunichildem reginam Francorum.

Pallium Syagrio Epiſcopo concedit. De ſacris ordinibus præmio vel gratia non conferendis, & ne ex laicis repentè fiant Epiſcopi. Laudat eius erga Auguſtinum caritatem, hortatúrque vt ſchiſmaticos ad concordiam reuocare, atque idololatriæ reliquias, & alia in regno ſuo vitia coërcere ſtudeat. & de codice tranſmiſſo.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

Lib. vii. epiſt. 5. QVANTA in omnipotentis Dei timore excellentiæ veſtræ mens ſoliditate firmata ſit, inter alia bona quæ agitis, etiam in ſacerdotum eius laudabiliter dilectione monſtratis: & magna nobis fit de Chriſtianitate veſtra lætitia, quoniam quos venerantes vt famulos reuera Chriſti diligitis, augere honoribus ſtudetis. Decet enim vos, excellentiſſima filia, decet tales exiſtere, vt ſubiectæ poſſitis eſſe dominatori. In eo enim regnum poteſtatis veſtræ & ſubiectis gentibus confirmatis, in quo timori omnipotentis Domini mentis colla ſubiicitis; & vnde voſmetipſas ſeruitio creatoris ſubiicitis, inde vobis veſtros ſubditos ad ſeruitium deuotiùs obligatis. Suſceptis itaque epiſtolis veſtris, valdè nobis excellentiæ veſtræ ſtudium placuiſſe ſignamus, atque fratri & coëpiſcopo noſtro Syagrio pallium dirigere ſecundum poſtulationem veſtram voluimus: propter quod & ſereniſſimi domni Imperatoris, quantum nobis diaconus noſter, qui apud eum reſponſa Eccleſiæ faciebat, innotuit, prona voluntas eſt, & concedi hoc omnino deſiderat. Atque multa de prædicto fratre noſtro tam vobis, quàm etiam aliis teſtificantibus, ad nos bona perlata ſunt, maximè vitam eius Ioanne regionario ad nos remeante cognouimus. Et quid in fratre noſtro Auguſtino fecerit audientes, Redemptorem noſtrum benedicimus, quia eum ſacerdotis nomen etiam operibus implere ſentimus. Sed res plurimæ reſtiterunt, quæ nos hoc interim facere minimè permiſerunt. Primùm ſiquidem quia is qui pallium

ipſum venerat accepturus, ſchiſmaticorum errore tenetur implicitus. Deinde quòd non id ex veſtra petitione, ſed ex nobis tranſmiſſum voluiſtis intelligi. Extra hoc autem, quia nec is qui eo vti deſiderat, directa ad nos hoc ſibi largiri ſpeciali petitione popoſcerat, & tantam cauſam nullo modo præbere ſine eius poſtulatione debuimus: maximè quia & priſca conſuetudo obtinuit, vt honor pallij niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat. Nos tamen, ne veſtræ excellentiæ deſiderium ſub prætextu, cuiuſquam excuſationis forſitan videremur velle differre, dilectiſſimo filio noſtro Candido presbytero pallium præuidimus dirigendum, iniungentes ei, vt vice noſtra congrua id debeat obſeruatione tribuere. Vnde neceſſe eſt, vt ex opere ſuo ſupraſcriptus frater & coepiſcopus noſter Syagrius, facta cum aliquantis Epiſcopis ſuis petitione hoc ſperare, atque eam prædicto debeat dare presbytero; quatenus dignè eiuſdem pallij vſum cum Dei gratia valeat adipiſci. Vt ergo hæc vobis cura ante oculos creatoris noſtri in fructu ſit, Chriſtianitatis veſtræ ſollicitudo diligenter inuigilet, & nullum; qui ſub regno veſtro eſt, ad ſacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio perſonarum, ſeu proximitatis iure patiatur accedere: ſed ille ad Epiſcopatus, vel alterius ſacri ordinis officium eligatur, quem dignum & vita & mores oſtenderint; ne ſi, quod non optamus, honor venalis fuerit ſacerdotij, ſimoniaca in illis partibus hæreſis, quæ prima in Eccleſia prodiit, & Petri ſententia eſt damnata, conſurgat, & regni veſtri, quod abſit, vires imminuat. Nam graue omnino, & vltrà quàm dici poteſt, facinus eſt, Spiritum ſanctum, qui omnia redemit, venundari. Sed & hoc curæ vobis ſit, vt quia, ſicut noſtis, neophytum egregius prædicator ad ſacerdotij regimen omnino vetat accedere, nullum ex laico patiamini Epiſcopum conſecrari. Nam qualis magiſter erit, qui diſcipulus non fuit? aut quemadmodum ducatum gregi dominico præbeat, qui diſciplinæ paſtoris ſubditus antè non fuerit? Si cuius ergo talis vita conſtiterit, vt ad hunc dignus ſit ordinem promoueri, priùs miniſterio debet Eccleſiæ deſeruire; quatenus longæ exercitationis vſu videat quod imitetur, & diſcat quod doceat: ne fortè onus regiminis conuerſionis nouitas non ferat, & ruinæ occaſio de prouectus immaturitate conſurgat. Qualiter autem ſe excellentia veſtra erga fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum exhibuerit, quantámque illi ſibi Deo adſpirante caritatem impenderit, diuerſorum fidelium relatione cognouimus: pro qua gratias referentes, diuinæ potentiæ miſericordiam deprecamur, vt & hîc vos ſua protectione cuſtodiat, & ſicut inter homines, ita quoque & poſt multorum annorum tempora in æterna faciat vita regnare. Præterea hos, quos ab vnitate Eccleſiæ ſchiſmaticorum error diſſociat, ad vnitatem pro veſtra mercede ſtudeat reuocare concordia. Nam non ob aliud in ignorantiæ ſuæ hactenus cæcitate voluuntur, niſi vt Eccleſiaſticam fugiant diſciplinam, & peruersè habeant, vt voluerint viuendi licentiam: quia nec quid defendant, nec quid ſequantur intelligunt. Nos autem Chalcedonenſem Synodum, de qua illi ſibi peſtiferæ nebulas excuſationis aſſumunt, per omnia veneramur, & ſequimur: & ſi quis de fide eius minuere, aut addere aliquid præſumpſerit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ ſuæ credentes,

vniuerſam Eccleſiam, atque omnes quatuor Patriarchas, non ratione, ſed malitioſa mente tantummodo refugiant: ira vt is qui ad nos à veſtra excellentia miſſus eſt, cùm quæreretur à nobis cur ab vniuerſali Eccleſia ſeparatus exiſteret, ſe ignorare profeſſus ſit. Sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, valuit ſcire. Hoc quoque pariter hortamur, vt & ceteros ſubiectos veſtros ſub diſciplinæ debeatis moderatione reſtringere, vt idolis non immolent, cultores arborum non exiſtant, de animalium capitibus ſacrificia ſacrilega non exhibeant: quia peruenit ad nos quòd multi Chriſtianorum, & ad Eccleſias occurrant, & quod dici nefas eſt, à culturis dæmonum non abſcedant. Quoniam verò omnino Deo noſtro hæc diſplicent, & diuiſas mentes non poſſidet; prouidete vt ab his debeanr illicitis ſalubriter coërceri; ne quod abſir non eis ad redemptionem, ſed pœnam, ſacri fiat baptiſmatis ſacramentum. Si quos igitur violentos, ſi quos adulteros, ſi quos fures, vel aliis prauis actibus ſtudere cognoſceris, Deum de eorum correctione placare feſtinate; vt ſuper vos flagellum perfidarum gentium, quod quantum videmus ad multarum nationum vindictam excitatum eſt, non inducat: ne ſi, quod non credimus, diuinæ vltionis iracundia ſceleratorum fuerit actione commota, belli peſtis interimat quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non reuocant. Neceſſe eſt ergo, vt omni ſtudio, & oratione aſſidua, ad Redéproris noſtri conuerti miſericordiam feſtinemus, vbi turus omnibus locus eſt, & magna ſecuritas. Nam illic quemquam ſolidè perſiſtentem, nec periculum conterit, nec metus exagitat. Codicem verò, ſicut ſcripſiſtis, prædicto dilectiſſimo filio noſtro Candido presbytero vobis offerendum tranſmittimus, quia boni veſtri ſtudij participes eſſe feſtinamus. Omnipotens Deus ſua vos prorectione cuſtodiat, atque à perfidis gentibus regnum veſtrum ſui brachij extenſione defendat, vóſque poſt longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat. Data menſe Octobri, Indictione I.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXIII.

Ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem.

Cyriacum Abbatem ad Syagrium euntem commendat, monétque Imagines in Eccleſiis non eſſe confringendas.

GREGORIVS SERENO EPISCOPO Maſſilienſi.

Lib. vii. epiſt. 109. Indict. 2.

QVÒD fraternitati veſtræ tam ſerò ſcripta tranſmittimus, non hoc torpori, ſed occupationi deputate. Latorem verò præſentium dilectiſſimum filium noſtrum Cyriacum monaſterij noſtri patrem vobis in omnibus commendamus, vt nulla hunc in Maſſilienſi ciuitate mora detineat; ſed ad fratrem & coepiſcopum noſtrum Syagrium cum ſanctitatis veſtræ ſolatio Deo protegente proficiſcatur. Præterea indico dudum ad nos perueniſſe, quòd fraternitas veſtra quoſdam Imaginum adoratores aſpiciens, eaſdem Eccleſiæ Imagines con-

fregit atque proiecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari poſſit, habuiſſe laudamus; ſed frangere eaſdem Imagines non debuiſſe iudicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis adhibetur, vt hi qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videndo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſeruare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum neſcij haberent vnde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXIV.

Ad Syagrium, Ætherium, Virgilium, & Deſiderium Epiſcopos.

Contra ſimoniacos, ac neophytos, & vetita mulierum contubernia; atque vt Synodi quotannis fiant. De his omnibus in Synodo tractari iubet, & ad ſe per Cyriacum Abbatem referri.

GREGORIVS SYAGRIO, ÆTHERIO, VIRGILIO, ET Deſiderio, Epiſcopis Galliarum, à paribus.

CAPVT noſtrum, quod Chriſtus eſt, ad hoc ſua eſſe membra nos voluit, vt per compagem caritatis fidei vnum nos in ſe corpus efficeret. Cui ita corde adhærere nos conuenit, vt quia ſine ipſo nihil eſſe poſſumus, per ipſum poſſimus eſſe quod dicimur. Ab arce capitis noſtri res nulla nos diuidat, ne ab ea, ſi eius eſſe membra refugimus, relinquamur, & velut eiecti de vite palmites areſcamus. Vt ergo Redemptoris noſtri eſſe habitaculum mereamur, in dilectione ipſius toto mentis ſtudio maneamus. Ipſe namque ait: *Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sed quoniam bonorum auctori hærere aliter non valemus, niſi cupiditatem à nobis, quæ omnium malorum radix eſt, abſcindamus, per ſcripta præſentia, quæ alterno adinuicem deſideratæ viſitationis ſermone nos ſociant, fraternitatem veſtram inſtitutis Apoſtolicis conuenimus, vt Patrum regulis & præceptis Dominicis innitentes, de templo fidei auaritiam, quæ idolorum eſt ſeruitus, excludamus; vt in domo Domini nihil noxium, nihilque ſinamus adeſſe confuſum. Nuntio ſiquidem apud nos olim diſcurrente vulgatum eſt, quòd in Galliarum partibus ſacri ordines per ſimoniacam hæreſim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, ſi in Eccleſiaſticis officiis quemquam habeat locum pecunia, & fiat ſæculare quod ſacrum eſt. Quicumque verò hoc pretij ſtudet datione mercari, dum non officium, ſed nomen attendit, ſacerdos non eſſe, ſed dici tantummodò inaniter concupiſcit. Quid ſcilicet, quid per hoc aliud agitur, niſi vt nulla de actu probatio, nulla ſollicitudo de moribus, nulla ſit de vita diſcuſſio; ſed ille ſolummodo dignus, qui dare pretium ſuffecerit, æſtimetur? Ex qua re ſi recti libraminis examen penſetur, dum improbè ad inanem gloriam locum feſtinat vtilitatis arripere, eo ipſo magis quòd

Lib. VII. epiſt. 110. Indict. 2.

Ioan. 14. 23.

honorem quærit, indignus eſt. Sicut autem is qui inuitatus tenuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admouendus; ſic qui vltrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora conſcendere, quid agit niſi vt creſcendo decreſcat, & aſcendendo exteriùs interiùs ad profunda deſcendat? Itaque, fratres cariſſimi, in ſacerdotibus ordinandis ſinceritas vigeat, ſit ſimplex ſine venalitate conſenſus, pura præferatur electio, vt ad ſumma ſacerdotij non ſuffragio venditorum prouectus, ſed Dei credatur eſſe iudicio. Nam quàm graue omninò ſit facinus, Dei donum velle pretio comparare vel vendere, Euangelica eſt teſtis auctoritas. Templum enim Dominus, & Redemptor noſter ingreſſus cathedras vendentium columbas euertit. Quid aliud eſt columbas vendere, niſi pretium de manuum impoſitione percipere, & ſanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum ſacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum vtique patenter euerſione ſignatum eſt. Et tamen exerit adhuc nequitiæ prauitas vires ſuas. Nam cogit vendere quos decepit vt emerent, & dum non attenditur quod diuina voce præcipitur, *Gratis accepiſtis, gratis date*, agitur vt creſcat, & geminata fiat in vno eodémque delicti contagio, ementis ſcilicet & vendentis. Et cùm liqueat hanc hæreſim in Eccleſia ante omnes radice peſtifera ſubrepſiſſe, atque in ipſa ſua origine Apoſtolica eſſe deteſtatione damnatam, cur non cauetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur, qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur? Plerúmque ergo aduerſarius animarum, dum non poteſt in his quæ ad faciem ſunt praua ſurrepere, callidè ſpecie quaſi pietatis iniecta nititur ſupplantare; ſuadétque forſitan debere ab habentibus accipi, vt ſit quod poſſit non habentibus erogari; dummodo vel ſic venena mortifera eleemoſynæ celata obumbratione transfundat. Nam nec venator feram, aut auem auceps deciperet, vel piſcem piſcator caperet, ſi aut illi laqueum in aperto proponeret, aut ille hamum eſca abſconditum non haberet. Omninò ergo metuenda & cauenda eſt hoſtis aſtutia, ne quos aperta nequit tentatione ſubuertere, latente telo ſæuiùs valeat trucidare. Neque enim eleemoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, vt quaſi benè diſpenſet, grauatur potiùs, quàm iuuatur. Eleemoſyna Redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis & iniquitate congeritur, ſed quæ de rebus congeſtis & benè acquiſitis impenditur. Vnde etiam illud certum eſt, quia etſi monaſteria, aut xenodochia, vel quid aliud, de pecunia quæ pro ſacris ordinibus datur conſtruantur, mercedi non proficit: quoniam dum peruerſus emptor honoris in locum ſanctum tranſmittitur, & alios ad ſuam ſimilitudinem ſub commodi datione conſtituit; plura malè ordinando deſtruit, quàm ille poteſt ædificare qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo ſub obtentu eleemoſynæ cum peccato aliquid ſtudeamus accipere, apertè ſcripturæ ſacræ ordo nos prohibet dicens, *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Quicquid enim in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, ſed irritat. Hinc rurſus ſcriptum eſt, *Honora Dominum de tuis iuſtis laboribus.* Qui ergo malè tollit, vt quaſi benè præbeat, conſtat ſine dubio quia Dominum non honorat.

Matth. 21. 12.
Matth. 10. 8.
Prou. 21. 27.
Prou. 3. 9.

norat. Hinc quoq; per Salomonem dicitur; *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Quantus autem dolor patris ſit perpendamus, ſi in eius conſpectu filius victimetur. Et hinc facilè cognoſcimus, quantus apud Deum dolor exaſperatur, quando ei ſacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum eſt, dilectiſſimi fratres, ſub obtentu eleemoſynæ peccata ſimoniacæ hæreſeos perpetrare. Nam aliud eſt propter peccata eleemoſynas facere, aliud propter eleemoſynas peccata committere. Hoc quoque ad nos perueniſſe non diſſimili dignum deteſtatione complectimur, quòd quidam deſiderio honoris inflati, defunctis Epiſcopis tonſurantur, & fiunt repentè ex laicis ſacerdotes, atque inuerecundè religioſi propoſiti ducatum arripiunt, qui nec eſſe adhuc milites didicerunt. Quid putamus quòd iſti ſubiectis præſtaturi ſunt, qui antequam diſcipulatus limen attingant, tenere locum magiſterij non formidant? Qua de re neceſſe eſt, vt ſi & quamuis inculpati quiſquam ſit meriti, antè tamen per diſtinctos ordines Eccleſiaſticis exerceatur officiis: videat quod imitetur, diſcat quod doceat, informetur quod teneat, vt poſteà non debeat errare qui eligitur viam errantibus demonſtrare. Diu ergo religioſa meditatione poliatur vt placeat, & ſic lucerna ſuper candelabrum poſita luceat, vt aduerſa ventorum vis irruens conceptam eruditionis flammam non extinguat, ſed augeat. Nam cùm ſcriptum ſit, vt priùs quis probetur & ſic miniſtret, multo ampliùs antè probandus eſt qui populi interceſſor aſſumitur, ne fiant cauſa ruinæ populi ſacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excuſatio, nulla poteſt eſſe defenſio: quia cunctis liquidò notum eſt, quæ ſit in huius rei diligentia ſancti & egregij ſollicitudo doctoris, qui neophytum ad ordines vetat ſacros accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui initiò in ſanctæ fidei erat conuerſatione plantatus: ſic modò neophytus habendus eſt, qui repentè in religionis habitu plantatus ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordinatè ergo ad ordines aſcendendum eſt. Nam caſum appetit qui ad ſumma loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum. Et cùm idem Apoſtolus doceat inter alia ſacri ordinis inſtituta diſcipulum, manum non eſſe cuiquam citiùs imponendam, quid hoc celerius, quídve præcipitantius, quàm vt exoriatur à ſummitate principium, & antè eſſe incipiat Epiſcopus quàm miniſter? Quiſquis ergo ſacerdotium non ad elationis pompam, ſed ad vtilitatem adipiſci deſiderat, priùs vires ſuas cum hoc quod eſt ſubiturus onere metiatur; & ſi impar abſtineat, & ad id cum metu etiam cui ſe ſufficere exiſtimat accedat. Ab re autem non facimus, ſi ad argumentum rationabilium vſum rerum irrationabilium colligamus. Apta namque ædificationibus ligna ſucciduntur, nec tamen adhuc viridibus ædificij pondus imponitur, niſi eorum viriditatem multorum dierum mora ſiccauerit, & apta ad neceſſarium vſum effecerit. Quæ obſeruantia ſi fortè negligitur, citiùs ſuperpoſita mole franguntur, & gignit ruinam ad auxilium res prouiſa. Hinc etenim & medici, qui curam gerunt de corpore, quædam adiutoria recenti adhuc confectione formata indigenti non offerunt, ſed maceranda temporibus derelinquunt. Nam ſi immaturè quis dederit, dubium non eſt quin fit cauſa periculi res ſalutis. Diſcant itaque, diſcant in officio ſuo ſacerdotes, quibus animarum credita eſt cura, ſeruare

Eccl. 34. 24.
1. Tim. 3. 10.
1. Tim. 3. 6.
1. Tim. 5. 22.

quod diuerſarum etiam artium homines docente ratione cuſtodiunt, & à præcipiti ſe ambitione, etſi non metu, ſaltem pudore contineant. Sed ne forſan ab hoc ſe prauæ conſuetudinis quiſquam velit obiectu defendere, fraternitatis veſtræ diſcretio rationis eos fræno coërceat, & labi in illicitis non permittat: quia quicquid vltione dignum eſt, non ad imitationis, ſed in exemplum potiùs debet correptionis adduci. Neque autem hoc quod ſimiliter corrigendum eſt patimur negligenter omittere. Nam quid prodeſt cuncta muniiſſe, ſi per vnum locum pernicioſo hoſti præbeatur acceſſus? Cum his itaque, qui in ſacro ſunt ordine conſtituti, habitare mulieres prohibeantur. De quibus ne antiquus humani generis inimicus exultet, omnium definiendum conſenſu eſt, vt præter eas, quas ſacri canones complectuntur, alias ſecum mulieres habere non debeant. Quæ interdictio etſi fortè aliquibus ad tempus amara eſt, certum eſt quia poſtmodum ex ipſa animæ vtilitate dulceſcit, ſi vnde inimicus ſuperare potuit ſuperetur. Nec hoc quoque in hac ſollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per parochias Conciliis patrum prouidentia vtilitatis cauſa ſancitum eſt. Vnde ne qua inter fratres diſſenſio, ne qua inter præpoſitos & ſubiectos ſint fomenta diſcordiæ, in vnum conuenire ſacerdotes neceſſe eſt, vt & de incidentibus cauſis diſceptatio, & ſit ſalubris de Eccleſiaſtica obſeruatione collatio: quatenus dum per hoc & præterita corriguntur, & regulam futura ſuſcipiunt, omnipotens Dominus fratrum concordia collaudetur. Cuius vobis adeſſe præſentiam ſi hæc obſeruabitis ſcitote, quia ſcriptum

Matth. 18. 20. eſt, *Vbi fuerint congregati duo, aut tres in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Si ergo adeſſe dignatur, vbi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit, vbi plures conuenerint ſacerdotes? Et quidem quia de habendo bis in anno Concilio patrum ſit regulis ſtatutum non latet. Sed ne fortè aliqua impleri hoc neceſſitas non permittat, ſemel tamen in anno ſine excuſatione aliqua decernimus congregari; vt expectatione Concilij nihil prauum, nihil præſumatur illicitum. Nam plerumque, etſi non amore iuſtitiæ, metu tamen examinis abſtinetur ab hoc, quod omnium notum eſt poſſe diſplicere iudicio. Hanc, fratres cariſſimi, obſeruantiam noſtris relinquendam poſteris teneamus, & omnia quæ ad eruditionem noſtram ſacris apicibus ſcripta ſunt meditemur, atque ad ea quoſcũque poſſumus incitemus. Certum quippe eſt, quia ſi toto corde præceptis nos ſalutaribus occupamus, omnem vitiorum labem effugimus: quia dum in his quibus ædificamur innitimur, locum ſine dubio deceptionis excludimus. De his itaque quæ ſuperiùs dicta ſunt, fraternitatem veſtram auctore Deo volumus Synodum congregare, atque in ea reuerendiſſimo fratre noſtro Syagrio coepiſcopo, & dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate mediantibus, omnia quæ ſanctis Canonibus, ſicut prædiximus, ſunt aduerſa, diſtrictè ſub anathematis interpoſitione damnentur. Id eſt, vt nullus pro adipiſcendis Eccleſiaſticis ordinibus dare aliquod commodum præſumat, vel pro datis accipere; nec ex laico habitu quiſquam repentè valeat ad locum ſacri regiminis peruenire; neque vt aliæ mulieres cũm ſacerdotibus habitent, niſi hæ quæ ſacris, vt prædictum eſt, canonibus ſunt permiſſæ. De quibus cunctis, reuerendiſſimus frater noſter Syagrius Epiſcopus, cum omni Synodo, dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate remeante, nobis quæ acta ſunt

ſtudeat renuntiare; vt ſubtiliter agnoſcentes, quid & cum qua cautela vel qualiter ſit decretum, omnipotenti Deo de vita veſtra, ac moribus gratias inceſſabiliter perſoluamus.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXV.
Ad Aregium Epiſcopum Vapincenſem.

Conſolatur de obitu ſuorum, hortatúrque vt ſollicitè ſuo munere fungatur. Dalmaticarum vſum illi, & Archidiacono eius permittit, iubétque vt Synodo per Syagrium cogendæ interſit.

GREGORIVS AREGIO EPISCOPO de Galliis.

FRATERNITATIS veſtræ afflictio, quam de amiſſione veſtrorum vos hominum habuiſſe cognouimus, tantam nobis cauſam mœroris iniecit, vt quia nos de duobus caritas vnum fecit, cor noſtrum in veſtris ſpecialiter vri tribulationibus ſentiremus. Sed in hoc dolore multum me conſolata eſt ſanctitatis tuæ ad animum reducta diſcretio, quam & patienter ferre triſtitiam, & decet de morte ſpe vitæ alterius longam non habere mœſtitiam. Ne tamen aliqua adhuc tribulatio in veſtra mente remaneat, hortor quieſce dolere, deſine triſtis eſſe. Nam indecens eſt de illis tædio afflictionis addici, quos credendum eſt ad veram vitam moriendo perueniſſe. Habent forſitan illi iuſtam longi doloris excuſationem qui vitam alteram neſciunt, qui de hoc ſæculo ad melius eſſe tranſitum non confidunt. Nos autem qui nouimus, qui hoc credimus & docemus, contriſtari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet ſpeciem, hoc magis nobis in culpa ſit. Nam diffidentiæ quodammodo genus eſt, contra hoc quod quiſque prædicat torqueri mœſtitia, dicente Apoſtolo, *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & ceteri qui ſpem non habent.* Hac itaque, frater cariſſime, ratione perſpecta, ſtudendum nobis eſt, vt ſicut diximus de mortuis non affligamur, ſed affectum viuentibus impendamus, quibus & pietas ad vtilitatem, & ſit ad fructum dilectio. Proinde obiurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, conſolando prodeſſe quibus poſſumus feſtinemus. Lingua noſtra bonis fomentum ſit, prauis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides hortatu ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur: & quia ductores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus. Simus in cuſtodia vigilantes, aditus contra hoſtis inſidias ſolliciti muniamus. Et ſi quando per deuia ouem de commiſſis gregibus error abduxerit, toto illam adniſu ad caulas reuocare Dominicas contendamus, vt de paſtoris nomine quod habemus, non ſupplicium, ſed præmium conſequamur. Quia ergo in his omnibus diuinæ gratiæ adiutorio opus eſt, omnipotentis Dei aſſiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc nobis operanda,

Lib. VII. epiſt. III. Indict. 2.

1. Theſſ. 4. 13.

& velle rribuat, & poſſe concedat, atque in ea nos via, cũ fructu boni operis, quam ſe paſtor paſtorum eſſe reſtatus eſt, dirigat: vt ſine quo facere nihil aſſurgimus, per ipſum implere omnia valeamus. Prætetea communis filius Petrus Diaconus nobis innotuit, quòd fraterniras veſtra tempore quo hîc fuit popoſcerit, vt ſibi & Archidiacono ſuo vtendi Dalmaticis licenriam præberemus. Sed quia ita hominum ſuorum infirmitate compulſus feſtinantet abſceſſir, vt nec ipſum mœror incumbens diutiùs, vt dignum erat, & res deſiderata poſcebat, ſineret imminere, & nos in multis impliciros Eccleſiaſticæ rationis conſideratio nouum hoc inconſultè, & ſubitò non permitteret indulgere; idcirco poſtulatæ rei prolongarus effectus eſt. Nunc verò caritaris tuæ bona reuocantes ad animum, huius auctoriraris noſtræ ſerie perira concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum vſu decorandos eſſe conceſſimus, eáſque Dalmaticas dilectiſſimo filio noſtro Cytiaco Abbate deferente tranſmiſimus. Prætetea in ea Synodo, quam contra ſimoniacam hæreſim per frarrem & coepiſcopum noſtrum Syagrium decreuimus congregari, ſanctitarem veſtram volumus intereſſe, atque eidem fratri pallium quod rranſmiſimus tribui, ſi priùs ſe promiſetit illicita quæ prohibuimus, per definitionem Synodicam à ſancta Eccleſia remouere. De qua Synodo omnem nobis ſubtiliter ordinem tuam fraterniratem volumus ſcriptis decurrentibus nuntiare, vt ipſe, cuius nobis ſanctitas valde experta eſt, nos reddas de omnibus certiores.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXVI.

Ad Syagrium Epiſcopum.

Laudans ob operam Auguſtino nauatam, pallij vſum illi concedit, ſtatuitque vt Eccleſia Auguſtodunenſis primum in ea prouincia poſt Lugdunenſem locum obtineat. & de Synodo iterum.

GREGORIVS SYAGRIO EPISCOPO Auguſtodunenſi.

Lib. vii. epiſt. 112. Indict. 2.

MAGISTRA bonorum omnium caritas, quæ nihil ſapit extraneum, nil aſperum, nil confuſum, ita exercet corda & corroborat, vt nihil graue, nil difficile exiſtimet, ſed fiat rotum dulce quod agitur. Huius igitur cùm ſit proprium nutrire concordiam, ſeruare coniuncta, diſſociata coniungere, praua dirigere, & virtutes ceteras perfectionis ſuæ munimine ſolidare; quiſquis in eius radices ſe inſerit, nec à viriditate deficit, nec à fructibus inaneſcit: quia humorem fœcunditatis opus efficax non amittit. Arque ideò multùm tibi, dilectiſſime fratrum, in Domino condelector atque congaudeo, quòd ſic eadem caritate te prædirum mulrorum teſtificatione comperio, vt & ipſe quæ ſacerdotis ſunt decenter exhibeas, & aliis te laudabiliter imitandum oſtendas. Quia igitur in prædicationis opere, quam diu cogitans Anglorum

genti per Auguſtinum quondam monaſterij mei præpoſitum, nunc fratrem & coepiſcopum noſtrum, impendere ſtudui, ita ſollicitum ac deuotum adiutorémque in omnibus te, vt oportuit, fuiſſe cognouimus, vt multum me ſibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem; tantæ rei conſideratione commonitus, ne infructuoſus erga te viderer exiſtere, fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione poſtponere. Proinde ſecundum poſtulationis tuæ deſiderium, pallij te vſu, quod intra Eccleſiam tuam habere debeas, ad ſacra tantùm Miſſarum ſolennia celebranda, Deo auctore præuidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum eſſe decreuimus, ſi priùs per Synodi definitionem emendare promiſeris, quæ corrigenda mandauimus: quia dignum profectò eſſe credimus, vt cum mentis grauitate, qua Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret: præſertim cùm te non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro genio & honore tuæ arbitramur Eccleſiæ petiuiſſe. Cuius ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contuliſſe, hoc etiam pariter proſpeximus concedendum, vt Metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſeruato, Eccleſia ciuitatis Auguſtodunæ, cui omnipotens Deus præeſſe te voluit, poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum ac ordinem ex noſtræ auctoritatis indulgentia vindicare. Ceteros verò Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus, ſiue ad conſidendum in Concilio, ſiue ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re, ſua attendere loca decernimus, & ſuorum ſibi prærogatiuam ordinum vindicare: quia omninò rationis ordo nos admonet, vt cum vſu pallij aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri priuilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque ſollicitudinis debet accreſcere, vt cultui veſtium actionis quoque ornamenta conueniant, oportet vt enixiùs in cũctis ſtudium ſe veſtræ fraternitatis exerceat, & circa ſubiectorum actus ſit cura vigilans, vt veſtrum illis exemplum inſtructio, & vita magiſtra ſit. Linguæ veſtræ exhortatione diſcant quod metuant, & doceantur quod diligant: vt dum talenta credita lucro multiplicata reddideris, in die retributionis audire ſis meritus, *Euge ſerue bone & fidelis, intra* Matth.25.21. Luc.19.17.
in gaudium Domini tui. Curam præterea congregandæ Synodi, quam vobis atque aliis fratribus noſtris, pro illicitarum rerum prohibitione fiendam ſcripſimus, veſtræ ſpecialiter ſollicitudini noueritis incumbere. Vnde quia præcellentiſſimos filios noſtros Francorum reges magnam vobis nouimus dilectionem impendere, omni vos ſtudio omníque agere anniſu neceſſe eſt, vt quod de Synodo congreganda mandauimus, fraternitatis veſtræ vigilantiâ compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum ſalute ſcripſimus cenſeantur: quatenus per hoc & vos zelum veſtrum, & qualiter vobis illicita diſpliceant oſtendatis, & nos vtiliter prouidiſſe, qui veſtram ad hoc præ ceteris perſonam eligimus, videamur.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXVII.
Ad Brunichildem reginam Francorum.

De ijs qui ex laicis repentè fiunt Epiſcopi, aut per ſimoniam ordinantur. vt Synodum ad hæc exſtirpanda futuram promoueat, atque edicto conſtituat ne Iudæis Chriſtiana mancipia habere liceat.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

Lib. VII. epiſt. 115. Indict. 2.

POSTQVAM excellentiæ veſtræ ſollicitudo regia eſt vbique gubernatione laudabilis, ad augmentum gloriæ ſuæ vigilantiorem ſe debet, & prouidam exhibere; vt quos conſilio regit exteriùs, perire interiùs non permittat: quatenus per fructum piæ ſollicitudinis, poſt huius quod geritis temporalis regni faſtigium, ad æterna Deo auctore gaudia poſſitis & regna pertingere. Quod quidem hac vobis confidimus poſſe ratione contingere, ſi inter alia bona de ordinandis curam ſacerdotibus geſſeritis. Quorum officium in tantam illic, ſicut didicimus, ambitionem perductum eſt, vt ſacerdotes ſubitò, quod graue nimis eſt, ex laicis ordinentur. Sed quid iſti acturi, quid populo præſtaturi ſunt, qui non ad vtilitatem, ſed fieri ad honorem Epiſcopi concupiſcunt? Hi ergo qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agunt, niſi vt paucorum prouectus illicitus fiat multis interitus, & in confuſionem Eccleſiaſticæ moderationis obſeruantia deducatur? quippe vbi nullus regularis ordo ſeruatur. Nam qui ad eius regimen improuidus, & ob hoc præcipitatus accedit, qua admonitione ſubiectos ædificet, cuius exemplum non rationem docuit, ſed errorem? Pudet profectò, pudet aliis imperare quod ipſe neſcit cuſtodire. Nec illud quidem quòd ſimili emendationi tradendum eſt, prætermimus; ſed omnino execrabile, & eſſe grauiſſimum deteſtamur, quòd ſacri illic ordines per ſimoniacam hæreſim, quæ prima contra Eccleſiam orta & diſtricta maledictione damnata eſt, conferantur. Hinc ergo agitur, vt ſacerdotij dignitas in deſpectu, & ſanctus ſit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur diſciplina; quia qui culpas debuit emendare committit, & nefaria ambitione honorabilis ſacerdotij ducitur in deprauatione cenſura. Nam quis denuò veneretur quod venditur, aut quis non vile putet eſſe quod emitur? Vnde valde contriſtor, & terræ illi condoleo; quia dum ſanctum Spiritum, quem per manus impoſitionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuino munere habere deſpiciunt, ſed præmiis aſſequuntur, ſacerdotium illic ſubſiſtere diu non arbitror. Nam vbi dona ſupernæ gratiæ venalia iudicantur, ad Dei ſeruitium non vita quæritur, ſed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Quia igitur tantum facinus non ſolùm illis periculum, verùm etiam veſtro regno ſatis eſt noxium; ſalutantes excellentiam veſtram paterno affectu petimus, vt de huius prauitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et vt nulla deinceps valeat occaſione committi,

Synodum fieri iuſſio veſtra conſtituat, vbi præſente dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate, ſub diſtricta anathematis interpoſitione debeat interdici, ne vllus ex laico habitu ſubitò ad Epiſcopatus audeat gradum accedere, neque pro Eccleſiaſticis ordinibus cuilibet quicquam dare, vel auſus ſit accipere, vt Dominus & Redemptor noſter ſic quæ veſtra ſunt faciat, ſicut excellentiam veſtram in iis quæ ſua ſunt piâ eſſe viderit deuotionē ſollicitam. Curam verò & ſollicitudinem eiuſdem Synodi, quam fiendam decreuimus, fratri coepiſcopóque noſtro Syagrio, quem veſtrum proprium nouimus, ſpecialiter delegare curauimus: quem petimus, vt & ſupplicantem libenter audire,& ope iuuare dignemini; quatenus quod ad mercedem veſtram reſpiciat, remoto huius mali contagio, in cunctis finibus iuri veſtro ſubiectis, pia & Deo placita procedat ordinatio ſacerdotum. Cui fratri noſtro, pro eo quòd ſe in ea prædicatione, quæ Anglorum genti, auctore Domino, facta eſt,deuotum vehementer exhibuit, pallium ad Miſſarum ſolennia vtendum tranſmiſimus, vt quia adiuuare ſpiritalia ſtuduit, Apoſtolorum principis ſolatio in ipſo quoque inueniatur ſpiritali ordine profeciſſe. Omninò præterea admirati ſumus, cur & in regno veſtro Iudæos Chriſtiana mancipia poſſidere permittitis. Quid enim ſunt Chriſtiani omnes, niſi membra Chriſti? Quorum videlicet membrorum caput cuncti nouimus quia fideliter honoratis. Sed quàm diuerſum ſit, excellentia veſtra perpendat, caput honorare, & membra ipſius hoſtibus calcanda ſubmittere. Atque ideo petimus, vt excellentiæ veſtræ conſtitutio de regno ſuo huius prauitatis mala remoueat, vt in hoc vos ampliùs dignas cultrices omnipotentis Domini demonſtretis, quòd fideles illius ab inimicis eius abſoluitis.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXVIII.
Ad Theodoricum & Theodebertum reges Francorum.

Quòd multi per ſimoniam ordinentur, tributa à prædiis Eccleſiaſticis exigantur, ex laicis repentè fiant Epiſcopi. vt Synodum ad hæc emendanda futuram promoueant, ſtatuántque ne Iudæis Chriſtiana mancipia habere liceat.

GREGORIVS THEODORICO ET THEODEBERTO regibus Francorum, à paribus.

CVM regni veſtri nomen inter ceteras gentes gratiâ olim Chriſtianæ religionis effulſerit, valdè ſtudendum eſt, vt vnde glorioſiores ceteris gentibus eminetis, indè omnipotenti Domino qui dat ſalutem regibus perfectiùs placeatis, & fidem quam colitis adiutricem in omnibus habeatis. Optaueramus quidem, præcellentiſſimi filij, noſtrum ad vos ſolita dirigere viſitatione ſermonem, vt caritatis officiis paternum monſtraremus affectum. Sed quia nimium nos res contriſtat illicita, ſic vnum conuenit exhibere, vt aliud ſub ſilentio, quod

Lib. VII. epiſt. 114. Indict. 2.

emendatione indiget, minimè relinquamus. Quòd ſi diligenter attenditis, pro ſalutis veſtræ nos loqui prorſus incolumitate cognoſcetis. Fertur autem ſimoniacam hæreſim, quæ prima contra Dei Eccleſiam diabolica ſupplantatione ſurrepſit, & in ipſo ortu ſuo telo Apoſtolicæ vltionis percuſſa atque damnata eſt, in regni veſtri finibus dominari, cùm in ſacerdotibus fides ſit eligenda cum vita. Si enim vita deeſt, fides meritum non habet, beato Iacobo atteſtante qui ait, *Fides ſine operibus mortua eſt.* Quæ enim opera eſſe valeant ſacerdotis, qui honorem tanti ſacramenti conuincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, vt ipſi quoque qui ſacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere ſtudeant, ſed diuitias, quibus honor ſacer emitur, ſatagant congregare. Hinc fit etiam, vt inſontes & pauperes à ſacris ordinibus prohibiti deſpectíque reſiliant. Et dum innocentia pauperis diſplicet, dubium non eſt quòd præmium illic delicta commendet: quia vbi aurum placet, ibi & vitium. Hinc igitur non ſolùm in ordinatoris, & ordinati animam letale vulnus infligitur, verumetiam excellentiæ veſtræ regnum veſtrorum Epiſcoporum culpa, quorum magis interceſſionibus iuuari debuerat, prægrauatur. Si enim is dignus in ſacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copia ſuffragatur, reſtat vt nihil ſibi ad honores Eccleſiaſticos grauitas, nihil defendat induſtria, ſed totum auri profanus amor obtineat; & dum vitia remunerantur honore, in locum vltoris is qui fortaſſe fuerat vlciſcendus adducitur: atque hinc ſacerdotes non proficere, ſed perire potiùs iudicantur. Vulnerato námque paſtore, quis curandis ouibus adhibeat medicinam? aut quomodo populum orationis clypeo tueatur, qui iaculis ſe hoſtilibus feriendum exponit? aut qualem de ſe fructum producturus eſt, cuius graui peſte radix infecta eſt? Maior ergo metuenda eſt locis illis calamitas, vbi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in ſe magis iracundiam prouocant, quàm per ſemetipſos populis placare debuerant. Audiuimus autem, quia Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur. Nec hoc quoque malum ſollicitudo noſtra patitur negligenter omittere, quòd quidam inſtinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repentè habitu ſacerdotij honorem arripiunt, & quod dicere pudet, & graue tacere eſt, regendi rectores, & qui docendi ſunt doctores, nec erubeſcunt fieri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter aſſumunt, quibus via omnis ignota ductoris eſt, & quò vel ipſi gradiantur ignari ſunt. Quod quàm prauum, quámve ſit temerarium, ſæculari etiam ordine & diſciplinâ monſtratur. Nam dum dux exercitus non niſi labore & ſollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces eſſe debeant, qui ad Epiſcopatus culmen immatura cupiunt feſtinatione conſcendere, huius ſaltem rei comparatione conſiderent, & aggredi repentè inexpertos labores abſtineant, ne cæca honoris ambitio, & ipſis in pœnam ſit, & aliis peſtifera erroris ſemina iaciat: quippe qui non didicerunt quod ipſi doceant. Proinde paterno ſalutantes affectu petimus, præcellentiſſimi filij, vt hoc tam deteſtabile malum de regni veſtri ſtudeatis finibus prohibere, & nulla apud vos excuſatio, nulla contra animam veſtram ſuggeſtio locum inueniat: quia facientis proculdubio culpam habet, qui quod poteſt

Iac. 2. 20. 26.

teſt corrigere negligit emendare. Qua de re vt magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, Synodum congregari præcipite: in qua, ſicut fratribus, coepiſcopiſque noſtris mandauimus, præſente dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate, ſub anathematis debeat obligatione conſtitui, nullum pro Eccleſiaſtico ordine aliquid vnquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad ſacerdotium repentè tranſire; quatenus hanc vobis mercedem & hîc & in futura vita Redemptor noſter, cuius ſacerdotes interiùs ab hoſte perire non ſinitis, recompenſet. Omnino prærerea admirati ſumus, quòd in regno veſtro Iudæos Chriſtiana mancipia poſſidere permittitis. Quid enim ſunt Chriſtiani omnes, niſi membra Chriſti? Quorum videlicet membrorum caput cuncti nouimus quia fideliter honoratis. Sed quàm diuerſum ſit, excellentia veſtra perpendat, caput honorare, & membra ipſius hoſtibus calcanda permittere. Atque ideò petimus, vt excellentiæ veſtræ conſtitutio de regno ſuo huius prauitatis mala remoueat: vt in hoc vos ampliùs dignos cultores omnipotentis Domini demonſtretis, quòd fideles illius ab inimicis eius abſoluitis.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXIX.

Ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem.

Confirmat priuilegia per Vigilium Papam conceſſa monaſterio Arelatenſi.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO Arelatenſi.

CVM piæ deſiderium voluntatis, & laudandæ deuotionis intentio ſacerdoralibus ſit ſemper ſtudiis adiuuanda; cura eſt ſollicitudinis adhibenda, vt ea quæ pro quiete monachorum, religioſęque conuerſationis fuerint ordinata, nec diſſimulario negligere, nec quædam valeat præſumptio perturbare. Sed ſicut hoc, quod ratio exigebat vtilitatis, oportuit definiri, ita quod definitum eſt, niſi fortè vbi maior eſt auctoritas, non debet violari. Igitur glorioſæ memoriæ Childebertus Francorum Rex, catholicæ religionis amore ſucceſſus, intra muros Arelatenſis ciuitatis monaſterium virorum, vt ſcripto reperimus, pro ſua mercede conſtituens, quædam ibidem pro habitantium ſuſtentatione conceſſit. Cuius ne voluntas vnquam duceretur in irritum, & ea quæ pro quiete monachorum diſpoſita fuerant turbarentur, quæque contulit in iure eiuſdem monaſterij, epiſtolis ſuis Apoſtolica petiit auctoritate firmari; hoc quoque ſuæ peritioni ſubiungens, vt eidem monaſterio tam in diſpoſitione rerum, quàm in ordinatione Abbatis, quædam pariter priuilegia largirentur. Sciens quippe eam Apoſtolicæ Sedi reuerentiam à fidelibus exhiberi, vt quæ eius fuiſſent decreto diſpoſita, nullius deinceps illicitæ vſurpationis moleſtia quaterentur. Vnde quia effectum & regia voluntas, & res valde deſiderata poſcebat, à prædeceſ- Lib. VII. epiſt. 115. Indict. 2.

ſore noſtro Vigilio, Romanæ Sedis Antiſtite, ad prædeceſſorem veſtrum Aurelium ſcripta tranſmiſſa ſunt, vbi omnia, quæ amplectendæ voluntatis ſtudium depoſcebat, Apoſtolicæ auctoritatis libenter anniſu firmata ſunt: quia difficultatem pati non potuit huiuſmodi res petita. Sed vt fraternitas veſtra quæ fuerint tempore illo decreta cognoſcat, antedicti prædeceſſoris noſtri ſcripta his præuidimus ſcriptis adiungi. Quibus lectione percurſis hortamur, vt omnia ſacerdotali, ſicut decet, ſtudio inuiolata conſerues, nihílque illi de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quadam patiaris vſurpatione conuelli. Nam licèt ea, quæ ſemel Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſancita ſunt, nil egeant firmitatis, ex abundantia tamen noſtra, cuncta quæ pro huius rei quiete à prædeceſſore noſtro ſtatuta ſunt, noſtra iterum auctoritate in omnibus roboramus. Fraternitas ergo veſtra ita ſe in cuſtodiendis eis exhibeat; quatenus & omnem occaſionem inquietudinis excludat, & aliis hæc operari ſuadeat, dum ſe in cuſtodienda defuncti piiſſima voluntate ſollicitam, vt decet, exhibuerit & deuotam.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXX.

Ad Deſiderium Epiſcopum Galliæ.

De pallio ipſius prædeceſſoribus conceſſo nihil in Eccleſiæ Romanæ ſcriniis reperiri. mittat proinde, ſi quid in Eccleſiæ ſuæ chartis inuenerit.

GREGORIVS DESIDERIO EPISCOPO Galliarum.

Lib. VII. epiſt. 116. Indict. 2.

FRATERNITATIS veſtræ deſiderium Ioannis regionarij relatione cognouimus: quod quidem libenter parati ſumus implere, ſi diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem à veſtra ſibi relatum dilectione, quòd Eccleſiæ veſtræ quædam olim priuilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, atque vſum pallij eius ſacerdotes antiquitus habuiſſe. Quod quia vobis magnopere poſcitis reformari, in Eccleſiæ noſtræ ſcrinio requiri fecimus, & inueniri nihil potuit. Sed quoniam quanto ſtudioſiùs iſta cupitis adipiſci, tanto vos arbitramur eſſe ſollicitos, in requirendis chartis Eccleſiæ veſtræ vigilantiùs curam impendite; & ſi qua exinde ſcripta inueniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ veſtræ ſit tranſmittere. Nam qui noua concedimus, vetera libentiſſimè reparamus.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXI.

Ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem.

Vt Menatem & Theodorum Epiſcopos in Italiam redire compellat.

GREGORIVS SYAGRIO EPISCOPO Auguſtodunenſi.

CVM ſacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita quiſquis eâ ornatus eſt, cunctis ſe imitandum debet oſtendere; vt exemplo ſuo nulli nocere, ſed vitam potiùs valeat componere ſubiectorum. Nam ſi actus diſſentiat à nomine, quanto pontificatus ipſe plus erigit, tanto magis addicit. Itaque Menatem quendam Epiſcopum, qui illic de diœceſi Romanæ Eccleſiæ noſtra ordinatione profectus eſt, in tanta ſe leuitate didicimus exhibere, vt & nobis de eo maior ſit verecundia, & illi Epiſcopatus nomen non ſit in honore, ſed onere. Quod quia pudoris nobis eſt de eo illa cognoſcere, quæ in aliarum prouinciarum omnino reprehédimus ſacerdotibus, fraternitas veſtra eum illic immorari ampliùs non permittat, ſed ad nos quantocyus reuerti compellat, ac magis inuenta per omnia occaſione tranſmittat: vt ſub ea qua dignum eſt obſeruantia refrænatus, ſæculares mores ad ſacerdotalem ſtudeat conuertere grauitatem. Nam ſatis noxium atque pernicioſum eſt, vt imitatione ipſius quæ ædificari debuerant deſtruantur. In qua re non ſolùm ille culpabilis, ſed etiam qui non reſtiterit inuenitur. Nam conſentire videtur erranti, qui corrigenda vt reſecari debeant non corrigit. Quia verò Theodorus quidam Epiſcopus, de diœceſi reuerendiſſimi fratris noſtri Conſtantij Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopi, diſciplinam vt dicitur euitans, illic veniſſe firmatur, hortamur vt & iſto diligentiùs requiſito, ad Epiſcopum ſuum veſtra fraternitas tranſmittat. Et quia ſicut legitur, *Qui abijcit diſciplinam infelix eſt*, nulla eum illic ſe excuſatione patiamini retinére: quatenus ipſi, qui leuitatis eorum vitio poſſunt decipi, liberentur, & de ipſis habere mercedem, ne in hac ſtultitia pereant, valeatis.

Lib. VII. epiſt. 117. Indict. 2.

Sap. 3. 11.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXII.

Ad Virgilium & Syagrium Epiſcopos.

De ſuſcipienda cauſa Syagriæ, quæ religionem profeſſa cùm eſſet, marito violenter iuncta dicebatur.

GREGORIVS VIRGILIO ET SYAGRIO Epiſcopis Galliæ.

COMMISSI officij qualitas me, fratres cariſſimi, in vocem cogit doloris erumpere, & dilectionem veſtram anxietate caritatis exaſperare, quòd illic vos nimiùm negligentes & remiſſos dicitur extitiſſe,

Lib. VII. epiſt. 118. Indict. 2.

vbi ſtudium veſtrum acriter iuſtitiæ rectitudo & zelus debuit caſtitatis accendere. Peruenit autem ad nos, Syagriam quondam vitam religioſam mutatis etiam veſtibus aſſecutam, poſteáque marito violenter eſſe, quod dici iniquum eſt, ſociatam, & nullo vos in eius defenſione dolore permoros. Quod ſi ita eſt, vehementiùs ingemiſco, ne apud omnipotentem Dominum, quod abſit, mercenarij officium, & non paſtoris meritum habearis: quippe qui in ore lupi ouem laniandam ſine certamine reliquiſtis. Quid enim dicturi, quámve rationem futuro eſtis Iudici reddituri, quos ſtupri ſcortatio non commouit, quos ad defendendum fauor nequaquam religioſi habitus excitauit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem ſacerdotalis conſideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, huius recordatio culpæ ſolliciret, & officij veſtri conſideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne fortè per tempus tranſiſſet in voluntatem neceſſitas, lingua illi veſtra medela ſit, atque admonentibus vobis orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, Redemptori noſtro cor pœnitens exhibeat, & caſtitatis damna, quam ei corpore ſeruare non licuit, fletu reſarciat. Quia ergo prædicta mulier res ſuas etiam nunc piis, vt fertur, deſiderat cauſis impendere; hortamur vt fraternitatis veſtræ hac in re fauorem inueniat, ſolatiis potiatur, & ſeruata competenti filiis portione, fas illi ſit de ſubſtantia ſua iudicare quod velit. Veſtrum enim ſine dubio bonum facitis, ſi bona volentibus opem fertis. Hæc igitur, dilectiſſimi fratres, quæ loquimur, ex quanto procedant amore penſate, & omnia cum ea qua dicuntur caritate ſuſcipite. Nam dum vnum in Redemptoris noſtri corpore corpus ſumus, in his quæ vobis nocere ſentio ſimul vtor. Qua autem intentione, quóve affectu hanc vobis epiſtolam miſerim, cordi veſtro veritatis auctor aperuit. Et ideo hæc fraterna vos admonitio non contriſtet: quia & aſperum poculum libenter accipitur, quod intentione ſalutis offertur. Quod ſupereſt, cariſſimi fratres, iunctis Dei noſtri miſericordiam precibus exoremus, vt vitam noſtram in ſuo propitius timore diſponat: quatenus & hîc illi ſacerdotaliter ſeruire, & in conſpectu ipſius in futuro ſecuri aſſiſtere, & ſine metu valeamus.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXIII.

Ad Syagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem.

De parochiis Epiſcopo Taurinenſi ſubtractis, & Epiſcopo in iiſdem conſtituto. vt eas illi reſtituendas curet.

GREGORIVS SYAGRIO EPISCOPO Auguſtodunenſi.

Lib. VII. epiſt. 119. Indict. 2.

SI in rebus ſæcularibus ſuum cuique ius & proprius ordo ſeruandus eſt, quanto magis in Eccleſiaſticis diſpoſitionibus nulla debet induci confuſio, ne ibi diſcordia locum inueniat, vnde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione ſeruabitur, ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur. Perlatum ſiquidem ad nos eſt, dilectiſſimum fra-

trem noſtrum Vrſicinum Taurinæ ciuiratis Epiſcopum, poſt captiuitatem & deprædationem quam pettulit, graue in parochiis ſuis, quæ in Francorum ſitæ terminis perhibentur, præiudicium pertuliſſe. Denique vt alter illic contra Eccleſiaſtica ſtatuta, nullo eius crimine depoſcenre, conſtitueretur Antiſtes. Et ne leue forſitan videretur huius rei præiudiciale commiſſum, etiam aliquid doloris eſt addirum, vt res ei Eccleſiæ ſuæ, quas habere potuit, tollerentur. Quòd ſi hæc veritate ſubſiſtunt, quia crudele nimis eſt, & apertè ſactis canonibus inimicum, vt ab alrari proprio inſontem ambitio remoueat ſacerdotem, qui non meretur ex crimine ſucceſſorem; ſuam in huius præiudicij cuncti cauſam attendant, vt qui nolunt perperi, nec aliis imponant. Nam ſi prauæ rei aditus antequam diu pareſcat non clauditur, vſu fit latior; & erit conſuetudine licirum, quod ratione conſtat eſſe prohibitum. Sed præ ceteris fraternitatis veſtræ ſollicitudo pro noſtra commendatione, ac diuinæ conſiderationis intuitu, in eius ſe enixiùs defenſione impendar, & à ſuis illum ampliùs contra rationem temorum eſſe parochiis non permirtat: ſed tam per ſe, quàm ſupplicando præcellentiſſimis regibus, quos vos in nullo credimus contriſtare, id peragar, vt & hoc quod malè factum eſt corrigatur, & quæ violenrer ablara ſunt veritate parrocinante reddantur: quia dum ſcriptum ſit, *Frater fratrem adiuuans exaltabitur*, tanto ſe ab omnipotente Deo caritas veſtra nouerit receptum, quanto præcepta ipſius in adiuuando fratre libenter atque conſtanter fuerit executa. Prou.18.19.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXIV.

Ad Theodoricum & Theodebertum reges Francorum.

Vt Epiſcopo Taurinenſi reſtituantur ipſius parochiæ in regno Francorum ſitæ, in quibus ordinatus fuerat nouus Epiſcopus.

GREGORIVS THEODORICO ET THEODEBERTO regibus Francorum.

SVMMVM in regibus bonum eſt, iuſtitiam colere, ac ſua cuique iura ſeruare, & ſubiectis non ſincere quod poteſtatis eſt fieri, ſed quod æquum eſt cuſtodire. Quod quia vos & diligere, & omnino confidimus ſtudere; excellentiæ veſtræ indicare ea quæ emendationem expetunt, inuitamur; vt per hoc & oppreſſis ſuccurrere, & vobis mercedem acquirere noſtris epiſtolis valeamus. Fratrem itaque & coepiſcopum noſtrum Vrſicinum, Taurinæ ciuitatis Antiſtitem, in parochiis ſuis, quæ intra regni veſtri ſunt terminum conſtitutæ, graue omnino dicitur præiudicium ſuſtinere; adeo vt contra Eccleſiaſticam obſeruantiam, contra ſacerdotalem grauitatem, & contra ſactorum canonum inſtituta, nullo eius exigente crimine, alter illic non metuerit Epiſcopus ordinari. Et quia parum viſum eſt, ſi illicitis non iungerentur illicita, etiam res Eccleſiæ ſuæ, vt fertur, ablatæ ſunt. Quòd ſi ita Lib. vii. epiſt. 110. Indict. 2.

ſe veritas habet, quoniam intolerabile nimis eſt, vt vi opprimeretur, cui culpa non nocuit, præmiſſo paterna caritate ſalutationis alloquio, petimus vt quod excellentia veſtra amore Eccleſiaſticæ reuerentiæ, & æquitatis contemplatione ſponte poteſt impendere, noſtra ſtudeat benignius intercesſione concedere, & iuſtitiam illi, ſicut de æquitatis eius bono confidimus, faciat in omnibus cuſtodiri, atque patefacta veritate, & quod illicitè actum eſt corrigi, & res ei violenter ablatas æquitate iubeat fauente reſtitui. Nec quod ad tempus ab hoſtibus eius Eccleſiæ detinetur debet illi aliquid officere: ſed hoc ad ſubueniendum Chriſtianitatis veſtræ magis magiſque debet animos permouere; vt largitatis veſtræ munere conſolatus, captiuitatis quam pertulit non poſſit damna ſentire. Pro vtilitate ergo animæ veſtræ hæc noſtra apud vos exhortatio locum inueniat, vt ad mercedem veſtram deiectionem ipſius porrecta manu iuſtitiæ releuetis: quatenus per hoc quòd æquitatem ſacerdotibus cuſtoditis, eorum precibus ante Dei ſemper oculos floreatis.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXV.

Ad Brunichildem reginam Francorum.

Hilarium commendat, vt illum tuitione ſua protegat.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

Lib. vii. epiſt. 121. Indict. 2.

CVM in regni regimine virtus iuſtitia, & poteſtas egeat æquitate, nec ad hoc alterum ſine altero poſſit ſufficere; quanto in vobis amore horum cura præfulgeat, ex hoc vtique patenter oſtenditur, dum turbas gentium laudabiliter gubernatis. Quis ergo hæc conſiderans de excellentiæ veſtræ bonitate diffidat? aut de impetratione ſit dubius, quando illa à vobis, quæ ſubiectis vos libenter poſſe nouit impendere, duxerit poſtulanda? Lator itaque præſentium Hilarius, excellentiæ veſtræ famulus, noſtra ſe interuentione apud poteſtatem veſtram æſtimans adiuuari, commendationis noſtræ ſibi popoſcit epiſtolas ſuffragari: certum tenens vberiùs, ſicut ceteris conceditis, promereri, ſi noſtra pro eo interceſſio loqueretur. Proinde paternæ caritatis affectu ſalutationis perſoluentes alloquia petimus, vt quia quorumdam ſe perhibet nequitia aduerſitatibus laborare, excellentiæ veſtræ eum tuitio muniat, & ne contra rationem valeat prægrauari, ſua illum iuſſione tutum eſſe præcipiat: quatenus dum vobis iubentibus atque propitiis nullius aduerſitas iniuſtè, & pro ſola tantummodo voluntate, locum habuerit, & nos de impetratis, quæ pro veſtra magis mercede poſcimus, gratias referamus, & excellentiæ veſtræ beatus Petrus Apoſtolorum princeps, quem in nobis concedendo quæ petimus Chriſtiana deuotione veneramini, recompenſet.

Digitized by Google

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXVI.
Ad Vantilonum & Aregium.

Hilarium commendat, vt illi ſuum patrocinium impendant.

GREGORIVS VANTILONO ET AREGIO.

AD magnam gloriæ veſtræ laudem accedit, quòd Hilarius præſentium lator valido ſe fidit pattocinio releuari, ſi aſſequi fauorem tuitionis veſtræ meruetit. Quod adeo ſicut eſt magnum exiſtimat, vt ad hoc obtinendum etiam noſtram ſui commendationem adhibere ſtuduetit adiutricem. Hunc igitur quoniam ad veſtrum pattocinium videmus deſideranter velle confugere, ſcribere pro eo non iudicauimus differendum: confidentes tanto vos defenſionem petentibus libenter impertiri, quanto & eam in triſtitia, & in ſtricto poſitos cognoſcitis ſuppliciter expectare. Ea de re gloriam veſtram paternа dulcedine ſalutantes, petimus vt quia prædictus portitor aliquorum inimicitiis ſe contra rationem aſſerit ſubiacere, pattocinium veſtrum quod magnopere cupit inueniat, & nullam illum contra æquitatem moleſtiam, nullam vexationem patiamini ſuſtinere: ſed ab omni eum afflictione, quam non ratio, ſed aduerſantium voluntas ingeſſerit, patrocinij veſtri gratia tueatur: vt & hîc optatum ſe in vobis, vt ſperat, lætetur inueniſſe refugium, & aliquid vobis ad mercedem proficiat, ac veſtrum quidem in nobis alij ſimiliter quærere diſcant in tribulatione ſolatium. Lib. vii. epiſt. 111. Indict. 2.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXVII.
Ad Aſclepiodotum Patricium.

Hilarium commendat, vt eius patrocinium ſuſcipiat.

GREGORIVS ASCLEPIODOTO PATRICIO in Galliis.

QVI terrenis regibus adhærent, quantum eis præſtandi locus conceditur, tanto debent in cauſis mercedis proniores exiſtere, vt fructu boni operis & hîc eorum quibus ſeruiunt gratiâ perfruantur, & cæleſtis regni aulam introire poſtea mereantur. Vnde licet hoc diligere, & in hoc vos eſſe confidamus intentos; verumtamen quia paternum alloquium aliquid bonis mentibus ſemper addit, hortamur vt quoties congruum iuuandi tempus adſtiterit, nequaquam quod operandum vobis eſt differatis. Nam qui fratrem luctu releuat, oppreſſum erigit, mœrentem conſolatur, ab illo ſibi retribui cui totum impendit non dubitet, qui ait, *Quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis.* Matth. 25. 40. Quia igitur Hilarius præſentium portitor, pro eo quòd fruſtra contra ſe quorumdam perhibet inimicitias exarſiſſe, veſtræ ſe tuitioni noſtra petiit epiſtola commendari, certus quòd pattocinantibus vobis, cuiuſquam Lib. vii. epiſt. 113. Indict. 2.

contra rationem aduerſitas ei nocere non valeat: idcirco paterno gloriam veſtram ſalutantes affectu, petimus vt fauoris veſtri gratiâ muniatur; & quod ceteris iuſta petentibus indulgetis, huic quoque pro noſtra interceſſione largiùs impendatis, atque eum contra æquitatem opprimi nón ſinatis; ſed manum illi auxilij, vbi rationis ordo vocauerit, porrigatis: quatenus ad mercedem gloriæ veſtræ, & ipſe in vobis quod omninò arduè quæſiuit inueniat, & vos afflicto & humiliter ſupplicanti videamini, quod valde glorioſum eſt, ſubueniſſe.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXVIII.

Ad Cononem Abbatem Lirinenſem.

Qua cura & ſollertia monaſterium ſibi commiſſum regere debeat. & de Columbo presbytero, quem commendat.

GREGORIVS CONONI ABBATI Monaſterij Lirinenſis.

Lib. ix. epiſt. 8.

PRÆPOSITORVM ſollicitudo ſubiectorum eſt cautela: quia qui ſuper rem creditam vigilat, hoſtis inſidias declinat. Quàm autem ſolers ſis in regendis fratribus, quantóque ſtudio in eorum cuſtodia vigilans, reuerendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Menna reuertente cognouimus. Et ſicut nos audita deceſſoris tui incauta remiſſio ſæpiùs contriſtauit; ita prouiſionis tuæ ſollicitudo lætificat: quia ſtudij tui cautelam, & tibi ad remunerationem, & aliis ad vtilitatis exemplum prodeſſe non dubium eſt. Sed quia quantum ſe aduerſarius noſter ex omni parte præcaueri cognoſcit, tanto per occulta quærit irrumpere, & repugnantem ſibi callida arte nititur deiicere; dilectionis tuæ vigilantia ardentiori ſe ſemper cura ſuccendat, & ita cuncta Deo adiuuante præmuniat, vt lupus ſæuiens huc illúcque diſcurrens, in oues dominicas ingrediendi locum non habeat. Eos ergo qui tibi commiſſi ſunt, à gula, à ſuperbia, ab auaritia, à vaniloquio, & ab omni immunditia Redemptoris noſtri ſuffragante gratiâ prohibere, ac ſtudij tui ſit per omnia cuſtodire: vt tanto tibi maior de commiſſa gubernatione merces accreſcat, quanto ſubiecti tui contra aduerſarij nequitias se fuerint vigilante victores. Itaque boni te dulcem, praui ſentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc eſſe ordinem noueris obſeruandum, vt perſonas diligas, & vitia perſequaris: ne ſi aliter agere fortaſſe volueris, tranſeat in crudelitatem correctio, & perdas quos emendare deſideras. Sic enim vulnus debes abſcindere, vt non poſſis vlcerare quod ſanum eſt; ne ſi plus quàm res exigit ferrum impreſſeris, noceas qui prodeſſe feſtinas. Ipſa enim in te dulcedo cauta, non remiſſa ſit: correctio verò diligens ſit, non ſeuera: ſed ſic alterum condiatur ab altero, vt & boni habeant amando quod caueant, & praui metuendo quod diligant. Hæc, dilectiſſime fili, ſollicitè attende, ſtudioſè cuſtodi: vt dum tali moderatione Deo noſtro incolumes quos ſuſcepiſti reddideris, in die æternæ retributionis, eo dicente

cente

cente audire ſis meritus, *Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fidelis fuiſti, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.* Luc. 19. 17. Filium præterea noſtrum Columbum preſbyterum, qui caritati tuæ ſuis eſt meritis commendatus, in tua dilectione proficere optamus & ex noſtra commendatione. *Indictione* IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XXXIX.

Ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem.

Vt populum, quem imagines ſacras in Eccleſia confringendo alienarat, demulcere ſtudeat, docens ſibi earum vſum non diſplicere. & vt malos homines à contubernio & ſocietate ſua remoueat.

GREGORIVS SERENO EPISCOPO Maſſilienſi.

LITTERARVM tuarum primordia ita ſacerdotalem in te eſſe beneuolentiam demonſtrabant, vt maior nobis fieret de fraternitate tua lætitia. Sed tantùm earum finis à ſuis diſſenſit initiis, vt non vnius, ſed diuerſarum eſſe mentium talis crederetur epiſtola. Lib. IX. epiſt. 9. Ex illo autem quòd de ſcriptis noſtris quæ ad te miſimus dubitaſti, quàm ſis incautus apparuit. Nam ſi diligenter ea quæ fraterno amore monuimus attendiſſes, non ſolùm minimè dubitaſſes, quinimmo quid te ſacerdotali grauitate oporteret agere cognouiſſes. Neque enim Cyriacus quondam Abbas, qui ſcriptorum noſtrorum portitor extitit, iſtius diſciplinæ vel eruditionis fuit, vt vel ipſe aliud facere, ſicut putas, auderet, vel iſtam de eius tibi perſona ſuſpicionem falſitatis aſſumeres. Sed dum monita ſalubria penſare poſtponis, contigit vt iam non ſolùm actu, verumetiam eſſes interrogatione culpabilis. Perlatum ſiquidem ad nos fuerat, quòd inconſiderato zelo ſuccenſus, Sanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudauimus; fregiſſe verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, ne deſpectis aliis fratribus ſolum te ſanctum, & eſſe crederes ſapientem? Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit adorandum addiſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura cernentibus: quia in ipſa etiam ignorantes vident quod ſequi debeant, in ipſa legunt qui litteras neſciunt. Vnde & præcipuè gentibus pro lectione pictura eſt. Quod magnopere à te, qui inter gentes habitas, attendi debuerat, ne dum recto zelo incautè ſuccenderis, ferocibus animis ſcandalum generares. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in Eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodo mentes fuit neſcientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus Sanctorum depingi hiſtorias non ſine ratione vetuſtas admiſit, ſi zelum diſcretione condiiſſes, ſine dubio & ea quæ intendebas ſalubriter

obtinere, & collectum gregem non diſpergere, ſed potiùs diſperſum poteras congregare; vt paſtoris in te meritum nomen excelleret, non culpa diſperſoris incumberet. Hæc autem dum in hoc animi tui incautè nimis motus exequeris, ita tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, vt maxima eorum pars à tua ſe communione ſuſpenderet. Quando ergo ad ouile dominicum errantes oues adduces, qui quas habes retinere non præuales? Proinde hortamur, vt vel nunc ſtudeas eſſe ſollicitus, atque ab hac te præſumptione compeſcas, vt eorum animos, quos à tua diſiunctos vnitate cognoſcis, paterna ad te dulcedine, omni adniſu, omníque ſtudio reuocare feſtines. Conuocandi enim ſunt diſperſi Eccleſiæ filij, eíſque ſcripturæ ſacræ eſt teſtimoniis oſtendendum, quia omne manufactum adorari non licet; quoniam ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Ac deinde ſubiungendum eſt, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, vt neſcientes litteras ipſam hiſtoriam intendentes quid actum ſit diſcerent, quia tranſiſſe in adorationem videras, idcirco commotus es, vt eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si ad hanc inſtructionem, ad quam imagines antiquitus factæ ſunt, habere vultis in Eccleſia, eas modis omnibus & fieri & haberi permitto. Atque indica, quòd non tibi ipſa viſio hiſtoriæ, quæ pictura teſte pandebatur, diſplicuerit; ſed illa adoratio, quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam reuoca. Et ſi quis imagines facere voluerit, minimè prohibe: adorare verò imagines modis omnibus deuita. Sed hoc ſollicitè fraternitas tua admoneat, vt ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius omnipotentis ſanctæ Trinitatis humiliter proſternantur. Cuncta verò hæc ex amore ſanctæ Eccleſiæ tuæ fraternitati loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur à zelo rectitudinis, ſed magis adiuuetur in ſtudio piæ diſpenſationis. Præterea peruenit ad nos, quòd dilectio tua libenter malos homines in ſocietate ſua recipiat: adeo vt presbyterum quendam, qui, poſtquàm lapſus eſt, & in ſuæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione verſari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus: quia qui talem recipit, ſcelera non corrigit, ſed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam. Sed ne fortè aliquis tibi ſurreptione vel diſſimulatione, vt à te reciperetur, atque adhuc haberetur gratus ſuaſerit, non ſolùm hunc longiùs à te expellere, verumetiam exceſſus ipſius ſacerdotali te zelo modis omnibus conuenit reſecare. Alios verò qui praui eſſe memorantur, paterna adhortatione à ſua prauitate compeſce, & ad viam ſtude rectitudinis reuocare. Quòd ſi, quod abſit, ſalubri monitione eos videris in nullo proficere, & hos quoque curabis à te procul abiicere: ne prauitates eorum ex eo quod recipiuntur diſplicere minimè videantur; & non ſolùm ipſi inemendati remaneant, ſed etiam eorum receptione alij corrumpantur. Et conſidera quàm & hominibus execrabile, & periculoſum ante Dei ſit oculos, ſi per eum, à quo plectenda ſunt crimina, nutriri vitia videantur. Hæc igitur, dilectiſſime frater, aure cordis diligenter attende, & ita agere ſtude, vt & prauos ſalubriter corrigas, & ſcandalum de malorum ſocietate filiorum tuorum animis non inducas.

Luc 4.8.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XL.
Ad Deſiderium Epiſcopum.

Quòd Epiſcopus Grammaticam artem docere non debeat. Commendat illi monachos, quos cum Laurentio & Mellito mittit in Britanniam.

GREGORIVS DESIDERIO EPISCOPO GALLIÆ.

CVM multa nobis bona de veſtris fuiſſent ſtudiis nuntiata, ita cordi noſtro nata eſt lætitia, vt negare ea quæ ſibi fraternitas veſtra concedenda popoſcerat, minimè valeremus. Sed poſt hoc peruenit ad nos, quod ſine verecundia memorare non poſſumus, fraternitatem tuam Grãmaticam quibuſdam exponere. Quam rem ita moleſtè ſuſcepimus, ac ſumus vehementiùs aſpernati, vt ea quæ priùs dicta fuerunt in gemitum & triſtitiam verterimus: quia in vno ſe ore cum Iouis laudibus Chriſti laudes non capiunt. Et quàm graue nefandúmque ſit Epiſcopis canere, quod nec laico religioſo conueniat, ipſe conſidera. Et quamuis dilectiſſimus filius noſter Candidus preſbyter poſtmodum veniens, hac de re ſubtiliter requiſitus negauerit, atque conatus vos fuerit excuſare, de noſtris tamen adhuc animis non receſſit: quia quanto execrabile eſt hoc de ſacerdote enarrari, tanto vtrum ita necne ſit, diſtricta & veraci oportet ſatisfactione cognoſci. Vnde ſi poſt hoc euidenter ea quæ ad nos perlata ſunt, falſa eſſe claruerint, nec vos nugis & ſæcularibus litteris ſtudere conſtiterit, Deo noſtro gratias agimus, qui cor veſtrum maculari blaſphemis nefandorum laudibus non permiſit, & de concedendis quæ poſcitis, ſecuri iam & ſine aliqua dubitatione tractabimus. Monachos verò, quos vnà cum dilectiſſimo filio noſtro Laurentio preſbytero, & Mellito Abbate, ad reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum tranſmiſimus, vobis in omnibus commendamus, vt fraternitate veſtra ſolatiante, nulla illos ad proficiſcendum mora valeat impedire. Lib. 11. epiſt. 48.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLI.
Ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem.

Vt de Synodo ad eruendam ſimoniam cogenda inſiſtat, & Serenum Epiſcopum à prauorum hominum ſocietate cohibeat, monachos ad Auguſtinum euntes habeat commendatos.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO Arelatenſi.

CVM diuinæ lectionis teſtimonio idolorum ſeruitus auaritia nũcupetur, quo ſtudio de templo Dei ſit pellenda cognoſcitur, & à quibuſdam ſacerdotibus, quod gementes dicimus, non cauetur. Tenet Lib. 11. epiſt. 49.

enim captiuum cor ſæua cupiditas, & licitum ſuadet eſſe malum quod imperat, atque id agit, vt vno eodémque gladio, & dantem & accipientem interimat. Quis igitur poſt hoc locus contra auaritiam tutus eſſe præualeat, ſi Dei illi à prauis ſacerdotibus aperitur Eccleſia? Quando ouium ſepta inuiolata cuſtodiet, qui intrare lupum inuitat? Proh nefas! manus illicito munere polluit, & alios ſe benedictione credit erigere, cùm ipſe iam ſit propria iniquitate ſubſtratus, & ſua nihilominus ambitione captiuus. Huius ergo mali rapacitas quia arcem veſtræ mentis numquam intrauerit, & innoxias habere vos manus de ordinationibus perhibetis, omnipotenti Deo gratias agite, & tanto vos Dei debitores eſſe cognoſcite, quanto illæſi ab huius morbi contagione eo cuſtodiente manſiſtis. Sed hæc vobis minùs quàm poterant bona proficiunt, ſi hæc & in aliis ſollicitè non vetaſtis. Sicut autem in te iſtud tibi malum diſplicuit, ita hoc & in fratre cum dolore zelare debueras. Nam dum diuina præcepta moneant, proximos noſtros ſicut noſipſos debere diligere, non paruæ culpæ eſt deſpicere, & quod ſibi quiſque metuit, aliis non timere. Vel nunc ergo, dilectiſſime frater, da operam, vt quod à correptione quieſcendo in aliis perdidiſti, reſarcias, & ab hac quos potueris prauitate compeſcas; atque vt Synodus ad eruendam ipſam hæreſim congregari poſſit inſiſte: quatenus cum dilectionis veſtræ mercede meliùs ab omnibus caueatur, quod auctore Deo omnium fuerit conſtitutione damnatum. Peruenit prætereà ad nos, fratrem & coepiſcopum noſtrum Serenum Maſſilienſem prauos homines omnino in ſocietate ſua recipere: ita denique vt preſbyterum quendam, qui poſt lapſum in ſuis adhuc dicitur iniquitatibus volutari, familiarem habeat. Quod à vobis ſubtiliter requirendum eſt. Et ſi ita conſtiterit, curæ vobis ſit noſtra hoc ſic vice corrigere, vt & qui talem recipit, non familiaritate fouere, ſed diſcat potiùs vltione comprimere; & qui receptus eſt, idem diſcat cum lacrymis peccata diluere, non iniquitatem in immunditiis cumulare. Monachos verò, quos ad reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum tranſmiſimus, fraternitas veſtra habeat in omnibus commendatos, & ita eis ad proficiſcendum ſolatiari ſtudeat, atque concurrere, vt vobis ſibi opitulantibus celeriter Deo protegente quò directi ſunt valeant peruenire.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLII.

Ad Ætherium Epiſcopum Lugdunenſem.

Vt inſiſtat ad Synodum cogendam. de priuilegiis Eccleſiæ ſuæ mittat exemplaria. Irenæi ſcripta non inueniri, & de monachis, quos commendat.

GREGORIVS ÆTHERIO EPISCOPO GALLIÆ.

Lib. IX. epiſt. 50. EPISTOLARVM veſtrarum plena venerabili grauitate locutio ita ſibi cordis noſtri fixit affectum, vt mutuum ſemper libeat miſcere ſermonem: quatenus etſi corporali veſtra præſentia frui non valemus, nil ſibi contra nos abſentia hoc intercurrente valeat commercio vendicare. Quantus autem in vobis Eccleſiaſtici or-

dinis amor eniteat, quanta ſit dilectio diſciplinæ, quantum obſeruantiæ ſtudium ſalubrium decretorum, ex illo quòd noſtram ſubmiſſè & omnino libenter adhortationem accipitis, & ſeruandam inuiolabiliter prædicatis, oſtenditis. Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, & vetuſtatis malum libera ſicut decet voce damnatis, poſtquam & aliis fratribus coepiſcopiſque noſtris ipſa voluntas eſt, oportet vt vnanimes contra dominicos hoſtes inſurgere, & auaritiam de domo Dei Synodali debeatis definitione proiicere. Nihil in dandis Eccleſiaſticis ordinibus auri fames inueniat, nil blandimenta ſurripiant, nil gratia conferat; honoris præmium vitæ ſit prouectus, ſapientiæ incrementum, modeſtia morum: vt obtinente huiuſmodi obſeruantia, & indignus qui præmiis quærit aſcendere iudicetur, & dignè cui bonum teſtimonium actio perhibet honoretur. Hæc vobis, dilectiſſime frater, cura ſit, hæc animis veſtris ſollicitudo ſemper inuigilet, vt & zelum, quem litteris oſtenditis, cordis veſtri teſtem opere demonſtretis. Itaque aſſiduè inſtanterque ad congregandam Synodum imminete, & ita vos enixiùs exhibete, vt nominis dignitatem officij adminiſtratione compleatis. De eo verò quod Eccleſiæ veſtræ concedendum ex antiqua conſuetudine depoſcitis, requiri in ſcrinio fecimus, & nihil inuentum eſt. Vnde nobis epiſtolas ipſas, quas vos dicitis habere, tranſmittite, vt ex eis quid concedendum eſt colligamus. Geſta verò vel ſcripta beati Irenæi iamdiu eſt quòd ſollicitè quæſiuimus: ſed hactenus ex eis inueniri aliquid non valuit. Præterea fraternitas veſtra monachos, quos ad reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum direximus, habere ſtudeat in omnibus commendatos, ſuámque illis caritatem propter Deum exhibeat; atque illis ita ſtudio ſacerdotali obnixè concurrat, & ſuo eos ſolatio ad agendum iter adiuuare feſtinet, vt dum nulla eis illic res morandi cauſas intulerit, & hi celeriùs pergere, & vos mercedem de præſtitis inuenire poſſitis. Data die x. Iulij, Indictione IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLIII.

Ad Aregium Epiſcopum Vapincenſem.

De Synodo congreganda, & de monachis quos commendat.

GREGORIVS AREGIO EPISCOPO GALLIÆ.

CVM in fraterna dilectione vnum cor, vnus ſit animus, ſicut in alterius proſperis mens lætatur, ita in aduerſis affligitur; quia in vtroque participes eſſe lege caritatis adſtringimur. Atque ideo maior nos de triſtitia veſtra mœror inuaſerat, ne fortaſſe prolixi luctus afflictio aſſiduo cor veſtrum dolore pulſaret, & vitam gemitibus oneraret. Sed ſuſceptis caritatis veſtræ epiſtolis optato ſumus gaudio conſolati, atque omnipotenti Deo gratias egimus, quia & humanitatem veſtram incolumem, & animum ad conſolationem rediiſſe cognouimus. Nec enim aliter de vobis fuerat exiſtimandum, niſi quia quicquid aduerſitatis eſſet, ſacerdotali ſine dubio patientiâ vinceretis. Qualiter præterea in abſcindenda Simoniaca hæreſi fraternitatis veſtræ zelus olim exarſerit, Lib. 11. epiſt. 51.

benè recolimus. Vnde hortamur, vt operam ſtudioſiùs impendentes di-ſtricta inter alia quæ ſcripſimus Concilij definitione damnentur: quatenus, dum voluntatis noſtræ intentio ſollicitudinis veſtræ fuerit ope complera, & omnipotenti Deo oblationem gratiſſimam de vitiorum correptionibus offeratis, & ad aliorum ædificationem, qualiter in vobis paſtoralis officij cura fulgeat oſtendatis. Experientia autem vitæ veſtræ nos prouocat, quam valde multis præminere cognouimus, vt de vobis hac in re grande ſolatium præſumamus. Et ideo feruorem veſtrum ſicut Deo au-ctore cœpiſtis explete, vt bona quæ in vobis recta intentione cœpta ſunt, iuuante Deo creatore omnium rectiùs impleantur. Præterea monachis, quos ad reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum tranſmiſimus, caritatem ſuam fraternitas veſtra, vt conſueuit, impendat, & ita eis tam perſe, quàm per alios quos potuerit, ad proficiſcendum ſolatiari ſtudeat; vt dum vobis prouidentibus nullas illic difficultates vel moras habuerint, & nos quod de vobis confidimus ſentiamus, & Deus vobis omnipotens pro conuerſione animarum, pro quibus tranſmiſſi ſunt, ſuam gratiam recompenſet.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLIV.
Ad diuerſos Epiſcopos Galliæ.

Commendat monachos, quos in Angliam mittit ad Auguſtinum.

GREGORIVS MENNÆ TOLOSANO, SERENO Maſſiliæ, Lupo Cabiloni, Agilio Metis, Simplicio Pariſus, Melantio Rotomagenſi, & Licinio Epiſcopis Francorum, à paribus.

Lib. 11. epiſt. 52.

LICET fraternitatem veſtram ſuſcepti officij cura commoneat, vt religioſis viris, & præcipuè in cauſa animarum laborantibus, omni debeat adniſu concurrere; non tamen abre eſt, ſi ſollicitudinem veſtram epiſtolarum noſtrarũ ſermo pulſauerit: quia ſicut ignis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis ſtudia commendatione proficiunt. Quia igitur Redemptoris noſtri gratiâ cooperante tanta de Anglorum gente ad Chriſtianæ fidei gratiam multitudo conuertitur, vt reuerendiſſimus communis frater & coepiſcopus noſter Auguſtinus eos qui ſecum ſunt, ad hoc opus exequendum per diuerſa loca afferat non poſſe ſufficere, aliquantos ad eum monachos, cum dilectiſſimis & communibus filiis, Laurentio presbytero, & Melliro Abbate, præuidimus tranſmittendos. Et ideo fraternitas veſtra eis caritatem quam decet exhibeat, atque ita illis vbicumque neceſſe fuerit auxiliari feſtinet, quatenus dum vobis opitulantibus nullas illic remorandi cauſas habuerint, & ipſi veſtra ſe releuatos conſolatione congaudeant, & vos ſolatiorum exhibitione in cauſa pro qua directi ſunt poſſitis participes inueniri. *Menſe Iulio Indictione* IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLV.
Ad Theodoricum regem Francorum.

Iterum hortatur ad Synodum conuocandam, & monachos eoſdem commendat.

GREGORIVS THEODORICO REGI Francorum.

EXCELLENTIÆ veſtræ index cordis epiſtola quanta in vobis fulgeat cum regiâ poteſtate prudentia, ita luculenti copia ſermonis edocuit, vt dubium eſſe non valeat quicquid laudabile de vobis fama narrauerat. Et quoniam adhortationem noſtram adeo regiis animis veſtris per laudis prædicamenta placuiſſe ſignaſtis, vt quicquid ad Dei noſtri cultum, quicquid ad Eccleſiarum reuerentiam, quicquid ad honorem pertinere cognoſcitis ſacerdotum, & ſtudioſè ſtatui, & velitis in omnibus cuſtodiri; iterata vos pro veſtra magna mercede adhortatione pulſamus, vt congregari Synodum iubeatis, & ſicut dudum ſcripſimus, corporalia in ſacerdotibus vitia, & Simoniacæ hæreſeos prauitatem omnium Epiſcoporum definitione damnari, atque de regni veſtri amputari finibus faciatis, nec plus illis pecuniam obtinere, quam præcepta Dominica permittatis. Nam cùm omnis auaritia idolorum ſit ſeruitus, quiſquis hanc, & maximè in dandis Eccleſiaſticis honoribus, vigilanter non præcauet, infidelitatis perditioni ſubiicitur, etiamſi tenere fidem quam negligit videatur. Sicut ergo contra exteriores hoſtes, ita quoque contra interiores animarum aduerſarios ſtudete eſſe ſolliciti: vt per hoc quod Dei noſtri inimicis fideliter repugnatis, & hîc feliciter ipſius protectione regnetis, & ad æterna poſtmodum gaudia eius duce gratia veniatis. Quanta præterea bona reuerendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Auguſtino ad Anglorum gentem proficiſcenti excellentia veſtra præbuerit, reuertentes ab eo quidam monachi retulerunt. Vnde vberes gratias referentes petimus, vt his quoque monachis, qui ad eum directi ſunt, ſuffragia veſtra copioſiùs præbere, atque eos ad proficiſcendum iuuare dignemini: vt quanto beneficia veſtra eis ampliùs exhibetis, tanto maiorem viciſſitudinem ab omnipotente Deo, cui ſeruiunt, expectetis. *Menſe Iulio Indictione* IV. Lib. ix. epiſt. 55.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLVI.
Ad Theodebertum regem Francorum.

Hortatur ad Synodum congregandam, & monachos commendat.

GREGORIVS THEODEBERTO REGI FRANCORVM.

QVI paternæ adhortationis verba libenti animo ſuſcipit, & ſinu cordis amplectitur, emendatorem ſe vitiorum fore proculdubio profitetur. Ex qua re ſatis nos excellentiæ veſtræ certos reddit abſoluta pro- Lib. ix. epiſt. 54.

miſſio. Nam eius quem idoneum ad ſoluendum eſſe cognoſcimus, verba pro pignore retinemus. Itaque excellentia veſtra, Dei noſtri mandatis inhærens, ſtudium ad congregandam Synodum pro ſua mercede adhibere dignetur, vt omne à ſacerdotibus corporale vitium, & Simoniaca hæreſis, quæ prima in Eccleſiis iniqua ambitione ſurrexit, poteſtatis veſtræ imminente cenſura, Concilij definitione tollatur, & abſciſſa radicibus amputetur: ne ſi plus illic aurum quàm Deus diligitur, qui modò tranquillus in ſuis præceptis deſpicitur, iratus in vindicta poſtmodum ſentiatur. Et hæc quidem quia pro vobis loquimur, idcirco imminere ſæpiùs non ceſſamus, vt prodeſſe excellentiſſimis ac dulciſſimis filiis noſtris vel importunitate poſſimus. Nam regno veſtro per omnia proficit, ſi quod contra Deum in illis partibus geritur, emendatione veſtræ excellentiæ corrigatur. Quanta præterea bona proficiſcenti ad Anglorum gentem reuerendiſſimo fratri & coepiſcopo noſtro Auguſtino excellentia veſtra impenderit, referentibus quibuſdam monachis, qui ab eo reuerſi ſunt, cognouimus. De qua re maximas gratias exoluentes petimus, vt & monachis præſentium portitoribus, quos ad eundem fratrem noſtrum direximus, veſtra vberiùs beneficia miniſtretis: quatenus dum vobis patrocinantibus nullas illic difficultates inuenerint, ſed cœptum iter facilè Chriſto adiuuante peregerint, vberiorem mercedis veſtræ fructum ante Dei noſtri oculos faciatis. *Menſe Iulio Indictione* IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLVII.

Ad Clotarium regem Francorum.

Monachos ad Auguſtinum euntes commendat, & vt Synodus fiat contra Simoniacos.

GREGORIVS CLOTHARIO REGI Francorum.

Lib. 11. epiſt. 55. INTER tot curas & ſollicitudines, quas pro ſubiectarum vobis gentium regimine ſuſtinetis, exiſtere vos in cauſa Dei laborantibus adiutores, eximiæ laudis & magnæ mercedis eſt. Et quia tales vos bonis præcedentibus oſtenditis, vt præſumere de vobis meliora poſſimus, petere quæ pro mercede veſtra ſunt libentiſſimè prouocamur. Quidam igitur, qui cum reuerendiſſimo fratre & coepiſcopo noſtro Auguſtino ad Anglorum gentem perrexerant, reuertentes, quanta eundem fratrem noſtrum excellentia veſtra in præſentia poſitum caritate refecerit, quantiſque ſuffragiis proficiſcentem adiuuerit, narrauerunt. Sed quia illa Deo noſtro opera grata ſunt ſemper, quæ à bonis cœptis non recedunt; paterno affectu ſalutantes petimus, vt monachos præſentium portitores, quos ad prædictum fratrem noſtrum vnà cum dilectiſſimis filiis noſtris Laurentio preſbytero, & Mellito Abbate tranſmiſimus, habeatis peculiariter commendatos. Et quicquid illis antè exhibuiſtis, his quoque ad laudis veſtræ cumulum vberiùs impendatis: quatenus dum vobis prouidentibus cœptum ſine mora iter expleuerint, bonorum veſtrorum

rum omnipotens Deus recompenſator exiſtat, atque vobis & in proſperis cuſtos, & in aduerſitatibus ſit adiutor. Præterea peruenit ad nos, quòd ſacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehementer affligimur, ſi ad Dei dona non meritis acceditur, ſed præmiis proſilitur. Et quia hæc Simoniaca hæreſis prima in Eccleſia ſurgens Apoſtolorum eſt auctoritate damnata, petimus vt pro mercede veſtra congregari Synodum faciatis: quatenus omnium ſacerdotum definitione compreſſa, & radicitus amputata, nullas illic vires de cetero in periculum animarum inueniat, nec vlteriùs ſub qualibet excuſatione permittatur exſurgere: vt tanto vos omnipotens Deus noſter contra aduerſarios veſtros exaltet, quanto vos in ſuis mandatis zelum habere, & pro animarum ſalute, quæ huius fuerant ſceleris gladio perituræ, viderit cogitare. *Menſe Iulio Indictione* IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLVIII.

Ad Brunichildem reginam Francorum.

Monachos in Britanniam euntes commendat.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

GRATIAS omnipotenti Deo referimus, qui inter cetera pietatis ſuæ dona, quæ excellentiæ veſtræ largitus eſt, ita vos amore Chriſtianæ religionis impleuit, vt quicquid ad animarum lucrum, quicquid ad propagationem fidei pertinere cognoſcitis, deuota mente, & pio operari ſtudio non ceſſetis. Quanto autem fauore, quantáque opitulatione excellentia veſtra reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum Auguſtinum proficiſcentem ad Anglorum gentem adiuuerit, nec antè ſilentio famâ conticuit, & poſtea quidam ab eo ad nos monachi redeuntes ſubtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Chriſtianitate veſtra mirentur alij, quibus adhuc beneficia veſtra minùs ſunt cognita: nam nobis, quibus experimentis iam nota ſunt, non mirandum eſt, ſed gaudendum; quia per hoc quod aliis impenditis, vos iuuatis. Qualia autem, quantáque in conuerſione ſupraſcriptæ gentis Redemptor noſter fuerit miracula operatus, excellentiæ veſtræ iam notum eſt. Ex qua re magnam vos oportet habere lætitiam; quia maiorem ſibi partem hac in re præſtitorum veſtrorum ſolatia vendicant, cuius poſt Deum auxiliis verbum illic prædicationis innotuit. Nam qui alterius bonum adiuuat, ſuum facit. Sed vt mercedis veſtræ magis magiſque ſit fructus vberior, petimus vt monachis præſentium apicum portitoribus, quos cum dilectiſſimis filiis noſtris Laurentio preſbytero, & Mellito Abbate, ad prædictum reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum, pro eo quòd illos qui ſecum ſunt, ſufficere ſibi dicit non poſſe, tranſmittimus, patrocinij veſtri ſuffragia benigniùs miniſtretis, atque ita eis in omnibus adeſſe dignemini, quatenus dum bonis excellentiæ veſtræ initiis meliora ſucceſſerint, & Lib. 11. epiſt. 56.

nullas illic moras vel difficultates inuenerint, tanto erga vos, ac dulciſſimos nobis nepotes veſtros, Dei noſtri miſericordiam prouocetis, quanto pro eius amore vos in huiuſmodi cauſis miſericorditer exhibetis. *Menſe Iulio Indictione* IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA XLIX.
Ad Brunichildem reginam Francorum.

Vt Synodus fiat ad euellendam Simoniam.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

Lib. IX. epiſt. 57. QVANTA in vobis bona diuino munere ſint collata, quantáque vos ſupernæ gratiæ pietas impleuerit, inter cetera veſtrorum teſtimonia meritorum, illud etiam cunctis patenter inſinuat, quia & effera corda gentilium prouidi gubernatis arte conſilij, & regiam, quod maioris adhuc laudis eſt, ornatis ſapientia poteſtatem. Et quoniam ſicut multis in vtroque gentibus eminetis, ita quoque eis fidei ſinceritate præcellitis, magnam de vobis in emendandis illicitis fiduciam capimus. Nam qualiter adhortationem noſtram excellentia veſtra amplexa ſit, quantáque eandem deuotione geſtiat adimplere, ſcriptorum veſtrorum emiſſa dudum pagina teſtis eſt. Sed quia ipſe bonarum mentium eſſe conſueuit adiutor, qui etiam earum largitor eſt, confidimus quòd tanto propitius cauſas veſtras ſua pietate diſponat, quanto ipſe de ſua vos videt eſſe cauſa ſollicitos. Facite quod Dei eſt, & Deus faciet quod veſtrum eſt. Itaque Synodum congregari præcipite, & peccatum Simoniacæ hæreſis de regno veſtro inter alia, ſicut antea ſcripſimus, definitione Concilij ſtudioſiùs prohibete. Sacrificium Deo deuicto interiori hoſte offerte, vt exteriores aduerſarios ipſo adiuuante vincatis: vt quale vos contra inimicos ipſius ſtudium geſſeritis, talem illum in veſtro iuuamine ſentiatis. Mihi autem credite, quia ſicut iam experimento multorum didicimus, in damno expenditur quicquid cum peccato congregatur. Si vultis igitur nihil iniuſtè perdere, ſummopere ſtudete per iniuſtitiam nihil habere. In terrenis etenim rebus ſemper cauſa damni eſt origo peccati. Vos itaque, ſi eminere aduerſantibus gentibus vultis, ſi earum auctore Deo victrices exiſtere feſtinatis, eiuſdem omnipotentis Dei cum tremore præcepta ſuſcipite, vt ipſe pro vobis contra aduerſarios veſtros pugnare dignetur, qui per ſacrum eloquium pollicitus eſt dicens, *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Menſe Iulio Indictione* IV.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA L.

Ad Aregium Epiſcopum Vapincenſem.

Commendat Candidum presbyterum.

GREGORIVS AREGIO EPISCOPO Galliarum.

IN quãta apud nos memoria fraternitatis veſtræ ſit caritas, cordis veſtri ſecreta requirite, & ex eo quem circa nos habet amorem colligetis. Et quoniam ſincera in dilectione, nec vires abſentia, nec locum habet obliuio, ita ſibi ſæpius imaginata veſtræ fraternitatis præſentia mens noſtra reficitur, ac ſi corporeis vos oculis coram nobis ſiſti cernamus: quia nec abeſſe credendus eſt, qui per dilectionis vinculum animis inhæret. Quia ergo tanta in vobis ſacerdotalis grauitatis ornamenta conſpeximus, vt de veſtro omnino inſtituto & moribus lætaremur, multa animis noſtris de ſollicitudine veſtra promittimus. Vnde quia ſic ea quæ Dei ſunt agitis, ſic in commiſſi vobis gregis cuſtodia vigilatis, vt tamen ea quæ ex latere ſunt prudenti moderamine diſpenſetis, latorem vobis præſentium Candidum presbyterum communem filium commendamus, vt opem illi in quibus neceſſe fuerit pro vtilitate pauperum impendatis: quatenus dum fraternitatis veſtræ fuerit, ſicut confidimus, fultus auxilio, in eius vos conſolatione nos inueniſſe ſe ſentiat. Lib. IX. epiſt. 62.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LI.

Ad Virgilium Epiſcopum Arelatenſem.

Commendat Auguſtinum Epiſcopum, ſi ad eum venerit.

GREGORIVS VIRGILIO EPISCOPO Arelatenſi.

QVANTVS ſit affectus venientibus ſponte fratribus impendendus, ex eo quod plerumque ſolent caritatis cauſa inuitari, cognoſcitur. Et ideo ſi communem fratrem Auguſtinum Epiſcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio veſtra ſicut decet, affectuoſe dulciterque ſuſcipiat, vt & ipſum conſolationis ſuæ bono refoueat, & alios qualiter fraterna caritas colenda ſit doceat. Et quoniam ſæpius euenit, vt hi qui longe ſunt poſiti, prius ab aliis quæ ſunt emendanda recognoſcant, ſi quas fortaſſe fraternitati veſtræ ſacerdotum vel aliorum culpas intulerit, vnà cum eo reſidentes, ſubtili cuncta inueſtigatione perquirite. Et ita vos in ea quæ Deum offendunt, & ad iracundiam prouocant, diſtrictos ac ſollicitos exhibete, vt ad aliorum emendationem & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falſa opinio non affligat. Data die x. Kalendas Iulias, Indictione IV. Lib. IX. epiſt. 65.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LII.
Ad Brunichildem reginam Francorum.

De corrigendis ſacerdotibus, qui vitam prauè inſtituunt.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

Lib. ix. epiſt. 64. Prou. 14. 34. CVM ſcriptum ſit, *Iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit populos peccatum*; tunc regnum ſtabiliri creditur, cùm culpa quæ cognoſcitur citiùs emendatur. Multorum igitur ad nos relatione peruenit, quod dicere ſine afflictione cordis nimia non valemus, ita quoſdam ſacerdotes in illis partibus impudicè ac nequiter conuerſari, vt & audire nobis opprobrium, & lamentabile ſit referre. Ne ergo poſtquàm huius nequitiæ huc vſque ſe tetendit opinio, aliena prauitas aut noſtram animam, aut veſtrum regnum peccati ſui iaculo feriat, ardenter ad hæc debemus vlciſcenda conſurgere, ne paucorum facinus multorum poſſit eſſe perditio. Nam cauſa ſunt ruinæ populi ſacerdotes mali. Quis enim populi ſe peccatis interceſſor obiiciat, ſi ſacerdos, qui exorare debuerat, grauiora committat? Sed quoniam eos, quorum eſt locus hæc inſequi, nec ſollicitudo ad requiſitionem, nec zelus excitat ad vindictam, ſcripta ad nos veſtra diſcurrant, vt perſonam, ſi præcipitis, cum veſtræ auctoritatis aſſenſu tranſmittamus, quæ vnà cum aliis ſacerdotibus hæc & ſubtiliter quærere, & ſecundum Deum debeat emendare. Nec enim ſunt diſſimulanda quæ dicimus: quia qui emendare poteſt & negligit, participem ſe proculdubio delicti conſtituit. Prouidete ergo animæ veſtræ, prouidete nepotibus quos cupitis regnare feliciter, prouidete prouinciis: & priuſquàm creator noſter manum ſuam ad feriendum excutiat, de correctione huius ſceleris ſtudioſiſſimè cogitate; ne tanto poſtmodum acriùs feriat, quanto modò diutiùs & clementer expectat. Scitote autem, quòd Deo noſtro magnum ſacrificium placationis offertis, ſi tanti labem facinoris de veſtris citiùs finibus amputetis.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LIII.
Ad Candidum preſbyterum rectorem patrimonij.

Aurelium presbyterum commendat, vt ei oratorium, vel locum aliquem committat.

GREGORIVS CANDIDO PRESBYTERO Galliæ.

Lib. ix. epiſt. 65. LATOR præſentium filius noſter Aurelius preſbyter è Galliarum partibus veniens petiit, vt ſicubi in poſſeſſionibus B. Petri Apoſtolorum principis oratorium, aut locus, qui preſbytero vel Abbate indiget, inueniri potuerit, ei debeat committi: quatenus & ipſe ſubſidium vitæ

præſentis inueniat, & nos inueniamur peritioni illius paruiſſe. Proindè dilectioni tuæ eum omnibus modis commendamus, vt in quo vſus exegerit, ei tua dilectio concurrat, & ſcriptorum noſtrorum illic ſolatium inueniat.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LIV.

Ad Aurelium.

Conſolatur de morte fratris, & tribulationibus quas patiebatur.

GREGORIVS AVRELIO EX FRANCIS.

AVDITO dulciſſimi filij mei fratris veſtri tranſitu, quo ſim mœrore perculſus, epiſtolaris non valet explere locutio. Sed omnipotentem Deum rogo, vt ſuæ vos gratiæ aſpiratione conſoletur, vóſque & à malignis ſpiritibus, & à peruerſis hominibus cæleſti protectione cuſtodiat. Nam ſi quos poſt illius obitum tumultus quorumdam aduerſantium ſuſtinetis, nolite mirari. Si vos frui bonis in terra veſtra, id eſt in terra viuentium quæritis, mala hominum in terra aliena portare debetis. Peregrinatio quippe eſt terra præſens; & qui ſuſpirat ad patriam, ei tormentum eſt peregrinationis locus, etiamſi blandus eſſe videatur. Vobis autem, qui patriam quæritis inter ſuſpiria quæ habetis, etiam gemitus audio humanæ oppreſſionis exſurgere. Quod mira omnipotentis Dei diſpenſatione agitur, vt dum veritas per amorem vocat, mundus præſens à ſeipſo animum veſtrum, per tribulationes quas ingerit, repellat; tantóque faciliùs ab amore huius ſæculi mens exeat, quanto & impellitur dum vocatur. Itaque quod cœpiſtis, hoſpitalitatis curam impendite. In oratione & lacrymis inſtantiſſimè laborate: eleemoſynis, quas ſemper amaſtis, iam nunc largiùs atque vberiùs operam date, vt tanto poſt in retributione creſcat vobis fructus operis, quanto hîc excreuerit ſtudium laboris. Lib. 11. epiſt. 70.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LV.

Ad Deſiderium Epiſcopum.

De Pancratio ipſius clerico, ne illum reuocet à monaſtica conuerſatione, quam appetiit.

GREGORIVS DESIDERIO EPISCOPO.

PANCRATIVS lator præſentium, vt aſſerit, diaconus Apoſtolorum ſe liminibus repræſentans, à nobis noſcitur petiiſſe, vt eum fraternitati veſtræ deberemus ſpecialiter commendare. Lib. 1. epiſt. 58. Intimauit etiam nobis, quòd in clericatus officio veſtræ ſit Eccleſiæ mancipatus. Vnde diuini motus inſpiratione compunctus, gratiam monaſticæ conuerſationis appetiit, illícque in eodem quem ſumpſit habitu deſiderans permanere, etiam diaconum ſe eiuſdem monaſterij factum

eſſe commemorat. De cuius loci ſeruitio auelli nulla patitur ratione. Nunc quantum aſſerit, fraternitas veſtra, non quidem impedimentis intentum, ſed affectu beneuolentiæ, in officium eum ſuæ vult reuocare Eccleſiæ. Hortamur igitur, vt tam promptæ deuotioni eius, quàm in ſancto ſtudet habere propoſito, minimè veſtra ſit impedimento fraternitas. Magis autem quibus valetis adhortationibus paſtorali admonitione ſuccendite, vt feruor huius deſiderij in eo non tepeſcat: vt qui à turbulento curarum ſæcularium tumultu ſe ſegregans, quietis deſiderio portum monaſterij appetiit, rurſum in Eccleſiaſticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, ſed in Dei laudibus permittatur ſecurè ab his omnibus remanere vt poſtulat. *Menſe Maio Indictione* v.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LVI.

Ad Ætherium Epiſcopum Lugdunenſem.

Qua ratione prouidendum ſit, cùm Epiſcopus in capitis infirmitatem incidit, & officio ſuo fungi non poteſt.

GREGORIVS ÆTHERIO EPISCOPO.

Lib. 11. epiſt. 7.

QVAMVIS triſte ſit nobis valde quod loquimur, atque fraterna nos compaſſio flere potiùs vrgeat, quàm aliquid de auditis deſinire permittat; ſuſcepti tamen ſollicitudo regiminis cor noſtrum inſtanti pulſat aculeo, magna nos Eccleſiis cura proſpicere, & ne qua earum poſſit vtilitas deperire, quod fieri debeat, Deo auctore diſponere. Peruenit igitur ad nos quibuſdam referentibus, quendam Epiſcopum ita paſſionem capitis incurriſſe, vt quod mente alienata agere ſoleat, gemitus & fletus audire ſit. Ne ergo languente paſtore grex, quod abſit, inſidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Eccleſiæ ipſius vtilitates depereant, cauta nos neceſſe eſt prouiſione tractare. Et ideo quia viuente Epiſcopo, quem ab officio ſuo neceſſitas infirmitatis non crimen abducit, alium loco eius recuſante eo nulla ſinit ratio ordinari. Sed ſi interualla ægritudinis habere eſt ſolitus, ipſe data petitione non ſe vlteriùs ad hoc miniſterium intellectum habere, nec ad alia officia ſubuertente infirmitate poſſe fateatur aſſurgere, & alium loco ſuo expetat ordinandum. Quo facto, omnium ſolenniter electione alter qui dignus fuerit Epiſcopus conſecretur. Sic tamen, vt quouſque eundem Epiſcopum in hoc ſæculo vita tenuerit, ſumptus ei debiti de eadem Eccleſia miniſtrentur. Enimuerò ſi nullo tempore ad ſanæ redit mentis officium, perſona fidelis ac vitæ probabilis eſt eligenda, quæ ad regimen Eccleſiæ idonea poſſit exiſtere, atque de animarum vtilitate cogitare, inquietos ſub diſciplinæ vinculo conſtringere, Eccleſiaſticarum rerum curam gerere, & maturum atque efficacem ſe in omnibus exhibere. Qui etiam, ſi Epiſcopo, qui nunc ægrotat, ſuperſtes extiterit, loco eius debeat conſecrari. Ordinationes verò preſbyterorum vel diaconorum, ſeu alterius ordinis, ſi fieri in eadem Eccleſia cauſa popoſcerit, fraternitati tuæ noueris reſeruandum: quatenus ſi tuæ

eſt diœceſeos, de eius qui ad hoc eligitur vita, moribus, actúque perquiras; & ſi placuerit, nec eſt quòd in eo canonicæ diſtrictionis iudicium reprehendat, ad deſtinatum ordinem non aliter niſi te ordinante perueniat. Ita ergo fraternitas tua faciat, atque hæc vigilanti prouidentia diſponat, vt nec Dei Eccleſia neglectum vlteriùs habeat, & conſacerdotes ſuos non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo, locorum venerabilium curam laudabiliter habere commoneat. *Menſe Nouembri Indictione* VI.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LVII.

Ad Brunichildem reginam Francorum.

De priuilegiis monaſterio & xenodochio conceſſis, legatis eius auditis, Menna Epiſcopo abſoluto. De Epiſcopo qui capitis infirmitate laborabat. de digamo non ordinando. miſſurum ſe in Gallias qui Synodo interſit. Vt priuilegia quæ mittit actis publicis inſerantur.

GREGORIVS BRVNICHILDÆ REGINÆ Francorum.

INTER alia bona hoc apud vos præ cęteris tenet principatum, quòd in mediis huius mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta ſolent vexatione confundere, ita cor ad diuini cultus amorem, & venerabilium locorum diſponendam quietem reducitis, ac ſi nulla vos alia cura ſollicitet. Vnde quia huiuſmodi præpoſitorum actio, ſubiectorum magna ſolet eſſe munitio, præ aliis gentibus gentem Francorum aſſerimus felicem, quæ ſic bonis omnibus præditam meruit habere reginam. Epiſtolis autem veſtris indicantibus agnoſcentes Eccleſiam vos ſancti Martini in ſuburbano Auguſtodunenſi, atque monaſterium ancillarum Dei, nec non & xenodochium in vrbe eadem conſtruxiſſe, valde lætati ſumus, & gratias omnipotenti Deo retulimus, qui cordis veſtri ſinceritatem ad hæc operanda compunxit. Qua de re vt & nos bonis veſtris in aliquo participes haberemur, priuilegia locis ipſis pro quiete & munitione illic degentium, ſicut voluiſtis, indulſimus, nec excellentiæ veſtræ amplectenda nobis deſideria vel ad modicum differre pertulimus. Paterna præterea caritate ſalutationis præmittentes alloquium, indicamus illuſtribus filiis noſtris, veſtræ verò excellentiæ famulis ac legatis, Burgoaldo & Varmaricario, noſtrum nos ſecundum veſtra ſcripta præbuiſſe ſecretum. Qui omnia quæ ſibi iniuncta dixeratis, ſubtili nobis inſinuatione reſeraſſe noſcuntur. De quibus curæ nobis erit, ſequenti tempore excellentiæ veſtræ quid actum fuerit indicare. Nam nos quicquid poſſibile & vtile ad ordinandum pacem inter vos, & rempublicam pertinet, ſumma Deo auctore cupimus deuotione compleri. Mennam verò reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum, poſtquàm ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo inuenimus eſſe culpabilem, qui inſuper ad ſacratiſſimum corpus B. Petri Apoſtoli ſub iureiurando ſatisfaciens ab his quæ obiecta eius opinioni fuerant, ſe demonſtrauit alienum, reuerti illuc purgatum abſolutúmque permiſimus: quia ſicut di- Lib. XI. epiſt. 8.

gnum erat, vt ſi in aliquo reus exiſteret, culpam in eo canonicè puniremus; ita dignum non fuit, vt eum adiuuante innocentia diutiùs retinere vel affligere in aliquo deberemus. De quodam autem Epiſcopo, quem capitis infirmitas, ſicut nobis prædicti magnifici viri dixerunt, adminiſtrare ſuum non ſinit officium, fratri coepiſcopóque noſtro Ætherio ſcripſimus, vt ſi interualla eiuſdem infirmitatis habuerit, data petitione ad implendum ſe locum ſuum profiteatur non poſſe ſufficere, ſed alium Eccleſiæ ſuæ poſtulet ordinandũ: quia viuente Epiſcopo, quem ab adminiſtratione officij ſui non culpa, ſed ægritudo ſubducit, alium loco ipſius ſacri nullomodo permittunt canones ordinari. Si verò nullo tempore ad mentis ſanæ redit officium, quæri perſona debet vita & moribus decorata, quæ & animarum curam gerere, & eiuſdem Eccleſiæ cauſas vtilitatéſque ſalubri valeat ordinatione diſponere: taliſque ſi ſuperſtes extiterit, eius poſſit loco ſuccedere. Sed & ſi qui ſunt in ſacro ordine vel ad clericatus miniſterium promouendi, antefato reuerendiſſimo fratri noſtro Ætherio, ſi tamen ipſius eſt diœceſeos, reſeruandum nuntiandúmque decreuimus; vt inde habita inquiſitione, ſi nullæ culpæ quas ſacri canones inſequuntur ſubiecti ſunt, ipſe eos debeat ordinare. Excellentiæ ergo veſtræ cura noſtræ ſe diſpoſitioni coniungat: quatenus nec Eccleſiæ vtilitates, quarum nobis maximus amor eſt, pereant, & bonis excellentiæ veſtræ mercedis augmenta ſuccreſcant. Similiter verò de quodam digamo requiſiti, an ad ſacrum ordinem potuiſſet accedere, iuxta canonicam regulam omnino vetuimus. Abſit enim, ne veſtris temporibus, in quibus tam multa pia ac religioſa agitis, aliquid contra Eccleſiaſticum inſtitutum fieri permittaris. Præfati autem viri magnifici filij noſtri dato capitulari inter cetera petierũt, quod ſibi ex veſtra perhibuere iuſſione mandatum, vt talis debeat à nobis in Galliis perſona tranſmitti, quæ facta Synodo cuncta quæ contra ſacratiſſimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore poſſit corrigere. In qua re gloriæ veſtræ curam cognouimus, quam de vita animæ, & de regni veſtri ſoliditate cogitatis: quia Redemptorem noſtrum formidantes, eiuſque in omnibus præcepta ſeruantes, & hic agitis vt diu regni veſtri gubernacula ſubſiſtant, & poſt longa annorum curricula vos quoque de terreno regno ad regnum cœleſte tranſeatis. Apto autem tempore, ſi Deo placuerit, venerandæ excellentiæ veſtræ deſideria implere curabimus. Nos itaque pro munitione locorum, de quibus excellentia veſtra ſcripſit, omnia ſicut voluit ſancire ſtuduimus. Sed ne fortaſſe ab eorum locorum præpoſitis eadem decreta noſtra quoquo tempore ſupprimantur, pro eo quòd eis quædam interdicta eſſe noſcuntur, hæc eadem conſtitutio geſtis eſt publicis inſerenda; quatenus ſicut in noſtris, ita quoque in regalibus ſcriniis teneatur. Omnipotens Deus excellentiam veſtram in ſuo ſemper timore cuſtodiat; atque ita veſtra vota in filiorum excellentiſſimorum regum nepotum veſtrorum, intercedente beato Petro Apoſtolorum principe, cui eos commendatis, ſoſpitate adimpleat, vt ſtabile vobis gaudium de eorum ſemper incolumitate, ſicut cupitis, habere concedat. Data menſe Nouembri, Indictione VI.

GREGORIVS

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LVIII.
Ad Theodoricum regem Francorum.

De priuilegiis iiſdem, legatiſque de pace cum Imperatore ſtabilienda.

GREGORIVS THEODORICO REGI Francorum.

SCRIPTORVM veſtrorum eloquia incolumitatem veſtram ſignantia læti ſuſcepimus: ex quibus ita tranſcendere vos prudentia ætatem cognouimus, vt euidenter appareat pro gentis Francorum felicitate excellentiæ veſtræ poteſtatis regiæ gubernacula ſupernæ gratiæ fauore fuiſſe commiſſa. Inter quæ hoc quoque in vobis ſatis laudabile mirandúmque eſt, quòd in his quæ filiam noſtram, præcellentiſſimam auiam veſtram pro omnipotentis Dei amore deſiderare cognoſcitis, iuuare ſic ſtudioſiſſimè feſtinatis, vt per hoc & hîc feliciter viuatis,& in futura vita regnum cum Angelis teneatis. Quia ergo hoc Deo donante ex magna venit diſcretione iudicij, ita omnia quæ excellentia veſtra voluit, citiùs ac libenter impleuimus, vt quantum nobis bona veſtra placuerint, effectus noſtri celeritate monſtraremus. Salutantes præterea vos paterna dulcedine indicamus, omnia quæ viris illuſtribus famulis veſtris Burgoaldo ac Varmaricario filiis noſtris apud vos agenda mandaſtis, facta nobis fuiſſe habito ſecreto colloquio manifeſta. Et valdè laudauimus,quia & præſentia ſapienter ſicut decet attenditis, & ſic munire futura ſempiternæ pacis interuentu inter vos & rempublicam feſtinatis, vt vnum facti regni veſtri firmitatem in perpetuum extendere ſalubriter poſſitis. De quibus ſuccedenti vobis tempore quæ Deo fuerint placita nunciamus. Nam nos quicquid vtile, quicquid probatur eſſe pacificum deſideramus, & vt fieri valeat ſtudemus. Tantum eſt vt ſicut noſtra, ita quoque Dei, quo ſine nihil poſſumus, in ea quæ expediunt ſit voluntas. Sancta Trinitas in ſuo ſemper faciat vos timore proficere, & ita cor veſtrum placita ſibi moderatione diſponat, vt & nunc ſubiectis veſtris de vobis, & poſtmodum vobis de ſe gaudium ſine fine concedat. Lib. xi. epiſt. 9.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LIX.
Ad Senatorem Abbatem.

Priuilegium Xenodochij.

GREGORIVS SENATORI PRESBYTERO & Abbati.

QVANDO catholicorum regum corda ad ea quæ pontificalibus ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio diuina præueniente gratia ſuccenduntur, vt ab eis vltro poſcantur; tanto alacri & læto ſunt Lib. xi. epiſt. 10.

animo concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta ſcripta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum regum Brunichildæ, ac nepotis ipſius Theodorici, Xenodochio quod in ciuitate Auguſtodunenſi à Syagrio reuerendæ memoriæ Epiſcopo, & prædicta excellentiſſima filia noſtra regina conſtructum eſt, cui tu præeſſe dinoſceris, huiuſmodi priuilegia præſentis auctoritatis noſtræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus. Statuentes nullum regum, nullum Antiſtitum, nullum quacumque præditum dignitate, vel quemquam alium, de his quæ Xenodochio à ſupraſcriptis præcellentiſſimis filiis noſtris regibus iam donata ſunt, vel in futuro à quibuſlibet aliis de proprio fuerint iure collata, ſub cuiuſlibet cauſæ, occaſioníſve ſpecie minuere vel auferre, ſiue ſuis vſibus applicare, vel aliis quaſi piis cauſis, pro ſuæ auaritiæ excuſatione poſſe concedere: ſed cuncta quæ ibi oblata ſunt, vel offerri contigerit, tam à te, quàm ab eis, qui in tuo officio locóque ſucceſſerint, perenni tempore illibata, & ſine inquietudine aliqua volumus poſſideri. eorum tamen vſibus, pro quorum ſuſtentatione gubernationéque conceſſa ſunt, modis omnibus profutura. Item conſtituimus, vt obeunte Abbate atque presbytero ſupraſcripti Xenodochij atque Monaſterij, non alius ibi quacumque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem Rex eiuſdem prouinciæ, cum conſenſu monachorum, ſecundum timorem Dei elegerit ac prouiderit ordinandum. Hoc quoque capitulo præſenti ſubiungimus, vt locum auaritiæ excludamus; nullum de regibus, nullum de ſacerdotibus, vel quemcumque alium, per ſe ſuppoſitámve perſonam, de ordinatione eiuſdem Abbatis, vel quibuſcumquè cauſis Xenodochio ipſi pertinentibus, audere in auro, ſiue alia qualibet ſpecie, commodi quicquam accipere; neque eundem Abbatem ordinationis ſuæ cauſa dare aliquid præſumere: ne hac occaſione ea quæ à fidelibus piis locis offeruntur, aut iam oblata ſunt, conſumantur. Et quoniam multæ occaſiones in deceptione religioſarum perſonarum à prauis illis, vt dicitur, hominibus exquiruntur, Abbatem atque presbyterum prædicti Xenodochij nullomodo priuandum deponendúmque cenſemus, niſi cauſa ſpecialiter criminis exigente. Vnde neceſſe eſt, vt ſi qua contra eum huiuſmodi querela ſurrexerit, non ſolus Epiſcopus ciuitatis Auguſtodunenſis cauſam examinet, ſed adhibitis ſex aliis Epiſcopis ſuis, ſubtili hoc inueſtigatione perquirat: quatenus cunctis concorditer iudicantibus, canonicæ diſtrictionis cenſura, aut reum punire, aut innocentem poſſit abſoluere. Simili quoque definitione iuxta deſiderium conditorum decernimus, vt nullus eorum qui eidem Xenodochio atque monaſterio Abbas, aut presbyter in poſterum fuerit ordinatus, ad Epiſcopatus officium quacumque obreptione ſit auſus accedere: ne res Xenodochij vel monaſterij iniqua erogatione conſumens, grauiſſimam egeſtatis neceſſitatem pauperibus ac peregrinis, vel ceteris exinde viuentibus generet. Epiſcopum verò tollendi de eodem loco monachum, ad Eccleſiaſticum ordinem promouendum, vel pro aliqua quacumque cauſa, ſine conſenſu Abbatis atque presbyteri habere licentiam prohibemus: ne huius rei vſque ad hoc vſurpatio producatur, vt loca quæ acquiſitione hominum conſtruenda ſunt, ablatione deſtruantur. Hæc igitur omnia, quæ huius præcepti decretíque noſtri pagina continet,

tam tibi, quàm cunctis qui in eo quo es ordine locóque ſucceſſerint, vel eis quorum intereſſe potuerit, in perpetuum ſeruanda decernimus. Si quis verò regum, ſacerdotum, iudicum, perſonarúmque ſæcularium, hanc conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoríſque ſui dignitate careat, reúmque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat. Et niſi vel ea quæ ab illo malè ablata ſunt reſtituerit, vel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit, à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini noſtri redemptoris IESV Chriſti alienus fiat, atque in æterno examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco iuſta ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri IESV Chriſti; quatenus & hîc fructum bonæ actionis recipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. *Menſe Nouembri Indictione* VI.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LX.
Ad Theſſaliam Abbatiſſam.

Priuilegium monaſterij S. Mariæ in vrbe Auguſtodunenſi.

GREGORIVS THESSALIÆ ABBATISSÆ.

QVANDO ad ea, ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio diuina præueniente gratia ſuccenduntur, vt ab eis vltrò poſcantur; tanto ſunt alacri & læto animo concedenda, quanto & ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta ſcripta filiorum noſtrorum precellentiſſimorum regum, Brunichildæ ac nepotis ipſius Theodorici, monaſterio S. Mariæ, vbi ancillarum Dei congregatio eſt conſtituta, in vrbe Auguſtodunenſi, &c. vt ſuprà. Lib. xi. epiſt. xi.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LXI.
Ad Lupponem Abbatem.

Priuilegium Eccleſiæ S. Martini in ſuburbano Auguſtodunenſi.

GREGORIVS LVPPONI PRESBYTERO & Abbati.

QVANDO ad ea, ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus ſunt monitis prouocanda, ita ardenti deſiderio diuina præueniente gratia ſuccenduntur, vt ab eis vltrò poſcantur, tanto ſunt alacri & læto animo concedenda, quanto ea ipſa quæ cupiunt, ſi nollent facere, peti debuerant. Proinde iuxta ſcripta filiorum noſtrorum præcellentiſſimorum regum, Brunichildæ ac nepotis Theodorici, Eccleſiæ S. Martini, quæ in ſuburbano ciuitatis Auguſtodunenſi, &c. vt ſuprâ. Lib. xi. epiſt. xii.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LXII.
Ad Conductores maſſarum per Galliam.

Quòd Arigio Patricio obedire debeant.

GREGORIVS CONDVCTORIBVS MASSARVM per Galliam.

Lib XII. epiſt. 12. QVAMVIS inter medias ſitis turbas gentium conſtituti, tamen ratio nos ipſa ſuſpicari compellit, multum vos ab aliis bona actione diſtare. Sicut enim appellatio S. Petri Apoſtolorum principis familiam Eccleſiæ tantæ multitudini clariorem demonſtrat; ita debetis ceteros morum claritate præcedere, atque eos quibus præeſtis, vt benè agant, vt agnoſcant cui ſeruiunt aſſiduè commonere: vt à rapinis gentium atque prauitatibus abſtineant, & familia Eccleſiæ non ſolùm nomine, ſed meritis honoretur. Nos enim de vobis cognoſcite ſtudioſiſſimè cogitare. Diſpoſuimus enim hominem noſtrum, qui vos poſſit tueri & regere, cum litteris commendatitiis ad excellentiſſimum regem Chriſto auxiliante tranſmittere. Viro ergo glorioſo Arigio Patricio præuidimus vos commendandos, cui interim ſumma benignitate atque obedientia, ſicut beati Petri famulos decet, obedire ſtudete, atque ea quæ pro Eccleſiaſtica vtilitate vobis præcipiuntur implete. Viſum autem nobis eſt, vt conſuetudinaria excepta eius vtilitate debeatis inferre. Penſiones verò fideliter cum omni collectæ diligentia, vt apud vnumquemque veſtrûm, quem communi conſenſu elegeritis, reiaceant; à quo cùm venerit is, quem à latere noſtro tranſmiſerimus, ea poſſit accipere. Non enim ſumus dubij, quòd per eum, qui vobis viſus fuerit, poſſint fideliter conſeruari. Ita ergo in omnibus irreprehenſibiles atque obedientes exiſtite: quatenus veniens ad vos is qui patrimonium ipſum recturus eſt, ſciat quemadmodum vnicuique veſtrûm pro ſua debeat ſtrenuitate rependere.

GREGORII PAPÆ EPISTOLA LXIII.
Ad Aſclepiodotum Patricium.

Commendat ei patrimonium Eccleſiæ Romanæ, & clauim mittit cum reliquiis.

GREGORIVS ASCLEPIODOTO PATRICIO Gallorum.

Lib. XII. epiſt. 17. PRVDENTES viros, ſicut eſtis, regibus adhærere, multorum ſolamen eſt. Nam dum præſtantiorem ſibi locum ad animæ vtilitatem datum intelligunt, certum eſt quia mercedis cauſas, vbi inueniunt, non poſtponunt. Quanto igitur affectu, quantáque deuotione gloria ſe veſtra in cauſis pauperum ſtudio pietatis impenderit, dilectiſſimo filio noſtro Candido preſbytero renuntiante comperimus. Sed quoniam hanc ſibi quodammodo nobilitas legem imponit,

vt debere ſe quod ſponte tribuit æſtimet, & niſi in beneficiis ſuis creuerit, nihil præſtitiſſe ſe reputet; paterna dilectione ſalutantes gloriæ veſtræ ſupraſcriptum presbyterum, & patrimonium Eccleſiæ noſtræ fiducialiter commendamus, vt ope gratiæ veſtræ præmunitum, moleſtias & onera nulla ſuſtineat. Sic igitur boni ſtudij in vobis cura proficiat, vt vtilitates pauperum vobis adnitentibus nutriantur, & ſentiamus quod de caritate veſtra præſumimus. Augete fauoris veſtri præſidia, quia apud nobilium mentes ſemiplenum bonum videtur, quod ſine adiectione relinquitur. Et quoniam ab excellentiſſimis regibus Francorum filiis noſtris popoſcimus, vt ipſum patrimoniolum ſub cura habere dignentur, vobis adminiculantibus impleatur, vt veſtrum poſſit eſſe quod poſcimus: quatenus & nos gratias referentes pro gloriæ veſtræ incolumitate orare enixiùs valeamus, & veſtrorum bonorum viciſſitudinem Deus vobis omnipotens, & hîc & in futuro recompenſet. Clauim verò à ſacratiſſimo B. Petri corpore, in qua de catenis eius benedictio continetur, tranſmiſimus, quæ collo veſtro ſuſpenſa contra omnia aduerſa vos muniat.

ANNO CHRISTI 603. — CLOTARII II. REGIS 19.

CONCILIVM CABILONENSE.

IN QVO S. DESIDERIVS EPISCOPVS VIENnenſis, Brunechilde regina inſtigante, exauctoratus eſt, anno Chriſti DCIII. Gregorij magni Papæ XIV. Theodorici regis VIII. Clotarij iunioris XIX.

BRVNICHILDIS *impios mores multi eo ſæculo viri ſancti liberiùs arguebant: inter ceteros, vt Ado in Chronico teſtatur, Deſiderius Epiſcopus Viennenſis. Quem illa capitali exinde proſequens odio, primùm exilio relegandum, tum deinde poſt aliquot annos perimendum curauit. Sed ante omnia, vt fraudem tegeret, id egit, vt Epiſcopali honore in Synodo Cabillonenſi ſpoliaretur. Synodo enim præfuit Aridius Lugdunenſis Antiſtes, Brunichildis aduerſus Deſiderium conſiliorum particeps & adiutor. Fredegarius in Appendice ad Gregorium Turon.* Anno VIII. regni Theodorici Synodus Cabillono colligitur. Deſiderium Viennenſem Epiſcopum deiiciunt: & inſtigante Aridio Lugdunenſi Epiſcopo, & Brunichilde, ſubrogatus eſt loco ipſius ſacerdotali officio Domnolus. Deſiderius verò in inſulam quandam exilio retruditur. *Et poſt alia.* Anno XII. Theodoricus conſilio Aridij Epiſcopi Lugdunenſis, & perſuaſione Brunichildis auiæ, Deſiderium ſanctum de exilio egreſſum lapidari præcepit.

ANNO CHRISTI 614. — CLOTARII II. REGIS 30.

DEVSDEDIT PAPA.

CONCILIVM PARISIENSE V.

CLOTARII II. FRANCORVM REGIS euocatione celebratum, ſub die XV. Kalendas Nouembris, anno Chriſti DCXV. Deuſdedit Papæ primo, Clotarij eiuſdem regis XXXI.

Nunc primùm in lucem editum ex codice Eccleſiæ Remenſis.

TITVLI CANONVM.

1. De Epiſcoporum electionibus iuxta canones obſeruandis.
2. Vt Epiſcopo ſuperſtite nullus illi ſubrogetur.
3. Vt clerici contra Epiſcopos ſuos potentiorum patrocinia non quærant.
4. Vt clerici à iudice ſæculari abſque Epiſcopi conſenſu non diſtringantur.
5. Vt liberti ab Epiſcopis defenſentur.
6. Vt non ſubducantur quæ ad ſarta tecta Eccleſiis fuerint delegata.
7. Vt defuncti Epiſcopi, aut clerici cuiuſcumque res ante cognitum teſtamentum contingere nemo præſumat.
8. Vt quæ Abbates, aut presbyteri morientes relinquunt, ab Epiſcopo vel Archidiacono non vſurpentur, ſed in eo loco maneant, vbi relicta ſunt.
9. Vt nemo alterius Epiſcopi, vel Eccleſiæ res competere, aut peruadere audeat.
10. Vt ratæ ſint donationes Epiſcoporum, & clericorum, Eccleſiæ vel aliis factæ.
11. Vt Epiſcopus cum Epiſcopo controuerſiam habens non ad iudicem publicum, ſed ad Metropolitani ſui iudicium recurrat.
12. De monachis & monialibus vagis ad ſepta monaſterij per Epiſcopos reuocandis.
13. De viduis & puellis, quæ reiecto religionis habitu nuptias ineunt, excommunicandis.
14. De inceſtis coniunctionibus diſſoluendis.
15. Vt nullus Iudæorum publicam actionem vllam ſuper Chriſtianos exerceat, aut ab Epiſcopo cũ omni familia ſua baptizetur.

PRÆFATIO.

CVM in Dei nomine ſecundum priſcorum ſanctorum patrum conſtitutionem in vrbe Pariſius ex euocatione glorioſiſſimi principis domni Chlotacharij regis in Synodali Concilio conueniſſemus, tam pro renouandis antiquorum canonum ſtatutis, quæ præſentis temporis neceſſarium facit opportunitas iterari, quàm his quæ ad ſurgentes vndecumque querelarum materias recentis definitionis ordo popoſcit inſtitui, tractantes quid principis, quid ſaluti populi vtilius competeret, vel quid Eccleſiaſticus ordo ſalubriter obſeruaret.

CANONES.

I. *De Epiſcoporum electionibus iuxta canones obſeruandis.*

Primo in loco vt canonum inſtituta ab omnibus conſeruentur, & quod per priora temporum ſpatia præceptum eſt, vel deinceps perpetualiter obſeruetur. Hoc eſt, vt decedente Epiſcopo, in loco ipſius ille Chriſto propitio debeat ordinari, quem Metropolitanus, à quo ordinandus eſt, cum prouincialibus ſuis, clerus vel populus ciuitatis, abſque vllo commodo vel datione pecuniæ elegerint. Quòd ſi aliter aut poteſtate ſubrepat, aut quacumque negligentia abſque electione Metropolitani, cleri conſenſu vel ciuium, fuerit in Eccleſia intromiſſus, ordinatio ipſius ſecundum ſtatuta patrum irrita habeatur.

II. *Vt Epiſcopo ſuperſtite nullus illi ſubrogetur.*

Vt nullus Epiſcoporum ſe viuente alium in loco ſuo eligat; nec qualiſcumque perſona illo ſuperſtite locum ipſius ſub quocumque argumento vel ingenio adoptare præſumat, nec à quoquam debeat ordinari; niſi certæ conditiones extiterint, vt Eccleſiam ſuam & clerum regere non poſſit.

III. *Vt clerici contra Epiſcopos ſuos potentiorum patrocinia non quærant.*

Vt ſi quis clericus quolibet honore munitus, contempto Epiſcopo ſuo, ad principem, vel ad potentiores homines, vel vbi & vbi ambularit, vel ſibi patronos elegerit, non recipiatur, præter vt veniam debeat promereri. Quòd ſi fecerit, qui ipſum poſt admonitionem pontificis ſui retinere præſumpſerit, nouerint ſe vtrumque priorum canonum ſententiâ damnandos.

IV. *Vt clerici à iudice ſæculari abſque Epiſcopi conſenſu non diſtringantur.*

Vt nullus iudicum neque presbyterum, neque diaconum, vel clericum vllum, aut iuniores Eccleſiæ ſine ſcientia pontificis per ſe diſtringat, aut damnare præſumat. Quòd ſi fecerit, ab Eccleſia, cui iniuriam irrogare dinoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quamdiu reatum ſuum corrigat & emendet. Capitular. Lib. VI. c. 154. Addit. IV. c. 62.

V. *Vt liberti ab Epiſcopis defenſentur.*

Liberti quorumcumque ingenuorum à ſacerdotibus defenſentur, nec ad publicum vlteriùs reuocentur. Quòd ſi quis auſu temerario eos impremere voluerit, aut ad publicum reuocare, & admonitus per pontificem ad audientiam venire neglexerit, aut emendare quod perpetrauit, diſtulerit, communione priuetur. Addit. IV. c. 63.

VI. *Vt non ſubducantur quæ ad ſarta tecta Eccleſiis fuerint delegata.*

Addit. iv. cap. 61.

Quæcumque pro ſartis tectis Eccleſiis fuerint delegata, in poteſtate pontifices, preſbyteri, vel ſeruientes ſanctorum locorum, ſecundum voluntatem conferentis, ad ſe debeant reuocare. Quòd ſi aliquid exinde quicumque abſtulerit, nouerit ſe ab Eccleſia ſequeſtratum, quo ad vſque ea quæ abſtulit ſtuduerit reformare.

VII. *Vt defuncti Epiſcopi, aut clerici cuiuſcumque res, ante cognitum teſtamentum, nemo contingere præſumat.*

His etiam conſtitutionibus adnecti placuit, vt defuncto Epiſcopo, preſbytero, vel diacono, vel quoquam iunioris ordinis clerico, non per præceptum, neque per iudicem, nec per qualemcumque perſonam, res Eccleſiæ ve' eorum propriæ, quouſque aut teſtamentum, aut qualemcumque obligationem fecerit, cognoſcatur, à nullo penitus ſupraſcriptæ res contingantur; ſed ab Archidiacono, vel clero in omnibus defenſentur & conſeruentur. Quòd ſi quis immemor definitionis huius temere aliquid exinde auferre præſumpſerit, aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus fuerit, & de dominatione Eccleſiæ abſtulerit, vt necator pauperum communione priuetur.

VIII. *Vt ea quæ Abbates, aut presbyteri morientes relinquunt, ab Epiſcopo, vel Archidiacono non vſurpentur, ſed in eo loco maneant, vbi relicta ſunt.*

Comperimus denique, cupiditatis inſtinctu, deficiente Abbate, preſbytero, vel his qui per titulos deſeruiunt, præſidium quodcumque in mortis tempore dereliquerint, ab Epiſcopo vel Archidiacono diripi, & quaſi ſub augmentum Eccleſiæ vel Epiſcopi, in vſum Eccleſiæ reuocari, & Eccleſiam Dei per prauas cupiditates exſpoliatam relinqui. Statuimus obſeruandum, vt neque Epiſcopus, aut Archidiaconus exinde aliquid auferre præſumat: ſed in loco vbi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat permanere.*

IX. *Vt nemo alterius Epiſcopi vel Eccleſiæ res competere, aut peruadere audeat.*

Id etiamnum adiungi cenſuimus,* vt neque Epiſcopus clericorum vel ſæcularium cuiuſcumque alterius Epiſcopi, ſeu Eccleſiæ, ſeu priuatas res, aut regnorum defenſionem, aut prouinciarum ſequeſtrationem competere, aut peruadere audeat, aut quacumque acceptatione, aut peruaſione poſſidere, aut retinere præſumat. Quòd ſi quis hoc facere tentauerit, tam diu ſit ab omnium caritate ſuſpenſus, vel à communionis gratia ſequeſtratus, quouſque res ablatas cum fructuum ſatisfactione reſtituat.

X. *Vt*

X. *Vt rata ſint donationes Epiſcoporum & clericorum, Eccleſiæ vel aliis factæ.*

Et quia multæ tergiuerſationes infidelium Eccleſiam Dei quærunt conlatis priuare donariis, ſecundum conſtitutionem præcedentium pontificum id conuenit inuiolabiliter obſeruari, vt teſtamenta quæ Epiſcopi, preſbyteri, ſeu inferioris ordinis clerici, vel donationes, aut quæcumque inſtrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid Eccleſiæ, aut quibuſcumque perſonis conferre videantur, omni ſtabilitate ſubſiſtāt. Specialiter ſtatuentes, vt etiamſi quorumcumque religioſorum voluntas, aut neceſſitate, aut ſimplicitate faciente, aliquid à legum ſæcularium ordine viſa fuerit diſcrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconuulſa manere, & in omnibus, Deo auſpice, cuſtodiri. De quibus rebus ſi quis animæ ſuæ contemptor aliquid alienare præſumpſerit, vſque ad emendationis ſuæ, vel reſtitutionis rei ablatæ tempus, à conſortio Eccleſiaſtico, vel à Chriſtianorum conuiuio habeatur alienus. Conc. Lugdunenſe II. c. 1.

XI. *Vt Epiſcopus cum Epiſcopo controuerſiam habens, non ad iudicem publicum, ſed ad Metropolitani ſui iudicium recurrat.*

Placuit etiam, ſecundum conſtitutionem anteriorem, vt ſi quis Epiſcoporum cum coepiſcopo ſuo quodcumque negotium exequi voluerit, ad iudicium Metropolitani ſui recurrat. Quòd ſi ſpreto Metropolitano, vel reliquis comprouincialibus, iudicem publicum adierit, tamdiu à caritate Metropolitani habeatur extraneus, quamdiu in proxima Synodo coram fratribus facti huius debeat reddere rationem.

XII. *De monachis & monialibus vagis ad ſepta monaſterij per Epiſcopos reuocandis.*

Illud etiam vnanimi conſenſu conuenit, quòd ſi quis monachus, aut monacha, in congregatione poſiti religioſam conuerſationem elegerint, & poſtea aut ad parentes, aut ad propriam quamcumque ſubſtantiam ſe de congregatione ipſa ſubtraxerint, & ab Epiſcopo ſuo per epiſtolam admoniti ad ſepta monaſterij ſui redire diſtulerint, ſint vſque ad exitum vitæ à communione ſuſpenſi: nec priùs ad Euchariſtiæ gratiam admittantur, quàm ad ouile ſuum, de quo ſe vagationis inſolentia viſi ſunt ſubtraxiſſe, cum humillimæ ſupplicationis debeant ſatiſfactione reuerti. Capitular. lib. VII c. 256.

XIII. *De viduis & puellis, quæ abiecto religionis habitu nuptias ineunt, excommunicandis.*

De viduabus & puellis, quæ ſibi veſtes in habitu religionis in domibus propriis, tam à parentibus, quàm per ſeipſas mutauerint, & ſe Capitular. lib. VII. c. 257.

poſtea contra ſtatuta patrum, vel præcepta canonum, coniugio crediderint copulandas, tamdiu vtrique habeantur à communione ſuſpenſi, quouſque quod inlicitè perpetrauerunt emendent; aut ſi emendare neglexerint, à communione Eccleſiaſtica, vel omnium Chriſtianorum conuiuio in perpetuum ſint ſequeſtrati.

XIV. *De inceſtis coniunctionibus diſſoluendis.*

Inceſtas verò coniunctiones ab omni Chriſtianorum populo cenſuimus ſpecialiter reſecari: ita vt ſi quis relictam fratris, ſororem vxoris, priuignam, conſobrinam, ſobrinam, vel relictam item patrui atque auunculi, vel in religionis habitu deditam, coniugij crediderit conſortio violandam, tamdiu à communionis gratia ſegregetur, quamdiu ab illicitis coniunctionibus ſequeſtratione maniſeſtiſſima debeat abſtinere.

XV. *Vt nullus Iudæorum publicam actionem vllam ſuper Chriſtianos exerceat, aut ab Epiſcopo cum omni familia ſua baptizetur.*

Vt nullus Iudæorum qualemcumque militiam, aut actionem publicam ſuper Chriſtianos, aut petere à principe, aut agere præſumat. Quòd ſi tentauerit, ab Epiſcopo ciuitatis illius, vbi actionem contra canonum ſtatuta competiit, cum omni familia ſua baptizandi gratiam conſequatur.

Huic Synodo ſubſcripſerunt Epiſcopi numero LXXIX.

EDICTVM CLOTARII II. REGIS IN SYNODO SVPRASCRIPTA.

EDICTVM VEL CONSTITVTIO INCLYTI Principis Chlotacharij regis ſuper omnem plebem in conuentu Epiſcoporum in Synodo Pariſius adunata, ſub die quintodecimo Kal. Nouembris, anno XXXI. ſupraſcripti regis imperij.

FELICITATEM regni noſtri in hoc magis magíſque diuino intercedente ſuffragio ſuccreſcere non dubium eſt, ſi quæ in regno Deo propitio noſtro bene acta, ſtatuta, atque decreta ſunt, inuiolabiliter noſtro ſtuduerimus tempore cuſtodire; & quæ contra rationis ordinem acta vel ordinata ſunt, ne in antea, quod auertat diuinitas, contingant, diſpoſuerimus Chriſto præſule per huius Edicti noſtri tenorem generaliter emendare. Ideóque definitionis noſtræ eſt, vt canonum ſtatuta in omnibus conſeruentur; & quod per tempora ex

hoc prætermiſſum eſt, vel dehinc perpetualiter obſeruetur. Ita vt Epiſcopo decedente in loco ipſius qui à Metropolitano ordinari debet cum prouincialibus à clero & populo eligatur, & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinetur : vel certè ſi de palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur. Vt nullus Epiſcoporum ſe viuente eligat ſucceſſorem : ſed tunc alius ei ſubſtituatur, cùm taliter afficeretur, vt Eccleſiam ſuam nec clerum regere poſſit. Itemque vt nullus viuente Epiſcopo adoptare locum eius præſumat : quòd ſi petierit, ei minimè tribuatur. Si quis clericus, quolibet honore munitus, contempto Epiſcopo ſuo, vel prætermiſſo, ad principem, aut ad potentiores quaſque perſonas ambulare, vel ſibi patrocinium elegerit expetendum, non recipiatur, præter ſi pro venia videtur expetere. Et ſi pro qualibet cauſa principem expetierit, & cum ipſius principis epiſtola ad Epiſcopum ſuum fuerit reuerſus, excuſatus recipiatur. Is qui ipſum poſt admonitionem pontificis ſui retinere præſumpſerit, ſancta communione priuetur. Vt nullus iudicum de quolibet ordine clericos de ciuilibus cauſis, præter criminalia negotia, per ſe diſtringere aut damnare præſumat, niſi conuincitur manifeſtus, excepto preſbytero aut diacono. Qui verò conuicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones diſtringantur, & cum pontificibus examinentur. Quòd ſi cauſa inter perſonam publicam, & homines Eccleſiæ ſteterit, pariter ab vtraque parte præpoſiti Eccleſiarum, & iudex publicus, in audientia publica poſiti ea debeant iudicare. Cuicumque defuncto, ſi inteſtatus deceſſerit, propinqui abſque contrarietate iudicum in eius facultate iuxta legem ſuccedant. Libertos cuiuſcumque ingenuorum à ſacerdotibus iuxta textus chartarum ingenuitatis ſuæ defenſandos, nec abſque præſentia Epiſcopi, aut præpoſiti Eccleſiæ eſſe iudicandos, vel ad publicum reuocandos. Vt vbicumque cenſus nouus impiè additus eſt, & à populo reclamatur, iuſta inquiſitione miſericorditer emendetur. De teloneo vt per ea loca debeat exigi, vel de ſpeciebus ipſis, de quibus præcedentium principum tempore, id eſt vſque ad tranſitum bonæ memoriæ domnorum parentum noſtrorum Gunthramni, Chilperici, Sigeberti regum eſt exactum. Iudæi ſuper Chriſtianos actiones publicas agere non debeant. Quare qui ſe quæſtuoſo ordini ſociare præſumpſerit, ſeueriſſimam legem ex canonica incurrat ſententia. Vt pax & diſciplina in regno noſtro ſit Chriſto propitiante perpetua, rebellio vel inſolentia malorum hominum ſeueriſſimè reprimatur. Vt nullus Iudex de aliis prouinciis, aut regionibus in alia loca ordinetur ; vt ſi aliquid mali de quibuſlibet conditionibus perpetrauerit, de ſuis propriis rebus exinde quod malè abſtulerit iuxta legis ordinem debeat reſtituere. Præceptiones noſtræ per omnia impleantur, &c. *deſunt reliqua huius capitis, cum duobus ſequentibus.* Quicquid parentes noſtri anteriores principes, vel nos per iuſtitiam viſi ſumus conceſſiſſe & confirmaſſe, in omnibus debeat confirmari. Et quæ vnus de fidelibus ac leodibus, ſuam fidem ſeruando domino legitimo, interregno faciente viſus eſt perdidiſſe, generaliter abſque aliquo incommodo de rebus ſibi iuſtè debitis præcepimus reueſtiri. Puellas & viduas religioſas, aut ſanctimoniales, quæ

ſe Deo vouerunt, tam quæ in proptiis domibus reſident, quàm quæ in monaſteriis poſitæ ſunt, nullus nec per præceprum noſtrum competat, nec trahere, nec ſibi in coniugio ſociare penitus præſumat. Et ſi quis exinde præceptum elicuerit, nullum ſortiatur effectum. Er ſi quicumque aut per virturem, aut per quemliber ordinem ipſas detrahere, aut ſibi in coniugium præſumpſerit ſociare, capitali ſententia feriatur. Et ſi in Eccleſia coniugium fecerint, & illa rapta aut rapienda in hoc conſenſiſſe videbitur, ſequeſtrati ab inuicem in exilio deportentur, & facultates eorum propinquis heredibus ſocientur. Epiſcopi verò, vel potentes, qui in aliis poſſident regionibus, iudices vel miſſos diſcuſſores de aliis prouinciis non inſtituant, niſi de loco, qui iuſtitiam percipiant & aliis reddant. Agentes igitur Epiſcoporum, aut potentum per poteſtarem nullius rei collecta ſolatia nec auferant, nec cuiuſcumque contemptum per ſe facere non præſumant. Porcarij fiſcales in ſiluas Eccleſiarum, aut priuatorum abſque voluntate poſſeſſoris in ſiluas eorum ingredi non præſumant: neque ingenuus, neque ſeruus, qui cum furto non deprehenditur ab iudicibus, aut ad quemcumque interfici non debeat inauditus. Et quandoquidem paſtio non fuerit, vnde porci debeant ſaginari, cellarinſis in publico non exigatur. Quicumque verò hanc deliberationem, quam cum pontificibus, vel tam magnis viris optimatibus, aut fidelibus noſtris in Synodali Concilio inſtituimus, temerare præſumpſerit, in ipſum capitali ſententia iudicetur, qualiter alij non debeant ſimilia perpetrare. Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valiturum manus noſtræ ſubſcriptionibus decreuimus roborandum. Hamingus. Chlotacharius in Chriſti nomine Rex hanc definitionem ſubſcripſi. Data ſub die xv. Kalendas Nouembris, anno xxxi. regni noſtri, Pariſius.

Anno Christi 626. — Clotarii II. Regis 42.

HONORIVS PAPA.

CONCILIVM
MATISCONENSE.

IN QVO REGVLA B. COLVMBANI AB AGRESTINI calumniis per Euſtaſium Abbatem defenſa, atque approbata eſt, anno Chriſti DCXXVII. Honorij Papæ II. Clotarij iunioris regis XLIII.

SYNODI *occaſio fuit Agreſtinus, ex Theodorici quondam regis notario monachus Luxouienſis: qui poſt alia, quibus innotuerat, praui & arrogantis ingenij argumenta, aduerſus S. Columbani regulam, velut inanem ac ſuperſtitioſam, obtrectare cœpit: donec in Synodo Clotarij regis iuſſu Matiſcone congregata, per Euſtaſium Abbatem repreſſus cum ſuis atque retuſus eſt. Quæ fuſius à Iona monacho narrantur in vita Euſtaſij eiuſdem Abbatis Luxouienſis:* Tandem, *inquit*, aduerſus regulam B. Columbani liuido dente garrire cœpit Agreſtinus, ac velut cænoſa ſus grunniens per quoſcumque potuit parilitatis ſuæ ſimiles abominabile murmur excitauit, annuente ſibi Appellino Genauenſis vrbis Epiſcopo, qui ei conſanguinitate proximus erat. Hic denique Appellinus vicinos Epiſcopos ſingulatim ſibi iungere in auxilium Agreſtini niſus eſt omni ſtudio, ita vt regem Clotarium tentaret, ſi ſuæ partis aſſentator fieri voluiſſet. At ille ſciens, & experimento cognitam habens beati Columbani ſanctitatem, & diſcipulorum eius doctrinam, poſtquam diu redarguere tentauit grunnientis hæretici ſectam, nec præualere potuit aduerſus eam, ſtatuit vt Synodali examinatione probaretur, non ambigens de auctoritate venerabilis viri Euſtaſij, quin omnes aduerſantes ſanctæ regulæ ſua prudentia ſuperaret. Tunc emanante regali auctoritate multi iam Burgundiæ Epiſcopi in ſuburbio Matiſconenſis vrbis conueniunt: inter quos maximus hæreticorum Vvarnacharius quidam, dum & ipſe fieri vellet aſſentator Agreſtinianæ partis, ipſo die quando aduerſus Euſtaſium altercatio futura erat, morte præuentus interiit. Sed nec eo terrore turbati ceteri confautores aduerſæ partis, qui conuenerant, deductum in medium Agreſtinum depromere cogunt, quid contra regulam Columbani vel Euſtaſij obiiciendum haberet. Tum ille trementibus labiis aſſiſtens, & nihil auctoritatis vel elucubrati eloquij habens, ait ſuperflua quædam, & canonicæ inſtitutioni contraria in eorum ſtudiis teneri. Cochleam videlicet, quam lamberent, crucis ſigno crebrò ſignari, & in ingreſſu cuiuſlibet domus intra cœnobium, tam introeuntem, quàm egredientem benedictionem poſtulare. Columbanum etiam à ceterorum Eccleſiaſticorum more deſciſcere, & ſacra Miſſarum ſolemnia multiplicatione orationum vel collectarum celebrare. Auditis huiuſmodi obiectionibus, beatus Euſtaſius conuerſus ad ſuæ partis Epiſcopos dixit: Vos, ô decus ſacerdotij, probare debetis, qui in Eccleſiis veritatis ac iuſtitiæ ſeminarium diſtribuant, & qui veritati

ac religioni aliena radant. Quicquid enim à norma veri tramitis diſcrepit, extra Eccleſiæ corpus ſegregari debet. Veſtrum eſt diſcernere obiecta an ſint à ſcripturarum ſerie aliena. Agreſtinus ait: Tuo ore nobis edicito. noſſe enim à te volumus, quod dignum ſuper hoc reſponſum reddas. Sanctus Euſtaſius reſpondit: Nequaquam, ait, reor contrarium eſſe religioni, ſi cochleam, quam Chriſtianus lambit, vel quodcumque vas, aut poculum crucis ſigno munit, cùm per aduentum ſigni dominici pellatur peſtis aduerſantis inimici. Introeuntem verò monachum cellulam, vel exeuntem, benedictione Domini armari, ratum duco iuxta Pſalmiſtæ vocem: Pſal. 120.7.8. *Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & vſque in ſæculum.* Licet enim hoc ad vnumquemque Chriſtianum referatur, vt gratia baptiſmi per fidem in Eccleſia ſeruetur, in eo videlicet, qui ad eam ingreditur, & vſque ad finem perſeuerantiæ vigore firmetur: de quotidiano tamen motu, ſiue ingreſſu, vel egreſſu, ſeu progreſſu vnumquemque noſtrûm ſigno crucis armari, vel benedictione ſodalium fas duco roborari. Multiplicationem verò orationum in ſacris officiis credo omnibus proficere Eccleſiis: quia dum plus Dominus quæritur, plus inuenitur, & cùm vberiùs oratione pulſatur, eo citiùs exaudire probatur. Nihil enim ampliùs deſiderare debemus, quàm orationi incumbere, ſicut Dominus ſub Apoſtolorum numero Matth. 26.41. hortatur: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Sic & Apoſtolus 1. Theſſ. 5.17. nos ſine intermiſſione iubet orare: ſic omnis Scriptura ſacra hortatur nos ad Dominum ſine ceſſatione clamare. Nihil equidem tam vtile, tamque ſalutare, quàm creatorem multiplicatione precum, & aſſiduitate orationum pulſare. His & horum ſimilibus reſponſis confuſus Agreſtinus addit garrulitatis noxam. Calumniatur capitis comam ineptè præcidi, & ab omnium hominum more deſciſci. Euſtaſius autem, vt erat virtute patientiæ & ſcientiæ comptus: In præſentia, ait, omnium horum qui præſto ſunt ſacerdotum, ego eius diſcipulus & ſucceſſor, cuius tu diſciplinam & inſtituta damnas, te ad diuinum iudicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſaturum inuito, vt iuſti iudicis examine ſentias cuius famulum tuis detractionibus maculare procures. His dictis metus quoſdam eorum, qui Agreſtinianæ partis fautores erant perculit: hortantúrque omnes, vt pacis nexu corda iungerent, & vt iſte temeritatis audaciam tolleret, & ille paterno affectu labentem piis correptionibus foueret. Ad hæc Euſtaſius: Veſtris, inquit, libens ſatisfacerem precibus, ſi miſera mens duritiam væcordiæ molliret, & correctis cauterio morbis, vel antidoto viſceribus defectis, redux ad ſalutifera monita remeare nitatur. Cogentibus verò cunctis, Agreſtinus ſimulatam pacem poſtulat, quod poſtea actibus deprompſit. Euſtaſius verò mitis animi ſuaſione flexus poſcentium pacem tribuit, & pacis oſculum illi porrexit.

CONCILIVM REMENSE

SONNATII REMENSIS EPISCOPI TEMPORIbus celebratum, circa annum Chriſti DCXXX. id eſt Honorij Papæ V. Dagoberti regis II.

TITVLI CANONVM.

1. De rebus Eccleſiæ quæ per precariam impetrantur.
2. De clericis contra Epiſcopum conſpirantibus.
3. Vt canones Synodi Pariſiacæ obſeruentur.
4. Vt hæretici ſi qui ſint inquirantur, & ad fidem reuocentur.
5. Vt temere nullus excõmunicetur: & qui ſe iniuſtè damnatos putant, ad Synodum recurrant.
6. Vt clerici à Iudice publico non diſtringantur. & qui publico cenſu tenentur, religioſi, ſeu clerici non fiant ſine permiſſu.
7. De ijs qui ad Eccleſias confugiunt defenſandis: ſic tamen, vt libertatem niſi promiſſa pœnitentia non accipiant.
8. De inceſtis coniunctionibus, & pœnis eorum qui his ſe coniungunt.
9. De eo qui homicidium ſponte commiſit.
10. De ijs qui ſuas vel parentum oblationes Eccleſiæ ſubtrahunt.
11. Vt Chriſtiana mancipia, niſi Chriſtianis, non vendantur. & de Iudæis.
12. Vt clericus peregrinus, ſine Epiſcopi ſui literis non recipiatur.
13. Vt Epiſcopus mancipia, aut res Eccleſiæ non alienet.
14. De ijs qui auguria, & paganorum ritus imitantur.
15. Quales ad accuſandum admitti non debeant.
16. Vt defuncto Epiſcopo res Eccleſiæ, ante reſerationem teſtamenti, vel audientiam nemo contingat.
17. Ne quis ingenuum vel liberum ad ſeruitutem inclinet.
18. Vt clerici abſque Epiſcopi permiſſu pro ſuis vel Eccleſiæ cauſis forum non adeant.
19. Vt Archipresbyteri in parochiis laici non ſint, ſed clerici ordinentur.
20. Vt quæ ab extraneis Epiſcopo donantur, inter Eccleſiæ facultates computentur.
21. Vt Epiſcopi aliarum Eccleſiarum res ſine audientia vſurpare non præſumant.
22. Vt Epiſcopus vaſa Eccleſiæ, niſi ad redimendos captiuos, non frangat.
23. Vt viduas, & puellas conſecratas, nullus quacumque auctoritate rapere audeat.
24. De obſeruando edicto Dominico, quod Pariſiis factum eſt.
25. De Epiſcoporum electionibus cõmuni omnium ſuffragio peragendis: & vt indigenæ loci eligantur.

Nomina Epiſcoporum qui Concilio interfuerunt.

Ex Flodoardo lib. II. Hiſtoriarum Eccl. Remenſis cap. V.

ROMVLFVM in Epiſcopatu Remenſi ſecutus eſt Sonnatius, qui Synodum celebraſſe reperitur cum aliis quadraginta, vel eo amplius Galliarum Epiſcopis: vbi etiam ſanctus Arnulfus Metenſium Præſul inuenitur interfuiſſe, cum Theodorico Lugdunenſi, Sindulfo Viennenſi, Sulpitio Bituricenſi, Modegiſilo Turonenſi,

Senoco Eloſanenſi, Leontio Santonenſi, Modoaldo Treuerenſi, Cuneberto Colonienſi, Richerio Senonenſi, Donato Veſontionenſi, Auſpicio Auguſtodunenſi, item Modoaldo Lingonenſi, Ragneberto Baiocenſi, Childoaldo Abrincatenſi, Bertegiſilo Carnotenſi, Palladio Autiſiodorenſi, Gondoaldo Meldenſi, Leudeberto Pariſiacenſi, Chainoaldo Lauduni Clauati, Godone Vitdunenſi, Anſerico Sueſſionẽſi, Claudio Reienſi, Bertoaldo Cameracenſi, Agomaro Siluanectenſi, Cæſario Aruernenſi, Vero Rutenenſi, Agricola Gabalenſi, Lupoaldo Moguntiacenſi, Vvillegiſelo Toloſano, Conſtantio Albienſi, Namatio Ecoleſmenſi, Ruſtico Caturcenſi, Auderico Auſcenſi, Emmone Areſetenſi, Felice Catalaunenſi, Hadoindo Cenomanenſi, Magnebodo Andegauenſi, Ioanne Pictauenſi, Leobardo Namnetico. In qua Synodo multa leguntur vtilia conſtituta.

CANONES,

Seu canonum excerpta, vt à Flodoardo commemorantur.

I. *De rebus Eccleſiæ, quæ per precariam impetrantur.*

De rebus Eccleſiæ, qualiter tractandæ ſint: & de his quæ per precatoriam impetrantur ab Eccleſia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vſurpentur, & Eccleſiæ defraudentur.

II. *De clericis contra Epiſcopum conſpirantibus.*

De clericis, ſi qui rebellionis cauſa ſacramentis ſe, aut ſcripturæ coniuratione conſtrinxerint, atque inſidias Epiſcopo ſuo callida allegatione confecerint; vt ſi admoniti emendare contempſerint, gradu proprio omnino priuentur.

III. *Vt canones Synodi Pariſiacæ obſeruentur.*

Vt capitula canonum Pariſiis acta in generali Synodo, in baſilica ſancti Petri Clotarij regis ſtudio congregata, omni firmitate cuſtodiantur.

IV. *Vt hæretici ſi qui ſint inquirantur, & ad fidem reuocentur.*

Vt ſi qui hæretici adhuc eſſe ſuſpicantur in Galliis, à paſtoribus Eccleſiarum perquirantur, & ſi veraciter fuerint inuenti, ad fidem catholicam reuocentur.

V. *Vt temere nullus excommunicetur: & qui ſe iniuſtè damnatos putant, ad Synodum recurrant.*

Vt temere nullus excommunicetur: & ſi excommunicatus exiſtimat ſe iniuſtè damnatum, in proxima Synodo habeat licentiam reclamandi: & ſi iniuſtè damnatus fuerit, abſoluatur; ſin autem iuſtè, impoſitum pœnitentiæ tempus exſoluat.

VI. Vt

VI. *Vt clerici à Iudice publico non diſtringantur: & qui publico cenſu tenentur, religioſi ſeu clerici ſine permiſſu non fiant.*

Vt ſi quis Iudex cuiuſlibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare præſumpſerit, aut pro quibuſlibet cauſis abſque conſcientia & permiſſu Epiſcopi diſtringere, aut contumeliis vel iniuriis afficere præſumpſerit, communione priuetur. Epiſcopus tamen de reputatis conditionibus clericorum negligentias emendare non tardet. Hi verò quos publicus cenſus ſpectat, ſine permiſſu Principis vel Iudicis ſe ad religionem ſociare non audeant. Capitular. Lib. VI. c. 162.

VII. *De iis qui ad Eccleſias confugiunt defenſandi; ſic tamen vt libertatem niſi promiſſa pœnitentia non accipiant.*

Si quis fugitiuum ab Eccleſia, abſque ſacramento, quo ei iurandum eſt, vt de vita, tormento, & truncatione ſecurus exeat, qualicumque occaſione abſtraxerit, communione priuetur. Similiter ſi quis ius ſacramenti præſtitum violauerit, communione priuetur. Ille verò qui ſanctæ Eccleſiæ beneficio liberatur à morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quàm pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat, & quod ipſi canonicè imponetur impleturum.

VIII. *De inceſtis coniunctionibus, & pœnis eorum qui his ſe coniungunt.*

De inceſtis coniunctionibus. ſi quis infrà præſcriptum canonibus gradum inceſtuoſo ordine cum his perſonis, quibus à diuinis regulis prohibetur, ſe coniunxerit, niſi pœnitentiam ſequeſtratione teſtentur, communione priuentur; & neque in palatio militiam, neque agendarum cauſarum licentiam habeant. Et quando prædicti ſe inceſtuoſi coniunxerint, Epiſcopi ſeu preſbyteri, in quorum diœceſi vel pago actum fuerit, regi vel iudicibus ſcelus perpetratum annuntient; vt cùm ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione, aut cohabitatione ſequeſtrent, & res eorum ad proprios parentes perueniant, ſub ea conditione, vt antequam ſequeſtrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam, ad proprias perueniant facultates, niſi præfati ſceleris ſeparatione pœnitentiam fateantur. Lib. VI. c. 308. Capitular.

IX. *De eo qui homicidium ſponte commiſit.*

Si quis homicidium ſponte commiſerit, & non violentiæ reſiſtens, ſed vim faciens impetu hoc fecerit, cum iſto penitus non communicandum: ſic tamen vt ſi pœnitentiam egerit, in exitu ei communionis viaticum non negetur.

Digitized by Google

X. *De iis qui ſuas vel parentum oblationes Eccleſiæ ſubtrahunt.*

Conc Agathenſe c.4.

Clerici etiam vel ſæculares, qui oblationes parentum, aut donatas, aut teſtamento relictas retinere præſumpſerint, aut id quod ipſi donauerint Eccleſiis, aut monaſteriis crediderint auferendum, ſicut antè Synodus ſancta conſtituit, velut necatores pauperum, quouſque reddant, ab Eccleſiis excludantur.

XI. *Vt Chriſtiana mancipia, niſi Chriſtianis, non vendantur. & de Iudæis.*

Vt Chriſtiani Iudæis vel gentilibus non vendantur. & ſi quis Chriſtianorum neceſſitate cogente mancipia ſua Chriſtiana elegerit venundanda, non aliis niſi tantùm Chriſtianis expendat. Nam ſi paganis aut Iudæis vendiderit, communione priuetur, & emptio careat firmitate. Iudæi verò ſi Chriſtiana mancipia ad Iudaiſmum vocare præſumpſerint, aut grauibus tormentis afflixerint, ipſa mancipia fiſci ditionibus reuocentur: Qui tamen Iudæi ad nullas actiones publicas admittantur. Iudæorum verò conuitia in Chriſtianos penitus refutanda ſunt.

XII. *Vt clericus peregrinus ſine Epiſcopi ſui literis non recipiatur.*

Si clericus proficiſcens de ciuitate ad alias ciuitates voluerit, aut prouincias pergere, pontificis ſui epiſtolis commendetur. Quòd ſi ſine epiſtolis profectus fuerit manifeſtis, nullomodo recipiatur.

XIII. *Vt Epiſcopus mancipia, aut res Eccleſiæ non alienet.*

Vt Epiſcopus mancipia, vel res ad ius Eccleſiæ pertinentes, neque vendere, neque per quoſcumque contractus vnde pauperes viuunt poſt mortem alienare præſumat.

XIV. *De iis qui auguria & paganorum ritus imitantur.*

De his qui auguria, vel paganorum ritus inueniuntur imitari, vel cum paganis ſuperſtitioſos comedunt cibos: quos benigna placuit admonitione ſuaderi, vt ab erroribus priſtinis reuocentur. Quòd ſi neglexerint, & idololatris vel immolantibus ſe immiſcuerint, pœnitentiæ dignum tempus exſoluant.

XV. *Quales ad accuſandum admitti non debeant.*

Vt ſeruiles perſonæ ad accuſationem non admittantur: & qui perſonam ſuſceperit accuſantis, cùm vnum crimen non probatur, ad alia accuſandum non admittatur.

XVI. *Vt defuncto Epiſcopo res Eccleſiæ ante reſerationem teſtamenti, vel audientiam, nemo contingat.*

Si quis in quolibet gradu vel cingulo conſtitutus; aut poteſtate ſuffultus, decedente Epiſcopo res cuiuſlibet conditionis, in domibus vel agris Eccleſiæ poſitas, ante reſerationem teſtamenti, vel audientiam, auſus fuerit occupare, vel Eccleſiæ repagula effringere, & ſupellectilem infra domum Eccleſiæ poſitam contingere, vel ſcrutari præſumpſerit, à communione Chriſtianorum penitus abdicetur.

XVII. *Ne quis ingenuum vel liberum ad ſeruitutem inclinet.*

Si quis ingenuum aut liberum ad ſeruitium inclinare voluerit, aut fortaſſe iam fecit, & commonitus ab Epiſcopo ſe de inquietudine eius reuocare neglexerit, aut emendare noluerit, tamquam calumniæ reum placuit ſequeſtrari.

XVIII. *Vt clerici abſque Epiſcopi permiſſu, pro ſuis vel Eccleſiæ cauſis forum non adeant.*

Vt clerici cuiuſlibet ordinis neque pro propriis, neque pro Eccleſiaſticis cauſis, aliter adire debeant forum, nec cauſas dicere audeant, niſi quas cum permiſſu & conſilio Epiſcopi agere eis fuerit omnino permiſſum.

XIX. *Vt Archipresbyteri in parochiis laici non ſint, ſed clerici ordinentur.*

Vt in parochiis nullus laicorum Archipreſbyter præponatur: ſed qui ſenior in ipſis eſſe debet, clericus ordinetur.

XX. *Vt quæ ab extraneis Epiſcopo donantur, inter Eccleſiæ facultates computentur.*

Pontifices, quibus in ſummo ſacerdotio conſtitutis ab extraneis duntaxat aliquid, aut cum Eccleſia, aut ſequeſtratum, aut dimittitur, aut donatur, (quia ille qui donat, pro remedio animæ ſuæ, non pro commodo ſacerdotis comprobatur offerre) non quaſi ſuum proprium, ſed quaſi dimiſſum Eccleſiæ, inter facultates Eccleſiæ computabunt: quia iuſtum eſt, vt ſicut ſacerdos habet quod Eccleſiæ dimiſſum eſt, ita & Eccleſia habeat quod relinquitur ſacerdoti. Sanè quicquid per fideicommiſſum, aut ſacerdotis nomini, aut Eccleſiæ fortaſſe dimittitur cuicumque alij poſtmodum profuturum, id inter facultates ſuas Eccleſia computatum retinere non poterit.

XXI. *Vt Epiſcopi aliarum Eccleſiarum res ſine audientia vſurpare non præſumant.*

Si quis Epiſcopus res, quæ ab alia Eccleſia præſentaliter poſſidentur, quocumque ingenio, aut callida cupiditate peruaſerit, aut ſine audientia præſumpſerit vſurpare, ac ſuis vel Eccleſiæ ſuæ ditionibus reuocare, dum communione priuari non poteſt, vt necator pauperum, ab officio deponatur.

XXII. *Vt Epiſcopus vaſa Eccleſiæ, niſi ad redimendos captiuos, non frangat.*

Si quis Epiſcopus, excepto ſi euenerit ardua neceſſitas pro redemptione captiuorum, miniſteria ſancta frangere pro qualicumque conditione præſumpſerit, ab officio ceſſabit Eccleſiæ.

XXIII. *Vt viduas & puellas conſecratas, quacumque auctoritate rapere nullus audeat.*

Viduas, quæ ſe Domino conſecrari petierunt, vel puellas Domino conſecratas, nullus neque per auctoritatem regiam, neque qualicumque poteſtate ſuffultus, aut propria temeritate rapere, aut trahere audeat. Quòd ſi vtrique conſenſerint, communione priuentur.

XXIV. *De obſeruando edicto Dominico quod Pariſiis factum eſt.*

Iudices qui ſuper auctoritate, & edicto Dominico, canonum ſtatuta contemnunt, vel edictum illud Dominicum, quod Pariſius factum eſt violauerint, aut contempſerint, placuit eos communione priuari.

XXV. *De electionibus Epiſcoporum communi omnium ſuffragio peragendis, & vt indigenæ loci eligantur.*

Vt decedente Epiſcopo in locum eius non alius ſubrogetur, niſi loci illius indigena, quem vniuerſale & totius populi elegerit votum, ac prouincialium voluntas aſſenſerit. Aliter qui præſumpſerit, abiiciatur è ſede, quam inuaſit potius, quàm accepit: ordinatores autem triennio ab officio adminiſtrationis ſuæ ſedis ceſſare decernimus.

Anno Christi 642. Dagoberti Regis 14.

THEODORVS PAPA.

CONCILIVM AVRELIANENSE.

IN QVO HÆRETICVS MONOTHELITA Græcus à Saluio Epiſcopo palàm ſuperatus, & Gallia pulſus eſt, anno Chriſti DCXLV. Theodori Papæ III. Clodouei iunioris regis II.

SYNODI *huius auctor eſt S. Audoënus in vita S. Eligij lib. 1. cap.* XXXIV. *ſed cùm de anno nihil prodat, incertum reliquit. Nos quia & Clodouei tempore, & ante Eligij Epiſcopatum habitam ſignificat, in eum annum coniecimus, qui inter vtriuſque exodium medius interceßit. Audoëni autem narratio ſic habet.* Per idem fere tempus, quo apud vrbem Romam hæc geſta ſunt, quidam hæreticus pulſus à partibus tranſmarinis in Gallias venit, moxque ſe conferens ad ciuitatem, quæ olim Ædua, nunc autem Auguſtodunum vocatur, cœpit tam cautè, quàm fraudulenter ſua nefanda dogmata prodere. Quod cùm in palatio ad aures Eligij perueniſſet, cœpit vigilanter, vti ſemper in eiuſmodi rebus ſollicitus erat, cum Audoëno & ceteris catholicis viris tractare, quemadmodum hanc peſtem palàm omnibus manifeſtam detegerent. Nec deſtitit Epiſcopos commonere, & optimates, quouſque iuſſu principis ſacerdotale Concilium apud vrbem Aurelianenſem congregaretur. Vbi eo, quem diximus, hæretico in medium deducto, conabantur eum docti quique diuerſis modis interpellare, ſed nullo poterant genere concludere. Tanta quippe dicendi arte obiectis quæſtionibus occurrebat, vt vbi maximè putaretur conſtrictus teneri, ibi ceu anguis lubricis quibuſdam foraminibus dilapſus, eorum ſe fronti opponeret. Cúmque nullo genere à quoquam poſſet concludi, aut ſuperari, extitit quidam è noſtris pro Dei prouidentia doctiſſimus Epiſcopus, nomine Saluius, qui ita ei in omnibus obuiauit, vt ingens ea cauſa noſtris fieret gaudium & expectatio. Omnes enim eius verſutias & artes, quas ille nunc occulere, nunc etiam diſſimulare conabatur, frequenti diſputatione palàm funditus detexit. Sícque aduerſus eum omnium Epiſcoporum ſententia prolata, & per ſingulas ciuitates ſuper eius nomine decretis conſtitutis, cum ea qua par erat ignominia & dedecore, è finibus Galliæ eliminatus eſt. *Monothelitam ſecta, & Græcum fuiſſe hæreticum, Audoënus ſatis indicat, & apertè docet auctor vitæ ipſius Audoëni.*

ANNO CHRISTI 650. CLODOVEI II. REGIS 6.

MARTINVS PAPA.

MARTINI PAPAE
EPISTOLA
Ad Amandum Epiſcopum Traiectenſem.

Diſſuadet ne Epiſcopatum abdicet. mittit acta Synodi Romanæ, vt ab Epiſcopis Galliæ congregata Synodo confirmentur. monet vt Sigeberto regi ſuggerat de mittendis in vrbem Epiſcopis, qui legatione ad Imperatorem fungantur.

DILECTISSIMO FRATRI AMANDO Martinus.

FRATERNITATIS tuæ ſtudio pietatis congeſtam epiſtolam ſuſcipientes, animos noſtros releuari cognoſcimus. Quippe quoniam huius ſæculi fluctiuagas atque tranſitorias deſpicientem oblectationes, illa quæ perpetua & ſublimia dona pro Domini Dei noſtri obſequiis tribuuntur, appetere certum eſt. Ex relatione igitur, iuxta tenorem tuæ fraternitatis epiſtolæ, præſentium latoris laborum tuorum certamen cognouimus: ex quibus cæleſtis patriæ aſcenſu, humiliatis mentibus, atque contritis corporibus, vobis futurorum gaudiorum largienda ſunt munera. Nam cùm ſit nulli omnino comparationi coæquandum, quod à creatore noſtro pro bonis ſeruitiis repenſatur, dum breui atque paruo temporis ſpatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipſius ſuſtinemus, conſideratione refrigerij nos oportet libenti animo tolerare præſentis vitæ anguſtias. Sed quantum nobis laborum veſtrorum operatio magnam gaudij vbertatem inducit, tantum pro duritia ſacerdotum gentis illius conterimur, quòd poſtpoſitis ſalutis ſuæ ſuffragiis, atque redemptoris noſtri contemnendo ſeruitia, vitiorum fœtoribus ingrauantur: quibus ad præparandam ſalutem quandoquidem tantum nos neceſſe eſt importunis prædicationibus imminere, quantum nos perfectæ negotiationis creditorum nobis talentorum duplicat aſſignatio, atque Dominicæ vocis ad ſuſcipiendam eius requiem perſuadet aſſertio. Suggeſtum eſt namque nobis, eo quòd preſbyteri, ſeu diaconi, aliique ſacerdotalis officij, poſt ſuas ordinationes in lapſu coinquinantur: & propterea nimio mœrore fraternitatem tuam adſtringi, velléque paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & vacationem ab Epiſcopatus laboribus eligere, & in ſilentio atque otio vitam degere, quàm in his quæ tibi commiſſa ſunt permanere, dicente Domino, *Beatus qui perſeuerauerit vſque in finem.* Vnde namque beata perſeuerantia, niſi de virtute patientiæ? quia ſecundum Apoſtolicam prædicationem, *Omnes qui voluerint in Chriſto piè viuere, perſecutiones patientur.* Idcóque, frater cariſſime, non vos afflictio-

Matth. 10 22. & 24. 13.

2 Tim. 3. 12.

num amaritudo à pio mentis veſtræ propoſito coarctet recedere, conſiderans quanta pro abſolutione noſtrì & liberatione, creator dominuſque noſter pertulerit, quibuſque ſe contumeliis afficiendum tradiderit, vt nos à vinculis diabolicæ poteſtatis liberaret. Propterea nullatenus in huiuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem canonum compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps iam depoſitus erit, nullúmque gradum ſacerdotij poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque adſiduis quouſque aduixerit in eadem pœnitentia perdurare, vt commiſſum delictum diuina gratia extinguere valeat. Si enim tales quærimus ad ſacros ordines promouendos, quibus nulla ruga, nullúmque vitæ contagium mentes & corpora præpediat: quanto magis, ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam in lapſum ceciderit, & præuaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omnino prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium noſtræ ſalutis tractare? Sitque huiuſmodi ſemper, iuxta ſacrorum canonum ſtatuta, in hac vita depoſitus; vt ab illo qui mentis interiora ſcrutatur, nullámque de ouibus errare congaudet, dum adſpexerit ſynceram pœnitentiam eius, in terribili iudicio habeat reconciliatum. Ideóque iterum hortamur caritatem tuam, exemplo eius qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis eius ſeruitiis permanere. Neque pigeat vos temporales cruciatus pro Chriſti nomine ſuſtinere: ſed emolumenta futuræ remunerationis huius ſæculi vexationes tolerare perſuadeant. Scriptum namque eſt, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Tantùm enim à nobis exigitur, quantum poſſumus famulatus noſtri obſequio commodare. Cúmque cuncta, quæ nobis ad confortandos fraternitatis veſtræ animos poterant miniſtrari, largiente ſupernæ maieſtatis clementia vobis ſint proculdubio manifeſta, reſtat vt de aliis, quæ nos per ſua ſcripta conſuluit, fraternitati veſtræ ſignificemus.

Diſt. 1. Qui ſemel poſt.

Diſt. 1. Si poſt ordinationé.

Pſal. 115. 12. 13.

Credimus etenim ad vos perueniſſe, quomodo in conturbatione rectæ fidei, & catholicæ Eccleſiæ conculcatione, ante hos annos plus minus quindecim, à Sergio falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano, in auxilio habente tunc imperantem Heraclium, execranda & abominanda hæreſis pullulauit, Apolinariſtarum & Seuerianorum, Eutychianiſtarum atque Manichæorum errorem renouans: quam ſucceſſor eius Pyrrhus, idémque Epiſcopus, qui ambitionis faſtu Conſtantinopolitanam ſedem arripuit, in deterius auxit. Pro qua re ſæpius Apoſtolica ſedes perſuaſionibus, conteſtationibus, atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab huiuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis ex quo lapſi ſunt remearent. Et non ſolùm hoc facere nullatenus voluerunt: ſed & nunc ſucceſſor eius Paulus, temerator fidei, Epiſcopus Conſtantinopolitanus, aliud nequius excogitauit in præiudicium catholicæ fidei conamen, quaſi quæ à deceſſoribus ſuis hæreticè expoſita fuerunt deſtruens; & Imperialem typum, ſacrilego auſu, totius plenum perfidiæ, à clementiſſimo Principe noſtro fieri perſuaſit,

in quo promulgatum eſt, vt omnes populi Chriſtiani credere debuiſſent. Ideóque neceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento quæ nobis commiſſæ ſunt, culpæ reatu adſtringamur, cœtum generalem fratrum & coepiſcoporum noſtrorum in hac Romana ciuitate congregare. In quorum præſentia memoratorum hæreticorum ſceleroſa conſcripta examinata, atque denudata ſunt; & Apoſtolico mucrone, patrúmque definitionibus, vno ore vnoque ſpiritu condemnauimus; vt cognoſcentes vniuerſi errorem, qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Vnde præuidimus volumina geſtorum Synodalium in præſenti vobis dirigere, vnà cum Encyclia noſtra. Ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum, vt filij lucis, extinguere. Idcirco ſtudeat fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, vt tam abominandam hæreſim nobiſcum execrentur, quámque ſuæ ſalutis ſacramenta addiſcere valeant, atque Synodali conuentione omnium fratrum & coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem Encycliæ à nobis directæ, ſcripta vnà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis, quæ pro orthodoxa fide, & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper exortæ à nobis ſtatuta ſunt. Et Sigebertum præcellentiſſimum filium noſtrum regem Francorum, pro ſuæ Chriſtianitatis remedio conſultiſſimè admone atque precare, dirigere nobis ex corpore fratrum noſtrorum dilectiſſimos Epiſcopos, qui ſedis Apoſtolicæ legatione, diuina concedente propitiatione, fungi debeant; & quæ in noſtro Concilio peracta ſunt, cum his Synodalibus apicibus veſtris, ad clementiſſimum Principem noſtrum ſine dubio adſportare: vt noſtrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipiſci valeat, & ſui regni protectorem inueniat eum, cuius cauſa flagitari dignoſcitur. Hoc namque & in eius epiſtola exhortari eum cognouimus. Reliquias verò Sanctorum, de quibus præſentium lator nos admonuit, dari præcepimus. Nam codices iam exinaniti ſunt à noſtra bibliotheca, & vnde ei dare nullatenus habuimus: tranſcribere autem non potuit, quoniam feſtinanter de hac ciuitate regredi properauit. His igitur prælibatis, quæ à nobis per epiſtolam vobis ſcripta ſunt effectui mancipari fraternitatem veſtram hortamur. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime frater.

CONCILIVM

CONCILIVM CABILONENSE.

CLODOVEI II. REGIS EVOCATIONE

VIII. Kalendas Nouembres in vrbe Cabilono celebratum, circa annum Chriſti DCL. Martini Papæ II. Clodouei eiuſdem regis VI.

TITVLI CANONVM.

1. *Vt fidei Nicana norma in omnibus conſeruetur.*
2. *Vt canonum ſtatuta ſeruentur.*
3. *De clericorum cum extraneis feminis familiaritate fugienda.*
4. *Ne duo in ciuitate vna eodem tempore habeantur Epiſcopi.*
5. *Vt ſaculares nondum clerici, parochias aut earum res non regant.*
6. *Nemo ante audientiam res Eccleſia inuadere praſumat.*
7. *Res defuncti presbyteri, vel Abbatis, intacta permaneant.*
8. *De pænitentia peccatorum à ſacerdotibus indicenda.*
9. *Ne mancipia Chriſtiana extra regni terminos vendantur.*
10. *Vt Epiſcopi à comprouincialibus, clero, & ciuibus ſuis eligantur.*
11. *Vt Iudices publici per monaſteria & parochias, niſi inuitati, non diſcurrant.*
12. *Vt duo Abbates in vno monaſterio non ſint.*
13. *Vt nullus alienum clericum retineat, nec ordinet, ſine Epiſcopi ſui voluntate.*
14. *De oratoriis per villas potentum, vt clerici qui his deſeruiunt in Epiſcopi libera ſint poteſtate.*
15. *Vt Abbates & monachi ſaculari patrocinio non vtantur, & principem ſine Epiſcopi ſui permiſſu non adeant.*
56. *Vt nemo ad ſacros ordines per pramium promoueatur.*
17. *Vt nullus ſacularium in Eccleſia, vel in ipſius atrio, ſcandalum aut ſimultates excitare praſumat.*
18. *Vt die Dominico ruralia opera nemo exerceat.*
19. *Ne turpia vel obſcena in baſilicis, aut in earum porticibus & atriis, cantari permittantur.*
20. *De Agapio & Bobone Dinienſis vrbis Epiſcopis.*

PRÆFATIO.

PRISCIS quidem canonibus noſcitur inſtitutum, vt Metropolitani cum eorum comprouincialibus per ſingulos annos debeant in ſynodali coniungi Deo propitiante Concilio. Sed nunc tam ex communi omnium voluntate, quàm ex euocatione vel ordinatione glorioſiſſimi domni Chlodouei regis, pro zelo religionis, vel orthodoxæ fidei dilectione, in Cabilonenſi vrbe in Eccleſia ſancti Vincentij pariter conglobati, ipſius ſancti Martyris interceſſionem poſcentes, vt longæuitatem ſupradicti principis ſuo ſuffragio mereremur, & inſpiratione diuina interueniente,

de canonibus ſignificaretur, quòd ſi fuiſſet aliquid prætermiſſum, vel per negligentiam, aut ignorantiam vitiatum, in priſtinum ſtatum, ſicut dudum fuerat à ſanctis patribus ſtatutum, deberet auxiliante Chriſto domino reformari:

CANONES.

I. Vt fidei Nicænæ norma in omnibus conſeruetur.

Ita omnes vna conſpiratione & conniuente animo ſentientes definiuimus, vt fidei norma, ſicut in Nicæno Concilio pia eſt profeſſione firmata, vel à ſanctis patribus tradita, atque ab ipſis expoſita, vel in poſtmodum à ſancto etiam Calchedonenſi Concilio firmata, in omnibus & ab omnibus conſeruetur.

II. *Vt canonum ſtatuta ſeruentur.*

Canonum verò ſtatuta ab omnibus intemerata ſeruentur.

III. *De clericorum cum extraneis mulieribus familiaritate fugienda.*

Licet iam prioribus canonibus fuerit ſtatutum, placuit tamen renouare, vt ſi quis Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus, vel quicumque ex ſacerdotali catalogo, præter perſonas quæ in ipſis canonibus continentur, cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere præſumpſerit, quæ dedecoris vel adulterij poſſit adferre ſuſpicionem, iuxta ſtatuta canonum ab ordine regradetur.

IV. *Ne duo in ciuitate vna eodem tempore habeantur Epiſcopi.*

Vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore, nec ordinentur, nec habeantur Epiſcopi, ne res Eccleſiæ ſæua diuiſione debeant partiri.

V. *Sæculares nondum clerici parochias, aut res earum non regant.*

Sæculares verò, qui necdum ſunt ad clericatum conuerſi, res parochiarum, vel ipſas parochias minimè ad regendum debeant habere commiſſas.

VI. *Nemo ante audientiam res Eccleſiæ inuadere præſumat.*

Vt nullus ante audientiam res quarumlibet Eccleſiarum inuadere, aut auferre præſumat: quod qui fecerit, vt necator pauperum habeatur.

VII. *Res defuncti presbyteri, vel Abbatis, intacta permaneant.*

Vt defuncto preſbytero, vel Abbate, nihil ab Epiſcopo auferatur, vel Archidiacono, vel à quocumque de rebus parochiæ, vel xenodochij, vel monaſterij aliquid debeat minuere. Quod qui fecerit, iuxta ſtatuta canonum debeat coërceri.

VIII. *De pœnitentia peccatorum à ſacerdotibus indicenda.*

De pœnitentia verò peccatorum, quæ eſt medela animæ, vtilem hominibus eſſe cenſemus: & vt pœnitentibus à ſacerdotibus data confeſſione indicatur pœnitentia, vniuerſitas ſacerdotum noſcitur conſentire.

IX. *Ne mancipia Chriſtiana extra regni terminos vendantur.*

Pietatis eſt maximæ & religionis intuitus, vt captiuitatis vinculum omnino à Chriſtianis redimatur. Vnde ſancta Synodus noſcitur cenſuiſſe, vt nullus mancipium extra fines vel terminos, qui ad regnum domni Chlodouei regis pertinent, penitus debeat venundare: ne quod abſit per tale commercium, aut captiuitatis vinculo, vel quod peius eſt Iudaica ſeruitute mancipia Chriſtiana teneantur implicita.

X. *Vt Epiſcopus à comprouincialibus, clero, & ciuibus ſuis eligatur.*

Si quis Epiſcopus de quacumque fuerit ciuitate defunctus, non ab alio niſi à comprouincialibus, clero, & ciuibus ſuis, alterius habeatúr electio: ſin aliter, huiuſmodi ordinatio irrita habeatur.

XI. *Vt Iudices publici per monaſteria & parochias, niſi inuitati non diſcurrant.*

Peruenit ad ſanctam Synodum, quòd Iudices publici contra veternam conſuetudinem per omnes parochias, vel monaſteria, quæ mos eſt Epiſcopis circuire, ipſi illicita præſumptione videantur diſcurrere; etiam & clericos vel Abbates, vt eis præparent, inuitos atque diſtrictos ante ſe faciant exhiberi: quod omnimodis nec religioni conuenit, nec canonum permittit auctoritas. Vnde omnes vnanimiter cenſuimus ſentientes, vt deinceps iſta debeant emendare: & ſi præſumptione, vel poteſtate qua pollent, excepto inuitatione Abbatis vel Archipreſbyteri, in ipſa monaſteria vel parochias aliquid fortaſſe præſumpſerint, à communione omnium ſacerdotum eos conuenit ſequeſtrari.

XII. *Vt duo Abbates in vno monaſterio non ſint.*

Vt duo Abbates in vno monaſterio eſſe non debeant; ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter monachos, & ſcandala generentur. Verumtamen ſi quilibet Abbas ſibi elegerit ſucceſſorem, ipſe qui eligitur de facultatibus ipſius monaſterij ad regendum nullam habeat poteſtatem.

XIII. *Vt nullus alienum clericum retineat, nec ordinet, ſine Epiſcopi ſui voluntate.*

Vt nullus alterius clericum retinere præſumat, ſicut priſcis eſt canonibus ſtatutum, nec ad ſacrum ordinem ſine voluntate Epiſcopi ſui penitus promouere.

XIV. *De oratoriis per villas potentum, vt clerici qui his deſeruiunt, in Epiſcopi libera ſint poteſtate.*

Nonnulli ex fratribus & coepiſcopis noſtris reſidentibus nobis in ſancta Synodo in querimoniam detulerunt, quòd oratoria per villas potentum iam longo conſtructa tempore, & facultates ibidem collatas, ipſi quorum villæ ſunt Epiſcopis contradicant, & iam nec ipſos clericos, qui ad ipſa oratoria deſeruiunt, ab Archidiacono coërceri permittant: quod conuenit emendari; ita duntaxat vt in poteſtate ſit Epiſcopi, & de ordinatione clericorum, & de facultate ibidem collata, qualiter ad ipſa oratoria & officium diuinum poſſit impleri, & ſacra libamina conſecrari. Quòd ſi quis contradixerit, iuxta priſcos canones communione priuetur.

XV. *Vt Abbates & monachi ſæculari patrocinio non vtantur, & principem ſine Epiſcopi ſui permiſſu non adeant.*

Vt Abbates & monachi, aut agentes monaſteriorum, patrocinio ſæculari penitus non vtantur; nec ad principis præſentiam ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant. Quòd ſi fecerint, à ſuis Epiſcopis excommunicentur.

XVI. *Vt nemo ad ſacros ordines per præmium promoueatur.*

Vt nullus Epiſcopus, neque preſbyter, vel Abbas, ſeu diaconus per præmium ad ſacrum ordinem amodò penitus accedat. Quod qui fecerit, ipſo honore, quem præmiis comparare præſumpſerit, omnino priuetur.

XVII. *Vt nullus ſæcularium in Eccleſia, vel in ipſius atrio, ſcandalum aut ſimultates excitare præſumat.*

Et quia multa per præſumptionem proueniunt, quæ Deo minus placita, & ſacris canonibus videntur eſſe contraria, quæ à ſacerdotibus neceſſe eſt coërceri, ita ſancta Synodus inſtituit, vt nullus ſæcularium nec in Eccleſia, nec infra atrium ipſius Eccleſiæ, qualecumque ſcandalum, aut ſimultates penitus excitare præſumat; nec arma trahere, aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere. Quòd ſi quis fortaſſe præſumpſerit, ab Epiſcopo loci illius, vbi factum fuerit, ipſe iuxta ſtatuta canonum communione priuetur.

XVIII. *Vt die Dominico ruralia opera nemo exerceat.*

Licet generaliter ab omnibus catholicis, & Deum timentibus diem Dominicum, quod eſt prima ſabbati, conuenit obſeruari, & ſicut in ſuperioribus canonibus eſt ſtatutum; non aliquid noui condentes, ſed vetera renouantes inſtituimus, vt in ipſo die Dominico ruralia opera, id eſt arare, ſecare, meſſes metere, exartos facere, vel quicquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus præſumat. Quod qui inuentus fuerit faciens, ſub diſciplina diſtrictionis omnimodis corrigatur.

XIX. *Ne turpia vel obſcena in baſilicis, aut in earum porticibus & atriis cantari permittantur.*

Multa quidem eueniunt, quæ dum leuia minimè corriguntur, ſæpius maiora conſurgunt. Valde enim omnibus noſcitur eſſe indecorum, quòd per dedicationes baſilicarum, aut feſtiuitates martyrum, ad ipſa ſolennia confluentes chorus femineus turpia quidem & obſcena cantica decantare videntur, dum aut orare debent, aut clericos pſallentes audire. Vnde conuenit, vt ſacerdotes loci talia à ſeptis baſilicarum, vel porticibus ipſarum, ac etiam ab ipſis atriis vetare debeant & arcere. Et ſi voluntariè noluerint emendare, aut excommunicari debeant, aut diſciplinæ aculeum ſuſtinere.

XX. *De Agapio & Bobone Dinienſis vrbis Epiſcopis.*

Agapium verò & Bobonem Dinienſis vrbis Epiſcopos, pro eo quòd ipſos contra ſtatuta canonum in multis conditionibus erraſſe vel deliquiſſe cognouimus, ipſos iuxta tenorem canonum ab omni Epiſcopatuum ordine decreuimus degradare.

SVBSCRIPTIONES.

Candericvs Epiſcopus Eccleſiæ Lugdunenſis his conſtitutionibus ſubſcripſi.
Landalenus Epiſcopus Eccleſiæ Viennenſis his cōſtitutionibus ſubſcripſi.
Audoënus Epiſcopus Eccleſiæ Rotomagenſis his conſtitutionibus ſubſcripſi.
Armentarius Epiſcopus Eccleſiæ Senonicæ his cōſtitutionibus ſubſcripſi.
Vvlfoledus Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ his conſtitutionibus ſubſcripſi.
Donatus Epiſcopus Eccleſiæ Veſontienſis his conſtitutionibus ſubſcripſi.
Rauracus Epiſcopus Eccleſiæ Neuernenſis ſubſcripſi.
Deodatus Epiſcopus Eccleſiæ Matiſconenſis ſubſcripſi.
Pappolus Epiſcopus Eccleſiæ Genauenſis ſubſcripſi.
Palladius Epiſcopus Eccleſiæ Autiſiodorenſis ſubſcripſi.
Ferreolus Epiſcopus Eccleſiæ Auguſtodunenſis ſubſcripſi.
Bertoaldus Epiſcopus Eccleſiæ Lingonicæ ſubſcripſi.

Audo Epiſcopus Eccleſiæ Aurelianenſis ſubſcripſi.
Malardus Epiſcopus Eccleſiæ Carnotinæ ſubſcripſi.
Aurelianus Epiſcopus Eccleſiæ Ventienſis ſubſcripſi.
Baudomeris Epiſcopus Eccleſiæ Tarantaſienſis ſubſcripſi.
Protaſius Epiſcopus Eccleſiæ Sedunenſis ſubſcripſi.
Ingildus Epiſcopus Eccleſiæ Valentinæ ſubſcripſi.
Clarus Epiſcopus Eccleſiæ Gratianopolitanæ ſubſcripſi.
Gratus Epiſcopus Eccleſiæ Cabilonenſis ſubſcripſi.
Florentinus Epiſcopus Eccleſiæ Bellicenſis ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus Eccleſiæ Ebredunenſis ſubſcripſi.
Magnus Epiſcopus Eccleſiæ.
Betto Epiſcopus Eccleſiæ Tricaſtinenſis ſubſcripſi.
Potentiſſimus Epiſcopus Eccleſiæ Vappicenſis ſubſcripſi.
Arricus Epiſcopus Eccleſiæ Lauſanenſis ſubſcripſi.
Claudius Epiſcopus Eccleſiæ Regenſis ſubſcripſi.
Licerius Epiſcopus Eccleſiæ Vindauſcenſis ſubſcripſi.
Petronius Epiſcopus Eccleſiæ Vaſionenſis ſubſcripſi.
Bertefredus Epiſcopus Eccleſiæ Ambianenſis ſubſcripſi.
Eligius Epiſcopus Eccleſiæ Nouiomenſis ſubſcripſi.
Deocarius Epiſcopus Eccleſiæ Antipolitanæ ſubſcripſi.
Leborius Epiſcopus Eccleſiæ Maurianenſis ſubſcripſi.
Chairibonus Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ ſubſcripſi.
Amlacarius Epiſcopus Eccleſiæ Sagenſis ſubſcripſi.
Launobodus Epiſcopus Eccleſiæ Lexouienſis ſubſcripſi.
Ragnericus Epiſcopus Eccleſiæ Ebroicenſis ſubſcripſi.
Betto Epiſcopus Eccleſiæ de Iuliobona ſubſcripſi.
Betto Abba in vicem Latini Epiſcopi Eccleſiæ Turonicæ ſubſcripſi.
Chaddo Archidiaconus in vicem Salappij Epiſcopi Eccleſiæ Namneticæ ſubſcripſi.
Germoaldus Abba in vicem Audoberti Epiſcopi Eccleſiæ Pariſiacæ ſubſc.
Paternus Abba in vicem Felicis Epiſcopi Eccleſiæ Lemouicæ ſubſcripſi.
Chagnoaldus Abba in vicem Chadoindi Epiſcopi Eccleſiæ Cenomannicæ ſubſcripſi.
Bertulfus Abba in vicem Durioteri Epiſcopi Eccleſiæ Redonicæ ſubſcripſi.

EPISTOLA CONCILII CABILONENSIS ad Theodoſium Epiſcopum Arelatenſem.

DOMINO ſemper peculiari ſuo Theodoſio cœtus Epiſcoporum, qui nuper eſt Cabilono vrbe cum Chriſti gratia adunatus. OMNIBVS veridica relatione perpatuit, quod nec vos credimus ignoraſſe, quòd glorioſus domnus Clodoueus rex in ſupraſcripta vrbe Cabilono VIII. Kalendas Nouembris Synodale præcepit eſſe Concilium. Vbi omnibus nobis, qui in baſilica domni Vincentij pariter reſidentes veſtrum aduentum, dum vos propinquos, & iam in ipſa vrbe eſſe audiuimus, omnimodis præſtolati ſumus, datur intelligi pro qua re vos in ipſo Concilio non voluiſtis adeſſe, dum multa aduerſus vos, &

de indecenti vita, & de exceſſu canonum, quod maximè condolemus, peruulgata narrantur. Nam & ſcripta, qualiter vos conſtitit pœnitentiam fuiſſe profeſſos, veſtra manu vidimus, & comprouincialium veſtrorum manibus roborata. Vnde vos credimus iam legiſſe, nec nos penitus ignoramus, quòd qui publicè pœnitentiam profitetur, Epiſcopalem cathedram nec tenere, nec regere poteſt. Propterea ſalurantes beatitudinem veſtram honorificè, indicamus vt vſque ad aliam Synodum de Arelatenſi ſede, vbi vos conſtat pontificalem cathedram tenuiſſe, debeatis omnimodis abſtinere, & de facultate ipſius Eccleſiæ nihil ad veſtram dominationem, donec in audientia ante fratres conueniatis, penitus præſumatis.

Anno Christi 658. Clodovei II. Regis 15.

CONCILIVM NAMNETENSE.

ROMANI PONTIFICIS IVSSV CELEBRATVM, circa annum Chriſti DCLVIII. Vitaliani Papæ II. Clodouei II. regis XV.

HVIVS *Synodi conſenſu B. Niuardum Epiſcopum Remenſem monaſterij Altiuillarenſis ad Matronam fluuium conſtructionem, renouationémque ſuſcepiſſe, auctor eſt Flodoardus lib.* II. *Hiſtor. cap.* VII. Hic beatus Niuardus, *inquit*, cùm ex communi conſenſu totius Concilij Præſulum Galliæ, Namnetis Romani iuſſione Pontificis exhibiti, rege fauente, reſtruxiſſet Eccleſiam monaſterij ſuper ripam Maternæ fluminis, in loco nuncupato Villari dudum ſiti, ſed à barbaris diruti, & ab eo conſtructa hæc funditus cecidiſſet Eccleſia, in alio loco ruſus ab ipſo reſtructa ruſum traditur corruiſſe. *Et poſt alia, quæ de tertio loco cælitus oſtenſo inſerit.* Mox idem Præſul ſuccidi ſiluam iubens, in honore S. Petri & omnium Apoſtolorum ibi conſtruxit Eccleſiam, & vbi reſediſſe columbam viderat, altare inſtituit, collectíſque ſeruis Dei monaſterium ordinauit.

PRIVILEGIVM LIBERTATIS MONASTERIO SANCTI DIONYSII

conceſſum à Landerico Epiſcopo Pariſiacenſi.

DIVINA largiente gratiâ Landericus Pariſiorum Eccleſiæ Epiſcopus. QVONIAM quidem inter ea quæ Dei diſponente prouidentia curſu temporis agimus, ſi quid rectè actum eſt, ad illius, qui & dando præmonuit, & poſſe contulit, gloriam & noſtram proſperitatem non eſt dubium attinere; decet & præſertim eos, qui in ſacris ordinibus eminere videntur, priuatæ & publicæ rei ita curam agere, vt & ſua peccamina adnullare, & ſi quid eſt virtutis, hoc ſemper ad

altiora ſtudeant prouehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia inuigilent corrigere. Debet etiam eſſe grata omnium Dei fidelium inter ſe familiaritas, & in expetendis dandiſque beneficiis adeò opportuna propinquitas, vt nulli prorſus digna petenti non modò non abnuat, verumetiam vt ampliùs quod dignum eſt ab altero petere poſtuletur. Quapropter nouerit omnium catholicæ Eccleſiæ cultorum generalis vniuerſitas, quòd domnus glorioſiſſimus Cludouicus Francorum Rex, diuino irradiatus lumine, religioſa petitione humilitatis noſtræ extremitatem popoſcit, vt & nos, & canonicorum noſtrorum communis fraternitas, ſecuritatis & incommutabilitatis priuilegium ederemus, pro reuerentia ſancti Dionyſij, ſociorúmque eius Ruſtici & Eleutherij, qui cum eo laureâ martyrij ſunt redimiti, ad baſilicam ipſorum, vbi ipſi corpore requieſcunt, & in virtutum miraculis coruſcant, & vbi Dagobertus genitor ſuus quondam Rex, vel genitrix ſua Nanthildis Regina ſepulturas habere videntur. Quanquam ſancta Carthaginenſis Synodus facta à beatæ memoriæ domno Bonifacio eiúſque coepiſcopis, non prohibeat monachos ſub priuilegio proprio reſidere, vel ſancti Auguſtini libri de Eccleſiaſticis gradibus doceant, monachos ſub quiete regulariter viuentes, ſua ſingulari lege debere quieſcere, & ab omni infeſtatione clericorum intrepidos permanere, ne ſæcularis ſtrepitus eos lædat, quos diſtricta regula ſeruitutis Domini moderatur. Quod nos conſiderantes, dum & canonica inſtitutio nos hac de re non præiudicat, vel ideò quia ſupradicti domni Cludouici regis petitio quaſi nobis iuſſio eſt, cui difficillimum eſt reſiſti, vel pro reuerentia tantorum martyrum, quorum patrocinio ſe ipſe commiſit, vt ipſis monachis ſecundum ſanctum ordinem viuere liceat, & vt tam pro nobis, quàm pro omnibus noſtræ Eccleſiæ fratribus Deum orent, ipſum priuilegium plena voluntate, vnà cum conſenſu fratrum meorum, ipſis conceſſiſſe viſus ſum. Per quod decerno, atque ob teſtificationem diuini nominis interdico, vt nec ego deinceps, nec vllus ſucceſſorum meorum hoc audeat infringere, vel temerario auſu aliquatenus violare. Videlicet vt omnis preſbyter vel clericus ex his quæ in ipſo loco beatiſſimi Dionyſij martyris, vel extra, ex loco qui dicitur fons ſancti Remigij, ſicut via diſtinguit, quæ præbet iter iuxta pratum quod dicitur Formoſum, vſque ad Eccleſiam ſancti Quintini martyris, & illinc per regalem ſtratam, donec veniatur ad viuarium in capite Triceni pontis, ſicut prata fratrum diſtinguunt, vſque ad præfatum locum fontis beati Remigij, omnes illi qui in hoc circumſcripto ſpatio Eccleſiis ſeruiunt, ſint liberi & abſoluti ab omni debito, & redditione circadarum & Synodorum. Tamen volumus, & pro reuerentia ſancti martyris Dionyſij concedimus, vt ſi neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum Epiſcopatu, ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant. Et ſi quis eorum preſbyterorũ vel clericorum, fortè aut occiſus, quod abſit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius iniuriæ acclamatio ſurrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abbati, qui in ipſo ſancto loco præfuerit, ceteríſque fratribus habendum & diſponendum concedimus. Quòd ſi aliquis calliditate, aut cupiditate præuentus fuerit, & ea quæ ſunt ſuperiùs comprehenſa temerario ſpiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum ſeque-

ſtratus,

ſtratus, & nihilominus hoc priuilegium Chriſto protegente, qui & adiuuet illud conſeruantes, & diſſipet illud deſtruere cupientes, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, vt noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roborauimus, & coepiſcopos, domnos, & fratres noſtros rogauimus, vt ipſam inſuper firmare debeant.

In Chriſti nomine LANDERICVS, ac ſi peccator, Epiſcopus vrbis Pariſiacæ hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.
Munemundus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Gouualdus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Vvlfolenus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Armentarius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Rauracus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Malchardus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Eligius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Gratus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ioannes Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Burgundofar Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Richoaldus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Baldomerus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Audoënus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Taurinus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Euſtorgius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Karioendus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Berthefridus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Audobertus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Clarus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Caſtadius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Litterius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Palladius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.
Ingildus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi.

Facto priuilegio ſub die Iulij in anno XV. regnante Cludouico glorioſiſſimo rege. Auſtrolenus Lector, iubente domno Landerico Epiſcopo, hoc priuilegium ſcripſi & ſubſcripſi.

CONVENTVS CLIPIACENSIS.

IN QVO CLODOVEVS REX AVCTORITATIS SVÆ præceptum de eadem monaſterij S. Dionyſij libertate conſcribi iuſſit, anno Chriſti DCLIX. Vitaliani Papæ III. Clodouei eiuſdem regis XVI.

De hoc conuentu multa ſcribit Aimoinus libro IV. *Hiſtoriæ Francorum cap.* XLI. *vbi & Clodoueum regem Epiſcopos ac proceres, qui conuenerant, his inter cetera verbis adloquentem inducit.* Nobis itaque deuotio, *inquit,*

hæc exſtat animi, vt monaſterium patroni noſtri domni Dionyſij, in quo ipſe cum conſortibus teſtimonij veritatis requieſcit humatus, & piæ memoriæ genitores noſtri, domnus videlicet Dagobertus & domna Nantildis, ſe ſepeliri mandauerunt, ab omni ſoluamus dominio mortalium: quatenus Abba vel fratres eo loco commanentes, poſſeſſiones à parentibus noſtris, ſiue ab aliis fidelibus Chriſtianis ſibi traditas, abſque vllius dominationis inquietudine poſſidentes, pro ſalute noſtra ac ſtatu regni noſtri liberiùs Deum deprecentur. *In Geſtis Dagoberti, quæ in antiquis exemplaribus leguntur, eadem etiam Clodouei regis oratio deſcribitur, ſed aliis verbis: iiſdem nempe illis, quibus præceptum ipſum contextum eſt; vt alterum ex altero expreſſum appareat. Præcepti autem regij exemplum in ſancti Dionyſij Tabulario eſt huiuſmodi.*

PRÆCEPTVM CLODOVEI II. REGIS *de libertate monaſterij ſancti Dionyſij.*

CHLVDOVIVS REX FRANCORVM vir illuſter.

OPORTET clementia principali inter ceteras petitiones illud quod pro ſalute adſcribitur, & pro tenore diuini nominis poſtulatur, placabili auditu ſuſcipere, & ad effectum perducere, vt fiat in mercede conuictio, dum pro quiete ſeruorum Dei, vel congruentia, locis venerabilibus impertitur petitio. Igitur dum & omnipotens pater, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, per Incarnationis myſterium vnigeniti filij ſui domini noſtri IESV Chriſti, vel illuſtrationem Spiritus ſancti, illuxit in corda ſanctorum Chriſtianorum, pro cuius amore & deſiderio, inter ceteros glorioſos triumphos martyrum, beatus Dionyſius, Ruſticus, & Eleutherius meruerunt palmam victoriæ, & coronam percipere glorioſam; vbi per multa tempora in eorum Baſilica, in qua requieſcere videntur, non minima miracula Chriſtus videtur per ipſos operari. In quo etiam loco genitores noſtri, domnus Dagobertus & domna Nantildis, videntur requieſcere, vt per interceſſionem ſanctorum illorum in cæleſti regno cum omnibus mereantur participari, & vitam æternam percipere. Et quia ab ipſis principibus, à ceteris priſcis regibus, vel à Deum timentibus Chriſtianis hominibus, ipſe ſanctus locus in rebus, propter amorem Dei, & adipiſcendam vitam æternam, cernitur eſſe ditatus; noſtra integra deuotio & petitio fuit, vt Apoſtolicus vir Landericus, Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, priuilegium ad ipſum ſanctum locum Abbati, vel fratribus ibidem conſiſtentibus facere & confirmare pro quiete futura deberet; quo faciliùs ipſi congregationi liceret pro ſtabilitate regni noſtri ad limina martyrum ipſorum iugiter exorare. hoc ipſe Pontifex cum ſuis coepiſcopis iuxta deuotionis noſtræ petitionem pleniſſima voluntate præſtitiſſe vel confirmaſſe dignoſcitur. Nos igitur per hanc ſeriem auctoritatis noſtræ, iuxta quod ſupradictum priuilegium à pontificibus factum vel præſtitum eſt, pro reuerentia ipſorum martyrum, vel noſtra confirmanda mercede, per hanc auctoritatem iubemus, vt ſi quid ad ipſum ſan-

ctum locum in villabus, mancipiis, vel quibuſcumque rebus atque corporibus, à priſcis principibus, ſeu genitoribus noſtris vel Deum timentibus hominibus, propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit additum, dum ex munificentia parentum noſtrorum, vt diximus, ipſe ſanctus locus videtur eſſe ditatus, nullus Epiſcoporum neque præſentes, nec qui futuri erunt ſucceſſores, aut eorum ordinatores, vel quælibet perſona poſſit quoquo ordine de ipſo loco aliquid auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo monaſterio vſurpare, vel aliquid quaſi per commutationis titulum abſque voluntate ipſius congregationis, vel noſtro permiſſu minuere; aut calices, vel cruces, ſeu indumenta altarium, vel ſacros codices, argentum, aurum, vel qualemcumque ſpeciem, quicquid ibidem collatum fuit aut erit, auferre aut minuere, vel ad ciuitatem deferre præſumat. Sed liceat ipſi ſanctæ congregationi, quod eis per rectam delegationem collatum eſt perpetim poſſidere, quatenus eandem pro animabus parentum noſtrorum, & pro ſtabilitate noſtri regni Dominum attentiùs delectet iugiter exorare. Nos enim pro Dei amore, vel reuerentia ipſorum Sanctorum martyrum, & adipiſcêda vita æterna, hoc beneficium ad ipſum ſanctum locum, cum conſilio Pontificum, & illuſtrium virorum noſtrorum ac procerum, gratiſſimo animo & integra voluntate viſi ſumus præſtitiſſe. Eo videlicet ordine, vtſicut tempore domni & genitoris noſtri ibidem chorus pſallentium per turmas fuit inſtitutus, vel ſicut ad monaſterium ſancti Mauricij Agaunis, & ſancti Martini Turonis, die noctúque tenetur, ita in loco ipſo per omnia futura tempora celebretur. Quam auctoritatem decreuimus, Chriſto in omnibus nobis ſuffragante, vt firmior habeatur, & per omnia tempora conſeruetur, ſubſcriptionibus manus noſtræ infra roborari.

Chludovius rex ſignaui.
Ego Geroaldus obtuli & ſignaui.
Munemundus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Chaoaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Rauracus Epiſcopus conſentiens ſignaui.
Audemarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Ætherius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Eligius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Richoaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Rigobertus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Landericus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Droglendus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Palladius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Clarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Armentarius Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Malehardus Epiſcopus conſenſi,
Rado Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Amalbertus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Vvaldelmarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Sichelmus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Chiloaldus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.

Sandetadus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Tanculfus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Guinemarus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Bobo Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Deſideratus Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Hathodo Epiſcopus conſentiens ſubſcripſi.
Gautiobertus Diaconus hoc priuilegium conſenſit & ſubſcripſit.
Getecrannus Diaconus S. Bodolenus S. Ebroinus S. Raimbertus S. Arnebertus S. Radobertus Maior domus S. Merulfus ſignauit. Bertolando ſignauit. Aigulfus Comes Palatij S. Tilpingus Comes S. Auſtrebertus S. Tetlinus iuſſus ſignauit. Incrinus ſubſcripſit. Probatus ſignauit. Gaulfridus ſubſcripſit. Gundebodo ſignauit. Hermeneticus ſignauit. Gadefredus S. Chaldo ſubſcripſit.

Data ſub die x. Kalend. Iulij anno XVI. regni noſtri, Clipiaco. in Dei nomine feliciter. Amen.

MONASTERII CORBEIENSIS
FVNDATIO ET IMMVNITAS.

Clotarij III. regis præceptum de fundatione Monaſterij Corbeienſis.

CHLOTHARIVS Rex Francorum, vir inluſter. AD mercedem noſtram in Dei nomine credimus pertinere, quicquid pro animæ ſalute locis Sanctorum conferimus, vt ibidem perenniter proficiat, & gloriam Deo auxiliante habere mereamur. Igitur dum nos & præcelſa genetrix noſtra, domna Baldechildis regina, monaſterium in honore Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & ſancti Stephani protomartyris, ſuper fluuium Somna, in loco qui dicitur Corbeia, quem Guntlandus quondam poſſederat, & ad fiſcum noſtrum peruenerat, vbi præeſt venerabilis vir Theodefridus Abba, pro æterni numinis intuitu ædificari præcepimus, vt monachi ſub ſancta regula ibidem debeant conuerſari. Cognoſcat ſtrenuitas veſtra, quod nos ipſam villam Corbeiam ad ipſum monaſterium, cum adiacentiis ſuis in integrum; ſeu & alias villas nuncupantes Folieto, Gentilla, Cipiliaco, Fortiaca villa, vel reliquas adiacentias earum ad integrum, Albiniaco cum adiacentiis vel appendiciis ſuis, quantum ibidem fiſcus noſter tenuit, ad integrum, in pago Ambianenſe; ſeu & Monciaco, Vvalliaco, Bellitino, cum adiacentiis earum, in pago Attauatenſe: immóque & villam, quæ vocatur Templum Martis, ſitam in pago Ambianenſe, ad integrum, cum pagena de Silua de foreſte noſtra Vvindegonia, hoc eſt per loca denominata, à fine Cartainſe vſque in Dominico lacco, per Siccaſi derude, per ceruorum Marcaſio, per Baguſta, per via publica vſque Fraudehario exſarto. Similiter & portionem in loco qui vocatur Taceaco, quem Frodinus de Vrſino dato pretio comparauit, & ad fiſcum noſtrum ipſe Frodinus in compenſationem pro alia re dedit,

in ipſo pago Ambianenſe, à die præſenti ſub integra immunitate, abſque introitu iudicum, viſi fuimus conceſſiſſe. Proinde per hanc præceptionem ſpecialiùs decernimus eſſe manſurum, vt tam ipſum locum Corbeiam, quàm & ſupraſcriptas villas, vnà cum terris, domibus, mancipiis, ædificiis, vineis, ſiluis, pratis, paſcuis, farinariis, & cunctis appenditiis, vel quod ibidem videtur adſpicere, pars ipſius monaſterij, vel omnis congregatio de ipſo monaſterio valeat poſſidere vel dominari. Et nullus quilibet de iudicibus, nec ad ipſum monaſterium, nec ad homines ſuos, nec in curtes ſuas, quicquid à die præſenti ibidem contulimus, & quod à nobis, vel à ſuccedentibus domnis regibus, vel à Deum timentibus hominibus inibi fuerit collatum, nec ad cauſas audiendum, nec freda exigendum, nec manſiones faciendum, nec paratas requirendum, nec vllas redhibitiones in villis ſuperiùs nominatis; quicquid tempore præſenti videtur poſſidere, aut adhuc, vt diximus, à nobis vel à ſuccedentibus regibus, vel à Deum timentibus hominibus inibi additum vel delegatum fuerit, ipſa iudiciaria poteſtas non præſumat ingredi: ſed pars ipſius monaſterij, vel omnis congregatio ibidem conſiſtens, abſque introitu iudicum, vt diximus, ſub integra immunitate poſſidere valeat vel dominari. Et vt hæc præceptio noſtra perenni tempore firmiorem obtineat vigorem, nos & præcelſa genetrix noſtra domna Baldechildis regina ſignaculis manus noſtræ ſubter decreuimus affirmare.

CLOTARII EIVSDEM REGIS PRÆCEPTVM alterum, quo à teloneis omnibus immune facit monaſterium Corbeienſe.

CHLOTHARIVS Rex Francorum, vir inluſter, omnibus agentibus tam præſentibus quàm futuris. COGNOSCAT magnitudo ſeu induſtria veſtra, pro mercedis noſtræ augmento, & diuino intuitu, tale nos actoribus, ſeu diſcurſoribus monaſterij virorum Corbeia, quod domna & genetrix noſtra Baldechildis regina ſuo opere conſtruxit, præſtitiſſe beneficium, vt quotienſcumque monachi, miſſi, vel diſcurſores ipſius monaſterij, partibus prouinciæ, vel per reliqua loca, ad cappas comparandas, aut reliquas opportunitates ipſius monaſterij exercendum, ſeu cellarium fuerint egreſſi mercandum, in quibuſlibet locis, vel territoriis, ſeu partibus, vbicumque teloneum, pontaticum, rotaticum, ceteraſque redhibitiones fiſcus noſter à diſcurſoribus, ſeu iter agentibus exigere conſueuit; habeant hoc monachi in iam dicto monaſterio Corbeia conſiſtentes, tam præſentes, quàm in futurum inibi aduenientes, in omnibus indultum ſimulque conceſſum. Ea ſcilicet ratione, vt neque nos, neque iuniores, aut ſucceſſores noſtri, vllo vnquam tempore de eo quod ſuperiùs continetur, à monachis, aut miſſis vel diſcurſoribus ipſius monaſterij, exigere, nec requirere, vllis locis vlliſque ordinibus infra terminos regni noſtri præſumatis. Sed vt ſuper habetur inſertum, habeant ipſum beneficium iam dicti monachi ſanctæ congregationis Corbeia monaſterio, & actores eorum, ex noſtræ largitatis munificentia con-

ceſſum, ſimulque indultum: quo potius delectet ipſam ſanctam congregationem ex ipſo beneficio pro ſtabilitate regni noſtri Domini miſericordiam exorare. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora conſeruetur, nos & præcelſa genetrix noſtra domna Baldechildis regina maxima noſtris ſignaculis ſubter eam decernimus adfirmare.

VIDREHADVS iuſſus.

Signum glorioſi domni Chlotharij regis.

Signum præcelſæ Baldechildis reginæ.

Data ſub die XXIII. menſis Decembris anno V. regni noſtri. Stirpiniaco. In Dei nomine feliciter.

PRIVILEGIVM LIBERTATIS MONASTERIO *Corbeienſi conceſſum à Bertefrido Epiſcopo Ambianenſi.*

DOMINIS ſanctis & ſummi culminis apice pontificalis cathedræ ſpecula præſidentibus in Chriſto fratribus, Niuoni, Geneſio, Ethoaldo, Emmoni, Audoni, Audomaro, Audoino, Audeberto, Burgundo, Faroni, item Audeberto, Drauſcioni, Berthefridus munere ſuperni largitoris Ambianenſis Eccleſiæ Epiſcopus. LICET nos antiquæ regulæ conſtituta ſalubri obſeruatione cuſtodire conueniat, tamen vtili prouiſione tractantes conſtituimus, vt quod ſacris deliberationibus non derogat, intrepida obſeruatione conſeruetur. Et quia glorioſiſſimus domnus Chlotharius Rex, necnon & præcelſa domna Balthildis regina, diuino inluminati auxilio, monaſterium ſuo opere, Chriſto præſule, in loco nuncupante Corbeia conſtruxerunt, religioſam petitionem noſtris auribus patefecerunt, quæ viſcerali pietatis affectu ita cor intrinſecus molliuit, vt petita non concedere, aut certè libentiſſimè non impleſſe, noſter animus inreligioſum fore putaret. Sancto igitur amore ſuccenſi noſtræ vilitatis extremitatem petierunt, vt & nos & veſtra fraternitas conſentientes, pro reuerentia ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & ſancti Stephani protomartyris, qui ob glorioſum ac triumphale votum pro amore Chriſti coronam martyrij conſequuti ſunt, ad prædictum monaſterium in eorum honore conſtructum, priuilegium concedere deberemus: licèt ſancta Carthaginenſis Synodus, à bonæ memoriæ Bonifacio, eiúſque coepiſcopis facta, vel ipſius ſacerdotis epiſtolæ ad Liberium porrectæ, non prohibeant monachos ſub priuilegio proprio reſidere; vel ſancti Auguſtini præclari doctoris libri de gradibus Eccleſiaſticis doceant monachos ſub quiete regulariter viuentes, abſque inquietudine clericorum vel Epiſcoporum reſidere. Quod nos conſiderantes, dum & canonica inſtitutio de hac re nos non præiudicat, vel ſupradictus domnus, & prædicta domna dum ſe patrocinio tam & in præſenti vita, quàm & in futurum, præfatorum Sanctorum pleniſſima deuotione tradiderunt, vt eis vbique apud clementiſſimum & omnipotentem Dominum eorum interceſſio præbere dignetur adminiculum, vel pro reuerentia tantorum martyrum, ſeu pro vt monachi ibidem degentes ſub regula ſanctorum patrum quieti conuerſari poſſint: hoc priuilegium plena

voluntate, vnà cum conſenſu fratrum meorum, conceſſiſſe vel indulſiſſe viſus ſum: per quod decerno, atque ob teſtificationem diuini nominis interdico, vt nec ego, nec vllus Epiſcoporum ſucceſſorum meorum hoc inrumpere præſumat. Nec nos hoc propriæ deliberationis inſtituto poſteritas æſtimet decreuiſſe; cùm etiam antiquiora, vel in nouo tempore monaſteria propria priuilegia ſint conſecuta. Nam & Agaunenſium, quod velut iſtud regio eſt munere ditatum, & Lirinenſium, vel Baſilica domni Marcelli, immóque & monaſterium Luxouienſe, hoc videntur habere conceſſum: & ita à ſuccedentibus cuſtoditur, vt quicquid ibidem offertur, ipſi Abbates vel monachi ibidem deſeruientes, abſque contrarietate vel repetitione Epiſcoporum, liberè cum Dei adiutorio hoc poſſideant. Ergo omnes vnius conſpiratione conſenſus antedictis principibus poſtulatione ſocia libentiſſimè annuentes, ſic decreuimus, vt quæcumque prædicto monaſterio vel monachis regio munere, ſeu à quibuſlibet Chriſtianis, in agris, mancipiis, vineis, ſiluis, auro, argento, vel veſtibus, vel quibuſlibet ſpeciebus conlata, aut deinceps conferenda ſunt, vitæ noſtræ temporibus, ſeu ſucceſſorum noſtrorum, nec ego, nec vllus ſibi Pontifex, aut aliquis ex ordine clericorum Ambianenſis Eccleſiæ, ſuis vſibus vſurpare, aut minorare, aut ad ciuitatem aliquas ſpecies deferre præſumat: ſed ſub omni libertate vel emunitate ſæpedictum monaſterium vel monachi ibidem conſiſtentes poſſideant. Altaria ad ſæpedictum monaſterium vel tabulæ ſi defuerint, Epiſcopus Ambianenſis Eccleſiæ in Dei nomine benedicat, & chriſma ſanctum conficiat ſine pretio, & annis ſingulis pro reuerentia Sanctorum ſine vllo præmio muneris causâ concedat. Et quod ad ipſum monaſterium in Dei nomine fuerit oblatum, vel à quocumque Deo inſpirante tranſmiſſum, nihil ſibi exindè Pontifex, aut eius Archidiaconus, aut quiſlibet ordinator Eccleſiæ audeat vindicare: nec ad præfatum monaſterium accedere, nec in agris ipſius conuiuia ego, vel Pontifices ſucceſſores noſtri, vel Archidiaconus, aut quiſlibet ordinator Eccleſiæ Ambianenſis præparare præſumat, niſi ab Abbate ſæpedicti monaſterij ſpontanea voluntate fuerit rogatus. Et cùm Abbas fuerit de ſæculo iſto euocatus, quem vnanimiter congregatio ipſius monaſterij ex ſemetipſis bonum & dignum elegerint, data auctoritate à præfato Principe, vel eius ſucceſſoribus, à nobis vel ſucceſſoribus noſtris, abſque vllo commodo ſecundum ſanctos canones ordinetur. Similiter & reliquos gradus clericorum minores ac maiores, quos Abbas iamdicti monaſterij elegerit, ſiue intra aut extra monaſterium, ſine aliqua præmij acceptione, iuxta quod lectio docet, conſtituimus conſecrare. Neque vlla alia poteſtate in ipſo monaſterio vtatur, vt diximus, neque in monaſterio, ſeu in rebus aut ornamentis ipſius, neque in perſonis; dum tanti glorioſiſſimi Principis petitio interceſſit, vel quia ipſi monaſterium ipſum conſtruxerunt, & ditauerunt, vel pro reuerentia ſanctorum Apoſtolorum & martyrum, ſeu pro eo vt quieti ſub regula ſancta ipſi monachi viuere debeant ad ipſum monaſterium deſeruientes. Nec Epiſcopus, nec Archidiaconus, aut quælibet alia perſona, ordinator Eccleſiæ Ambianenſis, quodcumque de eodem monaſterio, ſicut de reliquis parochiis, vſurpare, aut commutare, aut aliquas res auferre, vel ſpecies, quæ ad ipſum monaſterium ſunt conlatæ, deferre

ad ciuitatem audeat; vt de perfecta quiete valeant ipſi monachi, qui ad præfatum monaſterium deſeruiunt, duce Domino per tempora exultare, & ſicut antedicta monaſteria ſub libertate viuant, vt pro ſtatu Eccleſiæ & ſalute regum, vel ſtabilitate regni, & tranquillitate patriæ valeant plenius pium Dominum exorare. Et ſi aliquis de ipſis monachis contumax fuerit, ab Abbate prædicti monaſterij ſecundum canonicam inſtitutionem emendetur. Vt hoc priuilegium ſub ea, vt diximus, libertate qua antedicta monaſteria & monachi viuunt, debeat in perpetuum permanere firmiſſimum, vt iamdicti monachi ſæpedicto monaſterio deſeruientes noſtris & futuris temporibus ſub libertate conſiſtant; quia nihil de canonica auctoritate conuellitur, quicquid domeſticis fidei pro tranquillitate pacis, vel pro reuerentia ſanctorum tribuitur. Illud etiam addi placuit, vt ipſi monachi ſub regula ſancti Benedicti, vel ſancti Columbani, conuerſari & viuere debeant. Quòd ſi aliquis calliditate, aut cupiditate præuentus Epiſcopus, ea quæ ſunt ſuperius comprehenſa temerario ſpiritu violare præſumpſerit, tribus annis pœnitentiam diſtrictiſſimè agat, à communione fratrum ſequeſtratus; & nihilominus hoc priuilegium Chriſto protegente, qui & adiuuet illud conſeruantes, & diſſipet illud deſtruere cupientes, perpetim maneat incorruptum. Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, vt noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roborauimus, & coepiſcopos domnos, & fratres noſtros rogamus, vt ipſum in omnibus confirmare debeant.

BERTHEFRIDVS peccator Ambianenſium vrbis Epiſcopus hoc priuilegium à me factum relegi, conſenſi & ſubſcripſi.

Geneſius acſi peccator Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi.

Chaoaldus Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Gautiobertus acſi peccator Epiſcopus hoc priuilegium ſubſcripſi.

Boſo in Dei nomine Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Ragnobertus acſi indignus Epiſcopus hoc priuilegium conſentiens ſubſcripſi.

Mummolenus acſi peccator Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Audobertus acſi peccator Epiſcopus hoc priuilegium cõſenſi & ſubſcripſi.

Audoënus Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Dado peccator hoc priuilegium conſenſi ac ſubſcripſi.

Emmo Epiſcopus ſubſcripſi.

Leodeboldus peccator Epiſcopus hoc priuilegium ſubſcripſi.

Chrodobertus peccator hoc priuilegium ſubſcripſi.

Paternus peccator Egloenſis Eccleſiæ, acſi indignus Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Drauſcio acſi peccator hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Ego Audebertus acſi peccator Epiſcopus hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi.

Factum hoc priuilegium ſub die octauo Idus Septembris, anno VII. regnante Clotario rege, Captonnaco in palatio publico. Sigo in Dei nomine Diaconus hoc priuilegium ſcripſi & ſubſcripſi.

THEODE-

Theoderici Regis Præceptum, quo confirmat electionem Eremberti Abbatis Corbeienſis.

THeodericvs Rex Francorum Epiſcopis, & viris inluſtribus. Decet regalem clementiam, vt non ſolùm gubernacula regalis culminis prouideat; ſed & regimina Eccleſiarum & monaſteriorum, pro Dei intuitu, & mercedis noſtræ augmento, ſollerti cura prouidere, vt pax Eccleſiarum, & ſecura libertas monachorum Domino omnipotenti militantium per omnia conſeruetur. Et de ſacroſancto monaſterio nuncupato Corbeia, in pago Ambianenſe conſtructo, ad regalem noſtram præſentiam monachi & viri Dei venientes, ſerenitatis noſtræ clementiæ auribus ſuggeſſerunt, vt dum & venerabilis vir Chrodegarius Abba, ſecundum conſuetudinem humanæ fragilitatis, de hac luce ad Dominum migraſſe dignoſcitur; quem Apoſtolicus vir domnus & pater noſter Theodefredus Epiſcopus, dum & ille onus pontificale meruit àccipere, per noſtràm voluntatem & præceptionem, ad regendum ac dominandum monaſterio ſupraſcripto conſtituit; cum relatione & conſenſu totius congregationis ipſius monaſterij petierunt, vt liceret eis ſecundum eorum electionem, & ſecũdum ſanctum priuilegium, quod ſupra loco ſancto ex regali munificentia & ſacerdotum conceſſione indultum eſt, de ſemetipſis eligere rectorem. Et dum eorum petitio noſtræ ſerenitati congrua eſſe, & rationabilis in omnibus videretur, venerabilem virum Erembertum, qui in ipſo monaſterio fuit nutritus, ipſi homines cum voluntate ſupraſcripti Pontificis domni Theodefredi Epiſcopi elegerunt: noſtra clementia ipſis monachis cõceſſiſſe comperitur, ſicut ſuggeſſerunt. Præcipientes ergo per hanc præceptionem ſerenitatis noſtræ, & auctoritatis regalis conceſſimus, & omnino iubemus, vt ſupraſcriptus venerabilis vir Erembertus Abbas & rector monaſterij Corbeienſis in omnibus ſit conſtitutus; & ſicut bonus paſtor ea quæ vtilia ſunt ad opus monaſterij, & ad regimina monachorum præuideat, & regat, & erudiat, & mereatur audire vocem Domini dicentis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui.* Et vt taliter agat, ideo noſtra clementia ei indulſit, vt habeat poteſtatem de tota congregatione ipſius monaſterij, vel de eorum hominibus in eorum terris commanentibus, vel de eorum rebus & poſſeſſionibus, mobilibus & immobilibus, ſicut ſancta regula docet, & ſanctus ordo monachorum dinoſcitur eſſe conſeruandus. Ita vt de die præſenti, omnibus temporibus vitæ ſuæ, ſecundum Dei voluntatem, & ſecundum ſanctum ordinem dominatum accipiat; & ipſa ſancta congregatio ſub illo conſtituta preces aſſiduas ad aures reuerentiſſimas maieſtatis Domini pro nobis, & pro ſtabilitate regni noſtri iugiter fundat. Et vt hoc præceptum firmius habeatur, quod pro Dei timore indulſimus, auctoritate præcelſa manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter decreuimus roborare.

Matth 25.21. Luc.19.17.

CONCILIVM AVGVSTODVNENSE.

SANCTI LEODEGARII AVGVSTODVNÆ CIVItatis Epiſcopi, circa annum Chriſti DCLXX. Adeodati Papæ II. Theodorici regis IV.

IN antiquiſſima Collectione canonum, è bibliotheca Eccleſiæ Andegauenſis, producuntur Titulo XLIV. *qui eſt De monachis & monaſteriis, canones aliquot ex hac Synodo, qui omnes ad diſciplinam monaſticam ſpectant, inſcribunturque Canones Auguſtodunenſes S. Leodegarij Epiſcopi. Neque tamen vniuerſi eo loco deſcribuntur, ſed quibuſdam prætermiſſis hi duntaxat qui ſequuntur.*

Canones Auguſtodunenſes S. Leodegarij Epiſcopi.

PRIMVS titulus hic eſt monaſticæ diſciplinæ, vt Abbates vel monachi peculiare non habeant; & monachi ab Abbate victum & veſtitum conſuetum accipiant.

Iuo Part. VII. c. 100. V. Vt compatres nullus eorum audeat habere.

VI. Vt in ciuitatibus errare non inueniantur. Quòd ſi cauſa vtilitatis monaſterij, cum litteris Abbatis ſui ad Archidiaconum ciuitatis ſcriptis dirigantur.

VIII. Vt Abbati ſuo ac Præpoſito ſint obedientes.

X. Vt nullus familiaritates extranearum mulierum præſumat habere; & qui inuentus fuerit, ſeueriùs corrigatur. Vt mulieribus in monaſterium monachorum nullatenus ingredi liceat.

Statuimus atque decernimus, vt nullus monachum alterius abſque permiſſu ſui Abbatis præſumat retinere: ſed cùm inuentus fuerit vagans, ad cellam propriam reuocetur, ibi iuxta culparum merita coërcendus.

XV. De Abbatibus verò vel monachis ita obſeruare conuenit, vt quicquid canonicus ordo vel regula S. Benedicti edocet, & implere, & cuſtodire in omnibus debeant. Si enim hæc omnia fuerint legitimè apud Abbates vel monaſteria conſeruata, & numerus monachorum Deo propitio augebitur, & mundus omnis per eorum orationes aſſiduas malis carebit contagiis.

Sint monachi omnes omnino obedientes, ſint frugalitatis decore pollentes, in opere Dei feruentes, orationi inſtantes, in caritate perſeuerantes: ne propter negligentiam, aut inobedientiam, hoſte circumeunte ac rugiente & quærente quem deuoret, cibus efficiantur. Sit eis cor vnum, & anima vna. Nemo ſuum aliquid eſſe dicat, ſed ſint eis omnia communia. In commune laborent, hoſpitalitatis omnino ſint receptores.

Quiſquis autem hæc à nobis Deo præcipiente dictata in confirmationem regularem monachorum tentauerit aliqua tranſgreſſione caſſare, ſi

Abbas eſt, anno vno ei communionis poteſtas ſuſpendatur; ſi Præpoſitus, annos duos; ſi monachus, aut fuſtibus verberetur, aut à communione, & Miſſa, & caritate annos tres ſuſpendatur. Iuſtum enim eſt, vt ſubripientia vitiorum ſemina falce iuſtitiæ reſecentur; ne dum ſimulatione continentiæ nutriuntur, ita ſilueſcant, vt nec ſecuribus excidantur.

Ad Auguſtodunenſem præterea S. Leodegarij Synodum referendus videtur canon, qui in altera Collectione canonum è bibliotheca S. Benigni Diuionenſis, atque in aliis citatur, appellatúrque primus canon Auguſtodunenſis his verbis.

Canones Auguſtodunenſes, æra 1.

Si quis preſbyter, diaconus, ſubdiaconus, vel clericus, Symbolum, quod ſancto inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt, & fidem S. Athanaſij Præſulis irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur.

PRIVILEGIVM ADEODATI PAPÆ MONASTERIO S. MARTINI Turonenſi conceſſum.

DILECTISSIMIS FRATRIBVS VNIVERSIS Epiſcopis in Galliæ partibus Adeodatus.

Aeqvitatis nos admonet norma, quam apprimè cuſtodire præcipimur, vt canonica ſanctorum patrum conſulta, præſertim à beatiſſimis Apoſtolicæ Sedis Præſulibus, prædeceſſoribus ſcilicet noſtris, qui auctoritatem ſucceſſione ac vice ſacratiſſimi Apoſtolorum principis Petri, per diligentem ſollertiam nacti ſunt, quemadmodum ſtatuta reperimus, intemerata atque illibata cuſtodia conſeruemus. Sed & quæque à fratribus noſtris Eccleſiarum Epiſcopis pediſequa duntaxat imitatione conſulta, & ſalubriter fuerunt ordinata, vtpote ſancti Apoſtolorum principis licèt impares miniſterio, firmanda ſimili ratione decernimus. Qua ex re dum Ægiricus religioſus preſbyter & Abbas monaſterij S. Martini, in quo & venerabile corpus eius eſt ſitum, viſendas ex deſiderio veniens Apoſtolicas confeſſiones & atria, noſtris ſe repræſentaret obtutibus, commendationémque fratris noſtri Crotberti Turonicæ Eccleſiæ Præſulis obtuliſſet; ſupplici voce precatus eſt, vt priuilegium Apoſtolica auctoritate ſubnixum, ob munitionem venerabilis monaſterij, quod beatæ recordationis confeſſor Chriſti Martinus, Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in Gallicanis partibus ad conuerſorum ſalutem ſui ſacratiſſimi corporis conſecratione decorauit, cui nunc præeſſe ſe perhibens ſcriptis oſtenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus, idcirco quòd mos atque traditio ſanctæ noſtræ Eccleſiæ plus non

ſuppetat, à regimine Epiſcopalis prouidentiæ religioſa loca ſecernere. Verùm vbi & prædicti fratris noſtri Crotberti Turonenſis Eccleſiæ Præſulis monachicam libertatem, hoc eſt liberam diſpenſandi licentiam ſcripto conceſſam, religioſitate eius exemplaria proferente, comperimus; in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam conſtitutorum Antiſtitum, ad id conſenſum præbentium ſubſcriptiones ſubter annexas inſpeximus: nullatenus iam exortem rationis ac canonicæ regulæ tantorum Epiſcoporum conſonam ſententiam fore perpendimus. Propterea & nos erga quod iidem fratres noſtri reuerentiſſimi præſentes conferre prouiderunt, ſimili cenſura ex auctoritate profectò Apoſtolorum principis, cui claues ligandi atque ſoluendi conditor ac redemptor omnium tribuit, identidem firmari conceſſimus: vt Apoſtolica fulti auctoritate, per priuilegij ſeriem, nullas grauedines à quolibet Epiſcoporum ſub prætextu diſcuſſionis religioſus Abbas vel monachi ibidem degentes ſuſtineant; neque rurſus hoſpitandi ſibi apud eos licentiam vendicantes, diſpendia his atque inſolentias angariarum imponant: neque per occaſionem regularis diſciplinæ rimandæ atque ſeruandæ, quaſlibet importent iniurias: ſed liberam licentiam habere ſtatuimus, ſalua profectò monachicarum regularum cuſtodia; religioſo Abbate, quicumque pro tempore præerit præfato venerabili monaſterio, id procurante, vt erga quod priſcæ traditionis eius articulus continet, & ipſe conſeruare nitatur, & qui ſub eius reguntur diſpenſatione ſollerter cuſtodire commoneat, diſtrictéque compellat. Reuerentiſſimo verò Epiſcopo, in cuius parœcia memoratum venerabile monaſterium, vel res eius ac poſſeſſiones conſtiterint, faciendæ tantùm ordinationis ac promotionis ſacerdotum atque leuitarum, vel conficiendi chriſmatis ſit tantùm conceſſa licentia. Diſpoſitionem autem venerabilis loci gerere, ac conuerſationem monachicam exquirere, religioſo Abbati, eiuſque Præpoſito, vel qui probatiſſimi in eodem monaſterio fuerint, quod etiam præfati Præſules conſona ſententia definierunt, decernimus. Quiſquis igitur quolibet tempore, quod nullatenus credimus, huius decretum priuilegij, quod auctoritate Apoſtolica ſubnixi conſentiendo firmauimus, in totum vel in partem temerare tentauerit, ſuæque præſumptionis audaciam digna emendatione minùs correxerit, in perpetuum percellendum vel anathematizandum ſe nouerit, non ſolùm tantorum ſententia ſacerdotum, ſed etiam æquiſſimo Apoſtolicæ condemnationis aculeo; quoniam violare pertinaciter viſus eſt, quod ſalubriter conſeruare debuerat. Et ita quoque huius priuilegij ſanctio firma, & rata indiminutè perſiſtat atque permaneat. Erga quod & præcellentiſſimi totius Galliæ reges, vt ſcripto comperimus, ad reprimendas laicorum infeſtationes, edicto præmunire idem venerabile monaſterium regali pietate dignati ſunt. Bene valete, dilectiſſimi fratres.

CONCILIVM ROTOMAGENSE.

IN QVO MONASTERII FONTANELLENSIS inrer cerera editum eſt Priuilegium, anno Chriſti DCXXCII. Sede Apoſtolica poſt Agathonis Papæ obirum vacante, Theoderici regis anno XVI.

IN hac Synodo multa Eccleſiæ vtilia conſtituta fuiſſe teſtatur Aigradus monachus in vita ſancti Ansberti Epiſcopi Rotomagenſis, qui Synodo præfuit, & primus ſubſcripſit priuilegio Fontanellenſi. cuius nempe priuilegij occaſione Synodi meminit Aigradus in hac verba. Facta eſt, *inquit*, hæc priuilegij auctoriras ſub anno Dominicæ Incarnarionis DCXXCII. Indictione x. qui erar annus præfati glorioſi regis Theoderici XVI. & præfari venerandi Præſulis v. in Synodo generali Roromago vrbe, vbi plurima Deo accepra, & ſanctæ Eccleſiæ vrilitatibus profurura diſpurara ſunr. Adfuerunr quoque & ſancti Ponrifices, aliique venerabiles viri, ab ipſo præcipuo Præſule euocati, quorum ſubrer tenenrur nomina adſcripra. Anſberrus Epiſcopus vrbis Roromagenſis huic Concilio præfuir & ſubſcripſir. Ratberrus Epiſcopus, Regulus Epiſcopus, Airardus Epiſcopus Carnorenæ vrbis, Airſoaldus Epiſcopus Pictauenſis vrbis, Aquilinus Epiſcopus Ebroicæ vrbis, Cadoënus Epiſcopus, Armonius Epiſcopus, Saluius Epiſcopus, Deſiderius Epiſcopus, Fulcrannus Epiſcopus, Ioannes Epiſcopus, Vvilleberrus Epiſcopus, Gerebaldus Epiſcopus Baiocaſſinæ vrbis, Taurinus Epiſcopus, Aunoberrus Epiſcopus Sagienſis vrbis. Celſus Abba, Audomarus Abba, Secladio Abba, Boſochindus Abba. Gerardus glorioſus Vicedominus anrefari magni Pontifices. Ermentrannus, Ferrocinctus & Fortianus Archidiaconi venerandi. Aderat quoque preſbyrerorum & diaconorum circumadſtanrium magnus numerus. Ragnomirus lector huius ſancti Concilij geſta, & huius priuilegij auctoriratem, ipſo ſancto Ponrifice iubente, recognouit & ſubſcripſit.

CONCILIVM
IN VILLA REGIA.

IN QVO EPISCOPI ALIQVOT GRADV DEIECTI, S. Leodegatius Auguſtodunenſis capitali ſententia Ebtoini factione à Theodorico rege damnatus eſt, anno Chriſti DCXXCV. Ioannis V. Papæ I. Theodorici eiuſdem regis XVIII.

VETVS *auctor qui S. Leodegarij Epiſcopi vitam ſcripſit ad Ermenarium eius ſucceſſorem, inter Epiſcopos qui in hac Synodo damnati fuerunt, nominatim deſignat Deſideratum cognomento Didonem, Epiſcopum Cabillonenſem. Leodegarium verò, tametſi eò accitus fuerat, vt à Synodo damnaretur, Synodum tamen ingreſſum non fuiſſe docet, ſed ſeorſim à rege auditum, mortique addictum. Scribit autem in hanc ferme ſententiam.* Cùm iam per biennium fere Leodegatius in Fiſcanenſi cœnobio ſub cuſtodia reſediſſet, Theodericus Rex & Ebroinus Synodum in quadam villa regia conuocantes, multam Epiſcoporum rurbam adeſſe fecerunt. Ibique inter cetetos Didonem, qui Leodegarium cum Vaymeto expulit de ſuo Epiſcopatu, condemnatum ab ipſa Synodo, caluaria accepta in capite expulſum ſegregant à ſancta congregatione. Deinde exilio condemnatus, mortéque ſecuta pœna capitis exſoluit, quicquid doli in ſanctum virum exercuit. Alij porrò Epiſcopi tunc à rege pet Ebroinum in ipſa Synodo pœnam ſimilem ſortiti, perpetuo exilio ſunt deportati. Ebroinus verò S. Leodegarium reduci præcepit ad palarium, vt in Epiſcoporum Concilio eius diſrumperet veſtimentum: quatenus ob hoc ei eſſer interdictum, vrvlrra offerte non præſumeret ſacrificium. Tunc ergo ipſum ad eandem Synodum accetſierunt: non tamen infra Concilium confirmarur fuiſſe; ſed ſeorſim eo tempote cum rege collocutus dicitur, & ei multa futura prædixiſſe, quæ eueniſſe cettum eſt. Et cùm abeo diu percontati, vt de Childerici morre ſe conſcium fuiſſe fateretur, aliud non valuiſſent elicete, eius tunicam conſciderunt à capite, eúmque Chrodobetto, qui tunc Comes erat palarij, iuſſit tyrannus impius tradi, & ptæſentem vitam gladij petcuſſione auferri.

ANNO CHRISTI 614. DAGOBERTI II. REGIS 3.

GREGORIVS II. PAPA.

GREGORII II. PAPAE EPISTOLA I.

Ad Bonifacium preſbyterum.

Qua poteſtatem illi facit, vt fidei myſterium incredulis gentibus adnuntiet.

GREGORIVS SERVVS SERVORVM DEI Bonifacio religioſo preſbytero.

EXigit manifeſtata nobis religioſi propoſiti tui piè in Chriſto flagrantis intentio, & approbata ſinceriſſimæ fidei tuæ perlata relatio, vt ad diſpenſationem verbi diuini, cuius per gratiam Dei curam gerimus, te comminiſtro vtamur. Experientes proinde, te ab infantia ſacras litteras didiciſſe, profectúſque indolem ad augmentum crediti cælitus talenti proſpectu diuini amoris extendere; videlicet gratiam cognitionis cæleſtis oraculi in laborem ſalutiferæ prædicationis, ad innoteſcendum gentibus incredulis myſterium fidei, inſtanti conatu expendere; collętamur fidei tuæ, & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ. Igitur quia præmiſſi conatus pium affectum, vſque ad Apoſtolicæ Sedis modeſta præuiſione perduxiſti conſultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, motum mentis probares, capitíſque arbitrio te humiliter ſubmittens, & eius directione iuſto tramite properans ſolidari, compaginis plenitudo exiſtas: Ideo in nomine indiuiſibilis Trinitatis, per inconcuſſam auctoritatem beati Petri Apoſtolorum principis, cuius doctrinæ magiſterij diſpenſatione fungimur, & locum ſacræ ſedis adminiſtramus, modeſtiam tuæ religionis inſtituimus, atque præcipimus, vt in verbo Dei, quo igne ſalutifero, quem Dominus mittere venit in terram, enitere videris, ad gentes quaſcumque infidelitatis errore detentas properare Deo annuente potueris, myſterium regni Dei per inſinuationem nominis Chriſti Domini Dei noſtri veritatis ſuaſione deſignes: & per ſpiritum virtutis, & dilectionis, ac ſobrietatis, prædicationem vtriuſque teſtamenti mentibus indoctis conſona ratione transfundas. Diſciplinam denique ſacramenti, quam ad initiandos Deo præuio credituros tenere ſtudes, ex formula officiorum ſanctæ noſtræ Sedis Apoſtolicæ, inſtructionis tuæ gratia prælibata, volumus vt intendas. Quod verò actioni ſuſceptæ tibi deeſſe perſpexeris, nobis vt volueris intimare curabis. Benè vale. Data Idibus Maij, imperante domno piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore, anno 111. Imperij eius, Indictione 11.

INDICVLVS SACRAMENTI, QVOD Bonifacius Romæ, cùm Epiſcopus ordinaretur, edidit, & manu ſua ſcriptum obtulit.

IN nomine Domini Dei Saluatoris noſtri IESV Chriſti. Imperante domno Leone à Deo coronato magno Imperatore anno VI. poſt Conſulatum eius anno VI. ſed & Conſtantino magno Imperatore eius filio anno IV. Indictione VI. PROMITTO ego Bonifacius Dei gratiâ Epiſcopus, tibi B. Petro Apoſtolorum principi, Vicarióque tuo B. Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus eius, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hoc ſacratiſſimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ exhibere, & in vnitate eiuſdem fidei, Deo operante perſiſtere, in qua omnis Chriſtianorum ſalus ſine dubio eſſe comprobatur. Nullomodo me contra vnitatem communis & vniuerſalis Eccleſiæ ſuadente quopiam conſentire: ſed vt dixi fidem & puritatem meam atque concurſum tibi, & vtilitatibus Eccleſiæ tuæ, cui à Domino Deo poteſtas ligandi ſoluendíque data eſt, & prædicto Vicario tuo, atque ſucceſſoribus eius per omnia exhibere. Sed & ſi cognouero Antiſtites contra inſtituta antiqua ſanctorum patrum conuerſari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem: ſed magis ſi valuero prohibere prohibebo: ſin minus, fideliter ſtatim domno meo Apoſtolico renuntiabo. Quòd ſi, quod abſit, contra huius promiſſionis meæ ſeriem aliquid facere quolibet modo, ſeu ingenio vel occaſione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio, vltionem Ananiæ & Sapphiræ incurram, qui vobis etiam de rebus propriis fraudem facere, vel falſum dicere præſumpſerunt. Hunc autem indiculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi, atque ponens ſupra ſacratiſſimum corpus B. Petri, ita vt præſcriptum eſt, Deo teſte & iudice præſtiti ſacramentum, quod & ſeruare promitto.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA II. Ad Carolum Ducem, Maiorem domus regiæ Francorum.

Commendat Bonifacium, vt illi faueat in ſuſcepto miniſterio.

DOMINO GLORIOSO FILIO CAROLO DVCI Gregorius Papa.

COMPERIENTES te, in Chriſto dilectiſſime, religioſæ mentis affectum gerere in multis opportunitatibus, debito ſalutis præmiſſo, notum facimus Deo dilectæ tuæ dignitati, præſentem fratrem Bonifacium, fide & moribus approbatum, à nobis Epiſcopum conſecratum, atque inſtitutionibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſiæ generali ſolicitudine informatum,

matum, ad prædicandum plebibus Germaniæ gentis, ac diuerſis in orientali Rheni fluminis parte conſiſtentibus, gentilitatis errore detentis, vel adhuc ignorantiæ obſcuritatibus præpeditis, neceſſariò deſtinare. Pro quibus eum glorioſæ beneuolentiæ tuæ omnimodò commendamus, vt eum in omnibus neceſſitatibus adiuuetis, & contra quoſlibet aduerſarios, quibus in Domino præualetis, inſtantiſſimè defendatis: certiſſimè retinentes, Deo vos exhibere, quæcumque huic promptiſſimo impenderitis fauore, qui ſanctis Apoſtolis ſuis ad lucem gentium deſtinatis, à ſuſcipientibus eos ſe ſuſcipiendum prædixit: quorum inſtitutionibus per nos informatus prædictus Antiſtes, in ſortes prædicationis procedit.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA III. generalis ad Epiſcopos, & alios omnium ordinum, tum clericos, tum laicos.

Commendat eundem Bonifacium, & quas ad res miſſus ſit exponit.

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis reuerentiſſimis & ſanctiſſimis fratribus coepiſcopis, religioſis preſbyteris, ſeu diaconibus, glorioſis Ducibus, magnificis Caſtaldis, Comitibus etiam, vel cunctis Chriſtianis Deum timentibus. SOLLICITVDINEM nimiam gerentes pro ſpeculatione nobis credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus, vel plaga orientali Rheni fluminis, antiquo hoſte ſuadente errare, & quaſi ſub religione Chriſtiana idolorum culturæ ſeruire cognouimus; aliquos verò, qui nec Dei cognitionem habentes, nec baptiſmatis ſacri vndâ ſunt loti, ſed comparatione brutorum animalium pagani factorem ſuum non recognoſcunt: neceſſarium duximus, pro vtrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum litterarum portitorem Bonifacium, reuerendiſſimum fratrem & coepiſcopum noſtrum, ad eaſdem partes dirigere; vt & illis prædicando verbum ſalutis vitam prouideat ſempiternam; & ſi quos fortè vbicumque à rectæ fidei tramite deuiaſſe cognouerit, aut aſtutia ſuaſos diabolica erroneos repererit, corrigat, atque ſui euocatione ad portum reſtituat ſalutis, eóſque ex Apoſtolicæ Sedis huius doctrina informet, & in eadem catholica fide permanere inſtituat. Cui etiam hortamur, ob amorem Domini noſtri IESV Chriſti, & Apoſtolorum eius reuerentiam, vt in omnibus ſolatia exhibeatis, eúmque in nomine IESV Chriſti recipiatis, vt ſcriptum eſt de ſuis diſcipulis, *Qui vos recipit, me recipit.* Matth. 10. 40. Prouidentes inſuper neceſſaria itineris eius, comiteſque tribuentes. Cibum etiam ac potum, vel ſi quid eguerit largientes: vt vno labore, & ſocia voluntate, opus ſibi creditum pietatis, & negotium ſalutis annuente Deo perficiatur, atque præmia laboris percipere mereamini, déque conuerſione errantium merces vobis adſcribatur in cælis. Si quis itaque huic Dei famulo, ad illuminationem gentium ab hac Apoſtolica & catholica Dei Eccleſia deſtinato, aſſenſum vel concurſum præbuerit;

exorantibus Apoſtolorum principibus conſortia mereatur ſanctorum Martyrum Chriſti Iesv. Si quis verò, quod non optamus, aduerſari eius laboribus conatus fuerit, aut contrarius extiterit miniſterio illi credito, ſucceſſorúmque eius in eundem laborem intrantium; ex ſententia diuina anathematis vinculo percellatur, & perpetuæ damnationi ſubiaceat. Data Kalendis Decembris, imperante Domino piiſſimo Auguſto Leone, Imperij eius anno vii. ſed & Conſtantini eius filij anno iv. Indictione vi.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA IV.

Ad clerum, ordinem, & plebem, cui Bonifacius ordinatus fuerat Epiſcopus.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, clero, ordini, & plebi conſiſtenti Thuringi, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem.

PRobabilibvs deſideriis nihil tarditatis præſtantes, fratrem iam & coepiſcopum noſtrum Bonifacium vobis ordinauimus ſacerdotem. Cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non eſt ſortitus vxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium, notatúmque, ad ſacros ordines permittat accedere: ſed ſi quos huiuſmodi fortè repererit, non audeat promouere. Afros paſſim ad Eccleſiaſticos ordines prætendentes nulla ratione ſuſcipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpiùs ſunt probati. Miniſteria atque ornatum Eccleſiæ, vel quicquid illud eſt in patrimonio eiuſdem, non minuere ſtudeat, ſed augere. De reditu verò Eccleſiæ, vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum vnam ſibi ipſe retineat, alteram clericis pro officiorum ſedulitate diſtribuat, tertiam pauperibus & peregrinis, quartam Eccleſiaſticis fabricis nouerit reſeruandam: de quibus diuino erit iudicio redditurus rationem. Ordinationes verò presbyterorum, ſiue diaconorum, non niſi quarti, ſeptimi, & decimi menſis ieiuniis, ſed & in ingreſſu quadrageſimali, atque medio, veſpere ſabbati nouerit celebrandas. Sacroſancti autem baptiſmi ſacramentum, nonniſi in Paſchali feſtiuitate & Pentecoſte nouerit eſſe præbendum, exceptis iis, quibus mortis vrgente periculo, ne in æternum pereant, talibus oportet remediis ſubuenire. Huic ergo ſedis noſtræ præcepta ſeruanti deuotis animis obſequi vos oportet, vt itreprehenſibile placitumque fiat corpus Eccleſiæ, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit & regnat cum Deo patre omnipotente, per omnia ſæcula ſæculorum. Deus incolumes vos cuſtodiat dilectiſſimi. Data Kalendis Decembris, imperante domno piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore, anno vii. ſed & Conſtantino magno Imperatore eius filio anno iv. Indictione vi.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA V.
Ad optimates Thuringorum.

Laudat illorum in Chriſti fide conſtantiam, hortatúrque vt Bonifacio Epiſcopo ſuo ſint obedientes.

VIRIS MAGNIFICIS FILIIS ASVLFO, GODDAVO, Vvillerco, Gunthario, Aluoldo, & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Chriſtianis, Gregorius Papa.

INSINVATAM nobis magnificæ in Chriſto fidei veſtræ conſtantiam agnoſcentes, quod Paganis compellentibus vos ad idola colenda, fide plena reſponderitis, magis velle feliciter mori, quàm fidem ſemel in Chriſto acceptam aliquatenus violare, nimia exultatione repleti gratias debitas perſoluimus Deo noſtro & redemptori, bonorum omnium largitori: cuius gratiâ comitante vós ad meliora & potiora optamus proficere, & ad confirmandum fidei veſtræ propoſitum ſanctæ Sedi Apoſtolicæ religioſis mentibus adhærere, & prout opus popoſcerit ſacræ religionis, à memorata ſancta Sede Apoſtolica ſpirituali omnium fidelium matre ſolatium quærere, ſicut decet filios cohæredes regni à regali parente. Miniſterio quoque præſentis fratris cariſſimi Bonifacij, quem ad vos Epiſcopum conſecratum in ſorte prædicationis deſtinauimus, Apoſtolicis inſtitutionibus informatum, ad inſtruendam fidem veſtram, in omnibus volumus & hortamur obedientes ei conſentire ad complementum in Domino veſtræ ſaluationis.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad vniuerſum populum Thuringorum.

Vt Bonifacio Epiſcopo ſuo in omnibus obediant, & Epiſcopia atque Eccleſias conſtruant.

GREGORIVS SERVVS SERVORVM DEI vniuerſo populo Thuringorum.

DOMINVS IESVS Chriſtus filius Dei, & Deus verus, de cælis deſcendit, homo factus eſt, & pro nobis pati & crucifigi dignatus eſt, & ſepultus tertia die reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cælum: diſcipulis etiam ſuis ſanctis ait, *Euntes docete omnes* Matth. 28. 19.
gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: ipſe in ſe credentibus vitam æternam promiſit. Cupientes ergo vos in perpetuum nobiſcum gaudere, vbi finis gaudij nullus eſt, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, ſed gloria ſempiterna: ideò fratrem noſtrum ſanctiſſimum Bonifacium Epiſcopum ad vos direximus, vt vos debeat baptizare, & fi-

dem Chriſti docere, & ab errore ad viam ſalutis deducere; vt ſalutem habeatis & vitam ſempiternam. Vos ergo ei in omnibus obedite, & ſicut patrem veſtrum illum honorate, & ad eius doctrinam corda veſtra inclinate. Quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus, ſed pro lucro animarum veſtrarum ad vos eum miſimus. Diligite ergo Dominum, & in nomine eius baptiſmum ſuſcipite: quia Dominus Deus noſter, quod oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis aſcendit, præparauit diligentibus ſe. Iam recedite à malis operibus, & agite bene: non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia Deus non recipit iſta: ſed in omnibus ſecundum quod vos frater noſter Bonifacius docuerit, obſeruate & agite, & ſalui eritis, & vos, & filij veſtri in ſempiternum. Facite ergo & domum, vbi debeat ipſe pater veſter Epiſcopus habitare, & Eccleſias vbi orare debeatis, vt Deus indulgeat peccata veſtra, & donet vobis vitam ſempiternam.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA VII.

Ad vniuerſum populum Altſaxonum.

Confirmat illos in fide Chriſti, quam relicto idolorum cultu amplexi erant.

GREGORIVS PAPA VNIVERSO POPVLO Prouinciæ Altſaxonum.

SAPIENTIBVS & inſipientibus debitor ſum, fratres cariſſimi, volens vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro his qui verbum exhortationis fidei IESV Chriſti Domini noſtri ſuſceperunt, & qui adhuc ſuſcepturi ſunt, vt conſolentur corda veſtra inſtructa in caritate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterij Dei patris IESV Chriſti, vt
Coloſſ. 2. 2. 3. ait egregius Apoſtolus, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Hoc autem dico, quoniam prope eſt regnum Dei. & nemo vos ampliùs decipiat in ſublimitate ſermonum, vt in quocumque metallo ſalutem veſtram quæratis, adorantes idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacumque materia facta, quæ fálſidico nomine à paganis antiquis Dij appellata ſunt. In quibus & dæmones habitare noſcuntur,
Pſal 95. 5. quoniam omnes Dij gentium dæmonia ſunt, vt ait Scriptura, Dominus autem noſter cælos fecit. Quicumque autem in vobis ſuſceperunt Chriſtum IESVM Dominum noſtrum, in ipſo ambulent radicati, & ſuperædificati, & confirmati fide, abundantes in gratiarum actionem. Videte ne quis vos ampliùs decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam. Aſtutiores enim ſunt filij tenebrarum, quàm filij lucis. Diſcedite filij ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt; & vultus veſtri non erubeſcent. Vnus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum, & piſcium, qui eſt

benedictus in ſæcula ſæculorum. Exſpoliate vos ergo veterem hominem, & induite Chriſtum nouum, deponentes omnem malitiam, iram, indignationem, blaſphemiam. Turpem ſermonem nolite de ore veſtro producere, & ab idolorum cultura recedite. Iam enim aduesperaſcit dies, nolite eſſe otioſi, ſed potius operamini opus bonum, vt Chriſtus habitet in vobis. Et quodcumque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti facite, gratias agentes Deo &. patri per ipſum, reſpuentes gentilitatis ſectam, ſcientes vos Dominum habere in cælis. Orationi inſtantes ad ipſum cor erigite, quoniam magnus eſt Dominus Deus noſter, & laudabilis nimis, & terribilis ſuper omnes Deos, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Hoc autem commoneo, fratres, vt quicumque voluerit ex vobis ad Chriſtum conuerti, nullomodo eum prohibeatis, neque vim ei faciatis ſculptilia adorare: quia ipſe Chriſtus Dominus viuit cum Deo patre omnipotente in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Cariſſimi, fidelis eſt miniſter & conſeruus in Domino, frater ac coepiſcopus noſter Bonifacius, quem miſi vobis ad hoc ipſum, vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo in Chriſto IESV Domino noſtro, vt à diabolica liberati fraude mereamini adoptionis filiis adgregari, & vt ab æterna damnatione liberati vitam habeatis æternam.

CAROLI MAIORIS DOMVS Epiſtola generalis.

De ſuſcepto in tuitionem ac defenſionem Epiſcopo Bonifacio.

DOMINIS ſanctis & Apoſtolicis in Chriſto patribus Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domeſticis, ſeu omnibus agentibus Iunioribus noſtris, ſeu Miſſis decurrentibus, & amicis noſtris, illuſtris vir Carolus Maior domus bene cupiens veſter. COGNOSCATIS qualiter Apoſtolicus vir, in Chriſto pater, Bonifacius Epiſcopus ad nos venit, & nobis ſuggeſſit quòd ſub noſtro mundeburdo vel defenſione eum recipere deberemus. Quod ita gratanti animo nos feciſſe cognoſcite. Proinde ergo taliter ei manu noſtra roboratam dare viſi ſumus, vt vbicumque ambulare viſus fuerit, cum noſtro amore, vel ſub noſtro mundeburdo & defenſione, quietus vel conſeruatus eſſe debeat: ea ratione vt iuſtitiam reddat, & iuſtitiam faciat & accipiat. Et ſi aliqua cauſatio vel neceſſitas ei aduenerit, quæ per legem definiri non potuerit, vſque ante nos quietus & conſeruatus eſſe debeat, tam ipſe, quàm qui per ipſum reclamare ſe & ſperare videntur. Vt ei nemo aliquam contrarietatem vel damnationem aduerſus eum facere præſumat: ſed omni tempore ſub noſtro mundeburdo vel defenſione quietus vel conſeruatus reſidere debeat. Et vt certiùs credatur, manu propria ſubterfirmauimus, & de anulo noſtro ſigillauimus.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA VIII.
Ad Bonifacium Epiſcopum.

Gratulatur de infidelium conuerſione, hortatúrque vt incœpto verbi miniſterio conſtanter inſiſtat.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

CREDITÆ ſpeculationis ſollicitudine permoti, Euangelica quoque inſtitutione, qua Chriſtus ait: *Obſecrate Dominum meſſis, vt eiciat operarios in meſſem ſuam*, tuam proinde reuerendam fraternitatem, ad imitationem Apoſtolorum, vt Domino iubente præcepti ſunt, *Euntes prædicate Euangelium regni, Gratis accepiſtis, gratis date*, in partibus Heſperiarum ad illuminationem Germanicæ gentis in vmbra mortis ſedentis dirigere præuidimus, lucrum vt inde apportare deberes, quaſi ſeruus ille de negotio talenti, ſicut ſcriptum eſt, fidus in futuro auctori aſſerit Deo feciſſe. Quod quia ex obedientiæ munere miniſterium verbi cernimus adolere, & prædicationis præconio populum infidelem, vt innotuiſti, audiuimus conuerti, Domini potentiæ gratias referentes, vt ipſe, à quo bonum procedit, & ad agnitionem vult omnes venire veritatis, tibi optamus vt cooperetur, & à tenebris ad lucem populum illum ſuæ potentiæ inſpiratione reducat. Hinc enim vobis merces copioſa credimus quòd ab omnipotente Deo adſcribatur in cælis. *Bonum enim certamen*, ſi perſeueraueris, poſſis cum Apoſtolo dicere, *certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Sed vt coronam percipias laboris inſiſte: pollicetur enim Deus perſeuerantibus in finem ſalutem. Nec te minæ terreant, nec deiiciant terrores: ſed fixam in Deo tenens fiduciam, veritatis verbum denuntia. Erit enim ex adiutorio diuino protectio, tantum ſit bonum in voluntate opus. Igitur quantos ab errore conuerteris, ſyllabarum tuarum recenſito textu cognouimus, læti vberes Deo gratias agentes de lucro animarum exultamus. Porrò pro Epiſcopo illo, qui nunc vſque deſidia quadam in eadem gente prædicationis verbum diſſeminare neglexerat, & nunc ſibi partem quaſi in parochiam defendit, Carolo excellentiſſimo filio noſtro Patricio, vt eum compeſcat ſuadentes, paternis litteris ſcripſimus, & credimus quòd hoc vitari præcipiat: ipſe verò opportunè, importunè prædicare quæ ſunt ſalutis non deſinas. Igitur Thuringis & Germaniæ populo ea quæ ad animæ reſpiciunt vtilitatem & ſalutem ſcribere non omiſimus: admonentes inter alia, vt conſtruant Epiſcopia & Eccleſias. Ipſe enim, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat, erit omnibus daturus incrementum. Deus te incolumem cuſtodiat. Data pridie Nonas Decembris, imperante domino piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperato anno VIII. P. C. eius anno VIII. ſed & Conſtantino magno imperante eius filio anno V. Indictione VIII.

Matth. 9. 38. Marc. 16. 15. Matth. 10. 8. Matth. 25. 21. Luc. 19. 17. 1. Tim. 4. 7.

GREGORII II. PAPÆ EPISTOLA IX.
Ad Bonifacium Epiſcopum.

Reſpondet ad varias eius interrogationes & conſulta.

REVERENTISSIMO AC SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

DESIDERABILEM mihi à te miſſus Denual religioſus preſbyter attulit nuntium, cùm te ſoſpitem narrauit, & in miniſterio, pro quo miſſus es, fauente Deo proficere nuntiauit. Detulit etiam à te miſſas litteras, vbi indicaſti, quòd ager Dominicus, qui incultus iacebat, & ſpinarum aculeis ex infidelitate riguerat, vomere tuæ doctrinæ exarante, ſemen verbi ſuſcepit, & fertilem meſſem protulit fidelitatis. In iiſdem litteris quædam ſubnexuiſti capitula, ſciſcitando qualiter teneat vel doceat hæc ſancta Apoſtolica Romana Eccleſia. Bene ſatis, quia beatus Petrus Apoſtolus & Apoſtolatus & Epiſcopatus principium extitit, & conſulenti tibi de ſtatu Eccleſiæ, non ex nobis quaſi ex nobis, ſed eius gratia qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit diſertas, qualiter tenere debeas, Apoſtolici vigoris doctrinam dicimus. I. Igitur in primis legebatur, in quota progenie propinquorum matrimonium copulatur. Dicimus quòd oportuerat quidem, quamdiu ſe agnoſcunt affinitate propinquos, ad huius copulæ non accedere ſocietatem. Sed quia temperantia magis, & præſertim in tam barbara gente plus placet, quàm diſtrictio cenſuræ, concedendum eſt, vt poſt quartam generationem iungantur. II. Nam quòd propoſuiſti, quòd ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? Bonum eſſet ſi ſic permaneret, vt abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis: non tamen ſubſidij opem ſubtrahat ab illa, cui infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit. III. De preſbytero verò, ſi quilibet ſacerdos à populo fuerit accuſatus, ſi certi non fuerint teſtes, qui criminis illati approbent veritatem, iuſiurandum erit in medio, & illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia; ſicque maneat in proprio gradu. IV. Nam de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda eſt. V. In Miſſarum ſolenniis illud obſeruandum eſt, quod Dominus noſter IESVS Chriſtus ſanctis ſuis tribuit diſcipulis. Accepit namque calicem dicens, *Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine: hoc facite quotieſcumque ſumitis.* Vnde congruum non eſt, duos vel tres calices in altario ponere cùm Miſſarum ſolennia celebrantur. VI. De immolatitiis autem eſcis conſuluiſti, ſi à fidelibus ſuperductum fuerit viuificæ crucis ſignum, edi liceret, an non. Illud ſufficit reſpondere, quod beatus Paulus Apoſtolus dicit, *Si quis dixerit quia hoc immolatitium eſt, nolite edere propter eum qui indicauit, & propter conſcientiam.* VII. Addidiſti adhuc, quòd ſi pater vel mater filium, vel filiam, intra ſepta monaſterij in

32. q. 7. Quod propoſuiſti.

2. q. 5. Preſbyter, vel quilibet.

De Conſecr. diſt. 5. De homine, qui.

Luc. 22. 20. 1. Cor. 11. 25.

1. Cor. 10. 28.

20. q. 1. Addidiſti.

infantiæ annis ſub regulari tradiderint diſciplina; vtrum liceat eis, poſtquam pubertatis impleuerint annos, egredi, & matrimonio copulari. Hoc omnino deuitamus, quia nefas eſt, vt oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur. VIII. Enimuero quoſdam abſque interrogatione ſymboli ab adulteris & indignis preſbyteris faſſus es baptizatos. In his tua dilectio teneat antiquum morem Eccleſiæ: quia quiſquis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatus eſt, rebaptizari eum minimè licet. Non enim in nomine baptizantis, ſed in nomine Trinitatis, huius gratiæ donum percipitur. Et teneatur quod Apoſtolus ait: *Vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma.* Doctrinam verò ſpiritualem talibus ſtudioſiùs vt impertias demandamus. IX. De paruulis verò, qui à parentibus ſubracti ſunt, & an baptizati ſint an non ignorant, quia interrogaſti, hos vt baptizare debeas ſecundum patrum traditionem, ſi non fuerit qui teſtificetur, ratio poſcit. X. Leproſis autem, ſi fideles Chriſtiani fuerint, Dominici corporis & ſanguinis participatio tribuatur: cum ſanis autem conuiuia celebrare prohibeantur. XI. Adiecisti etiam, quòd ſi peſtifer morbus, aut mortalitas in Eccleſia vel monaſteriis irrepſerit, hi quos nondum tetigit an debeant à loco fugere, euitantes periculum. Quod valde fatuum videtur. Non enim valet quiſquam Dei effugere manus. XII. In fine Epiſtola continebat, quòd ſunt quidam preſbyteri, ſeu Epiſcopi, multis vitiis irretiti, quorum vita in ſeipſis ſacerdotium maculat; ſi tibi liceret cum eis edere aut loqui, niſi coërciti fuerint. Dicimus vt hos ex Apoſtolica auctoritate redarguendo admoneas, & ad munditiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ reducas. Et ſi quidem obedierint, ſaluabunt animas ſuas, & ipſe mercedem lucraturus es. Verumtamen collocutionem & menſam communem cum eis agere non recuſes. Plerumque enim contingit, vt quos correctio diſciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conuiuiorum ſedulitas & admonitio blanda ad viam perducat iuſtitiæ. Idipſum autem & in illis proceribus, qui tibi adiutorium præſtant, obſeruare debebis. Hæc ergo, frater cariſſime, ex Apoſtolicæ Sedis vigore ſcripta ſufficiant. De reliquo, Dei imploramus clementiam, vt qui te illis in regionibus vice noſtra ex Apoſtolica auctoritate pergere fecit, & in opacam ſiluam lumina veritatis per os tuum micare prædeſtinauit, opitulationis ſuæ miſericordiſſimum tribuat incrementum: quatenus de fructu operis & ipſe valeas præmia percipere, & veniam peccatorum inuenire. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data x. Kalendas Decembris, imperante domino piiſſimo Auguſto Leone à Deo coronato magno Imperatore, anno x. imperij eius: ſed & Conſtantino magno Imperatore, regni eius anno VII. Indictione x.

Ephef. 4. 5.

De Conſecr. diſt. 4 Paruulos, qui.

ANNO CHRISTI 731. THEODORICI II. REGIS 16.

GREGORIVS III. PAPA.

GREGO-

GREGORII III. PAPAE
EPISTOLA I.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Mittit illi pallium Archiepiſcopale, docétque quomodo vti eo debeat: poteſtatem facit nouos Epiſcopatus inſtituendi. De quodam presbytero, & de diuerſis eius interrogationibus reſpondet.

REVERENTISSIMO ac ſanctiſſimo fratri Bonifacio coepiſcopo ad illuminationem gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus gentibus in errore conſtitutis ab hac Apoſtolica Sede directo, Gregorius ſeruus ſeruorum Dei. MAGNA nos habuit gratulatio lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris, cùm in eis relecta ſerie fuiſſet repertum, Domini noſtri IESV Chriſti gratiâ plurimos te à gentilitate, & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia diuina inſtitutione docemur in parabolis, Matth.25.20. cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuiſſe lucratum, in talis commercij lucro cum tota plaudimus Eccleſia. Hinc iure tibi ſacri pallij direximus munus, quod beati Petri Apoſtoli auctoritate ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo auctore, præcipimus vt cenſearis. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus agnoſce. Itaque dum Miſſarum ſolennia agis, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quia verò turbas Domini gratia in iiſdem partibus ad rectam fidem aſſeris eſſe conuerſas, ideóque nequire te occurrere omnibus, & quæ ſalutis ſunt impendere vel intimare, cùm iam longè latéque gratiâ Chriſti eius fides in illis propagetur: præcipimus vt iuxta ſacrorum canonum ſtatuta, vbi multitudo excreuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ Sedis debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus. 16.q.1.Præcipimus vt iuxta. Presbyterum namque, quem præterito aſſeruiſti anno ad nos veniſſe, noſtróque iudicio fuiſſe à ſuis nefariis abſolutum actionibus, credas neque nobis confeſſionem aliquam feciſſe, nec à nobis vt ſuos expleat libitus abſolutum fuiſſe. Sed ſi eum errori deditum repereris, hunc Apoſtolicæ Sedis vigore vt iuxta ſanctorum canonum cenſuram corrigas & emendes præcipimus: vel ſi quos forſan tales inueneris. Ille enim veniens, Presbyter ſum, ait, & commendatitias ad filium noſtrum Carolum literas expetiit. Nullam illi aliam conceſſimus licentiam: quem vitari, ſi prauè conuerſatur, cum reliquis volumus. I. Eoſdémque, quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuò baptizes in nomine ſanctæ Trinitatis mandamus. De Conſecr. diſt.4. Quos à paganis. II. Inter cetera, agreſtem caballum aliquantos comedere adiunxiſti, pleróſque & domeſticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, ſanctiſſime frater, ſinas: ſed quibus potueris Chriſto iuuante modis per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam. Immundum eſt

13. q. 2. Pro obeuntibus.

enim atque execrabile. III. Pro obeuntibus quoque conſuluiſti ſi liceat offerre. Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſque pro ſuis mortuis verè Chriſtianis offerat oblationes, atque eorum memoriam faciat preſbyter. Et quamuis omnes peccatis ſubiaceamus, congruit tamen, vt ſacerdos nonniſi pro mortuis catholicis memoriam faciat & intercedat. Non enim pro impiis, quamuis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit. IV. Eos etiam qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui à preſbytero Ioui mactante, & carnes immolatitias veſcente baptizati ſunt, vt rebaptizentur præcipimus. V. Progeniem verò ſuam vnumquemque vſque ad ſeptimam generationem obſeruare decreuimus. VI. Et ſi valueris, deuitandum doce, ne cui vxor obierit, ampliùs quàm duabus debeat copulari. VII. De his verò, qui patrem, matrem, fratrem, aut ſororem occiderint, dicimus vt toto vitæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in ſuo exitu pro viatico. Abſtineant etiam ſe à carnis comeſtione, & potu vini, donec aduixerint: ieiunent ſecunda, quarta, & ſexta feria, vt ſic poſſint deflentes diluere commiſſum ſcelus. VIII. Hoc quoque inter alia crimina agi in partibus illis dixiſti, quòd quidam ex fidelibus ad immolandum paganis ſua venundent mancipia. Quod vt magnopere corrigere debeas, frater, commonemus, nec ſinas fieri vltra. Scelus eſt enim, & impietas. Eis ergo qui hæc perpetrauerunt, ſimilem homicidæ indices pœnitentiam. IX. At quoties Epiſcopum conſecraueris, duo vel tres conueniant tecum Epiſcopi, vt Deo ſit gratum quod geritur, & eis conuenientibus, ipſiſque præſentibus conſecres. Hæc te, frater cariſſime, diligenter obſeruare volumus, & ſtudio pietatis cœptum negotium ſalutis exequi: vt de lucro apportato valeas à Domino Deo noſtro mercedem percipere in æterna retributione. Priuilegium verò iuxta quod petiſti facientes, his iunctum direximus: optantes te Domini Dei noſtri præſidio de conuerſione errantium Chriſto Domino pleniſſimum apportare lucrum. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater.

GREGORII III. PAPÆ EPISTOLA II.
Ad omnes Epiſcopos, preſbyteros, & Abbates.

Commendat Bonifacium in Germaniam redeuntem; vt illum adiuuent, & ſi quis illi ſe adiungere velit, non prohibeant.

GREGORIVS SERVVS SERVORVM DEI DILECTISſimis nobis omnibus Epiſcopis, venerabilibus preſbyteris, religioſis Abbatibus omnium prouinciarum.

DOMINO cooperante, & ſermonem confirmante, præſens ſanctiſſimus vir Bonifacius frater & coepiſcopus noſter, qui verbum veritatis à deceſſore noſtro ſanctæ recordationis Gregorio præſule in Germaniæ partes miſſus fuerat prædicare; iam poſt multum tempus, anhelanti deſiderio orationis, ad limina ſacra beatorum Apoſtolorum adueniens, ſe nobis præſentare voluit. Qui etiam completa oratione, ad cœptum laborem, Angelo Domini præueniente,

à nobis eſt dimiſſus. Cui veſtra obſecro omnium dilectio, ſeu reuerentia & religioſitas, propter Chriſti amorem iuuamina impendere dignetur: dum agnoſcitis quæ Dominus noſter Iesvs Chriſtus promiſit dicens, *Qui ſuſcipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui ſuſcipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet.* Et ſi forſitan aliquis ex veſtris miniſtris ſeſe ipſi ſanctiſſimo viro in miniſterio exhortationis ſanctæ catholicæque fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis, cariſſimi: ſed magis concurſum præbete, & ex veſtro ouili adiutores tribuite, qui poſſint per Dei gratiam ſufficienter gentibus miniſtrare verbum prædicationis, vt omnipotenti Deo animas lucrifaciant: vt & veſtra communitas boni operis portionem ſortiatur, atque illi mereantur Dominicam vocem audire, *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.* Benè valete.

Math. 10. 41.

Math. 19. 28.

GREGORII III. PAPÆ EPISTOLA III.

Ad optimates, & populum prouinciarum Germaniæ.

Redeunte ad illos Bonifacio monet vt ei obediant, atque vt paganicos omnes ritus procul abijciant.

GREGORIVS PAPA VNIVERSIS OPTIMATIBVS, & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis & Heſſis, Borcharis & Niſtreſis, Vvedrinis & Lognais, Suduodis & Graueldis, & omnibus in Orientali plaga conſtitutis.

QVONIAM deceſſor noſter ſanctæ recordationis Gregorius Præſul, nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam, præſentium portitorem litterarum Bonifacium reuerentiſſimum fratrem noſtrum & coepiſcopum ordinans ad vos vſque deſtinauit, eumque regulam & normam Apoſtolicæ & catholicæ fidei Romanæ, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſiæ edocens direxit: & poſt temporum ſpatia orationis causâ ad limina beatorum Apoſtolorum ſeſe præſentauit, & quæ ad ſalutem animarum pertinent à nobis popoſcit imbui: Nos Deo fauente, vt ſacra docet Scriptura, eum edocentes, ad vos cariſſimi remeaturum abſoluimus: hortantes vos in Domino, vt dignè ſuſcipiatis ab eo verbum exhortationis, & Epiſcopos vel presbyteros, quos ipſe ordinauerit per Apoſtolicam ſibi datam auctoritatem, in Eccleſiæ miniſterio recipiatis. Et ſi quos forſan deuiantes inuenerit à rectæ fidei tramite, ſeu canonica doctrina, eoſque prohibuerit, à vobis nullomodo impediatur, & quod eis impoſitum fuerit obediendo propter Deum ſuſcipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, ſibi ipſi damnationem acquirit. Vos autem, cariſſimi, qui in nomine Chriſti baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, abſtinete & prohibete voſmetipſos ab omni cultu paganorum, non tantùm voſmetipſos corrigentes, ſed & ſubditos veſtros. Diuinos autem & ſortilegos, vel ſacrificia mortuorum, ſeu lucorum vel fontium auguria, vel phylacteria, & incantatores, & veneficos, & male-

ficos, & obſeruationes ſacrilegas, quæ in veſtris finibus fieri ſolebant, omnino reſpuentes atque abiicientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini, ipſúmque timete, adorate, honorificate, *Sanctorum memoriis communicantes*, vt ait Apoſtolus. Si enim fides veſtra, ſecundum Domini noſtri dicta, fuerit ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer, & tranſferetur. Ipſe enim Dominus & Saluator noſter in ſuo ſacro eloquio docet, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Et iterum, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo qui in cœlis eſt.* Item & alibi promittit dicens, *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis*: &, *Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur.* Et vos, cariſſimi, facite fructus dignos, vt in die aduentus Domini noſtri Iesv Chriſti ſidereas mereamini adipiſci manſiones. Bene valete.

Rom.12.13. Matth 17.13. Matth.22.37. Matth.10.32. Ioan.14.13. Luc.11.9.10.

GREGORII III. PAPÆ EPISTOLA IV.
Ad Epiſcopos Baioariæ & Alamanniæ.

Vt Bonifacium Sedis Apoſtolicæ agentem vices congruè ſuſcipiant, & ad Concilia quæ indixerit conueniant.

DILECTISSIMIS NOBIS EPISCOPIS IN PROVINCIA Baioariorum & Alamannia conſtitutis, Vvigoni, Luidoni, Rodulfo, Viuilo, ſeu Addæ, Gregorius Papa.

CATHOLICA ſanctorum patrum auctoritas iubet, vt bis in anno pro ſalute populi Chriſtiani, ſeu exhortatione adoptionis filiorum, Synodalia debeant celebrari, & cauſarum canonicarum examinatio prouenire, vt vnicuique, prout neceſſitas vniuſcuiuſque popoſcerit, pia iudicatione ſubueniatur. Vnde ſecundum Apoſtoli doctrinam admoneo & hortor vos, cariſſimi, per miſericordiam Dei, vt dignè ambuletis ea vocatione qua vocati eſtis, vt miniſterium veſtrum perfectum ſit coram Domino. Opportunum namque eſt vos noſſe, fratrem & coepiſcopum noſtrum præſentem Bonifacium, noſtram agentem vicem, cum digno ac debito honore pro Chriſti nomine ſuſcipere: & miniſterium Eccleſiaſticum cum fide catholica ſecundum morem & normam ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, cui miſericordia Dei præueniente præeſſe videmur, ſicut Apoſtolica auctoritate à nobis deſtinatus eſt, ab eo ſuſcipientes dignanter teneatis, & gentilitatis ritum & doctrinam, vel venientium Britonum, vel falſorum ſacerdotum & hæreticorum, aut vndecumque ſint, renuentes ac prohibentes abiiciatis: & vt populum vobis à Deo commiſſum piis admonitionibus edoceatis, & à ſacrificiis mortuorum omnino abſtineatis: & iuxta quod fueritis à prædicto noſtro conſacerdote edocti, ita catholicam & Apoſtolicam doctrinam tenentes, Domino Deo & Saluatori noſtro placere ſtudeatis, & in quo

Ephes 4 1.

vobis loco ad celebranda Concilia conuenire mandauerit, ſiue iuxta Danubium, ſiue in ciuitate Auguſta vel vbicumque iudicauerit, pro nomine Chriſti parati eſſe inueniamini, quatenus cognoſcamus per eius mandatum de veſtro conuentu, vt in die aduentus Chriſti Iesv cum fructu boni operis ante eius tribunal aſſiſtere mereamini dicentes, Ecce nos, & pueri quos dediſti nobis Domine, non perdidimus ex eis quemquam: vt & vos Dominicam vocem audire mereamini dicentem, *Venite benedicti patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Benè valete. Eſa 8 18. Matth. 25 34.

GREGORII III. PAPÆ EPISTOLA V.
Ad Carolum Martellum Maiorem domus regiæ Francorum.

Pro ſuſcipienda ſanctæ Eccleſiæ Romanæ defenſione aduerſus reges Longobardorum, qui illam armis ſuis vexabant.

DOMINO EXCELLENTISSIMO FILIO CAROLO ſubregulo, Gregorius Papa.

Nimia fluctuamus tribulatione, & lacrymæ die noctúque ab oculis noſtris non deficiunt, quando conſpicimus quotidie & vndique Eccleſiam ſanctam Dei à ſuis, in quibus ſpes erat vindicandi, deſtitui filiis. Propterea coartati dolore in gemitu & luctu conſiſtimus, dum cernimus id quod modicum remanſerat præterito anno pro ſubſidio & alimento pauperum Chriſti, ſeu luminarium concinnatione, in partibus Rauennatum, nunc gladio & igne cuncta conſumi à Luitprando & Hilprando regibus Longobardorum. Sed in iſtis partibus Romanis mittentes plures exercitus ſimilia nobis fecerunt & faciunt: & omnes ſalas S. Petri deſtruxerunt, & peculia quæ remanſerant abſtulerunt. Et nulla nobis abs te, excellentiſſime fili, refugium facientibus peruenit hactenus conſolatio. Sed vt conſpicimus, dum indultum à vobis eiſdem regibus eſt motiones faciendi, quòd eorum falſa ſuggeſtio plus quàm noſtra veritas apud vos recepta eſt, & timemus ne tibi reſpiciat ad peccatum; quando nunc, vbi reſident ipſi reges, ad exprobrationem noſtram ita proferunt verba dicentes, Adueniat Carolus, apud quem refugium feciſtis, & exercitus Francorum, & ſi valent adiuuent vos, & eruant de manu noſtra. O quàm inſanabilis dolor pro his exprobrationibus in noſtro retinetur pectore, dum tales ac tanti filij ſuam ſpiritualem matrem, ſanctam Dei Eccleſiam, eiúſque populum peculiarem non conantur defendere! Potens eſt, cariſſime fili, ipſe princeps Apoſtolorum, ob à Deo ſibi conceſſam poteſtatem, ſuam defendere domum & populum peculiarem, atque de inimicis dare vindictam: ſed filiorum fidelium mentes probat. Non credas, fili, falſidicis ſuggeſtionibus & ſuaſionibus eorumdem regum. Omnia enim tibi falsò ſuggerunt, ſcribentes circumuentiones, quòd quaſi aliquam culpam commiſſam habeant eis Duces, id eſt Spoletinus

& Beneuentanus. Sed omnia mendacia ſunt. Non enim pro alio, ſatiſfaciat tibi veritas fili, eoſdem Duces perſequuntur crimine, niſi pro eo quòd noluerunt præterito anno de ſuis partibus ſuper nos irruere, & ſicut illi fecerunt, res ſanctorum Apoſtolorum deſtruere, & peculiarem populum deprædari, ita dicentes ipſi Duces, Quia contra Eccleſiam ſanctam Dei, eiúſque populum peculiarem non exercitamus: quoniam & pactum cum eis habemus, & ex ipſa Eccleſia fidem accepimus: ideóque mucro eorum deſæuit contra eos. Nam ipſi prædicti Duces parati fuerunt & ſunt ſecundum antiquam conſuetudinem eis obedire: ſed illi retinentes iram pro eo quod ſuperiùs diximus, per exquiſitam occaſionem volentes illos, & nos deſtruere & inuadere; ideo vtróſque perſequentes veſtræ bonitati ſuggerunt falſa, vt & Duces illos nobiliſſimos degradent, & ſuos ibidem prauos ordinent Duces; & multo ampliùs quotidie, & ex omni parte Dei Eccleſiam expugnent, & res beati Petri principis Apoſtolorum diſſipent, atque populum peculiarem captiuent. Tamen vt rei veritas vobis penitus declaretur, Chriſtianiſſime fili, iubeas poſt ipſorum regum ad propria reuerſionem tuum fideliſſimum Miſſum, qui non præmiis corrumpatur, huc dirigere, vt propriis oculis perſecutionem noſtram, & Dei Eccleſiæ humiliationem, & eius rerum deſolationem, & peregrinorum lacrymas conſpicetur, & tuæ deuotioni omnia pandat. Sed hortamur tuam bonitatem coram Domino, & eius terribili iudicio, Chriſtianiſſime fili, vt propter Deum & animæ tuæ ſalutem ſubuenias Eccleſiæ ſancti Petri, & eius peculiari populo, eoſdémque reges ſub nimia celeritate refutes, & à nobis repellas, & iubeas eos ad propria reuerti. Non deſpicias deprecationem meam, neque claudas aures à poſtulatione mea: ſic non tibi princeps Apoſtolorum claudat cæleſtia regna. Coniuro te per Deum viuum & verum, & per ipſas ſacratiſſimas claues confeſſionis beati Petri, quas vobis ad regnum direximus, vt non præponas amicitiam regum Longobardorum amori principis Apoſtolorum: ſed velociùs ſub nimia feſtinatione ſentiamus poſt Deum tuam conſolationem ad noſtram defenſionem; vt in omnibus gentibus declaretur veſtra fides & bonum nomen: quatenus & nos cum propheta mereamur dicere: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob.* Harum autem litterarum portator Anchardus veſter fidelis quod oculis ſuis vidit, & nos ei iniunximus, omnia tuæ benignæ excellentiæ viua voce narrabit. Et petimus bonitatem tuam, coram Deo teſte & iudice, vt nimis feſtinanter lenias dolores, & lætabunda nobis celeriter mittas nuntia, vt læto affecti animo die noctúque pro te tuíſque fidelibus coram ſacris ſanctorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli confeſſionibus Domino fundamus preces.

Pſal. 19. 1.

GREGORII III. PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad Carolum Martellum Maiorem domus regiæ Francorum.

Item pro defenſione Eccleſiæ Romanæ.

DOMINO EXCELLENTISSIMO FILIO CAROLO ſubregulo, Gregorius Papa.

OB nimium dolorem cordis, & lacrymas, iterata vice tuæ excellentiæ neceſſarium duximus ſcribendum, confidentes te eſſe amatorem filium B. Petri principis Apoſtolorum & noſtrum; & quòd pro eius reuerentia noſtris obedias mandatis ad defendendam Dei Eccleſiam, & peculiarem populum, qui iam perſecutionem & oppreſſionem gentis Longobardorum ſufferre non poſſumus. Omnia enim luminaria ad honorem ipſius principis Apoſtolorum, & quæ à veſtris parentibus, vel à vobis oblata ſunt, ipſi abſtulerunt. Et quoniam ad te poſt Deum confugium facimus, propterea ipſi Longobardi in opprobrium habent & opprimunt. Vnde & Eccleſia S. Petri denudata eſt, & in nimiam deſolationem redacta. Tamen omnes noſtros dolores ſubtiliùs in ore poſuimus præſenti portatori tuo fideli, quos in auribus tuæ excellentiæ ſuggerere debeat. Tu autem, fili, habeas cum ipſo principe Apoſtolorum, hîc & in futura vita coram omnipotente Deo noſtro, ſicut pro eius Eccleſia & noſtra defenſione diſpoſueris & decertaueris ſub omni velocitate: vt cognoſcant omnes gentes tuam fidem & puritatem, atque amorem quem habes erga principem Apoſtolorum B. Petrum & nos, eiuſque peculiarem populum, zelando & defendendo. Ex hoc enim tibi poteris immortalem & æternam vitam acquirere.

GREGORII III. PAPÆ EPISTOLA VII.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Probat quòd Baioariam in quatuor Epiſcopatus diuiſit, aliquot eius quæſtionibus reſpondet, Concilium iuxta ripam Danubij celebrari iubet.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

DOCTORIS gentium egregij B. Apoſtoli Pauli vox eſt dicentis, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Agnoſcentes itaque in ſyllabis fraternitatis tuæ, quæ innotuiſti iam de Germaniæ gentibus, quas ſua pietate Deus noſter de poteſtate paganorum liberauit, & ad centum millia animas in ſinu matris Eccleſiæ, tuo conamine, & Caroli principis Francorum, aggregare dignatus eſt: ſed & Rom 8.28.

in Baioariorum prouincia quæ à te acta ſunt agnoſcentes, datori omnium bonorum Domino Deo noſtro extenſis ad cælum palmis gratias retulimus: qui ianuam miſericordiæ & pietatis in illis partibus Heſperiis ad cognoſcendam viam ſalutis oſtium miſericordiæ aperuit, & miſit Angelum ſuum, qui præparauit viam tuam ante te. Ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Igitur quia indicaſti perrexiſſe te ad gentem Baioariorum, & inueniſſe eos extra ordinem Eccleſiaſticum viuentes, dum Epiſcopos non habebant in prouincia, niſi vnum nomine Viuilo, quem nos ante tempus ordinauimus: & quia cum aſſenſu Otilonis Ducis eorũdem Baioariorum, ſeu optimatum prouinciæ illius, tres alios ordinaſſes Epiſcopos, & in quatuor partes prouinciam illam diuiſiſſes, id eſt in quatuor parochias, vt vnuſquiſque Epiſcopus ſuam habeat parochiam, bene & ſatis prudenter peregiſti, frater: quoniam Apoſtolicam præceptionem ex noſtra vice impleſti, & ſicut tibi præcepimus ita peregiſti. Itaque non deſinas, frater reuerentiſſime, docendo eos ſanctam catholicam & Apoſtolicam Romanæ Sedis traditionem, vt illuminentur rudes, & viam ſalutis teneant, per quam poſſint ad

D. LXVIII. Preſbyteri, quos. æterna præmia peruenire. Preſbyteros verò, quos ibidem reperiſti, ſi incogniti fuerint viri illi à quibus ſunt ordinati, & dubium eſt eos Epiſcopos fuiſſe, an non, qui eos ordinauerunt; ſi bonæ actionis & catholici viri ſunt illi preſbyteri, & in miniſterio Chriſti, omníque lege ſancta edocti atque apti, ab Epiſcopo ſuo benedictionem preſbyteratus ſuſcipiant, & conſecrentur, & ſic miniſterio ſacro fungantur. Illi verò qui baptizati ſunt per diuerſitatem & declinationem linguarum gentilitatis, tamen quia in nomine Trinitatis baptizati ſunt, oportet eos per manus impoſitionem, & ſacri chriſmatis vnctionem confirmari. Nam Viuilo à nobis Epiſcopus eſt ordinatus; & ſi aliquid excedit extra canonicam regulam, doce & corrige eum iuxta Romanæ Eccleſiæ traditionem, quam à nobis accepiſti. De Concilio verò, vt iuxta ripam Danubij debeas celebrare noſtra vice, præcipimus fraternitati tuæ Apoſtolica auctoritate ibidem præſentari. Et in quantum Dominus tibi vires dederit, prædicare verbum ſalutis ne ceſſes, vt religio Chriſtiana in nomine Domini creſcat, & multiplicetur. Nec enim habebis licentiam, frater, pro iure cœpti laboris in vno morari loco: ſed confirmatis cordibus fratrum & omnium fidelium, qui rudes ſunt in illis Heſperiis partibus, vbi tibi Dominus aperuerit viam, ſalutis verbum prædicare non deſiſtas: & vbi locum inueneris neceſſarium, ſecundum canonicam regulam Epiſcopos ordina ex noſtra vice, & Apoſtolicam atque catholicam traditionem eos tenere edoce. Ex hoc enim magnũ mercedis præmium tibi præparabis, quoniam omnipotẽti Deo noſtro facies plebem perfectam. Non pigeat, dilectiſſime frater, itinera carpere aſpera & diuerſa, vt Chriſtiana fides longè latéque tuo conamine extendatur. Scriptum

Matth. 7. 14. namque eſt, *Arta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam.* Operare itaque, frater, bonum opus quod cœpiſti, vt in die Chriſti Dei noſtri merearis dicere

Eſa. 8. 18. inter cœtum ſanctorum probabilium patrum aſſiſtens: *Ecce ego & pueri*

Matth. 25. 20. *quos dediſti mihi: non perdidi ex eis quenquam.* Et iterum, *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, Ecce alia quinque ſuperlucratus ſum* Et vt ſubſequenter

Ibid. 21. merearis vocem Domini audire dicentis: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.*

Deus

Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data IV. Kalendas Nouembris, imperante domno piiſſimo Auguſto Leone, Imperij eius anno XXIII. ſed & Conſtantino magno Imperatore eius filio anno XX. Indictione VIII.

ANNO CHRISTI 741. P.M. THEODORICI II. REGIS 9.

ZACHARIAS PAPA.

BONIFACII EPISCOPI EPISTOLA I.

Ad Zachariam Papam.

I. *Quòd tres Epiſcopatus in Germania inſtituerit.* II. *Quòd Carlomannus Synodum in regno Franciæ congregari cupiat.* III. *Quid ſtatuendum de Epiſcopis, presbyteris, diaconibus, qui fornicarij vel ſanguinarij fuerint deprehenſi.* IV. *De eligendo ſibi ſucceſſore.* V. *De inceſtis nuptiis laici cuiuſdam viri primarij.* VI. *De paganis ritibus, qui Romæ obſeruari dicebantur.* VII. *De indignis Epiſcopis & presbyteris, qui conceſſam ſibi à Sede Apoſtolica miniſtrandi facultatem obtendunt.*

DOMINO CARISSIMO, SVMMI PONTIFICATVS infulâ prædito, viro Apoſtolico Zachariæ Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei.

CONFITEMVR, Domine Pater, quia poſtquam per nuntios referentes audiuimus, quòd venerandæ memoriæ Apoſtolatus veſtri præceſſor Gregorius Pontifex Apoſtolicæ Sedis, ergaſtulo corporis abſolutus ad Dominum migrauit, maiorem lætitiam, & maius gaudium nobis non audiuimus, & ſuſpenſis ad æthera palmis Deo gratias egimus, quàm quòd clementem paternitatem veſtram altiſſimus arbiter canonica iura regere, & Apoſtolicæ Sedis gubernacula tenere conceſſit. Ergo non aliter quàm vt ante veſtigia veſtra geniculantes intimis ſubnixè flagitamus precibus, vt ſicut præceſſorum veſtrorum pro auctoritate ſancti Petri ſerui deuoti, & ſubditi diſcipuli fuimus, ſic & veſtræ pietatis ſerui obedientes ſubditi ſub iure canonico fieri mereamur, optantes catholicam fidem & vnitatem Romanæ Eccleſiæ ſeruando dilatare, & quantoſcumque audientes vel diſcipulos in iſta legatione mihi Deus donauerit, ad obedientiam Apoſtolicæ Sedis inuitare, & inclinare.
I. Neceſſe quoque habemus indicare paternitati veſtræ, quia per Dei gratiam Germaniæ populis aliquantulum percuſſis vel correctis, tres ordinauimus Epiſcopos, & prouinciam in tres parochias diſcreuimus, & illa tria oppida ſiue vrbes, in quibus conſtituti & ordinati ſunt, ſcriptis auctoritatis veſtræ confirmari, & ſtabiliri precantes deſideramus. Vnam eſſe ſedem Epiſcopatus decreuimus in caſtello quod dicitur Vuirtzburg; & alteram in oppido quod nominatur Buraburg; tertiam in loco qui dicitur Erphesfurt, qui fuit iam olim vrbs paganorum ruſticorum. Hæc tria loca

propria auctoritate & charta Apoſtolatus veſtri roborari, & confirmari diligenter poſtulamus; vt ſi Dominus voluerit, per auctoritatem & præceptum ſancti Petri, iuſſionibus Apoſtolicis fundatæ & ſtabilitæ ſint tres in Germania Epiſcopales ſedes; & vt præſentes, & futuræ generationes non præſumant vel parochias corrumpere, vel violare præceptum ſedis Apoſtolicæ. II. Notum ſimiliter ſit paternitati veſtræ, quòd Carlomannus Dux Francorum me accerſitum ad ſe rogauit in parte regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, Synodum incipere congregare: & promiſit ſe de Eccleſiaſtica religione, quæ iam longo tempore, id eſt non minus quàm per LX. vel LXX. annos calcata & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter ſi hoc Deo inſpirante veraciter implere voluerit, conſilium & præceptum ſanctæ veſtræ auctoritatis, id eſt Apoſtolicæ ſedis, habere & ſapere debeo. Franci enim, vt ſeniores dicunt, plus quàm per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſiæ canonica iura alicubi fundabant vel renouabant. Modò autem maxima ex parte per ciuitates, Epiſcopales ſedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis clericis, ſcortatoribus & publicanis ſæculariter ad perfruendum Nam ſi per verbum veſtrum hoc negotium, Duce rogante ſupradicto, mouere & incipere debeo, præceptum & iudicium Apoſtolicæ ſedis cum canonibus Eccleſiaſticis præſto habere cupio. III. Si inuenero inter illos diacones quos nominant, qui à pueritia ſua ſemper in ſtupris, ſemper in adulteriis, & in omnibus ſemper ſpurcitiis vitam ducentes, ſub tali teſtimonio venerunt ad diaconatum, & modò in diaconatu concubinas quatuor, vel quinque, vel plures noctu in lectulo habentes, Euangelium tamen legere, & diaconos ſe nominari, nec erubeſcunt, nec metuunt; & ſic in talibus inceſtis ad ordinem presbyteratus venientes, in eiſdem peccatis perdurantes, & peccata peccatis adiicientes, presbyteratus officio fungentes, dicunt ſe pro populo poſſe intercedere, & ſacras oblationes offerre; ac nouiſſimè quod peius eſt, ſub talibus teſtimoniis per gradus ſingulos aſcendentes, ordinantur & nominantur Epiſcopi: vt habeam præceptum & conſcriptum auctoritatis veſtræ, quid de talibus definiatis, & per reſponſum Apoſtolicum conuincantur & arguantur peccatores. Et inueniuntur quidam inter eos Epiſcopi, qui licèt dicant ſe fornicarios vel adulteros non eſſe, ſunt tamen ebrioſi & iniurioſi, vel venatores, & qui pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu ſanguinem hominum, ſiue paganorum, ſiue Chriſtianorum. Et quia ſeruus & legatus Apoſtolicæ ſedis eſſe dinoſcor, vnum ſit verbum & meum hîc, & veſtrum ibi, ſi contingat ad iudicium auctoritatis veſtræ vt pariter miſſos dirigamus. IV. Præterea de vna re & conſilium quærere, & licentiam petere neceſſe habeo; eo quòd venerandæ memoriæ præceſſor veſter, ſicut audiſtis, in præſentia veſtra mihi præcepit, vt presbyterum poſt obitum meum Deo volente in Eccleſiaſtico miniſterio heredem & ſucceſſorem conſtituere deberem. Et hoc mihi, ſi Dei voluntas eſt, placet: ſed modò dubito, & neſcio ſi fieri poſſit; quia poſtea frater illius auunculum Ducis Francorum occidit, & adhuc ignoramus qualiter iſta diſcordia pacificari & finiri valeat. Obſecro itaque, vt auctoritatis veſtræ licentia ſit, vt cum conſilio ſeruorum

Dei, de iſta electione faciam quod nobis in commune, pro Deo & pro vtilitate Eccleſiæ, vel fructu ſpiritali & defenſione religionis optimum eſſe videatur: vt conſenſum veſtrum habeam de hoc facere quod optimum eſſe videatur, & mihi inſpirare dignetur Deus: quia hoc non videtur poſſe fieri, ſi contrarius princeps fuerit. V. Præterea quærere & interrogare paternitatis veſtræ conſilium debeo de quadam confuſione & ſcandalo prædicationis, quæ nuper ad nos veniens mentem noſtram conturbauit, & ſacerdotibus Eccleſiarum verecundiam incuſſit. Quia laicus quidam magnæ perſonæ ad nos veniens, dicebat ſibi ab Apoſtolicæ ſedis pontifice ſanctæ memoriæ Gregorio datam fuiſſe licentiam, vt in matrimonium acciperet viduam auunculi ſui, quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ipſa illo viuente diſceſſit ab eo, & iſti viro, qui nunc eam accipere deſiderans affirmat ſibi licentiam datam, in tertio geniculo propinqua eſſe dinoſcitur, & votum vouit Deo caſtitatis, & velata fuit, & iterum abiecto velamine maritata. Tale enim matrimonium ſupradictus homo ab Apoſtolica ſede ſibi affirmat eſſe conceſſum. Quod non æſtimamus verum: quia Synodus, & Eccleſia, in qua natus & nutritus fui, id eſt in Tranſmarina Saxonia Lundunenſis Synodus, quæ in primis à diſcipulis ſancti Gregorij, id eſt Auguſtino, Laurentio, Iuſto, Mellito Archiepiſcopis, conſtituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium maximum ſcelus, & inceſtum & horribile flagitium, & damnabile piaculum eſſe ex auctoritate ſanctæ Scripturæ iudicabant. Quapropter paternitas veſtra huius rei veritatem nobis indicare non dedignetur, vt Eccleſiæ ſacerdotibus vel populo Chriſtiano inde ſcandala, vel ſchiſmata, vel noui errores non oriantur, vel concreſcant: quia carnales homines idiotæ, Alamanni, vel Baiuarij, vel Franci, ſi iuxta Romanam vrbem aliquid fieri viderint ex his quæ nos prohibemus, licitum & conceſſum à ſacerdotibus eſſe putant; & dum nobis improperium deputant, ſibi ſcandalum vitæ accipiunt. VI. Sicut affirmant ſe vidiſſe annis ſingulis in Romana vrbe, & iuxta Eccleſiam ſancti Petri, in die vel nocte quando Calendæ Ianuarij intrant, paganorum conſuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes ritu gentilium, & cantationes ſacrilegas celebrare, & menſas illa die vel nocte dapibus onerare, & nullum de domo ſua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino ſuo præſtare velle. Dicunt quoque ſe ibi vidiſſe mulieres pagano ritu phylacteria & ligaturas in brachiis & in cruribus ligatas habere, & publicè ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quæ omnia eo quòd ibi à carnalibus & inſipientibus videntur, nobis hîc improperium & impedimentum prædicationis, & doctrinæ faciunt. De talibus ait Apoſtolus increpans, *Dies obſeruatis & tempora: timeo ne ſine cauſa laborauerim in vobis*. Et S. Auguſtinus dixit. Nam qui prædictis malis, id eſt caragis, & diuinis, & aruſpicibus, vel phylacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit, etſi ieiunet, etſi oret, etſi iugiter ad Eccleſias currat, etſi largas eleemoſynas faciat, etſi corpuſculũ ſuum in omni afflictione cruciauerit, nihil illi proderit, quamdiu ſacrilegia illa non reliquerit. Nam ſi iſtas paganias paternitas veſtra ibi in Romana vrbe prohibuerit, & ſibi mercedem, & nobis maximum profectum in doctrina Eccleſiaſtica perficiet. VII. Epiſcopi quoque & presbyteri generis Francorum,

Gal. 4. 10. Serm. de tempore 141.

qui fuerunt adulteri vel fornicatores acerrimi, quos in gradu Epiſcopatus vel preſbyterij fornicationum filij nati arguunt, reuenientes ab Apoſtolica ſede, dicunt ſibi Romanum pontificem licentiam dediſſe, miniſterium Epiſcopale in Eccleſia miniſtrare. Quos contra contendimus, quia Apoſtolicam ſedem nequaquam contra decreta canonum audiuimus iudicaſſe. Hæc omnia, Domine cariſſime, propterea vobis nota facimus, vt veſtræ auctoritatis reſponſum talibus dare poſſimus, vt per cautelam veſtræ doctrinæ oues Eccleſiæ non ſeducantur, & lupi rapaces conuicti & ſuperati pereant. Interea munuſcula parua vobis direximus, non quia ſint digna paternitate veſtra; ſed pro indicio caritatis, & obedientiæ deuotionis: id eſt villoſam vnam, & argenti & auri tantillum. Dextera Domini protegente incolumem valere, & in Chriſto proficere beatitudinem veſtram in longitudine dierum optamus.

ZACHARIAE PAPAE
EPISTOLA I.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Reſpondet ad ſingula capita Epiſtolæ præcedentis. I. *Probari ſibi Epiſcopatus in Germania inſtitutos.* II. *Item vt Synodus in Franciæ regno celebretur.* III. *Interim vt fornicarios & ſanguinarios ſacerdotio fungi non permittat.* IV. *Vt ſibi ſucceſſorem, niſi inſtante morte non deſignet.* V. *Non credendum illi, qui ſibi inceſtas nuptias conceſſas fuiſſe aiebat.* VI. *Paganicos ritus, qui Romæ erant, interdictos in poſterum fuiſſe.* VII. *Fides ne habeatur ſacerdotibus illis, qui ſibi à Sede Apoſtolica indultum iactabant.*

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio Epiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

SVSCEPTIS ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris per Deneardum religioſum preſbyterum tuum, quia ſoſpitem te, vt ſemper cupimus, eſſe cognouimus, omnipotenti ac miſericordiſſimo Deo noſtro magnas retulimus gratias, qui tibi in omnibus bonis proſperari dignatur. Magnam enim in cordibus noſtris infundis lætitiam, quoties nobis ſanctitatis tuæ ſcripta mittuntur, quando reperimus quæ ad ſalutem reſpiciunt animarum, dum quotidie in gremio ſanctæ matris Eccleſiæ per tuam prædicationem noui populi adduntur. I. Vbi & tres Epiſcopos per loca ſingula ſecundum ſeriem ſyllabarum tuarum te ordinaſſe cognouimus, qui eidem populo, quem ſibi Dominus Deus noſter per tuam ſanctitatem aggregare dignatus eſt, præeſſe debeant: & petiſti, vt per auctoritatem noſtræ ſedis Epiſcopales ibidem ſedes firmentur. Sed tua ſancta fraternitas maturè pertractet, & ſubtili conſideratione diſcernat, ſi expedit, aut ſi loca vel populorum turbæ talia eſſe probantur, vt Epiſcopos habere mereantur. Meminiſti enim, cariſſime, quid in ſacris canonibus præcipimur obſeruare, vt minimè in villulas vel

in modicas ciuitates Epiſcopos ordinemus, ne vileſcat nomen Epiſcopi. Sed nos tuis ſinceriſſimis atque à nobis dilectis ſyllabis prouocati, quæ popoſciſti abſque mora concedi patimur, & ſtatuimus per Apoſtolicam auctoritatem Epiſcopales illic eſſe ſedes, quæ per ſucceſſionem Epiſcopos mereantur, & populis præſint, atque in quibus prædicationis verbum ſubiectis inſinuetur: id eſt in caſtello quod dicitur Vvirtzburg, & alterum in oppido quod nominatur Buraburg, tertium in loco qui dicitur Erphesfurt. ita vt nulli poſthæc liceat cuiquam hæc quæ à nobis ſancita ſunt quoquomodo violare, quæ auctoritate beati Petri Apoſtoli firma eſſe decreuimus. II. De eo autem quod nobis intimaſti, quòd te Carlomannus filius noſter ad ſe rogauit accedere, vt in vrbe regni Francorum, in ſua ditione ſiue poteſtate conſtituta, Synodum celebrare debeas, eo quòd omnis Eccleſiaſtica regula, ſiue diſciplina ab eadem prouincia funditus eſt abolita, quod nimis mœrendum eſt, quòd per ſpatia temporum ibidem Synodus ſacerdotum minimè celebrata ſit; & hoc libenter concedimus, & fieri præcipimus. Neque enim quid ſit ſacerdotium, neque quid fiat, ab eis qui ſe ſacerdotes nominant cognoſcitur. III. Sed dum, iuuante Deo, quæ à præfato filio noſtro promiſſa ſunt, ad effectum perducta fuerint, tuáque fraternitas in memorato Concilio conſederit cum eodem excellentiſſimo viro, ſi quos repererit Epiſcopos, presbyteros, aut diaconos, contra canones vel ſtatuta patrum exceſſiſſe, id eſt ſi in adulterio vel fornicatione inuenti fuerint, vel ſi plures vxores habuerunt, aut ſi ſanguinem Chriſtianorum, ſiue paganorum effuderunt, vel etiam aliis capitulis canonum obuiaſſe eos repererit tua ſanctitas, nulla ratione Apoſtolica auctoritate permittat ſacerdotio fungi: quia tales à ſuo proprio ore falſi nominantur ſacerdotes, & peiores ac deteriores ſæcularibus eſſe noſcuntur, qui ſe neque à fornicationibus, neque à nefariis matrimoniis abſtinent, neque ab hominum ſanguinis effuſione manus ſeruant innoxias. Quales ſe eſſe ſacerdotes exiſtiment, aut quid inde ſentiant dicente Deo, *Sacerdotes mei ſemel nubant?* Et Apoſtolus, *Vnius vxoris virum*, &c. Et hoc ante ſuſceptum ſacerdotium vti licitum eſt. Nam à die ſuſcepti ſacerdotij etiam ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt. Quomodo ſacerdotio fungi deſiderant, qui talibus ſceleribus inuoluti eſſe monſtrantur, vt neque ſæculares fideles his facinoribus obuolutos optemus? Quomodo non pertimeſcunt diuina myſteria contingere? aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præſumunt, dum ſacri canones neque purum clericum, cui ſacerdotium non eſt, ſecundis copulari nuptiis præcipiunt? Iſti enim è contrario non ſolùm poſt ſuſceptum ſacerdotium ſe abſtinere ab vna vxore nolunt, immo luxuriâ obuoluti peiora ſæcularium ſcelera committunt, vt plures vxores habere præſumant, quibus neque vnam conceſſum eſt poſt ſuſceptum miniſterium attrectare. Sed iſta paruipendentes, atque Deum ad iracundiam prouocantes, maiora committunt facinora, dum propriis manibus Chriſtianos atque paganos homines necant. Et fit, vt quibus in remiſſionem peccatorum debuerunt lauacrum regenerationis impendere, atque Chriſti ſacramenta donare, ne in æternum perirent, eorumdem ſacrilegis manibus ipſi extinguantur. Quis enim ſapiens habens cor eos æſtimet ſacerdotes, qui neque à fornicationibus abſtinent,

Leuit. 21. 13.
1. Tim. 3. 2.

neque ab effuſione ſanguinum manus ſeruant innoxias? Quiſve eorum ſacrificiis Deum credit eſſe placatum, dicente Propheta, *Virum ſanguinum*
Pſal.5.7. *& doloſum abominabitur Dominus?* Iſti namque, vt præmiſi, ne ſacerdotio fungantur, neque diuina contingant myſteria, commonemus. Quicquid verò aliud, vt dictum eſt, eos contra Eccleſiaſticam regulam exceſſiſſe re-pereris, canones ſiue inſtituta patrum præ manibus habeto, & iuxta quod
7.q.1.Petiiſti § De eo autem. in eis edoctus fueris diſcerne. IV. De eo autem quòd tibi ſucceſſorem conſtitui velle dixiſti, vt te viuente in loco tuo eligatur Epiſcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Eccleſiaſticam regulam, vel inſtituta patrum eſſe monſtratur. Sed volumus vt tibi mini-
1.Tim 3.13. ſtret, & ſit in Euangelio Chriſti adiutor, dicente Apoſtolo; *Si quis benè mi-*
Ibid.§.Nimis enim repreh. *niſtrauerit, bonum ſibi gradum acquiret.* Nimis enim reprehenſibile eſſe manifeſtum eſt, vt te viuente tibi alium ſubſtituamus. Sed hoc commonemus, vt quamdiu te diuina iuſſerit clementia ſupereſſe, ſine intermiſſione ores, vt tibi Deus illum ſucceſſorem concedat, qui ei poſſit eſſe placabilis; & populum, quem ad ſuam gratiam per tuæ ſanctitatis induſtriam vocare voluit, irreprehenſibiliter regere valeat, atque ad viam vitæ elaboret perducere. Nam quomodo hæc quæ popoſciſti, ſi & voluerimus, concedere poſſumus, dum nos fragiles homines exiſtentes, & ſub conditione mortis conſtituti, ignorantes quid ſuperuentura dies pariat, non valemus inuesti-
7.q.1.Petiiſti § Si eundem. gare quis de nobis prior de præſenti ſæculo migret? Sin autem & eumdem diuina voluerit clementia poſt tui diem tranſitus ſupereſſe, ſi eum aptum eſſe cognoueris, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora qua te de præſenti ſæculo migraturum cognoueris, præſentibus cunctis tibi ſucceſſorem deſigna, vt huc veniat ordinandus. Hoc nulli alij concedi patimur, quod tibi caritate cogente largiri cenſuimus. V. De illo namque, qui viduam auunculi ſui, quæ & ipſa fuit vxor conſobrini ſui, & ſacrum velamen habere monſtrata eſt, & à beatæ memoriæ prædeceſſore noſtro ſibi licentiam conceſſam eſſe diuulgauit, vt eam in pernicioſo matrimonio aſſumere debuiſſet, abſit vt hoc prædeceſſor noſter ita credatur præcepiſſe. Nec enim ab hac Apoſtolica ſede illa diriguntur, quæ contraria eſſe patrum, ſiue canonum inſtitutis inuenianrur. Ergo admonere, hortari, increpare eos, frater, ne ceſſes, quatenus à tali ſceleſti recedant matrimonio, vt non in æternum pereant. Reminiſcantur enim ſe Chriſti ſanguine redemptos eſſe, & non ſponte ſe contradant, niſi ab ipſo receſſerint inceſto matrimonio, diaboli poteſtati: ſed magis ipſi Deo, & Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto, in cuius nomine ab illius antiqui hoſtis erepti ſunt poteſtate. Elabora namque, ſanctiſſime frater, in eis, quia ſcriptum cogno-
Iac.5.20. ſcis, *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & ſuorum operit multitudinem peccatorum.* Nam & nos ei pro hoc commonitoria ſcripta direximus. VI. De Calendis verò Ianuariis, vel ceteris auguriis, phylacteriis, & incantationibus, vel aliis diuerſis obſeruationibus, quæ gentili more obſeruari dixiſti apud beatum Petrum Apoſtolum, vel in vrbe Roma; hoc & nobis, & omnibus Chriſtianis de-
Leuit 19.26. teſtabile & pernicioſum eſſe iudicamus, dicente Deo, *Non augurabimini,*
Num.23.23. *nec obſeruabitis ſomnia.* Et iterum, *Non eſt augurium in Iſraël, nec obſeruatio in domo Iacob.* Ita & à nobis cauendum eſſe cenſemus, vt nullis auguriis vel

obſeruationibus attendamus, quia omnia hæc abſciſſa eſſe à patribus ſumus edocti. Et quia per inſtigationem diaboli iterum pullulabant, à die qua nos iuſſit diuina clementia, quamquam immeriti exiſtamus, Apoſtoli vicem gerere, illico omnia hæc amputauimus. Pari etenim modo volumus tuam ſanctitatem populis ſibi ſubditis prædicare, atque ad viam æternæ perducere vitæ. Nam & ſanctæ recordationis prædeceſſoris atque nutritoris noſtri, domni Gregorij Papæ conſtitutione omnia hæc piè ac fideliter amputata ſunt, & alia diuerſa quamplura, quæ diabolo ſuggerente pullulabant in Chriſti ouile: cuius inſtar pro illius populi ſalute dirigere maturauimus. VII. Nam & de ſacerdotibus illis, qui falſa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores probantur, & ſibi ab Apoſtolica ſede indultum eſſe teſtantur, & è contrario licentiam ſibi prædicationis conceſſam eſſe: hoc nulla ratione credat tua ſancta fraternitas: ſed ſimiliter in eis canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his, de quibus ſuperiùs à nobis edoctus monſtraris. Non enim aliud te agere volumus, præterquàm quæ ſacri præcipiunt canones, vel etiam ab hac Apoſtolica Sede inſtructus eſſe dinoſceris. Secundum tuæ namque ſanctitatis petitionem, & tribus Epiſcopis tuis ſingulas confirmationis Epiſtolas miſimus, quas per tuæ ſanctitatis manus eis largiri volumus: & Carlomanno filio noſtro alia ſcripta direximus, vt quæ tibi promiſit adimplere feſtinet, atque adminicula præſtet. Sed hæc, frater cariſſime, de omnibus ſuperiùs comprehenſis capitulis, vt Dominus donauit reſpondimus ad amputanda omnia diabolicæ fraudis ſcandala. Tua verò ſancta fraternitas, ſi quid de cetero euenerit, vt ſacri docent canones, ſtudeat emendare in plebibus ſibi à Deo commiſſis. Non enim aliud nobis conuenit prædicare, præter quod à ſanctis patribus ſumus edocti. Si verò noui aliquid inimici aſtutia agente acciderit, quod tua ſancta fraternitas minimè per canonum inſtituta diſcernere poſſit, hoc nobis non pigeat te inſinuare: quatenùs Deo iuuante quæcumque ad emendationem nouæ plebis eſſe poſſunt, tibi abſque tarditate reſpondere maturemus. Cognoſcat enim, frater cariſſime, tua ſancta fraternitas, ita dilectionem tuam nos habere in noſtris præcordiis, vt te præſentialiter videre quotidie deſideremus, & ita te in noſtro conſortio habeamus, vt certè miniſtrum Dei, & diſpenſatorem Eccleſiarum Chriſti. De cetero namque confortare in Domino, frater cariſſime, & eſto robuſtus, & elabora in opus, ad quod te diuina voluit vocare clementia. Magna enim te ſpes remunerationis expectat, quam promiſit Deus diligentibus ſe. Et nos licèt peccatores exiſtamus, tamen Dei noſtri non ceſſamus abſque intermiſſione immenſam exorare clementiam, vt qui cœpit in vobis perficiat opus bonum vſque adhuc. Et B. Apoſtolorum princeps Petrus cooperetur tibi in omnibus bonis, quæ ei parere deſideras. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime & ſanctiſſime frater. Data Calendis Aprilis, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore, anno XXIV. Imperij eius anno ſecundo. Indictione XI.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA II.
Ad Burchardum Epiſcopum Vvirtziburgenſem.

Confirmat eius ſedem Epiſcopalem à Bonifacio Archiepiſcopo inſtitutam.

DILECTISSIMO NOBIS BVRCHARDO SANCTÆ Eccleſiæ Vvirtziburgenſis Epiſcopo Zacharias Papa.

DOMINO cooperante,& ſermonem confirmante, ad dilatandam Chriſtianitatis legem,& orthodoxæ fidei tramitẽ, ad docendum iuxta quod prædicat ſancta hæc Romana, cui Deo auctore præſidemus, Eccleſia, innotuit nobis ſanctiſſimus ac reuerentiſſimus frater & coepiſcopus noſter Bonifacius, nuper ſe diſcreuiſſe & ordinaſſe in Germaniæ partibus Epiſcopales ſedes, vbi præeſt veſtra dilectio,& prouinciam in tres diuiſiſſe parochias. Quo cognito, cum magna exultatione extenſis ad ſydera palmis, illuminatori & datori omnium bonorum Domino Deo,& ſaluatori noſtro IESV Chriſto gratias egimus, qui fac[illegible] vtraque vnum. Flagitauit autem à nobis per ſuas ſyllabas iamdictus ſanctiſſimus vir, per Apoſtolicam auctoritatem veſtras confirmari ſedes. Pro quo & nos ardẽti animo,& diuino iuuamine, ac auctoritate B. Petri Apoſtolorum principis, cui data eſt à Deo & Saluatore noſtro IESV Chriſto ligandi ſoluendíque poteſtas peccata hominum in cælo & in terra, confirmamus, atque ſolidas permanere veſtras Epiſcopales ſedes ſancimus. Interdicentes ipſius principis Apoſtolorum auctoritate omnibus præſentibus, & futuris generationibus, vt nullus audeat contra eandem veſtram venire ordinationem, quæ dignante Deo ex noſtra præceptione in vobis facta eſt. Et hoc interdicentes, vt nullus audeat, iuxta ſanctorum canonũ traditionem, ex alio Epiſcopatu ibidẽ tranſlatari, aut ordinare Epiſcopum, poſt veſtram dè hoc ſæculo euocationem, niſi is qui Apoſtolicæ noſtræ ſedis in illis partibus præſentauerit vicem. Sed nec quiſquam alterius parochias inuadere, aut Eccleſias ſubtrahere præſumat. Nam quod non credimus, ſi quis ille fuerit, qui contra hanc noſtram præceptionem temerario auſu venire tentauerit, ſciat ſe æterno Dei iudicio anathematis vinculo eſſe innodatũ. Si quis verò Apoſtolica ſeruauerit præcepta, & normam rectæ & orthodoxæ fidei fuerit aſſecutus, benedictionis gratiam conſequatur. De cetero petimus diuinam clementiam, vt confirmet & corroboret hoc quod operatus eſt Dominus in vobis. Et caritas Dei, & pax, atque gratia ſit cum ſpiritu veſtro, ſanctiſſimi & dilectiſſimi nobis. Toto conamine elaborate pro fide Chriſti,& ad miniſterium eius perficiendum decertate, vt cum egregio Apoſtolo mereamini dicere, *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem iuſtus iudex.* Salutantes vos in Domino valere optamus. Benè valete. Data Kalendis Aprilis, imperante Domino Conſtantino magno Imperatore anno XXIV. Imperij eius anno II. Indictione XI.

2.Tim.4.7.

CONCILIVM

CONCILIVM LIPTINENSE.

IN QVO ALTERIVS QVOQVE SYNODI Germanicæ decreta continentur. ſub Karlomanno Maiore domus regiæ celebratum Kalendis Martiis, anno Chriſti DCCXLIII. Zachariæ Papæ ſecundo, Childerici III. regis primo.

TITVLI CANONVM PRIORIS SYNODI.

1. *De Epiſcopis in Germania conſtitutis, & de Synodo ſingulis annis congreganda.*
2. *Vt clerici arma non tractent, neque ad exercitum pergant, præter eos qui ſacrorum cauſa electi fuerint. Item vt à venationibus abſtineant.*
3. *Vt presbyteri parochiarum Epiſcopo ſuo ſint ſubiecti, & miniſterij ſui rationem illi reddant; paratique ſint ad illum in viſitatione ſuſcipiendum. ab illo chriſma nouum accipiant; illum caſtitatis, vitæ, fidei, & doctrinæ ſuæ teſtem habeant.*
4. *Vt ignoti Epiſcopi ac presbyteri ſine probatione ad miniſterium non admittantur.*
5. *Vt Epiſcopus cum Comite prouideat, ne populus paganas obſeruationes faciat.*
6. *De pœna clericorum, vel monachorum, aut monialium, quæ in fornicationem inciderint.*
7. *Vt presbyteri & diaconi ſagis non vtantur, ſed caſulis. & vt in domo ſua mulieres non habeant. Item, vt monachi & moniales iuxta ſancti Benedicti regulam viuere ſtudeant.*

PRÆFATIO.

IN nomine Domini noſtri IESV Chriſti. Ego Karlomannus Dux & princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini DCCXLII. XI. videlicet Kalendas Maij, cum conſilio ſeruorum Dei, & optimatum meorum, Epiſcopos qui in regno meo ſunt, cum preſbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregaui: id eſt Bonifacium Archiepiſcopum, & Burchardum, & Regenfridum, Vvintanum, & Vvitbaldum, & Dadanum, & Eddanum, ac reliquos Epiſcopos, cum preſbyteris eorum, vt mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum principum diſſipata corruit; & qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animæ peruenire poſſit, & per falſos ſacerdotes deceptus non pereat.

CANONES.

I. *De Epiſcopis in Germania conſtitutis, & de Synodo ſingulis annis congreganda.*

Itaque per conſilium ſacerdotum religioſorum, & optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt Miſſus S. Petri. Statuimuſque per annos ſingulos Synodum congregari; vt nobis præſentibus canonum decreta, & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur. Et fraudatas pecunias Eccleſiarum Eccleſiis reſtituimus: falſos verò preſbyteros, vel fornicatores diaconos & clericos de pecuniis Eccleſiarum abſtulimus, & degradauimus, & ad pœnitentiam coëgimus.

II. *Vt clerici arma non tractent, neque ad exercitum pergant, præter eos qui ſacrorum cauſa electi fuerint. Item vt à venationibus abſtineant.*

Seruis Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hoſtem pergere omnino prohibuimus: niſi illis tantùm, qui propter diuinum myſterium, Miſſarum ſcilicet ſolennia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt. id eſt vnum vel duos Epiſcopos, cum capellanis & preſbyteris eorum Princeps ſecum habeat: & vnuſquiſque Præfectus vnum preſbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam poſſit. Necnon & illas venationes, & ſiluaticas vagationes cum canibus, omnibus ſeruis Dei interdiximus; & vt accipitres & falcones non habeant.

III. *Vt presbyteri parochiarum Epiſcopo ſuo ſint ſubiecti, & miniſterij ſui rationem illi reddant; paratique ſint ad illum in viſitatione ſuſcipiendum. ab illo chriſma nouum accipiant: illum caſtitatis, vitæ, fidei, & doctrinæ ſuæ teſtem habeant.*

Decreuimus quoque iuxta Sanctorum canones, vt vnuſquiſque preſbyter in parochia habitans ſubiectus ſit illi Epiſcopo in cuius parochia habitat; & ſemper in Quadrageſima rationem & ordinem miniſterij ſui, ſiue de baptiſmo, ſiue de fide catholica, ſiue de precibus & ordine Miſſarum, ipſi Epiſcopo reddat & oſtendat. Et quandocumque iure canonico Epiſcopus circumierit parochiam ad confirmandos populos, preſbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipiendum Epiſcopum, cum collectione & adiutorio populi qui ibi confirmari debet. Et in cœna Domini ſemper nouum chriſma accipiat ab Epiſcopo. Et vt Epiſcopus teſtis ſit caſtitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.

IV. *Vt ignoti Epiſcopi ac presbyteri ſine probatione ad miniſterium non admittantur.*

Statuimus etiam, vt ſecundum canonicam cautelam, omnes vndecumque venientes ignotos Epiſcopos, vel preſbyteros, ante probationem Synodalem in Eccleſiaſticum miniſterium non admitteremus.

V. *Vt Epiſcopus cum Comite prouideat ne populus paganas obſeruationes faciat.*

Decreuimus quoque, vt ſecundum canones vnuſquiſque Epiſcopus in ſua parochia ſollicitudinem gerat, adiuuante Grauione, qui defenſor Eccleſiæ eius eſt, vt populus Dei paganias non faciat, ſed omnes ſpurcitias gentilitatis abiiciat & reſpuat; ſiue profana ſacrificia mortuorum, ſiue ſortilegos vel diuinos, ſiue phylacteria & auguria, ſiue incantationes, ſiue hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines iuxta Eccleſias ritu pagano faciunt, ſub nomine ſanctorum Martyrum vel Confeſſorum, Deum & ſanctos ſuos ad iracundiam prouocantes: ſiue illos ſacrilegos ignes, quos Nedfratres vocant: ſiue omnes, quæcumque ſunt, paganorum obſeruationes diligenter prohibeant.

VI. *De pœna clericorum, vel monachorum ac monialium, quæ in fornicationem inciderint.*

Statuimus ſimiliter, vt poſt hanc Synodum, quæ fuit XI. Kalendas Maij, quiſquis ſeruorum Dei, vel ancillarum Chriſti, in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et ſi ordinatus preſbyter ſit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus & ſcorticatus videatur, & pòſt Epiſcopus adaugeat. Si autem clericus, vel monachus in hoc peccatum inciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis eius.

VII. *Vt presbyteri & diaconi ſagis non vtantur, ſed caſulis: & in domo ſua mulieres non habeant. Item vt monachi, & moniales iuxta S. Benedicti regulam viuere ſtudeant.*

Decreuimus quoque, vt preſbyteri vel diaconi non ſagis laicorum more, ſed caſulis vtantur ritu ſeruorum Dei: & nullus in ſua domo mulieres habitare permittat. Et vt monachi, & ancillæ Dei monaſteriales, iuxta regulam S. Benedicti cœnobia vel xenodochia ſua ordinare, gubernare, viuere ſtudeant: & vitam propriam degere ſecundum prædicti patris ordinationem non negligant.

Yyy ij

TITVLI CANONVM SYNODI LIPTINENSIS.

1. De prioris Synodi canonibus communi conſenſu receptis & approbatis.
2. De pecunia Eccleſiaſtica ſub precario & cenſu in ſubſidium exercitus præſtanda.
3. De inceſtis matrimoniis, & vt mancipia Chriſtiana paganis non tradantur.
4. Vt qui paganas obſeruationes in aliqua re fecerit, xv. ſolidis multetur.

CANONES.

I. *De prioris Synodi canonibus communi conſenſu receptis & approbatis.*

MODO autem in hoc Synodali conuentu, qui congregatus eſt ad Kalendas Martias, in loco qui dicitur Liptinas, omnes venerabiles ſacerdotes Dei, & Comites, & Præfecti, prioris Synodi decreta conſentientes firmauerunt, ſeque ea implere velle & obſeruare promiſerunt. Et omnis Eccleſiaſtici ordinis clerus, Epiſcopi, & presbyteri, & diaconi, cum reliquis clericis, ſuſcipientes antiquorum patrum canones, promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica iura moribus, & doctrinis, & miniſterio recuperare. Abbates verò & monachi receperunt regulam ſancti patris Benedicti, ad reſtaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores autem & adulteros, qui ſancta loca vel monaſteria antè tenentes coinquinauerunt, præcepimus inde tollere, & ad pœnitentiam redigere. Et ſi poſt hanc definitionem in crimen fornicationis vel adulterij ceciderint, prioris Synodi iudicium ſuſtineant. Similiter & monachi & nonnæ.

II. *De pecunia Eccleſiaſtica ſub precario & cenſu in ſubſidium exercitus præſtanda.*

Statuimus quoque, cum conſilio ſeruorum Dei & populi Chriſtiani, propter imminentia bella, & perſecutiones ceterarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, vt ſub precario & cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitus noſtri, cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione vt annis ſingulis de vnaquaque caſata ſolidus, id eſt duodecim denarij, ad Eccleſiam vel monaſterium reddantur: eo modo vt ſi moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit. Et iterum, ſi neceſſitas cogat, aut princeps iubeat, precarium renouetur, & reſcribatur nouum. Et omnino obſeruetur, vt Eccleſiæ vel monaſteria penuriam, paupertatémque non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit: & ſi paupertas cogat, Eccleſiæ vel domui Dei integra reddatur poſſeſſio.

III. *De inceſtis matrimoniis: & vt mancipia Chriſtiana paganis non tradantur.*

Similiter præcipimus, vt iuxta canonum decreta, adulteria & inceſta matrimonia, quæ non ſunt legitima, prohibeantur & emendentur Epiſcoporum iudicio. Et vt mancipia Chriſtiana paganis non tradantur.

IV. *Vt qui paganas obſeruationes in aliqua re fecerit, xv. ſolidis multetur.*

Decreuimus quoque, quod & pater meus antè præcipiebat, vt qui paganas obſeruationes in aliqua re fecerit, multetur & damnetur xv. ſolidis.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA III.
Ad Francos & Gallos.

Laudat illos ob ea quæ in Synodo rectè fuerant conſtituta, hortatúrque vt Bonifacij monitis obtemperare pergat.

ZACHARIAS PAPA VNIVERSIS EPISCOPIS, Preſbyteris, Diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibúſque Deum timentibus, per Gallias & Francorum prouincias conſtitutis.

REFERENTE nobis Bonifacio reuerentiſſimo atque ſanctiſſimo fratre noſtro Epiſcopo, quòd dum Synodus aggregata eſſet in prouincia veſtra iuxta noſtram commonitionem, mediantibus filiis noſtris Pippino & Carlomanno principibus veſtris, peragente etiam vicem noſtram præfato Bonifacio, Dominus inclinaſſet corda veſtra cum principibus veſtris in prædicationem eius, vt omnibus commonitionibus eius obediretis, & falſos, & ſchiſmaticos, & homicidas, & fornicarios à vobis expelleretis ſacerdotes; omnipotenti Deo noſtro gratias egimus, & pro vobis inceſſanter ſumus orantes, vt qui cœpit in vobis opus bonum perficiat vſque in finem. Obſecro enim vos omnes coram Deo, vt eius commonitionibus firmiter obediatis. Ipſum enim vice noſtra in partibus illis ad prædicandum conſtitutum habemus, vt vos Deo propitio ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus ſalui eſſe poſſitis. Habuiſtis enim peccatis facientibus nunc vſque falſos & erroneos ſacerdotes, vnde & cunctæ paganæ gentes vobis pugnantibus præualebant, quia non erat differentia inter laicos & ſacerdotes, quibus pugnare licitum non eſt. Qualis enim victoria dari poteſt, vbi ſacerdotes vna hora Dominica pertractant myſteria, & Chriſtianis corpus Dominicum porrigunt pro ſuarum animarum re- Capitular. lib. 5. cap. 1.

Yyy iij

CONCILIVM SVESSIONENSE:

SVB PIPPINO MAIORE DOMVS REGIÆ, ab Epiſcopis XXIII. celebratum VI. Nonas Martias, anno Chriſti DCCXLIV. Zachariæ Papæ III. Childerici III. regis ſecundo.

TITVLI CANONVM.

1. *De fide Nicæna, & canonibus antiquis toto regno promulgandis.*
2. *De Synodo ſingulis annis congreganda: & de Adalberto hæretico in Synodo damnato.*
3. *De Epiſcopis per ciuitates ordinatis ſub Archiepiſcopis Abele & Ardoberto. De monachis, & vt Abbates in hoſtem ipſi non eant, ſed mittãt: & clerici à fornicatione, habitu laico, & venatione abſtineant.*
4. *Vt laici fornicationem omnem, periuria, falſa teſtimonia deuitent, Eccleſiamque tutentur: & vt presbyteri parochiarum Epiſcopo ſuo ſint ſubiecti.*
5. *Vt ignoti Epiſcopi vel presbyteri ad miniſterium ſine probatione non admittantur.*
6. *Vt Epiſcopi prouideant ne populus paganiſmum faciat, & vt legitimæ per ciuitates menſuræ ſint.*
7. *Vt Adalberti cruciculæ igni tradantur.*
8. *Vt clerici extraneas mulieres domi non habeant.*
9. *Vt ſacratam feminam, vel propinquam nemo vxorem ducat: neque vxor viro ſuperſtite, alteram accipiat.*
10. *De tranſgreſſoribus horum canonum.*

PRÆFATIO.

IN Dei nomine & Trinitatis. Anno DCCXLIV. ab Incarnatione Chriſti, ſub die VI. Nonas Martij, & Luna XIV. in anno ſecundo Childerici regis Francorum, ego Pippinus Dux & princeps Francorum. Dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine, vnà cum conſenſu Epiſcoporum, ſiue ſacerdotum, vel ſeruorum Dei conſilio, ſiue Comitum & optimatum Francorum, colloquij apud Sueſſionis ciuitatem Synodum vel Concilium facere decreuimus, quod ita in Dei nomine & fecimus.

CANONES.

I. *De fide Nicæna, & canonibus antiquis toto regno promulgandis.*

In primis conſtituimus fidem catholicam, quam conſtituerunt CCCXVIII. Epiſcopi in Nicæno Concilio, vt denuntiaretur per vniuerſam regionem noſtram: & iudicia canonica aliorum ſanctorum, quæ conſtituerunt in Synodis ſuis: quo modo lex Dei, & Ec-

cleſiaſtica regula recuperetur, quæ in diebus priorum principum diſſipata corruit.

II. *De Synodo ſingulis annis congreganda: & de Adalberto hæretico in Synodo damnato.*

Propterea nos vnà cum conſenſu Epiſcoporum, ſiue ſacerdotum, ſeu ſeruorum Dei, & optimatum eorum conſilio decreuimus, vt annis ſingulis Synodum renouare debeamus, qualiter populus Chriſtianus ad ſalutem animarum peruenire poſſit: & vt hæreſis ampliùs in populo non reſurgat, ſicut inuenimus in Adalberto hæreſim, quem publicitus vna voce condemnauerunt XXIII. Epiſcopi, & alij multi ſacerdotes, cum conſenſu principis & populi, ita condemnauerunt ipſum Adalbertum, vt ampliùs populus per falſos ſacerdotes deceptus non pereat.

III. *De Epiſcopis per ciuitates ordinatis ſub Archiepiſcopis Abel, & Ardoberto: de monachis, & vt Abbates in hoſtem ipſi non eant, ſed mittant: & clerici à fornicatione, habitu laico, & venatione abſtineant.*

Idcirco conſtituimus per conſilium ſacerdotum & optimatum eorum, & ordinauimus per ciuitates legitimos Epiſcopos: & idcirco conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abel, & Ardobertum, vt ad iudicia eorum de omni neceſſitate Eccleſiaſtica recurrant tam Epiſcopi, quàm alius populus. vt ordo monachorum, vel ancillarum Dei ſecundum regulam ſanctam ſtabilis permaneat: & de rebus Eccleſiaſticis ſubtractis monachis vel ancillis Dei conſolentur, vſque dum illorum neceſſitati ſatisfaciant; & quod ſuperauerit, cenſus leuetur. & Abbates legitimi hoſtem non faciant, niſi tantùm homines eorum tranſmittant. Et omnes clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent, nec apud canes venationes faciant, nec accipitres portent.

IV. *Vt laici fornicationem omnem, periuria, & falſa teſtimonia deuitent, Eccleſiámque tueantur: & vt presbyteri parochiarum Epiſcopo ſuo ſint ſubiecti.*

Similiter decreuimus, vt laici homines legitimè viuant, & diuerſas fornicationes non faciant, & periuria in Eccleſia non conſentiant, & falſa teſtimonia non dicant, & Eccleſiam Dei in omni neceſſitate conſeruent. Et vnuſquiſque preſbyter qui in parochia eſt, Epiſcopo obediens & ſubiectus ſit; & ſemper in cœna Domini rationem, & ordinem miniſterij ſuo Epiſcopo reddat, & chriſma & oleum petat: & quando iure canonico Epiſcopus circumit parochiam ad confirmandum populum, Abbates & preſbyteri parati ſint ad ſuſcipiendum Epiſcopum in adiutorium neceſſitatis.

V. *Vt*

V. *Vt ignoti Epiſcopi & presbyteri ad miniſterium ſine probatione non admittantur.*

Et ſtatuimus, vt ſuperuenientes Epiſcopi vel preſbyteri de aliis regionibus non ſuſcipiantur in miniſterium Eccleſiæ, niſi priùs fuerint probati ab Epiſcopo, cuius parochia eſt.

VI. *Vt Epiſcopi prouideant ne populus paganiſmum faciat, & vt legitimæ per ciuitates menſuræ ſint.*

Et omnino decreuimus, vt vnuſquiſque Epiſcopus in ſua parochia ſollicitudinem habeat, vt populus Chriſtianus paganiſmum non faciat: & per omnes ciuitates legitimus forus & menſura fiat, ſecundum abundantiam temporis.

VII. *Vt Adalberti cruciculæ igni tradantur.*

Similiter conſtituimus, vt illas cruciculas, quas Adalbertus per parochiam plantauerat, omnes igne conſumantur.

VIII. *Vt clerici extraneas mulieres domi non habeant.*

Similiter diximus, vt neque clericus mulierem habeat in domo ſua, quæ cum illo habitet, niſi matrem, aut ſororem, aut neptem ſuam.

IX. *Vt ſacratam feminam, vel propinquam, nemo vxorem ducat; neque vxorem, viro ſuperſtite, alter accipiat; neque vxor virum.*

Similiter conſtituimus, vt nullus laicus homo Deo ſacratam feminam ad mulierem habeat, nec ſuam parentem; nec marito viuente ſuam mulierem alius accipiat, nec mulier viuente ſuo viro alium accipiat: quia maritus mulierem ſuam non debet dimittere, excepto cauſa fornicationis deprehenſæ.

X. *De tranſgreſſoribus horum canonum.*

Si quis contra hoc decretum, quod XXIII. Epiſcopi, cum aliis ſacerdotibus vel ſeruis Dei, vna cum conſenſu principis Pippini, vel optimatum Francorum conſilio conſtituerunt, tranſgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel deſpexerit, iudicandus ſit ab ipſo principe, vel Epiſcopis, vel Comitibus: & componat ſecundum quod in lege ſcriptum eſt, vnuſquiſque iuxta ordinem ſuum. Et ſi hæc omnia obſeruauerimus, quæ ſuperiùs ſcripta ſunt, Chriſti miſericordiam inuenire poterimus in ſæcula ſæculorum, Amen.

† Signum illuſtris viri Pippini Maioris domus.
Signum Radbodi.
Signum Ariberti.
Signum Helmigaudi.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA IV.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Mittit pallia pro tribus Metropolitanis: & de duobus pſeudoprophetis in Francia deprehenſis.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Act. 13.2. LEGIMVS in libro Actuum Apoſtolorum Spiritum ſanctum Apoſtolis præcepiſſe, *Separate mihi Barnabam & Paulum in opus quo aſſumpſi eos*, id eſt, vt per prædicationem Chriſtianæ religionis, & eiuſdem Spiritus ſancti gratiam, mundum illuminarent vniuerſum. Quorum illuminatione prædicationis atque doctrinæ Chriſti præſidio manſit, & manet catholica Dei Eccleſia præfulgens, horum & beati Apoſtolorum principis Petri illuminata doctrinis: & eorum ſequi pedem ex inſpiratione diuina tuam ſanctiſſimam fraternitatem in partibus illis credimus eſſe deſtinatam, vt etiam inſtar eorum idem Spiritus ſanctus in eodem te aſſumpſit opere ad illuminationem gentium illarum. Vnde nimis exultamus in Domino, & eius omnipotentiæ immenſas referimus laudes. Dum verò & ſeries ſyllabarum tuarum nobis panderetur per ſingula, multo amplius lætati ſumus in Domino, qui tibi ſuam gratiam ita largiri dignatus eſt, vt ſic duræ gentis corda lenires; quatenus libenti animo inclinarentur ad obediendum fidei, & diuinis obtemperarent præceptis. Indicaſti etenim nobis, quomodo & qualiter tetigiſſet Deus corda excellentiſſimorum filiorum noſtrorum Pippini & Carlomanni, vt tibi in prædicatione ſocij & adiutores eſſe niterentur ex inſpiratione diuina: quorum merces copioſa manet in cælis, quoniam benedictus homo per quem benedicitur Deus. De Epiſcopis verò Metropolitanis, id eſt Grimone, quem nos iam compertum habemus, & de Abel & Artberto, quos per vnamquamque Metropolim per prouincias conſtituiſti, hoc per tuum teſtimonium confirmamus, & pallia dirigimus ad eorum firmiſſimam ſtabilitatem, & Eccleſiæ Dei augmentum, vt in meliori proficiant ſtatu. Qualiter enim mos pallij ſit, vel quomodo fidem ſuam exponere debeant hi qui pallio vti conceduntur, eis direximus, informantes eos, vt ſciant quòd ſit pallij vſus, vt ſubiectis viam prædicent ſalutis, & vt Eccleſiaſtica diſciplina in Eccleſiis eorum ſeruetur, & maneat inconcuſſa, & vt ſacerdotium, quod in eis fuerit, non pollutum, vt antea fuit, ſed mundum & acceptum Deo eſſe poſſit, quantum humana conditio valet: ita vt nullus inueniatur eorum à ſacris deuiare canonibus, & ſacrificium eorum mundum Deo immoletur: ita vt Dominus eorum placetur muneribus, & populus Dei purificatis mentibus, ex omni vitiorum ſqualore, ſincerum valeat Deo ſeruitium exhibere. Retuliſti etiam nobis, cariſſime frater, quòd duos pſeudoprophetas in eadem Francorum prouincia inueniſſes,

quos non pſeudoprophetas, ſed magis pſeudochriſtianos appellare debemus. Ex quibus vnum quidem nouum Simonem iuxta tenorem tuarum ſyllabarum reperimus; qui & ſacerdotium ſibi vindicabat, & à luxuria minimè ſe continebat, ſeducens populum, & inania prædicans, non ſolùm ſuam animam iuri diaboli tradens, ſed & populorum corda in interitum demergens, & ab Eccleſia Dei eos ſeductionibus ſuis abſtrahens, & cruces in campis ſtatuens, & oratoriola ad ſeducendum populum inſtituens, publicáſque & antiquas Eccleſias relinquens, & ſanctitatis nomine ſe vocari faciens, & in ſuo nomine Eccleſias conſecrans; nomina etiam Angelorum, immò magis dæmoniorum ſe ſcire affirmans. Alium verò ita luxuriæ deditum, vt concubinam haberet, & duos ex ea filios procrearet: & tamen ſacerdotium ſibimet vendicabat, affirmans hoc iuſtum eſſe iuxta traditionem veteris teſtamenti, vt defuncti fratris ſuperſtes frater ducat vxorem: & quia Chriſtus reſurgens ab inferis, nullum ibi reliquiſſet, ſed omnes indè abſtraxiſſet. Quæ omnia hæc deteſtabilia, & ſceleſta iudicamus. Benè enim tua fraterna ſanctitas iuxta Eccleſiaſticam regulam eos damnauit, & in cuſtodiam recluſit, & optimè vocauit Antichriſti miniſtros & præcurſores. De cetero decerta, cariſſime, & viriliter age, & peruigil permane in miniſterio Chriſti, vt ampliùs Chriſti grex augeatur, & tibi præmium æternæ retributionis maneat copioſum, & cum ſanctis & electis Dei, vt credimus, habeas conſortium. Deus tè incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data x. Kalendas Iulias, imperante domno Artauaſdo à Deo coronato magno Imperatore anno III. P. C. eius anno III. ſed & Nicephoro magno Imperatore anno III. Indictione XII.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA V.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

I. *Miratur quòd pallium pro vno Grimone nunc petat, cùm pro tribus antea poſtularit.* II. *Refellit calumniam de labe Simoniaca, cuius inſimulabatur.* III. *Suas illi vices non in Baioaria ſolùm, ſed per Galliam omnem delegat.*

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

SVSCIPIENTES ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteras per præſentium gerulum, & relegentes quæ in eis continebantur, in ecſtaſi quadam incidimus, & admiratione magna, eo quòd nimis repertæ ſint diſſonare ab eis ſyllabis, quæ à tua directæ ſunt fraternitate per elapſum Auguſtum menſem; vbi nobis indicaſti, quòd & Concilium adiuuante Deo, & Carlomanno præbente conſenſum & conteſtante factum eſt, & qualiter falſos ſacerdotes, qui diuinum digni non erant attrectare miniſterium, à ſacro munere ſuſpendiſti, & quia tres Archiepiſcopos per ſingulas Metropoles ordinaſſes reſeraſti, id eſt Grimonem in ciuitate quæ dicitur Rodomas, ſecundum verò Abel in ciuitate quæ dicitur Remorum, tertium quoque Artbertum in ciuitate

quæ dicitur Sennis: qui & apud nos fuit, & tua nobis, & Carlomanni atque Pippini, detulit ſcripta, per quæ ſuggeſſiſti, vt tria pallia iiſdem tribus prænominatis Metropolitanis dirigere deberemus; quæ & largiti ſumus pro adunatione & reformatione Eccleſiarum Chriſti. Nunc autem denuò tuas ſuſcipientes ſyllabas, valde ſumus vt diximus mirati, eo quòd antea nobis vnà cum memoratis principibus Galliarum pro tribus palliis ſuggeſſiſti, & poſtea pro ſolo Grimone. Sed volumus vt tua nobis indicet fraternitas, cur nobis ita direxiſti antea pro tribus, & poſtmodum pro vno, vt & nos certi redditi ex hoc nullam ambiguitatem retineamus. II. Reperimus etiam in memoratis tuis litteris, quæ nimis animos noſtros conturbant, quòd talia à te nobis referantur, quaſi nos corruptores ſimus canonum, & patrum reſcindere traditiones quæramus; ac per hoc, quod abſit, cum noſtris clericis in Simoniacam hæreſim incidamus, accipientes & compellentes, vt hi, quibus pallia tribuimus, nobis præmia largiantur, expetentes ab illis pecunias. Sed cariſſime frater, hortamur caritatem tuam, vt nobis deinceps tale aliquid minimè tua fraternitas ſcribat: quia faſtidioſum à nobis, & iniurioſum ſuſcipitur, dum illud nobis ingeritur, quod nos omninò deteſtamur. Abſit enim à nobis, & à noſtris clericis, vt donum quod per Spiritus ſancti gratiam ſuſcepimus, pretio venundemus: dum & illa tria pallia, quæ te ſuggerente, vt prædiximus, ſumus flagitati, nullum ab eis quiſpiam commodum expetiit. Inſuper & chartas, quæ ſecundum morem à noſtro ſcrinio pro tua confirmatione atque doctrina tribuuntur, de noſtro conceſſimus, nihil ab eis auferentes, abſit vt ſic quippiam à tua fraternitate criminis nobis Simoniaci obiiciatur. Anathematizamus namque omnes, quicumque auſi fuerint donum Spiritus ſancti pretio venundare. III. Suggeſſiſti etiam nobis per alia tua ſcripta, quòd in Baioaria vnum reperiſſes falſum ſacerdotem, qui & affirmabat quòd à nobis fuiſſet Epiſcopus ordinatus: & tua hoc fraternitas optimè egit, dum ei non credidit, quia falſus homo omnia falsè ſuggeſſit, & falſum reperiens ſacerdotio ſuſpende. Sic enim auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis tibi præcipimus, vt quemcumque repereris ſacris canonibus deuiare, nulla ratione patiaris ſacrum miniſterium tractare. Et quia ſciſcitatus es, an deberes in Baioaria prouincia ius habere prædicationis, quam à deceſſore noſtro habuiſti conceſſam; Nos Deo auxiliante ea quæ tibi largitus eſt deceſſor & prædeceſſor noſter, non minuimus, ſed augemus: & non ſolùm Baioariam, ſed etiam omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iuſſerit ſupereſſe Maieſtas, noſtra vice per prædicationem tibi iniunctam, ſi repereris contra Chriſtianam ſentire religionem, vel canonum inſtituta, ſpiritaliter ad normam ſtudeas rectitudinis reformare. Dominus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime & ſanctiſſime frater. Data Nonis Nouembris, imperante domno piiſſimo Auguſto Artauaſdo à Deo coronato magno Imperatore anno III. P.C. eius anno III. ſed & Nicephoro magno Imperatore eius filio anno III. Indictione XII.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA VI.
Ad diuerſos Epiſcopos Galliæ & Germaniæ.

Laudat illorum inter ſe, & cum Eccleſia Romana coniunctionem. hortatúrque vt miniſteriis ſuis conſtanter inſiſtant cum Bonifacio Archiepiſcopo, ſedis Apoſtolicæ vicario.

Dilectissimis nobis Reginfrido Rotomagenſi Epiſcopo, Raimberto Ambianenſi Epiſcopo, Deodato Bellouacenſi Epiſcopo, Eliſeo Nouiomenſi Epiſcopo, Fulcario Tungrenſi Epiſcopo, Dauid Spironenſi Epiſcopo, Ætherio Taruanenſi Epiſcopo, Treuuardo Cameracenſi Epiſcopo, Burchardo Vvirtzburgenſi Epiſcopo, Genebaudo Laudunenſi Epiſcopo, Romano Meldenſi Epiſcopo, Agilulfo Colonienſi Epiſcopo, Heddo Stratſburgenſi Epiſcopo, & ceteris amantiſſimis coepiſcopis, presbyteris etiam & diaconis, cunctiſque orthodoxis Eccleſiarum Dei clericis Apoſtolicam doctrinam tenẽtibus, Zacharias diuina gratia præditus, Apoſtolicæ Sedis Pontifex, ſeruus autem ſeruorum Dei in Domino ſalutem dicit. Gratias ago Deo patri omnipotenti, & Domino Iesv Chriſto vnico filio eius, & Spiritui ſancto, qui veſtra omnium corda inflammare dignatus eſt per infuſam à ſe gratiam, vt in vnitate fidei, & vinculo pacis ambuletis; & ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper vos, dilectiſſimi mihi, & abundans gratia pacis & caritatis, vt ſitis vnũ corpus ſpiritalis matris veſtræ ſanctæ catholicæ & Apoſtolicæ Dei Eccleſiæ, in qua Deo auctore, quamuis tãto faſtigio viribus longè impares, præſumus, implentes illud propheticum dictum: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Pſal. 132. 1. Etenim & ſi pro itineris longitudine, corpore ſimus abſentes, in ſpiritu tamen dilectionis ſemper ſumus vobis præſentes, habentes vos in viſceribus noſtris, & aſſiduè orantes, vt Deus & Dominus noſter Iesvs Chriſtus multo ampliùs cõfirmet corda veſtra, & corroboret in exhortatione Euangelij, in miniſterio quo fungimini, vt credita vobis plebs veſtris admonitionibus, adiutore Deo, à diabolica fraude liberata ſalua perſiſtat, voſque mereamini de eorum animabus in diem Chriſti apportare lucrum. Scriptum quippe eſt: *Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorũ, & natio eorum obedientia & caritas.* Eccl. 3. 1. Obſecro ergo vos, cariſſimi mihi, vt dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis, vt decet ſanctos, cum multa patientia; ſupportantes inuicem in caritate, ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis & caritatis: quia finis præcepti caritas eſt, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Gaudeo in vobis, cariſſimi, quoniam fides veſtra, & vnitas erga nos pretioſa eſt & manifeſta, non ſolùm corã Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, dũ ad fautorem & magiſtrum veſtrum à Deo conſtitutum B. Apoſtolorum principem Petrum benigniſſima voluntate conuerſi eſtis. Laudabilis fides veſtra & bona fama, quoniam idipſum ſapitis quod oportet ſapere. Et nunc Deo cooperante eſt aggregata ſanctitas veſtra noſtræ ſocietati in vno paſtorali ouili: & eſt nobis vnus paſtor, qui à paſtore paſtorum Domino Deo & Saluatore noſtro Iesv Chriſto princeps Apoſtolorum, & noſter doctor eſt inſtitutus. Habetis itaque noſtra vice

ad confirmandam dilectionem veſtram, & collaborandum vobis in Euangelium Chriſti, ſanctiſſimum ac reuerentiſſimum Bonifacium fratrem noſtrum Archiepiſcopum, Apoſtolicæ Sedis legatum, & noſtram præſentantem vicem. Sit ergo conſtantia veſtra aduerſus contentiones eorum qui aduerſa ſapiunt, & non quæ Dei ſunt: & erit fortior petra conſtantia ve- Matth. 10. 16. & 18. Luc 12. 4. ſtra, ſicut eſt ſcriptum: *Ne timueritis ex eis, neque terreamini à facie eorum qui corpus occidunt, animam verò non poſſunt occidere.* Quod autem in aure auditis, prædicate in lumine, illum timētes, qui poteſt animam & corpus occidere & mittere in gehennam. Fratres mei, in carne ambulantes non ſecundum carnem militemus. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia, ſed potentia ſunt Deo, ad deſtructionem munitionum inimici conſilia ſalubria impendentes, & omnem impietatem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei deſtruentes; & in captiuitatem redigentes omnem intellectum, & omnem cogitationem in obſequium Chriſto perducentes. De cetero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Pax vobis multa, & gratia à Deo & Domino noſtro Iesv Chriſto miniſtretur. Amplectimur & oſculamur ac ſi præſentes, caritatem veſtram in vnitate Spiritus, in vinculo pacis & caritatis Chriſti. Deus vos incolumes cuſtodiat, dilectiſſimi nobis.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA VII.
Ad Bonifacium Epiſcopum.

Non iterandum eſſe baptiſmum, quem imperitus ſacerdos infractis verbis adminiſtrat.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

VIRGILIVS & Sidonius religioſi viri apud Baioariorum prouinciam degentes, ſuis apud nos litteris vſi ſunt, per quas intimauerunt, quòd tua reuerenda fraternitas eis iniungeret Chriſtianos denuò baptizare. Quod audientes nimis fuimus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, ſi habetur vt dictum eſt. De Conſecr. diſt. 4. Retulerunt nuntij. Retulerunt quippe quòd fuerit in eadem prouincia ſacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, neſciens Latini eloquij, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta; ac per hoc tua reuerenda fraternitas conſiderauit rebaptizare. Sed ſanctiſſime frater, ſi ille qui baptizauit, non errorem introducens, aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt ſuprà fati ſumus baptizans dixiſſet, non poſſumus conſentire, vt denuò baptizentur: quia, quod tua benè compertum habet ſancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nullo modo debet rebaptizari, ſed per ſolam manus impoſitionem purgari. Nam ſanctiſſime frater, ſi ita eſt, vt nobis relatum eſt, non ampliùs à te illis prædicentur huiuſmodi, ſed vt patres ſancti docent & prædicant, tua ſanctitas ſtudeat conſeruare. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data Kalendis Iulij, imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore anno XXVI. Imperij eius anno IV. Indictione XIV.

CONCILIVM ROMANVM.

DE HÆRETICIS ALDEBERTO ET CLEMENTE, quos Bonifacius in Franciæ Synodo condemnarat, in Patriarchio Lateranenſi à Zacharia Papa celebratum, menſe Octobri, Indictione XIV. hoc eſt anno Chriſti DCCXLV. Zachariæ eiuſdem Papæ, & Childerici III. Francorum regis IV.

ACTIO PRIMA.

IN nomine Domini noſtri IESV Chriſti. Imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino Imperatore anno XXVI. poſt Conſulatum eius anno V. menſe Octobri die XXV. Indictione XIV. præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo domno Zacharia Papa, in Patriarchio Lateranenſe, in Baſilica quæ appellatur Theodori. Conſidentibus etiam cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis, Epiphanio de Silua Candida, Benedicto Nomento, Venantio Præneſte, Gregorio Portuenſe, Niceta Gabiis, Theodoro Oſtienſe, Gratioſo Velitris: ſeu venerabilibus preſbyteris, id eſt Ioanne Archipreſbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Procopio, atque Theophanio. Propoſitis in medio ſacroſanctis Euangeliis. adſtantibus quoque diaconibus, vel cuncto clero. Gregorius notarius regionarius, & nomenculator dixit: Deneardus religioſus preſbyter, legatus Bonifacij ſanctiſſimi Archiepiſcopi prouinciæ Germaniæ, directus apud veſtrum ſanctum Apoſtolatum, præ velo eſt, & petit ſe ingredi: quid præcipitis? Dictum eſt, Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa ſanctæ Dei catholicæ atque Apoſtolicæ vrbis Romæ dixit: Ante hos dies ſyllabas reuerentiſſimi atque ſanctiſſimi fratris noſtri Bonifacij Archiepiſcopi nobis retuliſti, per quas nobis quæ opportuna ei viſa ſunt indicauit: quid ergo denuò ſecretaria noſtra te ingredi poſtulaſti? Deneardus religioſus preſbyter dixit: Domine mi, dum iuxta ſancti Apoſtolatus veſtri præceptionem dominus meus Bonifacius Epiſcopus, famulus pietatis veſtræ, in prouincia Francorum Synodum aggregaſſet, & reperiſſet illic falſos ſacerdotes, hæreticos & ſchiſmaticos, id eſt Aldebertum & Clementem, eos ſacerdotio priuans vnà cum principibus Francorum, retrudi fecit in cuſtodiam. Illi autem

impœnitentes permanent contra quod iudicatum eſt: & adhuc populum ſeducunt. Pro qua re hanc epiſtolam præfati domini mei, quam in manibus gero, veſtro ſancto Apoſtolatui miſſus offero, vt eam coram ſactoſancto Concilio relegi faciatis. Dictum eſt, Suſcipiatur epiſtola, & coram noſtra præſentia relegatur. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & ſacellarius relegit in his ſermonibus.

EPISTOLA BONIFACII AD Zachariam Papam.

Excellentiſſimo Patri, atque Apoſtolico Pontifici, & ex auctoritate S. Petri principis Apoſtolorum magiſterio freto, Zachariæ Papæ, Bonifacius exiguus ſeruus ſeruorum Dei optabilem in Christo caritatis ſalutem.

POSTQVAM me ante annos prope xxx. ſub familiaritate & ſeruitio Apoſtolicæ Sedis, annuente & iubente venerandæ memoriæ Antiſtite Apoſtolico Gregorio anteriore, voto conſtrinxi, quicquid mihi lætitiæ vel triſtitiæ acciderat, Apoſtolico pontifici ſolebam indicare, vt in lætis ſimul laudaremus Deum, & in triſtibus eius conſilio roborarer. Et ſicut tunc, ita & nunc mihi liceat, pietati veſtræ ſupplico, ſicut ſcriptum eſt, *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, ſeniores tuos & dicent tibi.* (Deut. 32.7.) Notum enim ſit paternitati veſtræ, quia poſtquam indigno mihi mandaſtis in prouincia Francorum, ſicut & ipſi rogauerunt ſacerdotes, Concilio Synodali & conuentui præeſſe, multas iniurias & perſecutiones paſſus ſum, maximè à falſis ſacerdotibus, ab adulteratis diaconibus, & fornicariis clericis. Maximus tamen mihi labor fuit contra duos hæreticos peſſimos & publicos, & blaſphemos contra Deum, & contra catholicam fidem. Vnus eorum, qui dicitur Aldebertus, natione generis Gallus eſt; alter qui dicitur Clemens, genere Scotus eſt: ſpecie erroris diuerſi, ſed pondere peccatorum pares. Contra iſtos obſecro Apoſtolicam auctoritatem veſtram, quo meam mediocritatem defendere & adiuuare, & per ſcripta veſtra populum Francorum, & Gallorum corrigere ſtudeatis: vt hæreticorum fabulas, & vana prodigia, & ſigna præcurſoris Antichriſti non ſectentur: ſed ad canonica iura, & ad viam veræ doctrinæ conuertantur. Et vt per verbum veſtrum iſti duo hæretici mittantur in carcerem, ſi vobis iuſtum eſſe videatur, cùm vitam & doctrinam illorum vobis intimauero; & nemo cum eis loquatur, vel communionem habeat; ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat: ſed ſegregati viuant, (1. Cor. 5.5.) & iuxta dictum Apoſtoli huiuſmodi traditi Satanæ in interitum carnis ſint, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini: (Matth. 18.17.) & iuxta Euangelicum præceptum, dum Eccleſiam non audierint, ſint nobis ſicut ethnici & publicani: donec diſcant non blaſphemare, nec ſcindere tunicam Chriſti. Propter iſtos enim perſecutiones & inimicitias, & maledictiones multorum populorum patior; & Eccleſia Chriſti impedimentum fidei & doctrinæ ſanctæ ſuſtinet. Dicunt enim de Aldeberto, quòd eis ſanctiſſimum Apoſtolum abſtulerim, patronum & oratorem, & virtutum factorem, & ſignorum

ſignorum oſtenſorem abſtraxerim. Sed pietas veſtra audiens vitam eius, iudicet ex fructu operum, vtrum veſtimentis ouium indutus, intus autem lupus rapax ſit, an non. In primæua enim ætate hypocrita fuit, dicens quòd ſibi Angelus Domini in ſpecie hominis de extremis finibus mundi, miræ & tamen incertæ ſanctitatis reliquias attulerit, & exinde poſſet omnia quæcumque à Deo poſceret impetrare: & tunc demum per illam ſimulationem, ſicut Paulus Apoſtolus prædixit, domos multorum penetrauit, & 2.Tim.3.6. captiuas poſt ſe mulierculas duxit oneratas peccatis, quæ ducebantur variis deſideriis, & multitudinem ruſticorum ſeduxit, dicentium quòd ipſe eſſet vir Apoſtolicæ ſanctitatis, & ſigna atque prodigia faceret. Deinde conduxit Epiſcopos indoctos, qui ſe contra præcepta canonum abſolutè ordinarunt. Tumque demum in tantam ſuperbiam elatus eſt, vt ſe æquipararet Apoſtolis Chriſti. Et dedignabatur in alicuius honore Apoſtolorum vel Martyrum Eccleſiam conſecrare; improperans hominibus etiam cur tantopere ſtuderent ſanctorum Apoſtolorum limina viſitare. Poſtea, quod abſurdum eſt, in proprij nominis honore dedicauit oratoria, vel vt veriùs dicam ſordidauit. Fecit quoque cruciculas & oratoriola in campis, & ad fontes, vel vbicumque ſibi viſum fuit: & iuſſit ibi publicas orationes celebrari, donec multitudines populorum, ſpretis ceteris Epiſcopis, & dimiſſis antiquis Eccleſiis, in talibus locis conuentus celebrarent, dicentes, Merita ſancti Aldeberti adiuuabunt nos. Vngulas quoque & capillos ſuos dedit ad honorificandum, & portandum cum reliquiis ſancti Petri principis Apoſtolorum. Tum demum, quod maximum ſcelus, & blaſphemia contra Deum eſſe videbatur, fecit. Venienti enim populo & proſtrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata ſua dixit: Scio omnia peccata veſtra, quia mihi cognita ſunt omnia occulta. Non eſt opus confiteri, ſed dimiſſa ſunt peccata veſtra præterita: ſecuri & abſoluti redite ad domos veſtras cum pace. Et omnia quæcumque ſanctum Euangelium hypocritas feciſſe teſtatur, ſuo habitu, & inceſſu, & moribus imitatus eſt. Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra catholicam contendit Eccleſiam, & canones Eccleſiarum Chriſti abnegat & refutat: tractatus & ſermones ſanctorum patrum, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij recuſat. Synodalia iura ſpernens, proprio ſenſu affirmat, ſe poſt duos filios ſibi in adulterio natos ſub nomine Epiſcopi eſſe poſſe Chriſtianæ legis Epiſcopum. Iudaiſmum inducens iudicat iuſtum eſſe Chriſtiano, vt ſi voluerit viduam fratris defuncti accipiat vxorem. Contra fidem quoque ſanctorum patrum contendit, dicens quòd Chriſtus filius Dei deſcendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit indè liberauit, credulos & incredulos, laudatores Dei ſimul & cultores idolorum: & multa alia horribilia de prædeſtinatione Dei contraria fidei catholicæ affirmat. Quapropter de hoc quoque hæretico precor, vt per litteras veſtras mandare curetis Duci Carlomanno, vt mittatur in cuſtodiam: quatenus ſemina Satanæ latiùs non ſeminet, & ne fortè ouis morbida totum gregem contaminet. Valere ſanctitatem veſtram, & proſperis prouectibus gaudere in longitudine dierum optamus. Cumque relecta eſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Audiſtis, fratres cariſſimi, quid in iſta epiſtola relectum ſit ex ſacrilegis illis, qui ſe ad ſuam condemnationem Apoſtolis prætule-

runt. Sanctiſſimi Epiſcopi, & venerabiles presbyteri reſponderunt: Audiuimus certè per omnia, non Apoſtolos, ſed miniſtros Satanæ, & præcurſores Antichriſti. Quis enim aliquando Apoſtolorum, aut quilibet Sanctorum, ex capillis ſuis, aut vngulis, ſanctuaria populis exhibuerunt, vt iſte ſacrilegus & pernicioſus Aldeberrus? Sed hoc ſcelus à veſtro ſancto Apoſtolatu eſt reſecandum, tam de illo, quàm etiam de illo tranſgreſſore Clemente, qui ſacros canones ſpernit, atque expoſitiones ſanctorum patrum, & dicta Sanctorum: vt pro tranſgreſſionibus ſuis dignam ſuſcipiant ſententiam. Sanctiſſimus ac beatiſſimus Papa Zacharias dixit: Quia hodie iam tardior hora eſt, venturo ſecretario relectis iterum vita eorum & actibus, communi conſenſu, mediante Deo, quid fieri debeat pertractandum eſt.

Actio secunda.

In nomine Domini Dei & Saluatoris noſtri Iesv Chriſti, imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino magno Imperatore anno xxvi. poſt Conſulatum eius anno v. menſe Octobris die xxv. Indictione xiv. præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Zacharia Papa in Patriarchio Lateranenſe, in Baſilica quæ appellatur Theodori: conſidentibus etiam cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis Epiphanio Siluæ Candidæ, Benedicto Nomento, Venantio Præneſte, Gregorio Portuenſe, Nicera Gabiis, Theodoro Oſtienſe, Gratioſo Velitris: ſeu venerabilibus presbyteris, id eſt Ioanne Archipresbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Procopio, atque Theophanio. propoſitis in medio ſacroſanctis Euangeliis: adſtantibus quoque diaconibus, vel cuncto clero, Gregorius notarius regionarius & nomenculator dixit: Iuxta veſtri ſancti Apoſtolatus præceptionem, quam in præterito ſecretario iuſſiſtis, Deneardus religioſus presbyter adeſt præ velo, quid præcipitis? Dictum eſt, Ingrediatur. Cumque ingreſſus eſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Actus illius nefandiſſimi Aldeberti, ſiue cetera quæ de eo ſunt ſcripta, quæ præterito ſecretario præ manibus gerebas, coram præſente Concilio porrige legenda. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & ſacellarius relegit vitam illius, cuius initium tale eſt. In nomine Domini noſtri Iesv Chriſti. Incipit vita ſancti & beati Dei famuli, & præclari atque per totum ſpecioſi, ex electione Dei nati, ſancti Aldeberti Epiſcopi. De ſimplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei eſt coronatus: quia dum in vtero matris eſſet, ibi gratiam Dei accepit, & antequam perueniſſet beatiſſima natiuitas eius, vidit genitrix eius, quaſi per viſionem, egredientem vitulum de dextro latere ſuo: qui vitulus deſignabat gratiam illam, quam ab Angelo acceperat antequam exiret de vulua. Cumque hic libellus vſque ad finem lectus fuiſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Quid ad hæc blaſphema reſpondetis, ſanctiſſimi fratres? Epiphanius ſanctiſſimus Epiſcopus Siluæ Candidæ dixit, Certè Apoſtolice Domine, ex diuina inſpiratione motum eſt cor ſancti veſtri Apoſtolatus, vt prædictum Bonifacium ſanctiſſimum fratrem noſtrum Epiſcopum, vtque Francorum principes commoneretis;

quatenus in partibus illis poſt longa tempora Concilium aggregaretur ſacerdotum, vt hæc ſchiſmata & blaſphemiæ vſquequaque ſancto veſtro Apoſtolatui minimè celarentur. Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Si quid adhuc habet Deneardus religioſus presbyter nobis porrigere relegendum, porrigat. Denardus religioſus presbyter reſpondit, Ecce Domine epiſtolam qua vtebatur, & diuulgabat eam eſſe Iesv, & de cælo cecidiſſe. Et accipiens Theophanius notarius regionarius & ſacellarius relegit, cuius initium tale eſt. In Dei nomine incipit epiſtola Domini noſtri Iesv Chriſti filij Dei, quæ in Hieroſolyma cecidit, & per Michaël Archangelum inuenta eſt ad portam Effrem, & per manus ſacerdotis nomine Leoræ epiſtola iſta relecta fuit, & exemplata: & tranſmiſit eam ad Hieremiam ciuitatem ad alium ſacerdotem nomine Talaſium; & ipſe Talaſius tranſmiſit eandem ad Arabiam ciuitatem, ad alium ſacerdotem Leobanium; & ipſe Leobanius tranſmiſit epiſtolam iſtam ad Vetfauiam ciuitatem, quam recepit Macherius ſacerdos Dei, & tranſmiſit in montem ſancti Michaël Archangeli. Et ipſa epiſtola per manus Angeli Domini peruenit ad Romanam ciuitatem ad locum ſepulchri S. Petri, vbi claues regni cælorum conſtitutæ ſunt, & duodecim Papati, qui ſunt in Romana ciuitate, triduanas fecerunt vigilias, & in ieiuniis, & orationibus permanſerunt diebus ac noctibus: & cetera vſque ad finem perlecta. Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Pro certo, fratres cariſſimi, iſte Aldebertus in inſaniam eſt conuerſus, & omnes qui hac vtuntur ſcelerata epiſtola, more paruulorum abſque memoria mentium ſunt, & muliebribus ſenſibus inſaniunt. Sed ne leuiores adhuc ampliùs decipiantur, indiſcuſſam & abſque ſententia cauſam hanc in eum relinquere minimè poſſumus. Sanctiſſimi Epiſcopi, & venerabiles presbyteri reſponderunt: Ex diuina illuſtratione cognoſcimus, cor veſtri ſancti Apoſtolatus illuminatum, & quæ à vobis dicta ſunt ex adminiſtratione ſancti Spiritus emanarunt. Et idcirco vt à vobis præuiſum fuerit, in vtroſque ſententia promulgetur. Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Non vt nobis ſolùm viſum fuerit, ſed pariter cum ſanctitate veſtra eſt pertractandum: ſed ſi Domino placuerit, in futuro Secretario, quod rectum præuiſum fuerit, & Dominus ſuis famulis adminiſtrauerit, ex omnibus eius actis promulgabitur ſententia.

Actio tertia.

In nomine Domini Dei noſtri Saluatoris Iesv Chriſti. Imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino magno Imperatore anno xxvi. poſt Conſulatum eius anno v. menſe Octobris die xxv. Indictione xiv. præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo domno Zacharia Papa, in Patriarchio Lateranenſe, in Baſilica quæ appellatur Theodori: conſidentibus etiam cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis, Epiphanio de Silua Candida, Benedicto Nomento, Venantio Præneſte, Gregorio Portuenſe, Nicera Gabiis, Theodoro Oſtienſe, Gratioſo Velitris: atque venerabilibus presbyteris, Ioanne Archipresbytero, Gregorio, Stephano, item Stephano, Dominico, Theodoro, Anaſtaſio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone, item Leone, Gregorio, Stephano, Euſtachio, Procopio, Theodoſio. Propoſi-

tis in medio ſanctis Euangeliis, adſtantibus quoque diaconibus, vel cuncto clero. Gregorius notarius regionarius & nomenculator dixit: Secundum quod à veſtro ſancto Apoſtolatu præceptum eſt in præterito Secretario, vt Deneardus religioſus presbyter hodie ſe veſtris obtutibus præſentaret, præſto eſt pro foribus, quid præcipitis? Dictum eſt, Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Habes adhuc ex ſacrilegorum illorum conſcripto, quod coram hoc ſancto Concilio porrigas ad relegendum? Deneardus religioſus presbyter reſpondit: Etiam Domine mi, habeo orationem quam ſibi Aldebertus componere niſus eſt. Et ecce præ manibus eam gero, iubere eam ſuſcipi. Et accipiens eam Theophanius notarius relegit coram omnibus: cuius initium tale eſt.

» Domine Deus omnipotens, Chriſti filij Dei Domini noſtri IESV Chriſti
» pater, A & Ω qui ſedes ſuper ſeptimum thronum, & ſuper Cherubim &
» Seraphim, tu pietas magna, & dulcedinis eſt tibi ſatis. Pater ſanctorum
» Angelorum, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt,
» Te inuoco & reclamo, & inuito te ſuper me miſerrimum, quia tu dignatus
» fuiſti dicere, Quodcumque petieritis à patre in nomine meo hoc faciam.
» Ergo ego te peto, quia in te confidit anima mea. Cumque per ordinem
» legeretur, ventum eſt ad locum vbi dicebat: Precor vos, & coniuro vos, &
» ſupplico me ad vos, Angele Vriel, Angele Raguel, Angele Tubuel, An-
» gele Michaël, Angele Inias, Angele Tubuas, Angele Sabaoc, Angele Si-
» miel: Dum verò hæc oratio ſacrilega vſque in finem perlecta fuiſſet, Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Quid ad hæc ſanctiſſimi fratres reſpondetis? Sanctiſſimi Epiſcopi & venerabiles presbyteri reſponderunt: Quid aliud agendum eſt, niſi vt omnia quæ nobis relecta ſunt igni concrementur, auctores verò eorum anathematis vinculo percellantur? Non enim nomina Angelorum, præter nomen Michaëlis, ſed nomina dæmonum ſunt, quæ in ſuis orationibus inuocauit ad præſtandum auxilium ſibi. Nos autem, vt à veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & diuina tradit auctoritas, non plus quàm trium Angelorum nomina cognoſcimus, id eſt Michaël, Gabriel, Raphaël. alioqui de myſterio ſub obtentu Angelorum dæmonum nomina introduxit. Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Optimè prouiſum eſt à veſtra ſanctitate, vt ſcripta illius omnia igne crementur. Sed opportunum eſt, vt in ſcrinio noſtro ad reprobationem, & ad perpetuam confuſionem eius reſeruentur. Nunc verò, quia omnia perlecta ſunt, de vtrorumque ſententia, quorum ſuperiùs mentio facta eſt, pertractandum eſt. Vniuerſum Concilium dixit: Aldebertus, cuius nobis actus & nefaria commenta relecta ſunt, quia ſe Apoſtolum cenſuit nominare, & capillos atque vngulas ſuas populis pro ſanctuario exhibuit, ſeducens populum diuerſis erroribus, & quoniam ſub obtentu Angelorum in ſuo auxilio dæmones inuocauit, ab omni officio ſacerdotali deponatur, agens pœnitentiam pro commiſſis, & ampliùs iam populum minimè ſeducat. Sin autem in his erroribus perſeuerauerit, & populum ampliùs ſeduxerit, ſit ei anathema, & æterno Dei iudicio condemnetur, omniſque qui ei conſenſerit, vel eius ſecutus fuerit doctrinam, aut adiunctus illi fuerit. Similiter autem & Clemens, qui per ſuam ſtultitiam ſanctorum patrum ſcripta reſpuit, vel omnia ſynodalia acta paruipendit,

inferens etiam Chriſtianis Iudaiſmum, dum prædicat fratris defuncti vxorem poſſe in matrimonio iungi; inſuper & Dominum IESVM Chriſtum deſcendentem ad inferos pios & impios ſimul inde abſtraxiſſe; ab omni etiam ſacerdotali officio deponatur, & anathematis vinculo obligetur, atque niſi reſipuerit, æterno Dei iudicio condemnetur; vel etiam omnes, qui eius ſacrilegis conſenſerint prædicationibus.

SVBSCRIPTIONES.

ZACHARIAS Epiſcopus ſanctæ Dei catholicæ atque Apoſtolicæ vrbis Romæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Epiphanius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Siluæ Candidæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Benedictus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Nomentanæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Venantius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Præneſtinæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Gregorius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Portuenſis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Nicetas Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Gabinatis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Theodorus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Oſtienſis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Gratioſus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Veliternenſis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Ioannes Archipreſbyter tituli S. Suſannæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Gregorius humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Clementis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Stephanus Dei gratiâ preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Marci his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Stephanus indignus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Euſebij his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſi.

Dominicus humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Priſcæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Theodorus humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Laurentij his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Anaſtaſius indignus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Mariæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Georgius humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli SS. Ioannis & Pauli his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Sergius humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Potentianæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Iordanes indignus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Sabinæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Theophanius humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli SS. Quatuor Coronatorum his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Leo indignus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Anaſtaſiæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Leo humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli Damaſi his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Gregorius indignus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Balbinæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Stephanus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Chryſogoni his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Euſtachius humilis preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

Procopius indignus preſbyter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Cyriaci his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſi.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA VIII.
Ad Bonifacium Epiſcopum.

Reſcribit ad ternas eius litteras. inter alia de cenſu anno XII. denariorum Eccleſiis pendendo à ſingulis coniugiis ſeruorum, de actis in Synodo Romana contra Aldebertum & Clementem. & de Metropolitana ſede Coloniæ Agrippinæ conſtituenda.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

CVM nobis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ ſyllabæ delatæ fuiſſent, atque per ſingula relegi feciſſemus, & reperiſſemus in earumdem litterarum tuarum ſerie, quòd peccatis noſtris facientibus, dum Dominici tritici ſemina quæreres elaborare ad augendam ſegetem ſpiritalem, ſubitò inimici ſuperſeminant zizania, vt ſanctitatem tuam in bono opere impediant, indoluimus. Sed tua ſancta fraternitas elaborare non deſinat, & inceſſanter orationi cum fratribus qui tecum ſunt intendat; & ſpiritales ſarculos conſtruens, & zizania eradicans, deportet ad comburendum, vt ait B. Gregorius Papa, *Bonum enim,* inquit, *vobis opus ſit in voluntate: nam ex diuino adiutorio erit in perfectione.* His ita ſe habentibus, cariſſime frater, confortare in Domino, & ipſe erit adiutor tuus. De incurſione autem gentium, quæ in tuis plebibus facta eſt, mœrendum nobis eſt. Sed hæc aduerſitas nullatenus tuam fraternitatem conturbet, quia & Romana ciuitas ex accidentibus facinoribus ſæpius eſt depopulata: & tamen omnipotentiâ ſua Dominus ex ſupernis dignatus eſt eam conſolari. Sic etenim credimus, quia & vos conſolabitur. Populo ergo tibi commiſſo, reuerentiſſime frater, prædica ieiunium, & ſupplicationes ad Deum litaniarum, & ſupereminens eius clementia adiuuabit vos. Te autem, vt prædiximus, nullatenus aduerſa perturbent: ſed in bono opere quod cœpiſti nullomodo deficias. Nos verò, licet immeriti & peccatores, noſtris precibus, vel conſacerdotum noſtrorum, in quantum poſ-

ſumus adiuuabimus. De Synodo autem congregata apud Francorum prouinciam, mediantibus Pippino & Carlomanno excellentiſſimis filiis noſtris, iuxta noſtrarum ſyllabarum commonitionem, peragente noſtras vices tua ſanctitate, qualiter egeris cognouimus, & omnipotenti Deo noſtro gratias egimus, qui eorum corda confirmauit, vt in hoc pio opere adiutores tui exiſterent: & omnia optimè & canonicè peregiſti, tam de falſis Epiſcopis, & fornicariis, & ſchiſmaticis, quàm etiam & in reliquis nomine ſacerdotibus, contra canonum ſtatuta agentibus, vel contra catholicam Dei & Apoſtolicam Eccleſiam, de quibus ſecundum tuam relationem per ſingula reſpondemus. De eo namque quod ſuggeſſiſti, quòd elegerunt ciuitatem vnam omnes Francorum principes, contingentem vſque ad paganorum fines, & partes Germanicarum gentium, vbi ante prædicaſti, quatenus ibi ſedem Metropolitanam perpetuo tempore habere debeas, vt indè ceteros Epiſcopos ad viam inſtruas rectitudinis, & poſt te tui ſucceſſores perpetuo iure poſſideant; hoc quod decreuerunt læto nos ſuſcipimus animo, eo quòd ex Dei nutu conſtat eſſe factum. Quòd verò quidam falſi ſacerdotes & ſchiſmatici hoc impedire conati ſunt, eorum vanum agonem Dominus diſſipabit, & illa faciet ſtabilita, quæ ſanctorum patrum ſtatutis conueniunt cócordare. Et quia tibi ipſi principes Francorum in hoc etiam adiutores exstiterunt, retribuat illis omnipotens Deus viciſſitudinis præmium, & innumera largiatur bona. Nam ſimiliter de illo falsò Epiſcopo, quem dixiſti adulterati clerici & homicidæ filium, ac in adulterio natum, & abſque diſciplina nutritum, & cetera mala horribilia quæ per ſingula enarraſti, ac per hoc & ſui ſimiles ſacerdotes cóſecrauit; de hoc meminit tua reuerenda fraternitas, quot vicibus iam tibi ſcripſimus, vt nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator ſacrum miniſterium debeat attrectare: ſed neque pœnitens, aut talis, qualem ſacri canones prohibent eſſe ſacerdotem. De baptizatis verò ab illo, ſeu Eccleſiis conſecratis, requirat tua fraternitas, ſi aut Eccleſias in nomine ſanctæ Trinitatis conſecrauit, aut paruulos ſimiliter baptizauit, dum ſacerdotio fungebatur, & ſic & conſecratio Eccleſiarum, & paruulorum baptiſma ſint confirmata. Et hoc pariter ſuggeſſiſti, quòd illi qui à te proiecti ſunt ſacerdotes à nobis ſe abſolutos apud Francorum prouinciam diuulgent: quod tua ſanctitas nullomodo credat. quia, quod impoſſibile eſt, ſi hoc feciſſemus, tuæ caritati per noſtras indicaſſemus litteras. Sed hoc quod impoſſibile eſt nullo modo credas, quia non aliud prædicamus, & aliud agimus, aut dirigimus, vt illi garriunt: ſed auxiliante Deo illud quod prædicamus fine tenus obſeruandum cenſemus. Hoc autem ſanctitatem tuam firmiſſimè vt teneas hortamur, vt ſanctorum patrum inſtitutis, & conſultis ſacrorum canonum omninò obſequi debeas, quia nos nullatenus aliud prædicamus, & aliud agimus. Nam & de eo quod obſecraſti, vt Francorum principibus vel ceteris Francis ſcriberemus, vt petiſti eis per ſingula ſcripſimus, vt tibi & amici ſint, & adiutores in Dominico opere exiſtant. De cenſu verò expetendo, eo quòd impetrare à Francis ad reddendum Eccleſiis vel monaſteriis non potuiſti aliud, quàm vt vertente anno ab vnoquoque coniugio ſeruorum XII. denarij reddantur; & hoc gratias Deo quia potuiſti impetrare, & dum Dominus donauerit quietem, augeantur & luminaria

Sanctorum, pro eo quod nunc tribulatio accidit Sarracenorum, Saxonum, vel Friſonum, ſicut tu ipſe nobis innotuiſti. De eo namque quod interrogaſti, quòd illi qui depoſiti ſunt pro capitalibus peccatis de gradu ſacerdotali, dum eos reperiſſes adulteros aut homicidas, vt nec ſacerdotes nec clerici eſſe poſſint, nec ſub pœnitentia monachi eſſe volunt; ſed pergentes apud palatium regis Francorum, rogant vt eis loca tribuat Eccleſiarum vel monaſteriorum, vt laica vita viuant, & diſpergant loca Sanctorum: ſed & de hoc pariter qualiter fieri debeat, Francorum principibus commonentes direximus. II. In alia quippe tua epiſtola reperimus contineri omnia, quæ contra te egerunt falſi & ſchiſmatici Epiſcopi Aldebertus & Clemens, per quæ omnia acta ipſorum & impiiſſimum errorem indicaſti. Nos verò congregatis fratribus & conſacerdotibus noſtris, eorumdem prauorum ſceleratiſſima acta in eorum præſentia relegi fecimus: & dum nobis coram omni Concilio relecta fuiſſent, pio ſtudio omnes eadem ſchiſmatica dogmata ipſorum, atque iniquiſſimas traditiones, ſeu ſceleratiſſimam vitam, quam ſibi Aldebertus conſcribere fecit, damnauerunt, & vna voce exclamauerunt vt igne cremarentur. Sed nos hoc non rectum iudicauimus pro eo quòd ad reſeruandum, ſiue in æternum eos condemnandum, in ſcrinio ſanctæ Eccleſiæ reſeruanda mandauimus, conſcribentes ipſi dignam ſententiam. cuius inſtar actionis ad tuam direximus frater ſanctitatem, vt relecta ea in prouincia Francorum, omnis ſchiſmaticus audiens taliter à ſancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia iudicatum, à ſenſus ſui prauitate reſipiſcat. III. In tertia quoque tua epiſtola intimaſti nobis de alio ſeductore, nomine Geolebo, qui antea falſo Epiſcopi nomine & honore fungebatur. Sed quia ſine cuiuſcumque licentia & conſultu ad nos properat, dum aduenerit, vt Domino placuerit ita fiet. Tua autem reuerentia, vt Domino auxiliante cœpit, vice noſtra volumus vt omni anno apto tempore in Francorum prouincia Concilium debeat celebrare, vt frequentiâ ſacerdotum, ſiue inſtitutis ſacrorum canonum mediantibus, illic quid aduerſum nullomodo audeat pullulare: ſed magis Eccleſiæ Dei vnitate, & diſciplina Eccleſiaſtica atque Apoſtolica vbique in illis partibus dilatata, cunctæ populorum turbæ etiam in occiduis partibus veri catholici eſſe poſſint, & non ampliùs per falſos ſacerdotes erroribus inuoluti demergantur in interitum. Dum verò Concilium aggregaueris, ſic tua fraternitas conflictum habeat cum Metropolitanis quos confirmauimus, de eo quod dixiſti vt nullus ſine commendatitiis epiſtolis ſuſcipiatur. Tamen & pro hoc ipſo, & pro omnibus vtilitatibus ſanctæ Eccleſiæ, Francorum principibus commonitionis direximus litteras, vt iam ſuperiùs fati ſumus. De ciuitate namque illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, iuxta petitionem Francorum, per noſtræ auctoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmauimus, & tuæ ſanctitati direximus, pro futuris temporibus eiuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime & cariſſime frater. Data pridie Kalendas Nouẽbris, imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore anno XXVII. imperij eius anno V. Indictione XIV.

EPISTOLA

EPISTOLA GEMMVLI DIACONI ECCLESIÆ Romanæ ad Bonifacium Archiepiſcopum.

De actis in Synodo Romana contra Aldebertum & Clementem.

DOMINO SANCTISSIMO APOSTOLORVMQVE meritis decorato Bonifacio Archiepiſcopo, Gemmulus indignus diaconus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

SVMMIS & Deo amabilibus apicibus acceptis, cum magno & omni quo cōdecet honore & veneratione relegi. Et quia poſt tot tempora merui ex veſtris ſyllabis viſitari, omnipoteti Deo noſtro gratias egi, qui me indignum famulum ſuum etiam de veſtra lætificauit incolumitate. Igitur omnia, quæ nobis per nunc directas litteras pręcepiſtis, vt Dominus vires donare dignatus eſt adimplemus. Sed & ea quæ Domino Apoſtolico ſuggeſſiſtis, per nos ſunt ſuſcepta & annuntiata atque relecta: & vos ea pertractantes omnia ſcripta, quæ vobis ab ea directa ſunt, à nobis eſſe dictata iuxta veſtram voluntatem cognoſcite. Sed & quod vos non ſperabatis fieri ſuggeſſimus, & facta eſt Synodus ſacerdotum, præſidēte domino Apoſtolico, & relecta eſt ſacrilega illius Aldeberti nefandiſſimi vita, & omnia opuſcula illius corā Synodo, pariter & epiſtola ſanctiſſimæ paternitatis veſtræ, vbi de illo, & de Clementis dementia ſuggeſſiſtis: & ſic geſtis peractis ſententia anathematis in eos promulgata eſt, vel in omnes, qui eorum nefandam ſecuti ſunt ſectam: cuius inſtar vobis à Domino Apoſtolico directum eſt. Et hæc coram præſentia præſentis patris noſtri Deneardi venerabilis preſbyteri acta ſunt: & ipſe vobis ore proprio poterit enarrare, quòd omnia iſta per nos acta ſunt. Nam pro certo cognoſcite, ſanctiſſime pater, quia in omnibus paratum me offero veſtris obtemperaturū præceptis. Scio enim quia veſtris orationibus adiutus erutus ſum à tētationibus inimici, & miſertus Dominus ſuo famulo medelam tribuit: & diuerſis infirmitatibus circumdatus, quamquam indignus, illud Apoſtoli ſequor conſolationis donum, quo ait, Dum infirmor tunc potens ſum. 2 Cor. 12. Et libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt in habitet in me per veſtras ſanctas preces virtus Chriſti. Venerandas namque ſorores noſtras, & Dei ancillas, quæ apud limina Sanctorum principum Apoſtolorum properauerunt, quas etiam nobis veſtra ſancta paternitas commendare iuſſit, in quantum Dominus vires donare dignatus fuerit, curam earum habemus propter veſtram ſanctam præceptionem. Benedictionem etenim, quam nobis direxiſtis, ſuſcepimus; id eſt poculum argenteum, & ſindonem vnam, quam in duplici ſuſcepimus benedictione, eo quòd à tanto patre meruimus viſitari. Et licet tribuere non valeamus, tamen ad vicem caritatis, cum magna reuerentia direximus cinnamomum vncias IV. coſtum vncias IV. piper libras II. cozumbrem libram I. Quæ peto vt abſque iniuria ſuſcipere iubeatis, & vt pro nobis orare dignemini omnino depoſco. Incolumem ſanctiſſimam paternitatem veſtram diuina conſeruet maieſtas orantem pro nobis, Domine & meritis Apoſtolorum decorate pater.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA IX.
Ad Pippinum Maiorem domus, itemque ad Epiſcopos, Abbates, & proceres Francorum.

Reſpondet de diuerſis capitulis à Pippino per Ardobanium miſſis.

DOMNO excellentiſſimo atque Chriſtianiſſimo Pippino Maiori domus, ſeu dilectiſſimis nobis vniuerſis Epiſcopis Eccleſiarum, & religioſis Abbatibus, atque cunctis Deum timentibus principibus in regione Francorum conſtitutis, Zacharias Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ in Domino ſalutem. Gratia vobis & pax à Deo patre omnipotente, & Domino IESV Chriſto, vnico filio eius, & Spiritu ſancto miniſtretur. GAVDIO magno gaudemus in Domino, addiſcentes per relationem ſublimiſſimi, atque à Deo ſeruati, prædilecti filij noſtri Pippini, veſtram omnium bonam conuerſationem; & quòd vt in bonis & Deo placitis diſpoſitionibus vnanimes atque cooperatores eſtis, ita & Eccleſiæ Dei venerabilia loca per vniuerſam veſtram prouinciam ſita, atque eorum Præſules, ſacerdotes, & religioſos Abbates, vt condecet, in ſancto habitu & conuerſatione ſacerdotali conſeruetis, vacantes orationibus, inſiſtentes precibus ad implorandam diuinam potentiam, & cælitus victoriam tribuendam aduerſus paganas & infideles gentes propugnatoribus veſtris. Etenim vobis in vera confeſſione & ſimplici corde ad Deum accedentibus, ſicut Exod.17.11. Moyſes ille amicus Dei orando pugnabat, & Ieſu Naue cum populo Iſraël bella Domini præliando vincebat; ita & vos agere oportet, cariſſimi mihi, vt ſitis adiutores populo veſtro orando, & bonis actibus inhærendo, declinantes à curis & negotiis ſæcularibus. Scriptum eſt enim, Pſal 45.11. *Vacate, & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.* Et iterum: Pſal.33.6. *Accedite ad eum & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcant.* Principes & ſæculares homines, atque bellatores, conuenit curam habere & ſollicitudinem contra inimicorum aſtutiam, & prouinciæ defenſionem. Præſulibus verò ſacerdotibus, atque Dei ſeruis, pertinet ſalutaribus conſiliis & orationibus vacare; vt vobis orantibus, & illis bellantibus, Deo præſtante, prouincia ſalua perſiſtat, fiatque vobis in ſalutem, laudem, & mercedem perpetuam. Ex hoc quippe præſulatus veſter apparebit in ſanctitate, & principatus dilecti filij noſtri Pippini approbabitur per ſubiectorum poteſtatem, & bonum diſpoſitum. Itaque vt flagitauit à nobis cum veſtro conſultu ſuperiùs effatus filius noſter Pippinus, vt de omnibus capitulis quibus innotuit reſponſum demus, in quantum Domino dante valemus, de vnoquoque capitulo inferiùs conſcriptum, iuxta quòd à ſanctis Patribus traditum habemus, & ſacrorum canonum ſanxit auctoritas, etiam nos, quod Deo inſpirante Apoſtolica auctoritate decernere potuimus, mandauimus in reſponſis.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De honore Metropolitanorum.*
2. *De damnatis Epiſcopis, presbyteris, & diaconis.*
3. *De presbyteris ſuperuenientibus.*
4. *De presbyteris agrorum.*
5. *De monachis ancillis Dei.*
6. *De viduis non velandis.*
7. *De laico pellente ſuam coniugem.*
8. *De presbyteris & diaconis qui ſeorſum collectas faciunt.*
9. *De clericis & monachis non manentibus in ſuo propoſito.*
10. *De clericis qui ſunt in ptochiis, monaſteriis, & martyriis.*
11. *Qui clerici ab vxoribus abſtinere debeant.*
12. *De iis qui vxores, aut viros dimittunt.*
13. *De monachis qui clerici fiunt.*
14. *De presbyteris & diaconis in crimen prolapſis.*
15. *De Eccleſiis quas laici in ſuis proprietatibus conſtruunt.*
16. *De clericis qui ſuas Eccleſias relinquunt.*
17. *De Epiſcopis qui aliorum clericos ſuſcipiunt.*
18. *Qui clerici vxores ducere poſſint.*
19. *Vt presbyteri & diaconi ſine commendatitiis non ſuſcipiantur.*
20. *De virginibus velatis, ſi deuiauerint.*
21. *De non velatis virginibus, ſi deuiauerint.*
22. *De his quæ duobus fratribus nupſerint, vel qui duas ſorores vxores acceperint.*
23. *De his qui homicidium ſponte perpetrant.*
24. *De his qui homicidium non ſponte perpetrant.*
25. *De his qui adulteras habent vxores, vel ipſi ſunt adulteri.*
26. *De monachis & virginibus propoſitum non ſeruantibus.*
27. *De his quæ ſuſcepto virginitatis propoſito nubunt.*

PRIMVM CAPITVLVM. Quomodo honorari debeat Metropolitanus Epiſcopus coram Epiſcopis, & parochialibus presbyteris, in canone ſanctorum Apoſtolorum capitulo XXXV. ſcriptum eſt: *Epiſcopos gentium ſingularum ſcire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil ampliùs præter eius conſcientiam gerant, quàm illa ſola ſinguli, quæ parochiæ propriæ, & villis quæ ſub ea ſunt, competant: ſed nec ille præter omnium conſcientiam faciat aliquid. Sic enim vnanimitas erit, & glorificabitur Deus per Chriſtum in Spiritu ſancto.* Item in canone Concilij Antiocheni, capitulo IX. continetur ita: *Per ſingulas regiones Epiſcopos conuenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum totius prouinciæ ſollicitudinem gerere: propter quod ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Vnde placuit eum & honore præcellere, & nihil ampliùs præter eum ceteros Epiſcopos agere, ſecundum antiquam à patribus regulam conſtitutam, niſi ea tantùm, quæ ad ſuam diœceſim pertinent, poſſeſſionéſque ſubiectas. Vnuſquiſque enim Epiſcopus habeat ſuæ parochiæ poteſtatem, vt regat iuxta reuerentiam ſingulis competentem, & prouidentiam gerat omnis poſſeſſionis, quæ ſub eius eſt poteſtate. Ita vt presbyteros & diaconos ordinet, & ſingula ſuo iudicio comprehendat. Ampliùs autem nihil agere tentet præter Antiſtitem Metropolitanum; nec Metropolitanus aliquid gerat ſine ceterorum ſacerdotum conſilio.* Item ex libro Decretorum beati Leonis, capitulo XXXII. continetur: *Igitur ſecundum ſanctorum patrum canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus, ita vt à regulis præſtitutis nulla, aut negligentiâ, aut præſumptione diſcedant.* aut in habitu, aut inceſſu ſanctitatis. Nam & nos ab Apoſtolica auctoritate ſubiungimus, vt Epiſcopus iuxta dignitatem ſuam indumentis vtatur. Simili

modo & preſbyteri cardinales, & qui in monaſtica vita velle habeant viuendi, plebi quidem ſibi ſubiectæ præclariori veſte induti debitum prædicationis perſoluant; & in ſecreto propoſitum ſeruent ſui cordis, vt qui videt in abſcondito Deus reddat illis in palam. Scriptum quippe eſt, *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* Non enim nos honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Monachi verò lanea indumenta, iuxta normam & regulam monaſticæ diſciplinæ, atque traditionem ſanctorum probabilium patrum, ſine intermiſſione vtantur. Si enim abrenuntiantes ea quæ ſæculi ſunt, tota ſe Deo intentione contulerunt, de omnibus illicitis debent abſtinere: vt quantum corpore ſuo ſuſtinuerint laborem, tantum remunerationis præmium à Deo percipere mereantur. Apoſtolis quippe diuinum datum eſt mandatum duas tunicas non habendi. Tunicas dixit Chriſtus, vtique laneas, non lineas. Qui ergo obedierit Dominico præcepto, bonis actibus inhærens, habebit vitam æternam. Item ex canone Antiocheni Concilij cap. x. De his qui vocantur Chorepiſcopi decretum eſt; *Qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamuis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & vt Epiſcopi conſecrati ſint: tamen ſanctæ Synodo placuit, vt modum proprium recognoſcant, & gubernent ſubiectas ſibi Eccleſias, earumque moderamine curáque contenti ſint. Ordinent etiam lectores, & ſubdiaconos, atque exorciſtas: quibus promotiones iſtæ ſufficiant. Nec presbyterum verò, nec diaconum audeant ordinare præter ciuitatis Epiſcopum, cui ipſe cum poſſeſſione ſubiectus eſt. Si quis autem tranſgredi ſtatuta tentauerit, depoſitus quo vtebatur honore priuetur. Chorepiſcopum verò ciuitatis Epiſcopus ordinet, cui ille ſubiectus eſt.*

Pſal. 4. 5.

Matth. 10. 10.

II. De Epiſcopis, preſbyteris, & diaconis damnatis, quòd priſtinum officium vſurpare non debeant, ex libro canonum ſanctorum Apoſtolorum capitulo xxix. dictum eſt: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus depoſitus iuſtè ſuper certis criminibus, auſus fuerit attrectare miniſterium dudum ſibi commiſſum, hic ab Eccleſia penitus abſcindatur.*

III. De preſbyteris ſuperuenientibus, ex Concilio Carthaginienſi cap. xi. Si quis preſbyter contra Epiſcopum ſuum inflatus ſchiſma fecerit, anathema ſit. *Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Si quis presbyter à præpoſito ſuo correptus fuerit, debet vtique apud vicinos Epiſcopos conqueri, vt ab ipſis eius cauſa poſſit audiri, ac per ipſos ſuo Epiſcopo reconciliari. Quod niſi fecerit, ſed ſuperbiâ, quod abſit, inflatus, ſecernendo ſe ab Epiſcopi ſui communione ſubduxerit, ac ſeparatim cum aliquibus faciens ſacrificium Deo obtulerit, anathema habeatur, & locum amittat. Si querimoniam iuſtam aduerſus Epiſcopum non habuerit, inquirendum erit.*

IV. De preſbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Epiſcopis, & preſbyteris cardinalibus, ex Concilio Neocæſarienſi capitulo xiii. ita continetur: *Presbyteri ruris in Eccleſia ciuitatis, Epiſcopo præſente, vel presbyteris vrbis ipſius, offerre non poſſunt, nec panem ſanctificatum dare, calicemque porrigere. Si verò abſentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, ſoli dare debebunt. Chorepiſcopi quoque ad exemplum quidem & formam Septuaginta videntur eſſe, vt cùm miniſtrauerint, propter ſtudium quod erga pauperes exhibent, honorentur.*

V. De monachis, id eſt ancillis Dei, de quibus flagitatum, ſi liceat

eas ad Miſſarum ſollennia, aut ſabbato ſancto publicè lectiones legere, & ad Miſſas pſallere, aut alleluia, vel reſponſorium: de his in libro Decretorum beati Gelaſij Papæ cap. XXVI. deſtinatum eſt, quòd nefas ſit feminas ſacris altaribus miniſtrare, vel aliquid ex his, quæ virorum ſunt officiis deputata, præſumere. *Nihilominus impatienter audiuimus tantum ſacrarum rerum ſubiiſſe deſpectum, vt feminæ ſacris altaribus miniſtrare ferantur, & cuncta, quæ non niſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum cui non competit exhibere: niſi quòd omnium delictorum, quæ ſingillatim perſtrinximus, noxiorum reatus omnis & crimen eos reſpicit ſacerdotes, qui vel iſta committunt, vel committentes minimè publicando, prauis exceſſibus ſe fauere ſignificant.*

VI. De viduis, ſi poſſint in propriis habitaculis ſuis ſaluare animas, item ex eodem libro capitulo XXI. ita continetur. Vt viduæ non velentur à pontificibus; & ſi profeſſam continentiam propoſito mutato calcauerint, ipſæ pro ſe rationem Deo pro ſuis ſint actibus redditur æ. *Nam de viduis ſub nulla benedictione velandis, ſuperiùs latiùs duximus differendum: quæ ſi propria voluntate profeſſam coniugij caſtitatem mutabili mente calcauerint, periculi earum intererit, quali Deum debeant ſatisfactione placare. Sicut enim ſi ſe forſitan continere non poterant, ſecundum Apoſtolum nullatenus nubere vetabantur: ſic habita ſecum deliberatione promiſſam Deo pudicitiæ fidem debuerunt cuſtodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus iniicere; ſed ſolam adhortationem præmij ſempiterni pœnaſque proponere diuini iudicij; vt noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio.* 1. Tim 5.

VII. De laico pellente ſuam coniugem ex canone ſanctorum Apoſtolorum cap. XLVIII. *Si quis laicus vxorem propriam pellens, alteram vel ab alio dimiſſam duxerit, communione priuetur.*

VIII. De preſbyteris & diaconibus, qui ſe à miniſterio Eccleſiaſtico ſubtrahunt, & ſeorſum collectas faciunt, ex canone Antiocheni Concilij cap. V. promulgatum eſt: *Si quis presbyter, aut diaconus, Epiſcopum proprium contemnens, ſe ab Eccleſia ſequeſtrauerit, & ſeorſum colligens altare conſtituit, & commonenti Epiſcopo non acquieuerit, nec conſentire vel obedire voluerit ſemel & iterum vocanti; hic damnetur omni modo, nec vltra remedium conſequatur, quia ſuam recipere non poteſt dignitatem. Quòd ſi Eccleſiam turbare & ſollicitare perſiſtit, tanquam ſeditioſus per poteſtates exteras opprimatur.*

IX. De clericis & monachis non manentibus in ſuo propoſito quod interrogatum eſt, in canone Calchedonenſi capitulo VII. decretum eſt: *Qui ſemel in clero deputati ſunt, aut monachorum vitam expetiuerunt, ſtatuimus neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: ſed hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad id quòd propter Deum primitus elegerant, anathematizari.*

X. De clericis qui ſunt in ptochiis, monaſteriis, atque martyriis, ex canone Calchedonenſis Concilij cap. IX. ita decretum eſt; *Clerici qui præficiuntur ptochiis, vel qui ordinantur in monaſteriis, & baſilicis Martyrum, ſub Epiſcoporum, qui in vna quaque ciuitate ſunt, ſecundum ſanctorum patrum traditiones, poteſtate permaneant; nec per contumaciam ab Epiſcopo ſuo deſiliant. Qui verò audent euertere huiuſmodi formam quocumque modo, nec proprio ſubiiciuntur Epiſcopo, ſi quidem clerici ſunt, canonum correptionibus ſubiacebunt; ſi verò laici, vel monachi fuerint, communione priuentur.*

XI. Qui clerici etiam ab vxoribus abſtinere debeant, ex Concilio Africano capitulo XXXVII. ita continetur: *Præterea cùm de quorumdam clericorum, quamuis erga proprias vxores, incontinentia referretur, placuit Epiſcopos & presbyteros, ſeu diaconos, ſecundum propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere: quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico officio remoueantur. Ceteros autem clericos ad id non cogi, ſed ſecundum vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere.*

XII. De his qui vxores aut viros dimittunt, vt ſic maneant, ex Concilio ſuprascripto Africano cap. LXIX. ita continetur: *Placuit vt ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito, alteri coniungantur; ſed ita maneant, aut ſibi inuicem reconcilientur. Quòd ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.*

XIII. Quod inquiſitum eſt, monachus ſi clericus factus fuerit quid agi debeat, ex decreto beati Innocentij Papæ capitulo XVII. continetur: *De monachis, qui diu morantur in monaſterio, & poſtea ad clericatus ordinem peruenerint, non debere eos à proprio propoſito deuiare. Aut enim ſicut in monaſterio fuit, & quod diu ſeruauit, in meliori gradu poſitus amittere non debet: aut ſi corruptus poſtea baptizatus, & in monaſterio ſedens ad clericatus ordinem accedere voluerit, vxorem omnino habere non poteſt, quia nec benedici cum ſponſa poteſt iam antea corruptus. Quæ forma ſeruatur in clericis, maximè cùm vetus regula hoc habeat, vt quiſque corruptus baptizatus clericus eſſe voluiſſet, ſponderet ſe vxorem omnino non ducere.*

XIV. Quòd presbyteri, aut diaconi, ſi in aliquo crimine prolapſi fuerint, non poſſint per manus impoſitionem pœnitentiæ remedium conſequi, in decreto beati Leonis Papæ cap. XVI. decretum eſt ita: *Alienum eſt à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui in presbyterali honore, aut diaconij gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi. Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt,* Sacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro illo? *Vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei ſecreta eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio fuerit digna, & etiam fructuoſa.*

1. Reg. 2. 25.

XV. Pro eo quod interrogatum eſt de laicis, qui Eccleſias in ſuis proprietatibus conſtruunt, quis ipſas debeat regere, aut gubernare; à ſanctis patribus ita ſtatutum eſt, & in præceptis Apoſtolicis ſic continetur, iuxta petitoris imploratum, vt ſi in quolibet fundo cuiuſcumque iuris oratorium ſiue Baſilica fuerit conſtructa, pro eius deuotione in honorem cuiuſcumque Sancti, in cuius Epiſcopi parochia fuerit fundatum oratorium, percepta primitus donatione legitima, id eſt præſtante tot, geſtiſque municipalibus allegata, prædictum oratorium abſque Miſſas publicas ſolenniter conſecrabit: ita vt in eodem loco, nec futuris temporibus baptiſteria conſtruantur, nec presbyter conſtituatur cardinalis: ſed & ſi Miſſas ibi facere maluerit, ab Epiſcopo nouerit presbyterum poſtulandum, quatenus nihil à quolibet alio ſacerdote vllatenus præſumatur, niſi ab Epiſcopo fuerit ordinatum.

XVI. De clericis qui proprias Eccleſias relinquunt, quid de eis agi debeat, ex canone SS. Apoſtolorum capitulo XV. ita continetur. *Si quis presbyter, aut diaconus, aut quilibet de numero clericorum, relinquens propriam*

parochiam pergat ad alienam, & omnino demigrans præter Epiſcopi ſui conſcientiam in aliena parochia commoretur, hunc vlteriùs miniſtrare non patimur: præcipuè ſi vocatus ab Epiſcopo redire contempſerit in ſua inquietudine perſeuerans. Verumtamen tamquam laicus ibi communicet.

XVII. Item pro Epiſcopis, qui alterius clericos ſuſceperint, vt excommunicentur, in eodem Canone capitulo XVI. continetur: *Epiſcopus verò, apud quem memoratos eſſe conſtiterit, ſi contra eos decretam ceſſationem pro nihilo reputans, tamquam clericos fortè ſuſceperit, velut magiſter inquietudinis communione priuetur.*

XVIII. Qui clerici vxores ſortiri debeant, in XXVII. capite Canonum ſanctorum Apoſtolorum decretum eſt. *Innuptis autem, qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint vxores accipiant, ſed lectores cantoréſque tantummodo.*

XIX. Vt nullus preſbyter, aut diaconus, ſine commendatitiis epiſtolis ſuſcipiatur, in eodem Canone ſanctorum Apoſtolorum continetur: *Nullus Epiſcoporum peregrinorum, aut presbyterorum, ſeu diaconorum, ſine commendatitiis ſuſcipiatur epiſtolis: & cum ſcripta detulerint, diſcutiantur attentiùs, & ita ſuſcipiantur, ſi prædicatores pietatis extiterint: ſin minùs, neque neceſſaria ſubminiſtrentur eis, & ad communionem nullatenus admittantur, quia à ſurreptione multa proueniunt.*

XX. De virginibus velatis ſi deuiauerint, quid de illis agendum ſit, in libro Decretorum beati Innocentij Papæ cap. XIX. adſertum eſt: *Quæ Chriſto ſpiritaliter nubunt, & à ſacerdote velantur, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe iunxerant, de mundo receſſerit. Si enim de hominibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec eis agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex his fuerit defunctus; quanto magis de illa tenenda eſt, quæ antè immortali ſe ſponſo coniunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigrauit?*

XXI. Item de non velatis virginibus, ſi deuiauerint, in eodem libro, XX. capite continetur: *Hæ verò, quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe ſimulauerunt permanere, licèt velatæ non fuerint, ſi fortè nupſerint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui; quanto magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigit, ſolui ſine vindicta non poterit? Nam ſi Apoſtolus Paulus, quæ à propoſito viduitatis diſceſſerant, dixit eas habere damnationem, quæ primam fidem irritam fecerunt; quanto potiùs virgines, quæ prioris promiſſionis fidem frangere ſunt conatæ?* 1.Tim.5.

XXII. De his quæ duobus fratribus nupſerunt, vel qui duas ſorores vxores acceperint, in Concilio Neocæſarienſe capitulo II. continetur: *Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abiiciatur vſque ad mortem. Verumtamen in exitu, propter miſericordiam, ſi promiſerit quòd facta incolumis huius coniunctionis vincula diſſoluat, fructum pœnitentiæ conſequatur. Quòd ſi defecerit mulier aut vir in talibus nuptiis, difficilis erit pœnitentia in vita permanenti.* Nos autem, gratia diuinâ ſuffragante, iuxta prædeceſſorum & anteceſſorum pontificum decreta, multo ampliùs confirmantes dicimus, vt dum vſque ſeſe generatio cognouerit, iuxta ritum & normam Chriſtianitatis & religionis

Romanorum, non copuletur coniugiis. Sed nec ſpiritualem, id eſt commatrem, aut filiam, quod abſit, quis ducat temerario auſu vxorem. Eſt namque nefas, & perniciosum peccatum coram Deo, & Angelis eius. In tantum enim graue eſt, vt nullus ſanctorum patrum, neque ſanctarum Synodorum aſſertione, vel etiam in imperialibus legibus quiſpiam iudicatus ſit; ſed terribile iudicium Dei metuentes ſiluerunt ſententiam dare.

XXIII. De his qui homicidium ſponte perpetrauerunt in XXI. capitulo Ancyrani Concilij continetur: *Qui voluntariè homicidium fecerunt, pœnitentiæ iugiter ſe ſubmittant, perfectionem verò circa vitæ exitum conſequantur.*

XXIV. De his qui homicidium non ſponte perpetrauerunt, in eodem canone XXII. capitulo continetur: *De homicidiis non ſponte commiſſis, prior quidem definitio poſt ſeptem annorum pœnitentiam perfectionem conſequi præcepit, ſecunda verò quinquennij tempus explere.*

XXV. De his qui adulteras habent vxores, vel ipſi adulteri comprobantur, in Concilio Ancyrano capitulo XIX. continetur: *Si cuius vxor adulterata fuerit, vel ſi ipſe adulterium commiſerit, ſeptem annorum pœnitentiâ oportet eum perfectionem conſequi ſecundum priſtinos gradus.*

XXVI. De monachis & virginibus propoſitum non ſeruantibus in libro Decretorum beati Siricij Papæ capitulo VI. continetur: *Præterea monachorum quoſdam, atque monacharum, abiecto propoſito ſanctitatis, in tantam proteſtaris demerſos eſſe laſciuiam, vt priùs clanculò vel ſub monaſteriorum prætextu illicita ac ſacrilega ſe contagione miſcuerint; poſtea verò in abruptum conſcientiæ deſperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges, & Eccleſiaſtica iura condemnant. Has igitur impudicas deteſtabileſque perſonas à monaſteriorum cœtu, clericorúmque conuentibus eliminandas eſſe: quatenus retruſæ in ſuis ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificato poſſint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem ſaltem, ſolius miſericordiæ intuitu, per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubuenire.*

XXVII. De his quæ non coactè, ſed propria voluntate virginitatis propoſitum ſuſceperunt, quòd delinquant cùm nupſerint, etſi nondum fuerint conſecratæ, in libro Decretorum beati Leonis Papæ capite XXVII. continetur: *Puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo iudicio, virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligunt, præuaricantur, etiamſi nondum eis gratia conſecrationis acceſſit: cuius vtique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent.*

Hæc itaque, cariſſimi nobis & dilectiſſimi, quæ ſuperiùs annexa ſunt, inquantum miſerante Deo valuimus, inter cetera capita deflorantes, tam ſanctorum Apoſtolorum, quàm etiam beatorum patrum ſanctiones, ſeu etiam probabilium beatiſſimorum pontificum decreta, vt vniuſcuiuſque capituli ſententia continet, in breui eloquio perſtringentes, ad veſtri præſulatus notitiam & prædicationem, atque populi vobis à Deo crediti ædificationem, mandauimus miniſtranda atque perficienda: hortantes veſtram omnium prudentiſſimam ſanctitatem, & procerum dilectionem, vt omnimoda ratione non declinantes à dextris, aut ſiniſtris, ſed viam regiam incedentes, conſtantiſſimè obſeruetis Apoſtolica mandata. Ceterùm hæc,

hæc, amantiſſimi nobis, dedimus vobis in mandatis, vt nec nos coram Deo de taciturnitate iudicemur, nec vos de neglectu coram eo cogamini reddere rationem, ſicut ſcriptum eſt in Dominico præcepto: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent.* Itaque nihil excuſationis adhibentes, omnium rationabilium animarum ſalutem procuretis, ita currentes in agone, vt non vituperetur miniſterium veſtrum; ſed magis de palma victoriæ brauium accipiatis, iuxta egregij Apoſtoli dictum, habentes bonis actibus inhærendo repoſitam coronam iuſtitiæ in ſiderea manſione, quam vobis reddat in illum diem iuſtus iudex, dominus Deus & ſaluator noſter IESVS Chriſtus, qui viuit in vnitate cum Deo patre omnipotente, & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Ioan. 15. 22.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA X.

Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Vt recitentur in Concilio quæ ad Pippini capitula reſcripſit, diſcutiantúrque iterum Aldebertus, Godolſatius, & Clemens.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

EGREGIE' nos admonet beatus Apoſtolus Paulus in eo quod ait, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Hinc eſt ergo, vt per ſpeciale caritatis vinculum, etſi corpore abſentes, ſpiritu verò ſemper ſanctæ fraternitati tuæ ſimus præſentes: ita vt in noſtris viſceribus te habentes cariſſimum fratrem & conſacerdotem, licèt peccatores, tamen ſpe diuina freti, aſſiduè in noſtris orationibus memoriam tui agere non deſiſtimus, petentes immenſam Chriſti Dei noſtri diuinitatem, vt in peragendum ſuum te confirmet miniſterium: quatenus in diem aduentus eius illam placabilem merearis exprimere vocem, *Ecce ego, & pueri quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Vt continuò altiſona & deſiderabilis vox inter illos, qui ab initio mundi ei placuere, conſonanter te in illorum inuitatione ſubmittat, in qua dicturus eſt, *Venite benedicti patris mei, percipite vobis paratum regnum ab origine mundi.* His ita ſe agentibus agnoſcas, cariſſime, flagitaſſe à nobis Pippinum excellentiſſimum Maiorem domus gentis Francorum per ſuum hominem, nomine Ardobanium, religioſum preſbyterum, aliquanta Capitula de ſacerdotali ordine, & quæ ad animarum ſalutem pertinent; ſimul etiam & pro illicita copula, qualiter ſeſe debeant cuſtodire iuxta ritum Chriſtianæ religionis, & ſacrorum canonum inſtituta. Et quamquam de hoc iam experta ſit tua fraterna ſanctitas quæ à nobis ſunt decreta, illius tamen votis aurem accommodantes, in breui eloquio conſcripta Apoſtolica documenta direximus. Pro quibus vt in ſacerdotali collegio lectione pandantur, & tuam fraternam ſanctitatem inibi euocari dedimus in mandatis: & dum pro hac re fuerit aggregatum Concilium, ad medium deducantur ſacri-

1. Cor. 11. 1.
Eſa. 8. 18.
Matth. 25. 34.

Digitized by Google

legi illi & contumaces, Aldebertus, & Godolſatius, & Clemens exepiſcopi, vt eorum denuo ſubtili indagatione cribraretur cauſa. Quos ſi deuiantes à rectitudinis tramite vſquequaque repereritis, & conuicti fuerint inclinati ad viam conuerti rectitudinis, vt bonum atque placitum in oculis veſtris paruerit, cum principe prouinciæ diſponite ſecundum ſacrorum canonum ſancita. Sin autem in ſuperbia perſtiterint, contumaciter proclamantes reos ſe non eſſe; tunc cum probatiſſimis atque prudentiſſimis ſacerdotibus, duobus vel tribus, prædictos ad nos dirigatis viros; vt profunda inquiſitione coram Sede Apoſtolica eorum inquiratur cauſa, & iuxta quod meruerint finem ſuſcipiant. Age itaque, dilectiſſime frater, in miniſterio tibi commiſſo, ab omnipotente Deo mercedis præmium recipiens, æternam vitam conſequi merearis. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data Nonis Ianuarij, imperante domno noſtro piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno Imperatore anno XXVIII. imperij eius anno VI. Indictione XV.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA XI.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Reſpondet ad litteras quas Burchardus Epiſcopus attulerat. præcipuè, de forma & miniſtro baptiſmi, de vagis quibuſdam Epiſcopis & presbyteris, de Samſonis presbyteri Scoti hæreſi circa baptiſmum, de Virgilio item presbytero, eiuſque alio errore. De ſede Metropolitana non Coloniæ, ſed Moguntiæ defixa. Permittit denique, vt ſibi deligat ſucceſſorem.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

SACRIS liminibus beati Apoſtolorum principis Petri, & noſtris obtutibus præſentatus præſens Burchardus, dilectus nobis Epiſcopus, fraternæ ſanctitatis tuæ nobis attulit affatus, per quorum ſcriptum tenorem agnouimus magnum habere certamen, & ſtudioſè elaborare fraternitatem tuam in prædicatione Euangelij Chriſti Dei noſtri, & exhortatione ſanctæ catholicæ & orthodoxæ rectæ fidei, quam à redemptore noſtro Deo & Domino IESV Chriſto, per inſtitutum à ſe beatum principem Apoſtolorum Petrum, & vas electionis Paulum, omneſque Apoſtolos traditam ſuſcepimus. Quibus agnitis, etſi peccatores, extenſis ad æthera palmis omnipotenti Deo immenſas egimus gratias, petentes eius ineffabilem diuinitatem, vt multo ampliùs confirmet atque corroboret cor fraternitatis tuæ, & ſoſpitem atque robuſtum corpore annuat permanere, vſquequo eius diuinitas te ſuperſtitem in hac iuſſerit eſſe vita, ad perficiendum miniſterium tibi impoſitum, & ad portandum lucrum animarum in diem Chriſti IESV, vt illam merearis audire
Matth. 25. 34. vocem deſiderabilem, quam dicturus eſt Dominus diligentibus ſe: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi.* Erant autem inſerta in eiſdem tuis affatibus diuerſa Capitula, de quibus iudicium

& conſilium, atque ſolatium Sedis Apoſtolicæ tibi dirigi flagitaſti. Primum Capitulum pro Synodo prouinciæ, in qua natus & nutritus es, quam & in gentem Anglorum & Saxonum in Britannia Inſula primi prædicatores ab Apoſtolica Sede miſſi, Auguſtinus, Laurentius, Iuſtus, & Honorius, & nouiſſimè tuis temporibus Theodorus ex Græco Latinus antè philoſophus, & Athenis eruditus, Romæ ordinatus, pallio ſublimatus, ad præfatam Britanniam tranſmiſſus, iudicabat & gubernabat. In illa tale decretum & iudicium firmiſſimè præceptum, & diligenter demonſtratum eſſe dinoſcitur, vt quicumque ſine inuocatione Trinitatis lotus fuiſſet, ſacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum eſt: quia ſi merſus in fonte baptiſmatis quis fuit ſine inuocatione Trinitatis, perfectus non eſt, niſi fuerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatus. De illo autem quod per quoſdam affirmari ſcripſiſti, vt ſi Euangelicis quis verbis inuocata Trinitate, iuxta regulam à Domino poſitam, quicumque merſus eſſet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quòd ſacramentum ſine dubio haberet: & ita fortiter verbis Euangelicis fuiſſet conſecratum baptiſma, vt quamuis ſceleratiſſimus quiſque hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut latro, aut fur, ſiue adulter, hoc homini petenti miniſtraret, tamen Chriſti eſſet baptiſma verbis Euangelicis conſecratum: & è contra, licèt miniſter iuſtus fuerit, ſi Trinitatem iuxta regulam à Domino poſitam in lauacro non dixiſſet, verum baptiſma non eſſet quod dedit. De illis itaque immundis & incertis viris, hæreticis atque ſchiſmaticis, qui in nomine Trinitatis petentes baptizant; ſed & de his qui ſine inuocatione Trinitatis mergunt in fonte baptiſmatis, fraternitati tuæ notum eſt, quid de illis ſacrorum canonum ſeries continet, quod & tenere te firmiter hortamur. Scriptum quippe eſt dicente Domino, *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum.* Quod ſuſcepiſti, frater, à prædeceſſore noſtro ſanctæ recordationis Gregorio, huius Apoſtolicæ Sedis pontifice, in eo permane, & ab Euangelica & Apoſtolica, ſeu ſanctorum patrum tradita doctrina nullomodo declines: ſed indutus loricam fidei & galeam ſalutis, viriliter contra nequitiam diabolicæ fraudis Apoſtolicam præſentando vicem reſiſte. Scriptum namque eſt, *Ecce dedi faciem tuam potentem aduerſus faciem eorum, & conſtantiam tuam confortabo aduerſus contentiones eorum, & erit fortior petra conſtantia tua.* Pro ſacrilegis itaque presbyteris, vt ſcripſiſti, qui tauros & hircos Diis paganorum immolabant, manducantes ſacrificia mortuorum, habentes & pollutum miniſterium, ipſique adulteri eſſe inuenti ſunt & defuncti; modò verò incognitum eſſe, vtrum baptizantes Trinitatem dixiſſent, an non; & timent illi qui viui ſunt, quòd in tali miniſterio non ſint baptizati. quibus reſpondens, iuſſiſti omnes baptizare. Hoc quoque obſeruaſſe in dicta Synodo ſacerdotes, vt qui vel vnam de Trinitate perſonam in baptiſmo non nominaret, illud baptiſma verum eſſe non poſſet. quod pro certo verum eſt: quia qui vnam ex ſancta Trinitate confeſſus non fuerit, perfectus Chriſtianus eſſe non poteſt. Qui enim confitetur Patrem & Filium, ſi confeſſus non fuerit Spiritum ſanctum, nec Patrem habet, nec Filium: & qui confeſſus fuerit Patrem & Spiritum ſanctum, & Filium non fuerit confeſſus; nec Patrem habet, nec Spiritum ſanctum, ſed vacuus eſt à gratia diuina. Eos autem

De Conſecr. diſt. iv In Synodo Anglorum.

Leuit. 11. 44.

Ezech. 3. 8. apud LXX.

Cap. eodem, §. Hoc quoque.

quos reperiſſe affata eſt fraternitas tua pſeudoſacerdotes, multo maioris numeri quàm catholicos, erroneos ſimulatores ſub nomine Epiſcoporum vel presbyterorum, qui numquam ab Epiſcopis catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & miniſteria Eccleſiæ confundentes & conturbantes, falſos, gyrouagos, adulteros, homicidas, molles, maſculorum concubitores, ſacrilegos, hypocritas, & multos ſeruos tonſuratos, qui fugerunt dominos ſuos, ſeruos Diaboli transfigurantes ſe in miniſtros Chriſti, qui ſine Epiſcopis proprio arbitrio viuentes, populares defenſores habentes contra Epiſcopos, vt ſceleratos mores eorum non confringant, ſeorſum populum conſentaneum congregant, & illud erroneum miniſterium non in Eccleſia catholica, ſed per agreſtia loca, per cellas ruſticorum, vbi eorum imperita ſtultitia celari Epiſcopos poſſit, perpetrant: nec fidem catholicam paganis prædicăt, nec ipſi fidem rectam habent, ſed nec ipſa verba ſolénia, quæ debet vnuſquiſque catechumenus, ſi talis ætatis eſt, vt iam intellectum habeat, ſenſu cordis ſui percipere & intelligere, nec docent, nec quærunt ab eis quos baptizare debent; id eſt abrenunciare Satanæ, &c. Sed neque ſignaculo Chriſti eos muniunt, quæ præcedere debent baptiſmum: ſed nec aliquam credulitatem vnius Deitatis, & ſanctæ Trinitatis docent, neque ab eis quærunt vt corde credant ad iuſtitiam, & oris confeſſio fiat illis in ſalutem. Hos itaque miniſtros Satanæ, & non Chriſti, vbicumque repereris, cariſſime nobis, aggregato prouinciali & ſacerdotali collegio omnimodo deuita, & ſacerdotali honore priuatos ſub regula monachica & pœnitentia ſummiſſos, vitam finire ordinabis: vt carne afflicti quandoque ad viam rectitudinis redeant, & ſi corde crediderint, oris eorum vera confeſſio illis fiat in ſalutem. Si verò non fuerint conuerſi, tua prædicantis non periet iuſtitia. Habebis enim ſolatiantem te contra nequitiam malignantium ſanctorum Apoſtolorum, & ceterorum probabilium patrum canonicam ſanctionem. Confortare itaque, reuerentiſſime mihi, & præuale in lege, & in Euangelio Chriſti, & prædicatione catholicæ ac orthodoxæ fidei, quia ipſa glorificabit te. Tribulatio enim corporis noſtri temporalis eſt, & finem habet; probatio autem ſpem: *Spes verò non confundit*, vt ait Apoſtolus; *quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Quis namque nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia?* & cetera. Et ſi deiicimur, frater, non perimus: conſecramus autem mortem Iesv in corpore noſtro, vt vita Iesv in die aduentus ſui fiat in corpore noſtro manifeſta, ſicut per eius diuinam edocti ſumus vocem: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam eorum eſt regnum cælorum.* Conforta itaque & dilectiſſimos nobis omnes orthodoxos Epiſcopos, & ſacerdotes atque leuitas, vel clericos, vel religioſos Abbates, & monachos, ſeu glorioſiſſimos Duces, cunctoſque optimates Chriſtianæ legis ſeruatores, vt nobis ſint adiutores contra aduerſarios orthodoxæ fidei, omneſque hæreticos & ſchiſmaticos: quatenus & ipſi de fructu boni operis gaudere mereantur in cæleſtibus regnis, ſicut ſcriptum eſt, *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, & ſcribam ſuper illum nomen meum.* Interea ſcripſit reuerenda fraternitas tua, reperiſſe quendam presbyterum genere Scotum, nomine Samſon, errantem à via veritatis, dicentem & affirmantem ſine myſtica

Rom. 5. 5.
Ibid. 8. 35.
Matth. 5. 10.
Apoc. 3. 12.

inuocatione, aut lauacro regenerationis, poſſe fieri catholicum Chriſtianum per Epiſcopalis manus impoſitionem. Hic autem qui dicit hoc, vacuus eſt Spiritu ſancto, & alienus à gratia Chriſti, atque à conſortio ſacerdotali abiiciendus. Quis enim niſi baptizetur, iuxta præceptum Domini, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & ſic per manus impoſitionem conſecretur, poteſt eſſe catholicus? Hunc nequiſſimum virum talia prædicantem ab Eccleſia ſancta Dei condemnatum expelle. Illos autem viros qui ab hæreticis baptizati ſunt, & dubietas tenet quòd in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti non ſint baptizati, inquiſita rei veritate, ſi ab erroneis ſacerdotibus baptizati ſunt, hos ſine dubio, iuxta prædeceſſoris noſtri bonæ memoriæ Gregorij Papæ, & ſacrorum canonum traditum tibi mandatum, implere non omittas, ne in æternum pereant, ſed potiùs Euangelica conſecratione ſaluentur. Intuiti autem ſumus & volumen à te directum vniuerſis Epiſcopis, preſbyteris, diaconibus, vel ceteris religioſam vitam degentibus, de vnitate fidei catholicæ & doctrina Apoſtolica ſcriptum, & valde nobis acceptabile eſſe cognoſcas, quoniam per Spiritus ſancti gratiam in te diffuſam, cariſſime, hoc operari ſtuduiſti. Interea per alia ſcripta fraternitatis tuæ petiſti, vt ſacerdos à nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda. Sed dum Deo propitio tua ſanctitas ſuperſtes exiſtit, quæ Sedis Apoſtolicæ & noſtram illic præſentat vicem, alium illic dirigere neceſſarium non eſt. Quos autem repereris, amantiſſime frater, habentes ſcientiam ſacræ doctrinæ, & ſanctam tenentes legem, atque orthodoxam ſine dubio defendentes fidem, hos mittere ſtude, in quibus præuideris locis, ad prædicandum verbum ſalutis. Concilia verò aggregatis Epiſcopis prouincialibus, vt tibi & vbi rectum videtur, celebranda procura, & quos deuiantes inueneris, confunde facies eorum ignominia, vt ſint coram hominibus ſine honore. Dominus enim Deus noſter erit tecum. Suſcepimus verò & chartam conſcriptam veræ atque orthodoxæ profeſſionis & catholicæ vnitatis, quam cum dilectiſſimis nobis Epiſcopis partis Francorum tua direxit reuerenda fraternitas, quam reſerantes nimio gaudio ſumus repleti, innumerabiles gratias agentes Deo Patri omnipotenti, quia vnanimitatem eorum ad ſocietatem noſtram reuocare dignatus eſt, vt ſpiritualis eorum mater ſancta lætetur Eccleſia. Noſtra autem vice, cariſſime, omnes in oſculo pacis Chriſti ſaluta: quia & nos dilectioni eorum gratias agentes Apoſtolicas miſimus litteras. Nam & hoc intimatum eſt à tua fraterna ſanctitate, quòd Virgilius ille, neſcimus ſi dicatur preſbyter, malignatur aduerſum te, pro eo quòd confundebatur à te, erroneum ſe eſſe à catholica doctrina, immiſſiones faciens Otiloni Duci Baioariorum, vt odium inter te & illum ſeminaret, aiens quòd & à nobis eſſet abſolutus, vt vnius defuncti ex quatuor illis Epiſcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœceſim obtineret: quod nequaquam verum eſt, quia mentita eſt iniquitas ſibi. De peruerſa autem & iniqua doctrina eius, qui contra Deum & animam ſuam locutus eſt, ſi clarificatum fuerit ita eum confiteri, quòd alius mundus, & alij homines ſub terra ſint, ſeu ſol & luna, hunc habito conſilio ab Eccleſia pelle, ſacerdotij honore priuatum. Attamen & nos ſcribentes præfato Duci, euocatorias prænominato Virgilio mittimus litteras, vt nobis præ-

ſentatus, & ſubtili indagatione requiſitus, ſi erroneus fuerit inuentus, canonicis ſanctionibus condemnetur. Qui enim ſeminant dolores, ipſi metunt eos. Sic enim ſcriptum eſt, *Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo: probata autem virtus corripit inſipientes.* Pro Sidonio autem ſupradicto & Virgilio presbyteris quod ſcripſit ſanctitas tua cognouimus. Illis quidem vt condecebat ſcripſimus comminando: tuæ autem fraternitati plus credulitas quàm illis admittitur. Si autem placuerit Domino, vita comite, Sedi Apoſtolicæ eos miſſis Apoſtolicis litteris, vt prælatum eſt, euocamus. Docuiſti enim eos, & non ſuſceperunt, & factum in illis ſicut ſcriptum eſt, Sapientiam *qui docet fatuum, quaſi qui conglutinat teſtam. Arenam, & ſalem, & maſſam ferri facilius eſt portare, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium.* Quoniam *qui minoratur corde cogitat inania, & vir imprudens & errans cogitat ſtulta.* Non ergo ad iracundiam prouocetur cor tuum, frater: ſed in patientia tua vbi tales repereris admone, obſecra, argue, increpa, vt conuertantur ab errore ad viam veritatis: & ſi conuerſi fuerint, ſaluaſti animam eorum: ſi verò in duritia permanſerint, mercedem miniſterij tui non perdes. Illos autem iuxta vocem Apoſtoli deuita. Alia denique ſcriptura tuæ fraternitatis continebat, quod iam olim de Agrippina ciuitate ſcripſiſti, quòd Franci non perſeuerauerunt in verbo quod promiſerunt, & nunc moratur tua fraternitas in ciuitate Moguntina. Petiſti autem vt cum noſtro conſultu ſuperueniente tibi ſenectute, & plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis, ſi inuenire potueris alium, in eundem ſedem, in qua præes, pro tui perſona debeas collocare. Tu verò cariſſime, Legatus & Miſſus es, vt fuiſti, Sedis Apoſtolicæ. Nos verò, adiutore Deo, conſilium præbemus tuæ reuerendæ ſanctitati, vt pro ſalute animarum rationabilium factore Chriſto, ſedem quam obtines ſanctæ Moguntinæ Eccleſiæ nequaquam relinquas: vt impleatur Dominicum in te præceptum, *Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Sin verò ſi Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui poſſit ſollicitudinem habere & curam pro ſalute animarum, pro tui perſona illum ordinabis Epiſcopum, eritque in Euangelio tibi credito, & miniſterio Chriſti portando in omni loco requirens & confortans Eccleſiam Dei. Oramus itaque Dominum & redemptorem noſtrum, vt ſacris interuentionibus ſanctæ ſuæ genitricis ſemper Virginis Mariæ dominæ noſtræ, & beatorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli, orantem pro nobis fraternam ſanctitatem tuam ſoſpitem & incolumem conſeruare dignetur. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime & ſanctiſſime frater. Data Kalendis Maij, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino à Deo coronato magno pacifico Imperatore anno XXIX. P. C. eius anno VII. Indictione I.

Sap.1.3. Eccl.22.7. & 18. Eccl.26.23. 3.Tim.3.5. 7.q.1. Petiiſti vt cum. Matth.10.22.

BONIFACII EPISTOLA III. AD GRIPHONEM fratrem Pippini Maioris domus.

Commendat illi clericos & monachos qui ſunt in Thuringia, vt eos defendat ab iniuriis Paganorum.

BONIFACIVS SERVVS SERVORVM DEI GRIPHONI filio Carli optabilem in Chriſto ſalutem.

OBSECRO & adiuro pietatem veſtram, per Deum patrem omnipotentem, & per IESVM Chriſtum filium eius, & per Spiritum ſanctum, per ſanctam Trinitatem, & vnitatem Dei, vt ſi tibi Deus poteſtatem donauerit, vt adiuuare ſtudeas ſeruos Dei ſacerdotes preſbyteros qui ſunt in Thuringia, & monachos & ancillas Chriſti defendere contra Paganorum malitiam, & adiuuare Chriſtianum populum, vt eos Pagani non perdant, vt ante tribunal Chriſti mercedem habeas perpetuam. Et cognoſcite, quòd memoria veſtra nobiſcum eſt coram Deo, ſicut & pater veſter viuus, & mater iam olim mihi commendarunt. Deprecamur Deum ſaluatorem mundi, vt dirigat viam veſtram & vitam ad ſalutem animæ veſtræ, vt in gratia Dei ſemper hîc & in futuro ſæculo permaneatis. Interea mementote, filij cariſſimi, quia iuxta vocem Pſalmographi: *Omnis homo ſicut fœnum dies eius, & ſicut flos agri ita floriet.* Pſal.102.15.
Et Apoſtolus ait: *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Et item in Euangelio 1.Ioan.5.19.
Veritas dixit: *Quid enim proderit homini, ſi lucretur vniuerſum mundum, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Et iterum in Euangelio de gloria iuſtorum: Matth.16.26.
Ecce fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum. Et Paulus Apoſtolus de beatitudine vitæ æternæ: *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quod præparauit Deus diligentibus ſe.* Facite ergo, filij, vt mercedis veſtræ præmia in alto cælorum culmine clareſcant, & creſcant. Valere vos in longitudine dierum in Chriſto optamus. Matth.13.43. 1.Cor.2.9.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA XII. Ad Epiſcopos Francorum.

De concordia & pace inter Pippinum & Griphonem concilianda, & de corpore S. Benedicti Caſſinatibus reſtituendo.

ZACHARIAS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI omnibus ſacerdotibus & preſbyteris Francorum.

EGREGIVS Apoſtolus docet, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Et iterum idem ipſe, *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* In alio autem loco ſcriptura teſtatur, *Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Rom 8.28. Gal.6.10. Rom.10.15.
Ergo quia innotuerunt nobis Optatus religioſus Abbas preſbyter monaſterij S. Benedicti, & Carolomannus Deo amabilis monachus germanus

filij noſtri Pippini excellentiſſimi Maioris domus, per hos religioſos Dei ſeruos monachos, concordiæ & pacis ſermones inter eum & Griphonem fratrem eius miſiſſe, vt & nos in ea ipſa admonendo dirigamus excellentiam eius, vt ad pacis concordiam redeant, vobis propter Deum pacificè mediantibus: verùm etiam & pro corpore B. Benedicti, quod furtiuè ablatum eſt à ſuo ſepulcro, vt reſtituatur. In hoc opere æquitatis & miſericordiæ libenter aurem accommodantes, hortamur dilectionem ac ſanctitatem veſtram, vt primum omnium frater cum ſuo fratre ad pacis redeant vnitatem, & confundatur iniquitas in medio eorum. Caritas verò Dei vobis prædicantibus & miniſtrantibus exſuperet inter eos. Deinde & præfati B. Benedicti corpus, iuxta petitionem Dei ſeruorum monachorum, illius ſublimitas, & veſtra ſanctitas indubiè ad proprium remittat locum: vt & ipſi gaudeant de ſuo reſtituto patre, voſque perennem habeatis mercedem & laudem, pro eo quòd iuſtè operati fueritis ipſum ad ſuum reuerti tumulum, ex quo clam tultus eſt. Nec enim habet ſanctitas veſtra quid offenſionis in hoc bono opere reſtitutionis eius pertimeſcere debeat coram Deo, dum creditur quia ad obtinendum hoc opus, ipſius ſuffragantibus orationibus, & voluntate præfati religioſi Dei ſerui ſunt permoti. Bene valete.

BONIFACII ARCHIEPISCOPI EPISTOLA IV.
Ad Zachariam Papam.

Per Lullum presbyterum miſſa. Exponit quomodo in iis ſe geſſerit quæ Gregorius II. Papa ipſi præceperat. & de monaſterio Fuldenſi quod conſtruxerat.

REVERENTISSIMO PATRI DILECTISSIMO DOMINO, cum timore & honore venerando magiſtro, Apoſtolici honoris priuilegio prædito, Pontificatus infula Apoſtolicæ Sedis ſublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus ſeruus veſter, licet indignus & vltimus, tamen legatus Germanicus deuotiſſimus, optabilem in Chriſto immarceſſibilis caritatis ſalutem.

PATERNÆ pietatis veſtræ ſanctitatem ſubnixis precibus obſecro, vt hunc preſbyterum meum, portitorem litterarum mearum, nomine Lul, grato animo clementer ſuſcipiatis. Habet enim ſecreta quædam mea, quæ ſoli pietati veſtræ profiteri debet, quædam viua voce vobis dicere, quædam per litteras notata oſtendere, de quibuſdam verò neceſſitatibus meis inquirere & interrogare, & mihi paternitatis veſtræ reſponſum & conſilium ex auctoritate ſancti Petri principis Apoſtolorum ad ſolatium ſenectutis repræſentare: vt his omnibus auditis & conſideratis, ſi quæ ſint quæ vobis placeant facta, adaugere Deo volente ſtudeam; ſi autem quid, vt timendum eſt, diſpliceat, ex præcepto Apoſtolatus veſtri vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam perſoluam. Anteceſſor enim præceſſoris veſtri,

venerandæ

venerandæ memoriæ Gregorius, dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum fidei Germanicis gentibus miſit, ſacramento me conſtrinxit, vt canonicis & iuſtis Epiſcopis & presbyteris, in verbo & facto, in conſenſu adſtipulator & adiutor fierem: hoc autem cum diuina gratia implere ſtudui. falſos autem ſacerdotes, hypocritas, & ſeductores populorum, vel corrigerem ad viam ſalutis, vel declinarem, & abſtinerem à communione ipſorum: quod ex parte ſeruaui, & ex parte cuſtodire & implere non potui. Spiritaliter impleui ſacramentum, quia in conſenſum & in conſilium illorum non venit anima mea. Corporaliter autem ab eis omnino abſtinere non potui, dum veniſſem ad principem Francorum, cogente Eccleſiarum neceſſitate, cùm tales ibi reperi, quales nolui: ſed tamen in ſancta communione corporis Chriſti illis non communicaui. Præcepit quoque mihi præfatus Apoſtolicus Pontifex, vt populorum, quoſcumque viſitaſſem, conuerſationem & mores Apoſtolicæ Sedis Pontifici indicarem: quod in Domino confido me feciſſe. De eo autem quòd iam præterito tempore de Archiepiſcopis, & de palliis à Romana Eccleſia petendis, iuxta promiſſa Francorum, ſanctitati veſtræ notum feci, indulgentiam Apoſtolicæ Sedis flagito, quia quod promiſerunt, tardantes non impleuerunt; & adhuc differtur & ventilatur; quid inde perficere voluerint ignoratur; ſed mea voluntate impleta eſſet promiſſio. Eſt præterea locus ſiluaticus in eremo vaſtiſſimæ ſolitudinis, in medio nationum prædicationis noſtræ, in quo monaſterium conſtruentes monachos conſtituimus ſub regula ſancti patris Benedicti viuentes, viros ſtrictæ abſtinentiæ, abſque carne & vino, abſque ſicera & ſeruis, proprio manuum ſuarum labore contentos. Hunc locum ſupradictum, per viros religioſos & Deum timentes, maximè Carolomannum quondam principem Francorum, iuſto labore acquiſiui, & in honore ſancti Saluatoris dedicaui. In quo loco, cum conſenſu pietatis veſtræ, propoſui aliquantulum vel paucis diebus feſſum ſenectute corpus requieſcendo recuperare, & poſt mortem iacere. Quatuor etenim populi, quibus verbum Chriſti per gratiam Dei diximus, in circuitu loci huius habitare dinoſcuntur. Quibus cum veſtra interceſſione, quamdiu viuo vel ſapio, vtilis eſſe poſſum. Cupio enim veſtris orationibus comitante gratia Dei, in familiaritate Romanæ Eccleſiæ, & veſtro ſeruitio, inter Germanicas gentes, ad quas miſſus fui, perſeuerare, & præcepto veſtro obedire, ſicut ſcriptum eſt: *Iudicium patris audite, filij dilecti; & ſic facite, vt ſalui ſitis.* Et alibi: *Qui honorat patrem ſuum vita viuet longiore.* Et iterum: *Honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Domino, & benedictio patris firmat domus filiorum.* Eccl. 3. a. 7. 10.

Zachariæ Papæ Epistola XIII.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Reſpondet ad ſuperiorem Epiſtolam Bonifacij, & ad varias eius quæſtiones, quas per Lullum propoſuerat.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

Benedictvs Deus pater Domini noſtri Iesv Chriſti, qui diſperſa congregat, & congregata conſeruat, augétque fidem & fiduciam ſeruis ſuis ad prædicandum verbum Euangelij Iesv Chriſti Domini noſtri, cum eodem Patre, in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſæcula ſæculorum: ipſi gloria & laus, qui adiutor & protector eſt in ſe credentibus. Ipſe enim dixit, *Qui credit in me, vitâ viuet, & non morietur*: quoniam *ego ſum via, veritas, & vita.* Laudamus & ſuperexaltamus ſanctum nomen eius, læti & gaudentes, per horum gerulos, & ſanctæ fraternitatis tuæ litteris allatis, ſuperſtitem in hac vita, & in Domino te valere cognoſcentes: petentes immenſam Dei noſtri diuinitatem, vt ad prædicandum multo ampliùs Euangelij atque ſanctæ fidei eius ſacramentum, longæuum te ſeruet, ſuáque protectione te muniat, & ab aduerſantium inſidiis piè miſerando cuſtodiat. Suggeſſit itaque ſancta fraternitas tua in ſuis apicibus, * quòd prædeceſſor noſter beatæ memoriæ Gregorius, huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Præſul, dum ad prædicandum verbum Euangelij tuam miſiſſet fraternitatem in Germaniæ partibus, & gentibus illis paganis, ab eo te eſſe commonitum, ita vt orthodoxos Epiſcopos, preſbyteros, vel quoſcumque reperire potuiſſes in verbo exhortationis perfectos, ampliùs confirmares, & eis communicares, quod & factum eſt: ſi quos verò ſeductores Epiſcopos, aut pſeudopreſbyteros, vel quoſcumque à recto fidei tramite deuiantes reperiſſes, nulla tibi cum eis eſſet communio; quod te Deo ſolatiante vſque ad præſens ſpiritaliter ſeruaſſe confeſſus es: vel ſi omnino, propter principalem & humanum fauorem gentis Francorum, dum ad eos acceſſiſſes, corporaliter abſtinere non valuiſti, cogente neceſſitate Eccleſiarum Dei; at tamen in eorum concilio, & conſenſu communionis anima tua non eſt coinquinata. Itaque propter hoc quòd cum eis conuerſatus es non conſentiens iniquitati eorum, nullum tibi eſt detrimentum coram Deo. Te enim prædicante ſi obedirent, ſalui eſſent: ſin autem in iniquitate ſua permanerent, ipſi perirent. Tu autem, iuxta Prophetæ dictum, ſaluaſti animam tuam. De Epiſcopis autem & palliis Fancorum ſcripſiſti, quòd iuxta promiſſionem ſuam nondum quod dixerant impleuerunt. Qui ſi impleuerint iuxta verbum ſuum, habebunt ex eo laudem: ſin verò aliter egerint, ipſi videbunt. Nos enim, diuina gratiâ largiente, quod gratis accepimus gratis damus. Tua quidem propter hoc benigna voluntas à nobis ſuſcepta eſt. Igitur & hoc petiſti, monaſterium in vaſtiſſima ſolitudine, & in medio gentium quibus prædicas conſtitutum & à te fundatum, atque in honore Saluatoris Dei noſtri dedicatum, vbi etiam & monachos ſub regula beati Be-

Ioan 11.25.
Ioan.14.6.
11.q.1. Quod prædeceſſor.

nedicti degere ordinaſti, hoc inquam venerabile monaſterium petiſti priuilegio Sedis Apoſtolicæ muniri. Quod votis tuis acquieſcentes ordinauimus iuxta petitionem & deſiderium tuum. Congruit enim diuini miniſterij prædicatorem, optimúmque miniſtrum ad deſiderata pertingere, & cœptum bonum opus in finem vſque perducere, ſicut ſcriptum in Dominico præcepto, *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Et, *Beatus ſeruus ille, quem cùm venerit Dominus, inuenerit ſic facientem: etenim ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* Interea prædictus tuus gerulus Lul, cum ceteris ſuis concomitibus, quæ iniuncta fuerunt à tua ſancta fraternitate, tam in verbo, quàm in ſcripto, omnia liquidiùs ſuggerentes innotuerunt, de quibus tam in verbo quàm in ſcripto reſponſum dantes, tuæ remiſimus fraternitati. Continebant enim Capitula in pitacio ab eis porrecto, quæ inferiùs annexa ſunt, de quibus flagitaſti à nobis quæ recipienda, vel quæ reſpuenda ſint. In primis de volatilibus, id eſt graculis, & corniculis, atque ciconiis, quæ omnino cauendæ ſunt ab eſu Chriſtianorum: etiam & fibri, atque lepores, & equi ſiluatici multo ampliùs euitandi. Attamen, ſanctiſſime frater, de omnibus Scripturis ſacris benè compertus es. De igne autem Paſchali quod inquiſiſti, à ſanctis priſcis Patribus, ex quo per Dei & Domini noſtri Iesv Chriſti gratiam, & pretioſo ſanguine eius Eccleſia dedicata eſt, quinta feria Paſchæ, dum ſacrum chriſma conſecratur, tres lampades magnæ capacitatis, ex diuerſis candelis Eccleſiæ oleo collecto, in ſecretiori Eccleſiæ loco ad figuram interioris tabernaculi inſiſtente, indeficienter cum multa diligentia ardebunt, ita vt oleum ipſum ſufficere poſſit vſque ad tertium diem. De quibus candelis ſabbato ſancto pro ſacri fontis baptiſmate ſumptus ignis per ſacerdotem renouabitur. De cryſtallis autem, vt aſſeruiſti, nullam habemus traditionem. De his qui regio morbo vexantur inquiſiſti, ſiue homines, ſiue equi ſint, quid faciendum ſit de illis. Si homines ex natiuitate, aut ex genere, huius morbi ſunt, hi extra ciuitatem commanere debebunt, ad eleemoſynam verò accipiendam à populo non deuitari. Si autem contigerit magnum vel paruum non natiuitate, ſed ſuperueniente ægritudine vexari, non eſt proiiciendus, ſed ſi poſſibile eſt curandus. Attamen in Eccleſia, dum ad communionem venerit, poſt omnium impletionem erit ingreſſurus ad participandum munus. Equi verò, qui præfato morbo fuerint inquinati, ſi curari non valuerint, in puteis & foueis proiiciendi ſunt, ne eiuſdem morbi contagione cæteri coinquinentur. De animalibus autem, quæ à furentibus, id eſt rabidis lupis & canibus fuerint lacerata, oportet ea à cæteris ſeparari, ne per furentes & mordentes cætera coinquinentur. Quòd ſi pauca ſunt, vt ſupra diximus, in foueas proiicienda ſunt. Nam & hoc inquiſiuit fraternitas tua, ſi liceat ſanctimonialibus feminis, quemadmodum viris, ſibi inuicem pedes abluere, tam in Cœna Domini, quamque in aliis diebus. Hoc Dominicum preceptum eſt, quod qui per fidē impleuerit, habebit ex eo laudem: Etenim viri & mulieres vnum Dominum habemus, qui in cælis eſt. Pro benedictionibus autem quas faciunt Galli, vt noſti, frater, multis vitiis variantur. Nam non ex Apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per vanam gloriam hoc operantur, ſibi ipſis damnationem adhibentes dum ſcriptum eſt: *Si quis ex vobis euangelizauerit præter id quod euangelizatum eſt, anathema ſit.* Regulam catho-

Matth. 10. 22.
Matth. 24. 46.
Gal. 1. 9.

licæ tradirionis ſuſcepiſti, frater amantiſſime. Sic omnibus prædica, omneſque doce, ſicut à ſancta Romana,cui Deo auctore deſeruimus,accepiſti Eccleſia. Inquiſiſti etiam & hoc, ſi ante triceſimum annum liceat ſacerdotem ordinari. Bonum & congruum eſt, cariſſime frater, ſi fieri & inueniri poteſt,vt prouectę ætatis & boni teſtimonij viri,iuxta ſacrorum canonum

D. LXXVIII. Si triginta annorum. inſtituta,ordinētur ſacerdotes. Si autem minimè reperiuntur,& neceſſitas expoſcit, à viginti quinque annis & ſuprà leuitæ & ſacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur. De Milone autem, & ſimilibus eiuſmodi, qui Eccleſiis Dei plurimum nocent, vt à tali opere nefario

1. Tim. 4. 2. recedant, iuxta Apoſtoli vocem, *opportunè importunè prædica.* Si acquieuerint admonitionibus tuis, ſaluabunt animas ſuas. Sin verò, ipſi peribunt obuoluti in peccatis ſuis; tu autē,qui rectè prædicas,non perdes mercedem tuam. Nam & hoc inquiſiſti,poſt quantum tēporis debet lardum comedi. Nobis à patribus conſtitutum pro hoc non eſt. Tibi autem petenti conſilium præbemus,quòd non oporteat illud mādi, priuſquam fumo ſiccetur, aut igne coquatur. Si verò libet vt incoctum manducetur,poſt Paſchalem feſtiuitatem erit manducandum. Epiſcopus autem condemnatus, de quo inquiſiſti, qui pugnator & fornicator exiſtit, atque res Eccleſiæ poſt degradationem ſibi vendicare nititur, hic omnino ac deteſtabiliter reſpuendus eſt. Quæ enim portio fideli cum infideli? aut quæ communio Chriſti ad Belial? Hunc & ſanctorum patrum traditiones,& ſanctorum canonum inſtituta condemnauerunt. De ordinatione etiam preſbyterorum & diaconorum, cogente neceſſitate & paupertate rogātium non legitimis temporibus & diebus à te promoueri, te offenſionem incurriſſe inſinuaſti. Dicimus autem tibi, frater, vt benè noſti, quòd ſacri canones docent aptis temporibus ſacerdotes ordinandos. Attamēn in eo quod à te propter zelum fidei actum eſt, à Domino Deo noſtro indulgentiam poſtulamus. De cenſu autem Eccleſiarum,id eſt ſolidum de caſata ſuſcipe,& nullam habeas hæſitationem, dum ex eo poteris eleemoſynam tribuere,ac in Chriſti pauperes partiri, & opus perficere ſanctarum Eccleſiarum iuxta canonum inſtituta. Si quos verò preſbyteros,qui de laicis promoti fuerint,& antea criminalibus cauſis obuoluti,celantes peccatum ſuum ordinati ſunt, poſtmodum verò manifeſtata eſt eorū iniquā actio; hos ſacerdotali habitu priuatos pœnitentiæ ſubmitte. Non enim odit Deus peccantem & cōfitentem, ſed peccantem & negantem. Nam & hoc flagitaſti à nobis,ſi liceat perſecutionem paganorum fugere, an non. Et pro hoc, frater, ſalutare conſilium damus. Si fieri poteſt,& locum inueneris, inſta ad prædicandum illis: ſi autem ſupportare non valueris eorum perſecutionem,habes præceptum Do-

Matth. 10. 23. minicum vt in aliam ingrediaris ciuitatem. Nam & hoc inquiſiſti, quid fiendum ſit de excommunicato Epiſcopo, & Apoſtolicam auctoritatem negligente. Hic deteſtabilis eſt coram Deo & hominibus, cui cōdemnato incondemnatus non communicabit. Ipſi enim condemnabuntur in die iræ, & reuelationis Domini & Saluatoris noſtri IESV Chriſti,cùm ſederit ad iudicandum genus humanum, ſicut ſcriptum eſt, *Superbis ego reſiſtam, dicit Dominus.* Etenim de Sclauis Chriſtianorum terram inhabitantibus, ſi oporteat cenſum accipere, interrogaſti. Hoc quidem cōſilio non indiget, dum rei cauſa eſt manifeſta. Si enim ſine tributo ſederint, ipſam quandoq;

propriam ſibi vindicabunt terram. Si verò tributum dederint, norunt dominatorem ipſam terram habere. Nam & hoc flagitaſti à nobis, ſanctiſſime frater, in ſacri canonis celebratione quot in locis cruces fieri debeant, tuæ vt ſignificemus ſanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati, in rotulo dato Lul religioſo presbytero tuo, per loca ſigna ſanctæ crucis quanta fieri debeant infiximus. His autem ita ſe habentibus, Domini deprecamur clementiam, licèt peccatores, vt ſuo te muniat & confortet auxilio, noſque annuat proſperitatis tuæ ſemper læta ſuſcipere nuntia. Deus te incolumem cuſtodiat, reuerentiſſime frater. Data II. Nonas Nouembris, imperante domino piiſſimo Auguſto Conſtantino, à Deo coronato magno Imperatore anno XXXII. P. C. eius anno XI. Indictione V.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA XIV.

Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Moguntinæ ſedis in Metropolim erectio.

REVERENTISSIMO ET SANCTISSIMO FRATRI Bonifacio coepiſcopo Zacharias ſeruus ſeruorum Dei.

QVALITER Dominus Deus noſter ſanctæ Eccleſiæ propitiatus ſit, & laboribus ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ cooperator extiterit, per ſingula edicere longum eſt: tamen vt hæc quæ obiicimus confirmemus, quæ ex parte te narrante perſpeximus enarramus. Igitur dum in Germania prouincia tua fraterna ſanctitas ad prędicandum fuiſſet directa à ſanctæ recordationis prædeceſſore noſtro domno Gregorio Papa, & poſt inchoatū opus, & aliqua ex parte ſpiritaliter ædificatum, Romam reuerſus, ab eo Epiſcopus ordinatus, & illic ad prædicandum denuò remiſſus es, & elaboraſti Deo præuio nunc vſque per annos XXV. in eadem prædicatione, ex quo Epiſcopatum ſuſcepiſti. Sed & in prouincia Francorum noſtra vice Concilium egiſti, & iuxta canonum inſtituta, Deo eis annuente, omnes flexi ſunt obedire. Et dum in his piis operibus occupata eſſet tua fraternitas, nunc vſque cathedralem ſedem minimè ſibi vindicauit. At verò vbi Deus prædicationem tuam auxit, obtinere voluiſti, vt tibi cathedralem Eccleſiam vel ſucceſſoribus tuis confirmare debeamus, iuxta eorumdem filiorum Francorum petitionem. Et idcirco B. Petri Apoſtoli auctoritate ſancimus, vt ſupradicta Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi, & ſucceſſoribus tuis, in Metropolim ſit confirmata; habens ſub ſe has quinque ciuitates, id eſt Tungris, Coloniam, Vvormatiam, Spiraciam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen agnoſcere fecit. His à nobis definitis, per huius confirmationis paginam, in tua Eccleſia perpetuis temporibus pro ſui confirmatione conſeruandam eſſe mandamus. Bene valete. Data pridie Nonas Nouembris imperante domno piiſſimo Auguſto Conſtantino magno Imperatore anno XXXII. P.C. eius anno XI. Indictione V.

ZACHARIÆ PAPÆ EPISTOLA XV.
Ad Bonifacium Archiepiſcopum.

Priuilegium monaſterij Fuldenſis.

ZACHARIAS PAPA BONIFACIO EPISCOPO, ET per eum in monaſterio ab eo conſtructo ſucceſſuris Abbatibus in perpetuum.

QVONIAM ſemper ſunt concedenda quæ rationabilibus congruunt deſideriis, oportet vt deuotio conditoris piæ conſtructionis oraculo in priuilegiis præſtandis minimè denegetur. Igitur quia poſtulaſti à nobis, quatenus monaſterium Saluatoris à te conſtructum, ſitum in loco, qui vocatur Buchonia, erga ripam fluminis Fuldæ, priuilegij Sedis Apoſtolicæ infulis decoretur, vt ſub iuriſdictione ſanctæ noſtræ, cui Deo auctore deſeruimus, Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius Eccleſiæ ditionibus ſubmittatur. Pro qua re piis deſideriis fauentes, hac noſtra auctoritate id quod expoſcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cuiuſlibet Eccleſiæ ſacerdotem in præfato monaſterio ditionem quamlibet habere hac auctoritate, præter Sedem Apoſtolicam, prohibemus. Ita vt niſi ab Abbate monaſterij fuerit inuitatus, nec Miſſarum ſolennitatem ibidem quiſpiam præſumat omnimodo celebrare: vt profecto, iuxta id quod ſubiecti Apoſtolicis priuilegiis conſiſtunt, inconcuſsè locus dotatus permaneat. Conſtituentes per huius decreti noſtri paginam, atque interdicentes omnibus omnino cuiuſlibet Eccleſiæ Præſulibus, vel quacumque dignitate præditis perſonis, ſub anathematis interpoſitione, qui huius præſumpſerit præſentis conſtituti à nobis præfato monaſterio indulti, quolibet modo exiſtere temerator. Bene valete.

FINIS PRIMI TOMI.

DE CANONIBVS ET STATVTIS SYNODI à Bonifacio iuſſu Pontificis Romani, & rogatu principum Francorum & Gallorum, celebratæ, quæ ſuperiùs ſuo loco poſita eſt.

Excerptum ex eiuſdem Bonifacij epiſtola 105. ad Cudbertum Archiepiſcopum.

SCRIPTVM eſt in libro Salomonis, *Beatus homo qui inuenit amicum.* POST ALIA. Maior enim nobis ſollicitudo Eccleſiarum, & cura populorum propter pallia credita & recepta, quam ceteris Epiſcopis, qui proprias tantum procurant parochias, incumbit. Propterea, cariſſime, non quia veſtræ prudentiæ opus ſit ruſticitatis noſtræ ſtatuta audire vel legere, ſed propter bonam & humilem & ſanctam voluntatem veſtram, putamus vos libentiùs ſcire velle, quàm neſcire, quæ hîc Sacerdotes nobiſcum ſeruanda decreuerunt, vobis emendanda & corrigenda deſtinamus.

Decreuimus autem in noſtro Synodali conuentu, & confeſſi ſumus fidem catholicam; & vnitatem & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ, fine tenus vitæ noſtræ, velle ſeruare: ſancto Petro, & Vicario eius velle ſubiici: Synodum per omnes annos congregare; Metropolitanos pallia ab illa ſede quærere; & per omnia præcepta Petri canonicè ſequi deſiderare, vt inter oues ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni vniuerſi conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri principis Apoſtolorum direximus, quod gratulando clerus & Pontifex Romanus ſuſcepit.

Statuimus vt per annos ſingulos canonum decreta, & Eccleſiæ iura, & norma regularis vitæ in Synodo legantur & recuperentur.

Decreuimus, vt Metropolitanus, qui ſit pallio ſublimatus, hortetur ceteros, & admoneat, & inueſtiget, quis ſit inter eos curioſus de ſalute populi, quiſve negligens ſeruus Dei.

Venationes & ſiluaticas vagationes cum canibus, & ne accipitres & falcones habeant, prohibuimus.

Statuimus vt per annos ſingulos vnuſquiſque presbyter Epiſcopo ſuo in Quadrageſima rationem miniſterij ſui reddat, ſiue de fide catholica, ſiue de baptiſmo, ſiue de omni ordine miniſterij ſui.

Statuimus vt ſingulis annis vnuſquiſque Epiſcopus parochiam ſuam circumeat, populum confirmare, & plebem docere, & inueſtigare, & prohibere paganas obſeruationes, vel omnes ſpurcitias Gentilium.

Interdiximus ſeruis Dei, ne pompato habitu, vel ſagis, vel armis vtantur.

Statuimus quòd proprium ſit Metropolitano iuxta canonum ſtatuta, ſubiectorum ſibi Epiſcoporum inueſtigare mores, & ſollicitudinem circa populos quales ſint. Et moneat, vt Epiſcopi à Synodo venientes, in propria parochia, cum presbyteris & Abbatibus conuentum habentes, præcepta Synodi ſeruare inſinuando præcipiant: & vnuſquiſque Epiſcopus, ſi quid in ſua diœceſi corrigere vel emendare nequiuerit, ibidem in Synodo coram Archiepiſcopo, & palam omnibus ad corrigendum inſinuet, eodem modo, quo Romana Eccleſia nos ordinatos cum ſacramento conſtrinxit, vt ſi ſacerdotes vel plebes à lege Dei deuiaſſe viderim, & corrigere non potuerim, fideliter ſemper Sedi Apoſtolicæ, & Vicario ſancti Petri ad emendandum indicauerim. Sic enim, ni fallor, omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſe Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere: & ſic alieni fient à ſanguine animarum perditarum.

CANONES SYNODI ROMANORVM AD GALLOS EPISCOPOS

Iuxta quæſtiones ab illis propoſitas.

Nunc primùm in lucem editi ex aliquot manuſcriptis.

TITVLI CANONVM.

1. *De virginibus velatis propoſitum non ſeruantibus.*
2. *De puellis nondum velatis, ſi contra propoſitum ſuum nupſerint.*
3. *De caſtitate & munditia ſacerdotum.*
4. *De eo qui militat iam fidelis.*
5. *Quòd Romana Eccleſia ad clerum non admittit eos, qui poſt baptiſmum caſti non fuerint.*
6. *Quòd per omnes Eccleſias vna debet eſſe traditio & diſciplina.*
7. *Quòd diaconi extra tempus Paſcha non baptizent.*
8. *De oleo exorcizato ſemel dando.*
9. *Quòd vxoris ſororem ducere non liceat.*
10. *De iis qui ſecularem poteſtatem geſſerunt ad Epiſcopatum non promouendis.*
11. *De eo qui auunculi ſui vxorem duxerit.*
12. *Quòd Epiſcopi ex laicis aſſumi non debẽt.*
13. *De eo qui ab Eccleſia ad Eccleſiam tranſit.*
14. *Quòd abiecti ab Epiſcopo ſuo clerici ab aliis recipi, vel promoueri non debeant.*
15. *Quòd Epiſcopo fines ſuos tranſgredi, & alienos inuadere non liceat.*
16. *De iis qui ab Epiſcopis ſuis excommunicati, & ab aliis poſtea clerici facti ſunt.*

PRÆFATIO.

DOMINVS inter cetera ſalutaria mandata, quibus diſcipulos ſuos Apoſtolos ad ſpem vitæ hortatur & commonet, ſicut & nos Euangelica verba docuerunt, hoc etiam mandat, vt ſolliciti ad veritatis ſcientiam peruenire laboremus. Et primò vt cognoſcamus incognita, non inani profectu, ſed labore & ſollicitudine, quæ nota necdum ſunt precibus inueſtiganda, quæ verò difficiliora ſunt inſtanter quærenda præcepit, quæ clauſa ſunt, fidei virtute pulſando precibus petere ſibi debere reſerari. Sic enim ſcriptum eſt : *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur* Matth. 7. 7.
vobis. Nemo certè qui non petit accipit, & qui non quærit inuenit, & qui non pulſauerit eidem poterit aperiri. Qua de re quoniam quod ex fide petitur & præſtatur, & quod erat obſcurum, manifeſtum in ſenſum dum inueſtigatur acquiritur, & quod erat clauſum nobis frequentiùs pulſando, id eſt rogando, reuelatur; inde eadem repetere mihi quidem non eſt moleſtum, vobis autem neceſſarium. Scimus, fratres cariſſimi, multos Epiſcopos per diuerſas Eccleſias ad famam peſſimam nominis ſui humana præſumptione patrum traditionem mutare properaſſe, atque per hanc cauſam in hæreſis tenebras cecidiſſe, dum gloriam hominum delectantur po-

tiùs, quàm Dei præmia habere, perquirere. Nunc igitur, quia non explorandi cauſa, ſed fidei confirmandæ gratia, ſanctitudo veſtra ex ſedis Apoſtolicæ auctoritate ſciſcitari dignata eſt, ſeu legis ſcientiam, ſeu traditiones, volens à nobis manifeſtari liberiùs quæſtionum propoſitarum expoſitionem, quam ſincerè quæritis & deſideranter audire, quantum ſupplebit diuina dignatio, licet medioeri ſermone, valido tamen ſenſu eloquar obtinenda, ad emendandas omnes quippe diuerſitates, quas diſcordate arrogantia ſola præſumpſit, ſcriptura diuina dicente: *Reiecistis mandatum Dei, vt traditiones veſtras ſtatuatis.* Si ergo integra cupitis fide veras obſeruationes agnoſcere, dignamini quæ dico libenter aduertere. Primo in loco pudoris mihi, & pudicitiæ cauſa proponitur: deinde congeſtæ quàm multæ quæſtiones edentur. Singulis itaque propoſitionibus ſuo ordine reddendæ ſunt traditiones.

Matt.7.9.

CANONES.

I. *De virginibus velatis propoſitum non ſeruantibus.*

Quæritur de virginibus velatis, & mutato propoſito, quid exinde iudicatum ſit. Si virgo velata iam Chriſto, quæ integritatem publico teſtimonio profeſſa à ſacerdote prece effuſa benedictionis velamen accepit, ſiue inceſtum commiſerit, ſeu furtum, ſeu volens crimen protegere adultero mariti nomen impoſuit, tollens membra Chriſti, faciens membra meretricis, vt quæ ſponſa Chriſti fuerat coniunx hominis diceretur. In eiuſmodi muliere quot ſunt cauſæ, tot reatus, integritatis propoſitum mutatum, velamen amiſſum, fides prima deprauata, atque in irritum deuocata. Quali hîc & quanta ſatisfactione opus eſt? quàm magna pœnitentia eius quæ interitum carnis incurrit? Non eſt parua culpa reliquiſſe Deum, & iuiſſe poſt hominem. Vnde annis quampluribus deflendum ei peccatum eſt, quo dignæ fructu pœnitentiæ facto poſſit aliquando ad veniam peruenire, ſi tamen pœnitens pœnitenda faciat.

II. *De puellis nondum velatis, ſi contra propoſitum ſuum nupſerint.*

Puella quæ nondum velata eſt, ſed propoſuerat ſic manere, licet non ſit in Chriſto velata, tamen quia propoſuit, & in coniugio velata non eſt, furtiuæ nuptiæ appellantur, ex eo quòd matrimonij cæleſtis præceptum non ſeruauerit, amore properante ad libidinis cæcitatem. Et his pœnitentiæ agendæ tempus conſtituendum eſt, quoniam ſeu rapta, ſeu volens, ad virum ire peruerſo ordine conſenſit. nec propinquorum, nec ſacerdotum teſtimonio conrogato, tales ad velamen ſolennitatis ordinem caſto pudore tenuerunt, ſed contra veteris teſtamenti præceptum fecerunt.

Deut.22.24 quas lex lapidari præcepit, & nunc ceſſante illa vindicta ſpiritaliter feriuntur, vt Eccleſiam tamquam mortui introire non poſ-

ſint. Habent tamen pœnitentiæ agendæ locum, ſed citò non habent veniam. Quoniam ſi ſecundum legem proclamaſſet puella, & diu conteſtata ſe continuiſſet; vtique fuiſſet immunis à culpa. Vtriſque ergo expedit ſub eadem temporis conſtitutione à communione ſuſpendi, dignámque agere pœnitentiam: fletu, humilitate, ieiunio, miſericordia redimere crimen admiſſum.

III. *De caſtitate & munditia ſacerdotum.*

Et iam quidem frequenter de talibus ſermo noſter per plures manauit Eccleſias, maximè de ſacerdotibus, quorum meritum exigit, vt bonorum operum ſuorum ſint plebibus forma. ſed quantum intelligo, cùm ſcriptura dicat: *Loquere ad aures audientium*, inſtruendo aures infundemus. Dum ſæpè eadem repetuntur quæ neglectui habentur à ſingulis, verè hoc illud eſt quod dictum eſt, Adulter ſexus, *ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.* 2.Tim.3.7. Quando enim non ſeruatur quod admonetur vtiliter, tunc Apoſtolica mandata quaſi ignota contemnuntur. iudicium tamen de his quæ commiſerunt non poteſt immutari. Id de ſacerdotibus primo in loco ſtatutũ eſt. de Epiſcopis, preſbyteris, & diaconibus, quos ſacrificiis diuinis neceſſe eſt intereſſe, per quorum manus & gratia baptiſmatis traditur, & corpus Chriſti conficitur. quos non ſolùm nos, ſed & ſcriptura diuina compellit eſſe caſtiſſimos. Et patres quoque iuſſerunt continentiam eos corporalem ſeruare debere. Qua de re non prætereamus, ſed dicamus & cauſam. Quo enim pudore viduæ, aut virgini, auſus eſt Epiſcopus, vel preſbyter, integritatem vel continentiam prædicare, vel ſuadere caſtum cubile ſeruare, ſi ipſe ſæculo magis inſtitit filios generare, quàm Deo? Adam, qui præceptum non ſeruauit, electus foras paradiſum caruit regno, & præuaricatorem Gen.3.23. putas poſſe ad regna cælorum peruenire? Ob quam rem Paulus dicit: *Vos iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.* Et item: *Et qui habent* Rom.8.9. *vxores ita ſint quaſi non habeant.* 1 Cor.7 29. An qui populum hortatur, leuitis & ſacerdotibus blandiens licentiam præberet opus exhibere carnale? Idem ipſe dicens: *Et carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis.* Rom.13.14. Et alibi: *Vellem autem omnes ſic eſſe ſicut me ipſum.* 1 Cor.7 7. Quî militat Chriſto, quî in ſede reſidet magiſtri, qui militiæ diſciplinam non poteſt cuſtodire? De his itaque tribus gradibus, quos legimus in ſcripturis, à miniſtris Dei munditia præcepta eſt obſeruari, quibus neceſſitas ſemper in promptu eſt. Aut enim baptiſma tradendum eſt, aut offerenda ſunt ſacrificia. Numquid immundus auſus erit contaminare quod ſanctum eſt, quando quæ ſancta ſunt ſanctis ſancta ſunt? Denique illi qui in templo ſacrificia offerebant, vt

mundi eſſent, toto anno in templo ſolo obſeruationis merito permanebant domos ſuas penitus neſcientes. Certè idololatræ, vt impietates exerceant, & dæmonibus immolent, imperant ſibi continentiam muliebrem, & ab eſcis quoque ſe purgari volunt: & me interrogas ſi ſacerdos Dei veri, ſpiritalia oblaturus ſacrificia, purgatus perpetuò debeat eſſe, an totus in carne carnis curam debeat facere? Si commixtio pollutio eſt, vtique ſacerdos ſtare debet ad officium cæleſte præparatus, qui pro alienis peccatis eſt poſtulaturus, ne ipſe inueniatur indignus. Nam ſi ad laicos dicitur: *Abſtinete vos ad tempus, vt vacetis orationi*, & illi creaturæ vtique generationi deſeruiunt, ſacerdotes tale poſſunt habere nomen, meritum habere non poſſunt. Quòd ſi ita eſt, & permanet præſumptio, oportet iam Epiſcopis, vel presbyteris, aut diaconis dici, ne cum publicanorum vita ſocientur. Quamobrem mihi contra huiuſmodi homines coinquinatos & infideles, in quibus ſanctitudo corporis per illuuiem & incontinentiam videtur eſſe polluta, negotium eſt, talibus myſterium Dei credi non oportere. veneratione religionis ipſa ſuadente moneo. hos enim & ratio iuſta fecernit. Audiant certè: *Quoniam caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, neque corruptio incorruptelam.* Et audet presbyter, aut diaconus, animalium more ſubiacere contentioni?

1. Cor. 7. 5. — 1. Cor. 15. 50.

IV. *De eo qui militat iam fidelis.*

De eo qui militauerit iam fidelis militiæ ſæculari, notitia eſt quòd vtatur publica libertate. Quis enim poteſt illum cuſtodire? quis negare vel ſpectaculis interfuiſſe, vel pecuniæ vtilitate impulſum à violentia & iniuſtitia immunem eſſe potuiſſe?

V. *Quòd Romana Eccleſia ad clerum non admittit eos, qui poſt baptiſmum caſti non fuerunt.*

Romana Eccleſia hoc ſpecialiter cuſtodit, vt ſi quis paruulus baptizatus integritatem corporis ſeruauerit, admitti poteſt ad clerum: vel ſi quis maior fuerit baptizatus, & manſerit pudicus, vnius vxoris vir, poteſt clericus fieri, ſi nullis aliis criminum vinculis alligetur. Ceterùm qui corruperit carnalibus vitiis aquæ ſacramenta, poſt fornicationem etiamſi ducat vxorem, quomodo poterit ad dimittenda peccata miniſterio adſiſtere, qui prioris vitæ repetierit cæcitatem? Quomodo illud intelligitur: *Neque fornicarij, neque idololatræ*, & ceteri tales, *regnum Dei poſſidebunt*, ſi nihil inter bonum & malum, inter iuſtum & impium, inter luxurioſum & pudicum, inter obſeruantem legem & publicanum interſit? Fient tales miniſtri, vel ſacerdotes, non Chriſti, ſed potiùs

1. Cor. 6. 9.

Antichriſti. Et vbi eſt illud, quod ſanctus Apoſtolus Paulus, qui formam tulit Epiſcopi, qualis eſſet ordinandus, antè præcepit dicens: *Irreprehenſibilem, ſobrium, & pudicum*, &c. Quomodo hic irreprehenſibilis eſt, qui baptiſmi ſacramentum non potuit cuſtodire? O noua præſumptio! Huic ſacerdotium creditum, cui pœnitentia ſola debetur, vt ſordidata longa ſatisfactione veniæ beneficio poſſit abluere. 1.Tim 3 2.

VI. *Quòd per omnes Eccleſias vna debeat eſſe traditio & diſciplina.*

Catholicorum Epiſcoporum vnam confeſſionem eſſe debere Apoſtolica diſciplina compoſuit. Si ergo vna fides eſt, manere debet & vna traditio. ſi vna traditio eſt, vna debet diſciplina per omnes Eccleſias cuſtodiri. Diuerſis in regionibus quidem Eccleſiæ ſunt conditæ, ſed per omnem mundum vnitate fidei catholicæ vna eſt appellata. Nam & ſic legimus: *Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt genitrix mea*. Non ergo nunc de baptiſmi ratione, ſed de tradentium perſona reſcribo. Cant 6 8.

VII. *Quòd diaconi extra Paſchæ tempus non baptizent.*

Paſchæ tempore presbyter & diaconus per parochias dare repromiſſionem peccatorum, & miniſterium implere conſueuerunt, etiam præſente Epiſcopo. in fontem quoque ipſi deſcendunt, illi in officio ſunt. ſed illius nomen facti ſumma conceditur. Reliquis verò temporibus, vbi ægritudinis neceſſitas conſequi vnumquemque compellit, ſpecialiter presbytero licentia eſt per ſalutaris aquæ gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam & munus ipſi licet cauſa mundationis offerre: diaconis verò nulla licentia inuenitur eſſe conceſſa: ſed quod ſemel fortè contigit vſurpare, per neceſſitatem dicuntur excuſati, nec poſtea in ſecuritate commiſſum.

VIII. *De oleo exorcizato ſemel dando.*

De oleo ſanè exorcizato capienduſne breuis numerus dierum, multus in hoc proficit ſermo. Fide enim quis ſua plena purgatur. Si enim chriſma infuſum capiti gratiam ſuam toto corpori impertit, nihilominus & tertio ſcrutinio ſcrutatus ſi oleo fuerit contactus, non ſæpè, ſed ſemel, virtute ſua Deus operatur in tempore.

IX. *Quòd vxoris ſororem ducere non liceat.*

De eo qui ſororem vxoris ſuæ duxerit vxorem in lege veteris teſtamenti ſcriptum eſt, ad ſuſcitandum ſemen defuncti fratris oportere ducere vxorem, ita tamen ſi liberos ex eodem minimè reliquiſſet. Inde eſt enim quòd Ioannes Baptiſta contradixit He- Deut.25 5. Matth.14 4.

rodi, quoniam non licebat ei accipere vxorem, quia de fratre reliquerat filios. Tamen propter virilem generationem legis conſtitutio imperabat hoc fieri à viro: de feminis nuſquam eſt lectum, ſed fortè præſumptum. Nam lex dicit: *Maledictus qui cum vxoris ſuæ ſorore dormierit.* Numquid duas habuit vxores Iacob vno in tempore ſorores cauſa myſterij, & concubinas, & omnes qui nati ſunt Patriarchæ ſunt appellati? Nunc iam Chriſtianis habere non permittitur. Numquid vxores & concubinas habuerunt? Sed nunc hoc non patitur fieri teſtamentum, vbi ampliùs de integritate tractatur, & caſtitas Chriſto docente laudatur, cùm dicit: *Non omnes capiunt verbum Dei, ſed quibus datur.*

Leuit. 18. 18. Gen. 29. Matth. 19. 11.

X. *De iis qui ſæcularem poteſtatem geſſerunt ad Epiſcopatum non promouendis.*

Eos præterea, qui ſæcularem adepti poteſtatem ius ſæculi exercuerunt, immunes à peccato eſſe non poſſe manifeſtum eſt. Dum enim & gladius exeritur, aut iudicium confertur iniuſtum, aut tormenta exercentur pro neceſſitate cauſarum, aut parandis exhibent voluptatibus curam, aut præparatis interſunt, in his ſe quibus renuntiauerunt denuo ſociantes, diſciplinam obſeruationis traditam mutauerunt. Multum ſibi præſtant, ſi non Epiſcopatum affectent, ſed propter hæc omnia agentes pœnitentiam, certo tempore impleto, mereantur altaribus ſociari. Nicænum Concilium, diuino ſpiritu annuente, dum fidei confeſſio fuiſſet iure firmata, etiam Apoſtolicas traditiones Epiſcopi in vnum congregati ad omnium notitiam peruenire voluerunt, definientes inter cetera, neque abſciſſum clericum fieri, quoniam abſciſſus & mollis non introibunt ſanctuarium Dei. Deinde poſt baptiſmi gratiam, poſt indulgentiam peccatorum, cùm quis ſæculi militia fuerit gloriatus, vel illum qui purpura & faſcibus fuerit delectatus, ad ſacerdotium aliqua irruptione minimè admitti iuſſerunt. Meritis enim & obſeruatione legis ad iſtiuſmodi dignitatis culmen accedunt, non Simonis pecunia vel gratia quis poterit peruenire, aut fauore populari. Non enim quid populus velit, ſed quid Euangelica diſciplina, perquiritur. Plebs tunc habet teſtimonium, quoties ad digni alicuius meritum reprehendens auram fauoris impertit.

Conc. Nic. can. 1.

XI. *De eo qui auunculi ſui vxorem duxerit.*

De eo qui auunculi ſui vxorem duxerit. Auunculi filiam ducere non licet. quoniam ſimilis cauſa generando per gradus patris extranei ſeparatur atque purgatur: retro autem redire fas non eſt. Nam qui torum patris vel matris violare præſumpſerit, non hoc

coniugium, ſed fornicatio nominatur. Quique tamen contra canones Apoſtolicos facere vſurpauerit, priuandus eſt ſacerdotio, ſi pertinax fuerit: ſin verò ſe correxerit, aboleatur quod præſumptum eſt, vt poſſit reconciliatus noſtrum habere conſortium.

XII. *Quòd Epiſcopi ex laicis aſſumi non debent.*

De ordinationibus maximè obſeruandum eſt, vt ſemper clerici fiant Epiſcopi. Sic enim ſcriptum eſt: *Et hi primò probentur, & ſic miniſtrent.* 1.Tim.3.10. Qui non probatur tempore præcedenti in minori officio miniſtraſſe, quomodo præponitur clero? Non eſt auditum, necdum tyronem militum imperium ſuſcepiſſe. Is ergo debet fieri, quem ætas, tempus, meritum commendat, & vita. Aut quare Apoſtolus neophytum prohibet, & citò manus alicui imponi non permittit? Ibid.6. & 22.

XIII. *De eo qui ab Eccleſia ad Eccleſiam tranſit.*

De his qui ab Eccleſia ad Eccleſiam tranſierunt, iuſſi ſunt haberi quaſi relicta vxore ad alienam acceſſerint, quod impunitum eſſe non poſſit. Talem Epiſcopum inuaſorem pudoris alieni Epiſcopatu priuari iuſſerunt.

XIV. *Quòd abiecti ab Epiſcopo ſuo clerici ab aliis recipi, vel promoueri non debeant.*

De clericis alienis à Synodo frequenter eſt pertractatum atque firmatum, & ratio iuſta conſtringit, clericos abiectos de Eccleſia ab Epiſcopo ſuo, nec laicam communionem accipere poſſe in aliena Eccleſia. confirmatum manifeſtúmque eſt, quando etiam innocens, ſine literis Epiſcopi ſui, vel formata, in aliena Eccleſia non poteſt miniſtrare. Si quis autem in iniuriam ſacerdotis hoc facere præſumpſerit, & condemnatum clericum ſuſcipere vel promouere voluerit, ſciat ſe communicaſſe peccatis alienis, & incurriſſe ſententiam Apoſtoli, qui ait reos eſſe non ſolùm qui Rom.1.32. faciunt contra legem, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Vnde dimittendum eſt conſcientiæ illius qui de ſuo clerico iudicauit, ſciens quòd de iudicio eius Deus ſit iudicaturus in poſterum. Audi Dominum dicentem: *Quæ enim vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.* Matth.7.12. Quid in iniuriam fratris, & conſacerdotis armaris? Cùm enim reus non ſolùm ſuſcipitur clericus alienus, ſed etiam promouetur, iniuſtus iudicatur Epiſcopus. Hoc quicumque facit, ſciat ſe à catholicorum ſocietate ſecluſum, & communionem ſedis Apoſtolicæ non habere iam poſſe.

XV. *Quòd Epiſcopo fines ſuos tranſgredi, & alienos inuadere non liceat.*

Illud præterea ſatis graue eſt, & contra Epiſcopalem moderationem ſedis Apoſtolicæ, ſuos fines excedere, & ad alienam tendere regionem feſtinare, ordinationes celebrare præ ceteris, non Metropolitanum Epiſcopum permittere in ſua diœceſi, vnâ cum vicinis Epiſcopis, ſicut CCCXVIII. Epiſcopi confirmarunt, tres vel eo ampliùs ſacerdotes, Epiſcopum ordinare vel ſubrogare digniſſimum. Si quis certè fines alienæ poſſeſſionis inuaſerit, reus violentiæ iudicatur. Quid curritur? quid feſtinatur, vt regula Eccleſiaſtica conculcetur? Leges humanæ tenentur, & diuina præcepta contemnuntur. præſens gladius formidatur, & temporalis pœna; diuina verò vindicta, quæ habet flammas gehennæ perpetuas, negligitur. Videritis quæ præſumptio fecerit. ex hoc ſi quis in aliena diœceſi auſus fuerit ordinationem facere, eámque præſumere, ſciat ſe de ſtatu ſuo poſſe periclitari, qui alienam Eccleſiam inuadere præſumpſerit. Non eſt ſæculare aliquid, non ſunt mundanæ promotiones. audiamus Apoſtolum dicentem: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis. teipſum caſtum cuſtodi.* Si legantur ſcripta, & timor diuinus ſit in nobis, omnia ſcandala poterunt ſeparari, & vnanimitas per omnes fratres placida plenáque caritate conſiſtere.

Conc. Nic. can. 4.

1. Tim. 5. 22.

XVI. *De iis qui ab Epiſcopis ſuis excommunicati, & ab aliis poſtea clerici facti ſunt.*

Præterea etiam laici dicuntur à communione cognita cauſa ſecluſi, & ab alio Epiſcopo clerici facti. Hoc iam ſuper omne malum eſt. Vnde aut conuenti corrigant qui talia auſi ſunt facere, ita vt remoueantur hi quibus indignè ordo collatus eſt, aut ad nos nomina eorum deferantur, vt ſciamus à quibus nos abſtinere debeamus.

Sciat ergo veſtra ſinceritas, quòd ſi hæc omnia ſuo ordine provt certa ſunt obſeruentur, nec Deus offenditur, nec ſchiſmata generantur, nec hæreſes exiſtunt, ſed dicent gentes, quoniam verè Deus in nobis eſt Chriſtus dominus noſter, qui viuit & regnat cum Patre, & cum Spiritu ſancto, in æterna ſæcula ſæculorum. Amen. *Explicit Synodus Romanorum ad Gallos Epiſcopos.*

IACOBI

IACOBI SIRMONDI
SOC. IESV PRESBYTERI,
NOTÆ AD TOMVM I.
CONCILIORVM GALLIÆ.

In quibus ea potiſſimum obſeruantur, quæ in hac noſtra editione diſcrepant à præcedentibus.

Pag. 1. EPISTOLA CONSTANTINI.] Hanc epiſtolam, cum altera Synodica ad Silueſtrũ, primus antè annos XL. in lucem dedit P. Pithœus, & partem eſſe actorum Concilij Arelatenſis rectè iudicauit. Ideo & nos illas ſuis hîc locis reddendas curauimus.

ÆLAFIO.] Ita veteres ſchedæ Pithœanæ. pro quo alij poſtea coniecturæ indulgentes ABLAVIO ediderunt. Quòd verò vicarium Africæ appellauimus, noſtra fuit coniectura, quia vicariæ poteſtati congruere videbantur quæ Elafio præcipit Imperator.

Pag. 5. CORRECTORI SICILIÆ.] Interpres Euſebij corruptũ nactus Græcum exemplar Conductorem reddidit: & corruptè, nunc etiam in vulgatis κοντίκτορος legitur, pro κουρήκτωρος. Siciliam enim, quæ Conſulares poſtea Iudices habuit, Correctoribus aliquando paruiſſe confirmat vetus inſcriptio Lilybætana: *Zenofilo v. c. Correctori prou. Siciliæ.*

EPISTOLA SYNODI.] Huic titulus in iiſdem ſchedis: *Concilium Epiſcoporum Arelate celebratum, & directum Silueſtro Epiſcopo.* Et hanc quoque agnoſcunt antiquæ canonum Collectiones, vna Andegauenſis, altera S. Benigni Diuionenſis, quæ primum huius Concilij canonem iiſdem, quibus infra texitur, verbis proferunt: *Cenſuimus ergo Paſcha Domini per orbem totum vna die celebrare.*

Pag. 5. SYNODI EDITIO VVLGATA.] Quæ ſola nimirum hactenus, cum ſubdito Epiſcoporum catalogo, Concilij huius nomine circumferebatur.

PASCHÆ DOMINICI.] Aut legendum *Paſchæ Domini*, ſicut in epiſtola Synodica, & apud Iuonem & Gratianum legitur; aut, vt optimi quique codices habent, *Paſchæ Dominicæ*, vſu apud multos tum recepto, qui in eo caſu ſic enuntiabant. vt Gaudentius Brixianus Tract. IV. *Iudaicæ Paſchæ obſeruationem.* & *lex celebrandæ Paſchæ* apud eumdem Tract. VIII. Item *dies futuræ Paſchæ* in Concilio Maximianiſtarum, quod recitat Auguſtinus in expoſitione Pſalmi XXXVI.

DE AFRIS.] Certa lectio, quam adſerunt codices antiqui, & epiſtola Synodica. Malè in vulgatis, & apud Gratianum, legitur *De Arianis*. Ariani ſiquidem exorti hoc tempore nondum erant. Pag. 6. can. 8.

VT NVLLVS EPISCOPVS A. E. INCVLCET.] Diſtinctus eſt canon in vulgatis, & apud Burchardum & Iuonem, atque in Collectione S. Benigni. Rectiùs autem, mea ſententia, in codice Remenſi, Foſſatenſi, & aliis, cum ſuperiore tamquam eius membrum coniungitur. Can. 17.

DE DIACONIBVS VRBICIS.] Canonem hunc cum ſequenti, pro tribus qui vulgo malè concepti erant, ex veterum librorum fide reſtituimus. Can. 18.

NOMINA EPISCOPORVM.] Secuti ſumus in hoc indice codicem Corbeienſem, in quo Epiſcoporum nomina ciuitatum nominibus præponuntur, cùm in aliis contrà, vt in Remenſi, ſicut in Suriana editione, poſtponantur hoc modo: *Ex prouincia Sicilia, ciuitate Syracuſanorum, Chreſtus Epiſcopus; Florus diaconus,* & ita deinceps in ceteris. Verùm in Corbeienſi pro Chreſto legitur *Creſcens*, quemadmo- Pag. 8.

ctum in epiſtola Synodica, vt iure ambigi queat, vtrum nomen fuerit Epiſcopi Syracuſani.

Genialis diaconvs.] Ita & in Remenſi. in nonnullis tamen, *Genialis Epiſcopus*, ſicut in vulgatis.

De civit. Elosativm.] Quidam *Toloſa*, vel *Toloſatium*, eorum fortaſſe iudicio, quibus minùs nota erat ciuitas Eloſatium.

Pag. 9. Rescriptvm Constantini.] Extat in iiſdem ſchedis Pithœanis, ſeu Tilianis, poſt Collationem Donatiſtarum editum cum hoc titulo: *Epiſtola Imperatoris Constantini, vbi dixit quia pars Donati, quomodo forenſes, ſic litigant, vt denuntient & appellent, & Imperatorem deſiderent audire poſt Epiſcoporum iudicia.* Pertinere autem (quod Pithœum non vidiſſe mirum eſt) ad Concilium Arelatenſe, tum aliis argumentis deprehendimus, tum indicio epiſtolæ clxii. S. Auguſtini, vbi eamdem Conſtantini aduerſus Donatiſtas deteſtationem cõmemorat. Sed epiſtola Concilij, cui Conſtantinus reſpondet, hactenus reperta non eſt.

CONC. AGRIPPINENSE.

Pag. 11. Concilii huius manuſcriptum exemplar nullum vidimus. Itaque Surianam editionem repræſentamus, niſi quòd in nomenclatura Epiſcoporum pro *Articlauo* irrepſit *à Laticlauo*. Virodunum porrò, cuius Antiſtes Santinus, vrbem clauorum olim dictam fuiſſe docet inter ceteros Bercharius preſbyter, qui breuem Virodunenſium Epiſcoporum hiſtoriam ad Dadonem Epiſcopum ſcripſit.

CONC. PARISIENSE.

Pag. 16. Synodica Concilii.] Hanc primus in lucem protulit Nic. Faber cum reliquis fragmentis Hilarij, ex chartaceo, vt ipſe præfatus eſt, libro non antiquo. Nos etſi eorumdem fragmentorum peruetus aliud exemplar nacti ſumus in Bibliotheca S. Remigij Remenſis, perpauca tamen in hac præſertim epiſtola ſuppeditauit, quæ à Fabri editione diſcreparent.

CONC. VALENTINVM.

Pag. 19. can. 4. Neqve enim absolvi.] Paulo vberiùs codex Lugdunenſis: *Neque enim abſolui in his poteſt, ſi in ipſos ſe dixerint quod dictum in alios puniretur.* Eadémque verba interſerunt etiam Remenſis, Anitienſis, & Foſſatenſis, vt cauſæ nihil appareat cur omitti debeant. Quæ verò ſequuntur Epiſcoporum ſubſcriptiones, ex vnico Remenſi depromptæ ſunt, in aliis non erant.

Eortivs.] In codice Anitienſi, qui eadem omnia quæ Lugdunenſis continebat, literulâ olim adiectâ, tum hoc loco, tum initio Synodi, ſcriptum eſt Euortius, vt de Aurelianenſi Euortio accepiſſe dubium non ſit. Pag. 20.

Professio fidei.] In quibuſdam libris inſcribitur: *Liber S. Martini Epiſcopi de ſancta Trinitate.* Synodum porrò Nemauſenſem, hoc loco prætermiſſam, breuiter adtexi oportebat in hunc modum. Pag. 16.

CONCILIVM NEMAVSENSE.

Cuius acta Martinus, licet abſens, Angelo nuntiante cognouit.

QVI Synodi huius auctor nobis eſt, Sulpitius Seuerus, quo tempore celebrata ſit non indicat. rem autem hoc modo geſtam narrat ſub finem Dialogi II. Apud Nemauſum, *inquit*, Epiſcoporum Synodus habebatur, ad quam quidem ire noluerat, ſed quid geſtum eſſet ſcire cupiebat. Caſu cum eo iſte Sulpitius nauigabat, ſed procul, vt ſemper, à ceteris in remota nauis parte reſidebat. Ibi ei Angelus quid geſtum eſſet in Synodo nuntiauit. Nam poſt tempus habiti Concilij ſollicitè requirentes, ſatis compertum habuimus, ipſum diem conuentus, & ea ibi ab Epiſcopis fuiſſe decreta, quæ Martino Angelus nuntiauit.

CONCILIVM TAVRINENSE.

Anno Christi cccxcvii.] Huic anno adſcribendum cenſuit Baronius: Septembrem verò menſem deſignat Synodi præfatio. Verùm ex Zoſimi Papæ epiſtola II. & altera eiuſdem ad Africanos, conſtat, quo tempore habita eſt Synodus Taurinenſis, Briccium apud Turonos Epiſcopum fuiſſe. Habita ergo eſt poſt mortem S. Martini, cui Briccius ſucceſſit. At Martinus veterum conſenſu Pag. 17.

menſe Septembri anni cccxcvii. nondum è viuis exceſſerat. Quare hic annus Synodo non congruit. Quòd ſi eos audimus, qui Martini obitum in annum Chriſti cccc. vel longiùs etiam reiiciunt, Synodi pariter epocham differri oportebit.

Pag 19. Qvi Felici commvnicant.] De quo dictum in Synodo Treuirenſi. Malè autem in vulgatis, *qui Felici non communicant.* abeſt enim à manuſcriptis negatio, & abeſſe debere res docet.

IN TOLOSANA SYNODO.

Pag. 38. Et ſi ambigui eſſe tituli epiſtolam monuimus, dubium tamen non videtur, quin ſcripta ſit ad Epiſcopos Hiſpaniæ, poſt Synodum quidem Toletanam, ſed de rebus in ea geſtis, vel poſtea conſecutis. idque vt mihi perſuadeam ducor argumento non leui, quod cap. vi. exponetur. Quare antiquam inſcriptionem epiſtolæ reſtituendam cenſeo, vt *in Toletana Synodo* legatur.

Propter Galliciorvm commvnionem.] In Synodo Toletana Symphoſius & Dictinius cum aliis, vt Idacius in Chronico refert, è Gallæcia Epiſcopis, damnata Priſcilliani hæreſi, recepti fuerant in communionem, retentis honoribus quos habebant. Quod non probantes Bætici & Carthaginienſes, à ceteris Epiſcopis, qui eos receperant, deſciuerunt. Dari ergo vult operam Pontifex, vt qui deſciuerunt ad communem pacem reuocentur.

Illivs. Lvciferi.] Calaritani apud Sardos Epiſcopi, qui ſchiſmatis in Eccleſia auctor fuit, cùm Epiſcopos in Synodo Ariminenſi lapſos, quamuis reſipiſcentes, recipi nollet, ab iiſque ſe qui eos receperant ſegregaret. Sulpitius Seuerus: *Lucifer in tantum eos qui Arimini fuerant condemnauit, vt ſe etiam ab eorum communione ſecreuerit, qui eos ſub ſatisfactione vel pænitentia recepiſſent.*

Pag. 39. *Numquid nam aliquid.*] Lege, *Nam quod non aliquid*, ex codice Bonæuallis.

can. 2. Rvfinvs atqve Minicivs.] Synodus Nicæna can. iv. Epiſcopum ab Epiſcopis prouinciæ cum Metropolitani auctoritate fieri iubet. Contra hunc canonem commiſerant Rufinus & Minicius; quorum vterque ſine conſcientia Metropolitani, alter etiam in aliena prouincia, Epiſcopos ordinarant. Quare & in vſurpatores animaduerti oportere ait, & ab his temere ordinatos honore carere quem adepti ſunt, iuxta canonem vi. Synodi eiuſdem, quo cautum eſt, cum qui præter ſententiam Metropolitani factus fuerit Epiſcopus, Epiſcopum eſſe non debere.

De Ioanne Episcopo] Ioannes hic Synodo Toletanæ, redeuntes ab hæreſi recipienti, per vicarios conſenſerat: poſtea ſubduxiſſe ſe, & contra ſententiam ſuam veniſſe ferebatur. In hunc ergo, atque in alios, qui à communionis conſortio ceſſaſſe videbantur, pleniùs inquiri, deprehenſóſque, ſi ad concordiam redire abnuant, excommunicari iubet. Pag. 40. cap. 3.

De ordinationibvs.] De iis, qui praua conſuetudine in Hiſpania ex diuerſis generibus hominum, quos canones à cleri gradibus excludunt, creati hactenus fuerant Epiſcopi, ſic indulget, vt pœna vitioſè deinceps ordinatis ordinantibúſque propoſita, in poſterum abſtineri præcipiat. Cap. 4.

In loco Patrvini.] Diſcrepant inter ſe rerum Hiſpanicarum ſcriptores cuius ſedis Epiſcopus fuerit Patruinus, qui Concilio primo Toletano præfuit. Alij enim Toletanum Antiſtitem fuiſſe coniiciunt, alij Bracarenſem, alij neutram illorum ſententiam ſatis firmam ducunt. Ex hoc loco apparet, quod in mentem illis non venerat, Emeritenſem Epiſcopum fuiſſe, cui iam defuncto Gregorius hoc tempore ſucceſſerat. Cap. 5.

Per sententiam decernitis.] Manifeſtum eſt alludi ad decretum Synodi Toletanæ, quod in eius actis primo loco poſitum eſt his verbis. *Patruinus Epiſcopus dixit: Si placet, communi conſilio decernamus, quid ab omnibus Epiſcopis in ordinandis clericis ſit obſeruandum. Mihi autem placet conſtituta primitus Concilij Niceni perpetuò eſſe ſeruanda, nec ab iis eſſe recedendum. Epiſcopi dixerunt: Hoc omnibus placet.* Quæ cùm ita ſint, liquet profectò, Innocentium hoc loco alloqui Epiſcopos qui Toletano Concilio adfuerant, ac proinde Synodo Toletanæ inſcribi epiſtolam debere, vt dictum eſt. Pag. 41. can. 6.

ZOSIMI EPISTOLÆ.

Citharistam et Gargariam] Lege *Gargarium.* Vetus tabula nondũ edita, quę extat Arelate: Pacani pagi lvcreti qvi svnt finibvs Arelatensivm loco Garoario. Atque ita codices antiqui, Arelatenſis & Lirinenſis, quibus Pag. 42.

maximè, ac tertiò Pithæano, in recenſendis Zoſimi epiſtolis vſi ſumus. At Cithariſtanæ parochiæ mentio eſt itidem in libro II. vitæ S. Cæſarij Arelatenſis.

Pag. 45. *In Synodo damnationis eius aſſederat.*] Antiqua Collectio canonum in codice Floriacenſi locum hunc citans, *damnationi eius conſenſerat.*

LEPORII LIBELLVS.

Pag. 50. CIRCA ANNVM CHRISTI CCCCXXV.] Baronius ad annum refert CCCCXX. Ioannes II. Papa in epiſtola III. ad Auienum & alios ſenatores, locum recitans ex hoc libello, ſeu epiſtola Leporij, à Synodo Africana confirmatam teſtatur: *Leporius,* inquit, *in epiſtola, quam Aurelius Epiſcopus Carthaginenſis, & Auguſtinus, & Synodus Africana firmauit.* Quòd ſi Africanam eam dixit, quam habêmus, poſt Conſulatum Honorij XII. & Theodoſij VIII. anno Chriſti CCCCXIX. celebratam, in eumdem ſcilicet annum Leporij emendationem incidiſſe ſtatuendum eſt.

Pag. 51. EPISTOLA AVRELII, AVGVSTINI.] Huic epiſtolæ titulus in hæc verba præfixus eſt in codice Leodienſi: *Epiſtola Aurelij, Auguſtini, Florentij, & Secundini, ad conſacerdotes Proculum & Cylinnium, de quodam Leporio, qui pro eo quòd non recta quædam ſaperet, nec vera de fide ſentiret, pro hac ſui erroris præſumptione à ſanctis memoratis patribus Proculo & Cylinnio correptus, & de loco ſuo eiectus, ad ſanctos Auguſtinum, & alios præmiſſos viros, peruenit gratia confugij. Vnde ab eis ſalubriter correctus, & ad ſanam doctrinam reductus, ſuo eſt Epiſcopo per propriam epiſtolam catholicè ſentientem cum ſociis reconciliatus.*

VALENTINIANI III. CONSTIT.

Pag. 54. IN optimo & antiquiſſimo codice Eccleſiæ Lugdunenſis, in quo poſt Synodos Gallicanas adiectæ ad finem ſunt integræ diuerſorum principum conſtitutiones XVI. de rebus Eccleſiaſticis, ducto ab iis tribus initio, quæ iam editæ ſunt ad calcem codicis Theodoſiani, huic Valentiniani Cæſaris conſtitutioni, quæ ſexta ordine numeratur, titulus argumenti loco eſt huiuſmodi: *Non licere clericos iudicio publico litigare, & omnes hæreticos debere de ciuitatibus proijci, & Chriſtianos ſeruos non debere Iudæis ſeruire, & Iudæos non debere militare.*

CÆLESTINI EPIST.

PRÆTERITORVM SEDIS APOST.] Hic ſequentium ſententiarum eſt titulus in libris antiquis, eúmque vt germanum agnoſcit etiam codex canonum Dionyſij exigui. Quamquam autem hæ Cæleſtini non ſint, Cæleſtino tamen, quiſquis earum eſt auctor, quia cum Cæleſtini epiſtola coniungi eique ſubiici ſolebant, ab antiquis olim ſcriptoribus tributæ ſunt, vt à Petro diacono in libro de Incarnatione & gratia Chriſti ad Fulgentium, à Floro magiſtro in libro aduerſus Ioannem Scotum, qui Eccleſiæ Lugdunenſis nomine circumfertur, ab Hincmaro Remenſi contra Gotheſcalcum, à Creſconio, Iuone, & aliis. Pag. 62.

CONCILIVM REGENSE.

REGENSE in veteribus libris dicitur, non Regienſe. in quibuſdam, *Synodus habita in ciuitate Regenſi.* Sic & Fauſtus, qui Epiſcopus Regienſis dici vulgò ſolet, ab antiquis ſcriptoribus Regenſis nuncupatur, & territorium Regenſe à Gregorio Turonenſi lib. IV. cap. XXXVII. Nec dubium, quin vbi in Concilio Valentino Hiſpaniæ Synodus Regienſis nominatur, Regenſis appellari debeat. Vera enim & priſca ſcripturæ ratio fuit Reienſis. nam & vrbem ipſam, vt Sidonius docet, Reios vocabant. Poſtea Regenſis ſcribi cœpit, quia vtriuſque vocis apud Gallos idem eſt ſonus, ſicut in *maieſtas* & *mageſtas.* Pag. 65.

THEODOSIO XVII. ET FESTO.] Quidam *Fauſto,* ſed mendosè. Fauſtus enim præcedentis anni Conſul fuerat cum Theodoſio XVI. In codice Lugdunenſi, quem vnum præcipuè in his ſubſcriptionibus ſecuti ſumus, ſub finem *Conſtantiani* legitur, pro *Conſtantini.* Pag. 69.

CONC. ARAVSICANVM I.

DE titulo conſentiunt vetera exemplaria: *Conſtitutiones ſanctæ Synodi habitæ in territorio Arauſico, ſub die* VI. *Idus Nouembres, Cyro Conſule, in Eccleſia Iuſtinianenſi.* niſi quòd in paucis legitur *Iuſtianenſi.* vnde & infrà in cauſa Contumelioſi Epiſcopi Synodus Iuſtianenſis appellatur. Pag. 70.

Hæreticos in mortis.] Hîc etiam libri omnes conſentiunt, primo loco ſtatuentes canonem qui ſecundus erat in vul- Can. 1.

gatis, & contrà primum ſecundo.

Semel chriſmari.] Vulgati, & Gratianus, aliique Collectores, *ſemel in baptiſmate chriſmari.* Et verò certum eſt de baptiſmate agi. Sed cùm hæc verba in antiquis exemplaribus non ſint, & gloſſema ſapiant, religio fuit ea retinere.

Pag.72. *Vel pro fundi ſui negotio.*] Breuius in codice Lugdunenſi, Foſſatenſi, Remenſi, & aliis: *vel pro fundi ſui, aut Eccleſiaſtici, vel pro quacumque ſuorum opportunitate.*

Pag 74. *Impoſita ab Epiſcopo.*] Ita vetuſtiſſimi & optimi quique codices, Lugdunenſis Remenſis, Foſſatenſis, Tilianus, & alij. Pauci recentiores, *à presbytero.* quod inde ortum videtur, quia viduas velare poſtea licuit etiam presbyteris. Gratianus, & alij Collectores legunt *ab Epiſcopo.*

Nouembris, Luciano.] Variant hîc etiam manuſcripti. Nam Foſſatenſis, Tilianus, & alij quidam habent *Decembris, Luciano:* Lugdunenſis & Remenſis cum reliquis habent *Nouembris*, ſed pro *Luciano* hic *Iuſtiniano* legit, ille *Iuſtiano*, vt ſtatui certi nihil poſſit.

Pag 75. Ego Constantinvs] Lugdunenſis, vt in Concilio Regenſi, *Conſtantianus*, quo modo & alij nonnulli.

Ceretivs.] Ita diſertè Virdunenſis, ſicut infrà in epiſtola ad Leonem pag. 92. Foſſatenſis & Tilianus, *Caretius.* Lugdun. *Cereſius* Pithæanus *Ceterius.* Remenſis verò, vt olim vulgati, *Cæſarius.*

CONCIL. VASENSE I.

Pag.76. Qvi pro duobus Conciliis Vaſenſibus tria fuiſſe contendunt, fruſtra ſe torquent, & nodum quod aiunt in ſirpo quærunt. Duo quippe, nec plura, in omnibus antiquis exemplaribus leguntur, ſuis aptè diſtincta canonibus. hoc primum ſub Leone Papa, & alterum poſt annos fere xc. ſub Felice IV. Neque in his vlla, quod putant, eſt confuſio. Sed vt tertium his antiquius Vaſenſe Concilium fingerent, impulit falſa opinio, qua ſibi Concilium Arelatenſe II. in quo Synodi Vaſenſis mentionem fieri videbant, multo ante hæc tempora celebratum perſuaſerant, cùm ex Vaſenſis contra Synodi mentione poſteriorem illa fuiſſe Arelatenſem coniici debuerit.

Apvd Avspicivm Episcopvm.] Editiones vulgatæ, *apud Vrbicum Epiſcopum.* Sed Auſpicium habent omnes manuſcripti, cum videlicet, qui proximè Concilio Regenſi & Arauſicano cum ceteris ſubſcripſit. ex hoc verò loco Vaſionenſem Epiſcopum fuiſſe intelligimus. Quamquam autem ſubſcriptiones hîc nullæ ſunt, quæ aliorum Epiſcoporum nomina indicent, ſunt tamen qui Epiſcopos ad hanc Synodum conueniſſe tradant numero xv. alij duodeuiginti.

Quidam patrum.] S. Hieronymus in Pag.77. can.4.
epiſtola II. ad Nepotianum. Iugulat ergo hic locus errorem illorum, qui Concilium Vaſenſe, in quo editus eſt hic canon, & Arelatenſe II. à quo laudatur, ad Iulij Papæ tempora referri poſſe augurati ſunt.

Sanè ſi quis.] Rectiùs opinor codex Pag.78.
Lugdunenſis, item & Foſſatenſis, nouum hîc canonem non ſtatuunt, ſed hoc membrum cum ſuperiore velut eius partem coniungunt.

CONC. INCERTI LOCI.

In qvo Chelidonivs Episcopvs.] Pag.79.
Veſontionis Epiſcopum fuiſſe docet in codice Iurenſis Monaſterij vetus auctor vitæ S. Romani Abbatis, quem ab Hilario Arelatenſi presbyterum per id tempus factum narrat haud procul ab vrbe Veſontionenſi. vnde & Concilium hoc nonnulli Veſontione habitum tradunt.

Anno Christi ccccxliv.] Damnatus in hac Synodo Chelidonius Romam, vt eſt in vita S. Hilarij, ad Leonem Papam ſe contulit, eodémque mox Hilarius aſpera hyeme profectus eſt, vt de Chelidonij cauſa reſponderet. Poſt cuius ab Vrbe diſceſſum miſſa eſt in Galliam ſequens epiſtola Leonis ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis, & cũ epiſtola Valentiniani Nouella ad Aëtium. Quam cùm Iunio menſe datam liqueat anno ccccxlv. reliquum eſt, vt Chelidonij damnatio in præcedentem annum coniicienda ſit.

CONCILIVM INC. LOCI.

Vt Synodi huius de loco non con- Pag.80.
ſtat, ita tempus quoque incertum eſt. Sigebertus enim ad annum Chriſti ccccxlvi. Britannicam Germani cum Lupo legationem manifeſtè refert. Et Sigeberto fauere videntur, quæ Beda narrat libro I. Hiſtoriæ Anglicanæ. At Proſper in Chronico Germanum à Cæleſtino Papa in Britanniam miſſum tradit anno ccccxxix. cui adhærens Baronius Synodum hanc illo anno habitam cenſuit.

SYNODICA EPISCOPORVM GALLIÆ.

Pag.9. E Synodo aliqua miſſam Epiſcopi ipſi docent, qui reſponſi tarditatem excuſant, quòd in vnum citiùs conuenire non potuerint. Etſi autem quo loco Synodum habuerint non indicant, veriſimile tamen eſt à Rauennio Arelatenſi, qui Synodo præfuit, Arelate potiſſimum fuiſſe conuocatos. Subſcriptiones ad calcem epiſtolæ, quarum initium dumtaxat in vulgatis legebatur, integras olim ex Nic. Fabri codice deſcripſimus, qui in Thuana Bibliotheca nunc extat.

Pag.95. EXEMPLAR SENTENTIÆ.] Depromptum eſt ex codice Corbeienſi, & ex Pithœano, in quibus præcedenti Leonis epiſtolæ ſubiiciebantur. Extat autem, ſed aliis verbis, in actione III. Concilij Calchedonenſis.

CONC. ARELATENSE II.

Pag.102. INCERTIS ſedibus iactatum hactenus fuit hoc Concilium: quod alij nimirum Conſtantini magni, alij Conſtantij eius filij temporibus adſcripſerunt. Verùm, vt alia nunc omittam, ex canone Vaſenſi qui in eo citatur, quémque illius Vaſenſis Concilij, quod ante decem annos celebratum eſt, reuera fuiſſe conſtat, liquidò patet, Concilium hoc, vt nunc quidem ſe habet, poſt Vaſenſe habitum neceſſariò dici oportere: ſed quo prorſus anno, & quibus ab Epiſcopis celebratum ſit, non liquet. De numero etiam canonum magna eſt, vndecumque ea orta ſit, in antiquis exemplaribus diſcrepantia, quæ triplici diſcrimine continetur. Quidam enim codices in vniuerſum primos tantum XXV. canones habent, vt Pithœanus vnus, & alter in Bibliotheca Vaticana. In aliis canones ſunt XXXIII. vt in Corbeienſi, Lugdunenſi, Foſſatenſi, & Tiliano Engoliſmenſi: iidem ipſi videlicet, qui in editione ſunt vulgata, quæ eſt canonum XXXVII. quatuor demptis, quos prætermittunt. hoc eſt X. XI. XII. & XXVI. In Remenſi verò codice, quem hoc loco repræſentamus, canones numerantur cum titulis ſuis LVI. adiectis & inſertis ex Synodo Arauſicana pleriſque, qui in aliis codicibus deſiderātur. Totum enim ferè Concilium ex antecedentium Conciliorum decretis conflatum eſt, præſertim ex Nicænæ, Arelatenſis primæ, Vaſenſis, & Arauſicanæ Synodi canonibus.

PRÆTER AVIAM, MATREM, SOROREM.] Codex Corbeienſis & Lugdunenſis Græca voce, *præter thiam, ſororem.* Synodus Nicæna can. III. μητέρα ἢ θείαν, id eſt, *amitam vel materteram.* Pag 103. can. 3.

Ad cellarij ſecretum.] Lugdunenſis *ad cellarum ſecretum.* alij *cellarij*, vt in Concilio Agathenſi can. XI. *à cellario, vel à ſecreto miniſterio.* in Aruernenſi can. XV. *in cubiculum atque cellarium.* Can.4.

PRÆCIPVE GALLICANIS.] Ita Remenſis. ceteri ferè omnes hæc verba non habent. Codex idem Remenſis poſt canonem XXV. titulum interſerit: CAPITVLA DE SYNODO QVÆ IN TERRITORIO ARAVSICO CELEBRATA EST. Can.18.

De his quos clericatus.] Citatur hic locus in vetuſta Collectione canonum codicis Pithœani, & dicitur ſimiliter canon XLV. Concilij Arelatenſis II. Ex quo apparet exemplar Synodi, quo vſus eſt auctor illius Collectionis, cum hoc noſtro conſenſiſſe, atque hos etiam canones Arauſicanos complexum eſſe. Can 45.

Si quis à communione.] Editiones vulgatæ, & cum his codex Remenſis: *Si à communione ſac. fuerit auct. ſuſpenſus Epiſcopus, hunc* &c. vt de excommunicato tantùm Epiſcopo agi videatur. Ceteri omnes Epiſcopi nomen non habent, & vniuerſim enuntiant. Can.49.

LEONIS AD RVSTICVM NARBON.

INQVISITIONES Ruſtici, quæ Leonis reſponſionibus ſingulis præmittūtur, nunc primùm prodeunt in lucem ex diuerſis manuſcriptis, hactenus non ſine incommodo prætermiſſæ, cùm ſine his plerumque intelligi reſponſiones non poſſint. Pag.118.

PATERNO ARBITRIO.] In codice canonum Dionyſij exigui inter Leonis decreta cap. XVIII. & apud Gratianum 32. q. 2. *Non omnis mulier*, itémque apud Burchardum & Iuonem, mēbrum hoc ineptè cum ſuperiori capite coniungitur. Cap.5.

CVLPANDA EST SANE.] Hic rurſum à Dionyſio cap. XIX. & à Gratiano ibidem cap. *Ancillam à toro*, membrum hoc fœdo errore cum præcedenti connectitur, cùm vt ex Inquiſitione patet, ad res planè diuerſas pertineant: Tanti erat Inquiſitiones iſtas, vt diximus, non omitti. Cap.7.

CONC. ANDEGAVENSE.

COLLATVM eſt cum tribus exemplaribus Engoliſmenſi Tiliano, Foſſatenſi, Pag.116.

& Pithœano: ex quibus quæ minimè dubia erant, in contextum de more conjecimus. Titulos verò, vbi corrupti aut mutili videbantur, alios ſubſtituimus.

Pag. 117. can. 4. *Tam ſi qui tradendis.*] Rectiùs, opinor, manuſcripti, qui hoc membrum hinc diuellunt, & cum ſequenti canone copulant.

LEONIS, VICTVRII, ET EVSTOCHII.

Pag. 119. LEONIS nomen pleróſque omnes hactenus induxit, vt hanc epiſtolam Leoni Papæ adſcriberent, atque inter eius epiſtolas collocarent numero XCVI. cùm reuera ſit Leonis Bituricenſis Epiſcopi, qui vnà cum Victurio Cenomanenſi, & Euſtochio Turonenſi, eam ſcribit ad Epiſcopos & preſbyteros prouinciæ, non Thraciæ, vt inter Leonis epiſtolas vulgatum eſt, ſed Tertiæ, quo nomine Turonica prouincia deſignatur, quæ eſt Tertia Lugdunenſis.

CONC. ARELATENSE III.

Pag. 120. CIRCA ANNVM CCCCLV.] Cùm Rauennius Arelatenſis Epiſcopatum inierit, vt vidimus, anno CCCCXLIX. idémque Leone adhuc ſuperſtite, hoc eſt ante annum CCCCLXI. vita functus ſit, vt Hilari Papæ ad Leontium Rauennij ſucceſſorem epiſtolæ docebunt, conſequens eſt, vt Concilium hoc, cui Rauennius præfuit, vno aliquo intra hos fines anno celebratum intelligamus. Eius verò exemplar nobis ſuppeditauit optimus & antiquiſſimus codex Eccleſiæ Lugdunenſis, cui & alia in hoc opere plura debemus.

EPIST. LVPI ET EVPHRONII.

Pag. 122. HVIVS etiam epiſtolæ tempus incertum eſt, niſi quòd Talaſij noui, vt apparet, Epiſcopi admonere nomen videtur, vt non multo poſt Andegauenſe Concilium, in quo Epiſcopus ordinatus eſt, ad eum miſſam credamus. Præter varia eius exemplaria, quæ in manus noſtras venerunt, animaduertimus eiuſdem fieri mentionem in antiqua Collectione canonum, quæ eſt in Bibliotheca S. Germani Pariſienſis.

CONC. TVRONENSE.

Pag. 123. SEVERINO V. C. CONSVLE.] Qui cum Dagalaifo Conſul fuit anno Chriſti CCCCLXI. Cur huic anno reſtituendum cenſuerimus Concilium Turonēſe, quod alij poſt Baronium ad alterius Seuerini Conſulatum reiecerant, qui Trocondum collegam habuit anno CCCCXXCII. cauſas expoſuimus in iis quæ præfati ſumus ad Concilium Veneticum. De anno igitur conſtat. de die rem incertam facit veterum librorum varietas. Multi enim XIV. Kalendas Decembris legunt: alij, vt Remenſis & Bellouacenſis, XVIII.

Ordinatos promouere præſumat.] Quatuor codices: *ordinatos, vel ſanctimoniales præſumat.* Pag. 123.

EPISTOLÆ HILARI PAPÆ.

COLLATÆ ſunt cum tribus exemplaribus, quæ epiſtolas omnes continebant, Pithœano, Arelatenſi, & Lirinenſi: poſtrema etiam cum aliis duobus, quorum alterum Corbeienſis Monaſterij, alterum S. Remigij Remenſis. Et ſuperſunt tamen non pauca, quæ emendatiorum codicum opem deſiderent. Pag. 127.

ET RETRO ANTE POSITVM.] Ita & Lirinenſis: ſed magis arridet, quod ex alterius libri veſtigiis eruitur, *& retro omne propoſitum.* Pag. 129. epiſt. 4.

CONC. VENETICVM.

CIRCA ANNVM CCCCLXV.] Quo anno celebratum ſit, nihil eſt exploratì. At certa videtur coniectura, quam ex Namnetenſium Epiſcoporum ſerie duximus, vt Turonenſi poſterius fuiſſe doceremus. Euſebij enim Epiſcopi, vt antiqui omnes Indices reſtantur, ſucceſſor fuit Nunechius, quem Nonnechium alij vocitant, is haud dubiè, cuius nomen hoc loco inter eos qui Venetico Concilio ſubſcribunt. Antea iam ergo præceſſerat Turonenſe, cui Euſebius interfuit. Accedit quòd non ſolùm in codice Remenſi, vt monuimus, verùm etiam in antiquis collectionibus, obſeruatum eſt, cùm vtriuſque Concilij canones proferuntur, Turonenſes Veneticis præponi. Quare videant quàm nihil cauſæ habuerint, qui contrà, vt præpoſtero in vulgatis editionibus Conciliorum iſtorum ordini ſuffragarentur, legitimum Epiſcoporum Namnetenſium ordinem, Euſebium Nunechio poſtponentes, in ſuis catalogis peruerterunt. Pag. 137.

DOMINIS BEATISSIMIS.] In codice Pithœano inſcribitur, EPISTOLA Epiſco-

porum ARMORICANÆ PROVINCIÆ. in aliis, *Canones Eccleſiæ Veneticæ*. Subſcriptiones adiectæ ſunt ex codd. Corbeienſi & Remenſi. ſed in Corbeienſi Perpetuus his verbis vtitur: *Perpetuus Epiſcopus huic definitioni adquieſcens ſubſcripſi, & ea quæ à patribus noſtris, vel à nobis prius ſtatuta ſunt*, &c. In Remenſi verò poſt Perpetuum reliqui alio ſubſcribunt ordine, Nunechius, Paternus, Albinus, Liberalis & Athenius. Pag.140.

CONC. ARELATENSE LEONTII.

Pag.147. BINIANA editio poſtrema Colonienſis Concilium hoc, in quo Fauſti & Lucidi epiſtolæ approbatæ dicuntur, Arelatenſe illud Concilium vult fuiſſe, quod à nobis quartum numeratur, & poſt annos ferè quinquaginta Opilione Conſule celebratum eſt anno Chriſti DXXIV. Quod quidem mirum eſt viro docto perſuaderi potuiſſe. Nam vt omittam, quod exploratum eſt, Fauſtum Reienſem ad ea vſque tempora non perueniſſe, ex Fauſti præfatione, atque ex Lucidi epiſtola conſtat Concilio Arelatenſi, de quo agimus, præſediſſe Leontium Arelatenſem, cum eóque adfuiſſe inter alios Mamertum Viennenſem, & Patientem Lugdunenſem: cùm Arelatenſi IV. præfuerit Cæſarius, tertius à Leontio; & Epaonenſi ſeptem antè annis ſubſcripſerint Auitus Viennenſis, tertius itidem à Mamerto, & Viuentiolus Lugdunenſis, quintus à Patiente. Quare longè diuerſum, ac multo antè celebratum fuiſſe hoc Concilium neceſſe eſt. Baronius, aliique eum ſecuti, coniiciunt in annum CCCCXC. Quòd etſi propius abeſt à vero, ſatius tamen in re dubia duximus ad Sidonij ætatem id referre. tum quòd Sidonius ad pleroſque ex iis ſcribat, qui huic Concilio adfuerunt: tum quòd ita potiùs ſentire oportuerit Baronium, qui Fauſti libros de gratia & libero arbitrio, quos Synodi huius auctoritate compoſitos tradunt, eos ipſos eſſe contendit, de quibus ad Fauſtum eumdem ſcribit Sidonius libro IX. epiſtola IX.

Pag.151. ET QVIA IN TANTIS REBVS.] Totum hoc membrum vſque ad illa verba, *conſtat eſſe puniendos*, quod neque in vulgatis exemplaribus legitur, neque in Puteanorum fratrum manuſcripto, quo hîc vſi ſumus, extat in vetuſto codice S. Galli, vt admonuit Henricus Caniſius Tom. IV. Antiquæ lectionis.

AVITI AD CLODOVEVM REGEM.

BAPTISMVM Clodouei regis Annales Pag.153. Francorum adſignant anno regni eius XV. poſt victoriam Alamannicam. Is eſt iuxta æram noſtram annus Chriſti deſinens CCCCXCVI. In Natali enim Domini exeunte anno baptizatum Auitus in hac epiſtola teſtatur. Triennio ſeriùs, ſed more ſuo, Clodouei baptiſmum ſtatuit Sigebertus anno CCCCXCIX. omnia enim trienníj ferè ſpatio poſteriùs narrare ſolet quàm geſta ſunt.

QVI NVNC PRIMVM DEVOTIONE DEBETIS.] Pag.154. Vox perperam à typographo repetita. Lege, *Nunc primùm profeſſione debetis*.

AVITVS FAVSTO ET SYMMACHO.] Pag.158. Huius epiſtolæ, præter codicem epiſtolarum Auiti, alterum exemplar in regia Bibliotheca nacti ſumus. Miſſam conſtat poſt Synodum IV. palmarem in cauſa Symmachi Papæ, quæ Romæ habita eſt X. Kalendas Nouembres anni DI. Quare vel hoc ipſo anno exeunte ſcripta eſt, vel proximo ineunte.

CONCILIVM AGATHENSE.

TITVLVS hic ferè in manuſcriptis: Pag.160. SYNODVS *habita in ciuitate Agathenſi ſub die* III. (vel IV.) *Idus Septembris, anno* XXII. *regni domni Alarici regis, Meſſala V.C. Conſule*. niſi quòd in quibuſdam Gothici regis nulla eſt mentio, in aliis pro Meſſalæ Conſulatu æra notatur DXLIV. quæ congruit anno Chriſti DVI. quo Meſſala Conſul fuit, & regni annum XXII. agebat Alaricus.

DOMNI NOSTRI GLORIOSISSIMI.] Bona fide codicem Remenſem expreſſimus: cùm in aliis pleriſque hæc epitheta prætermittantur; in quibuſdam, vt in Lugdunenſi, tota præfatio ad pauca verba contrahatur hunc in mundum: *Cùm in nomine Domini in ciuitate Agathenſi conueniſſemus, in S. Andreæ baſilica conſedimus*, &c.

Quæ eſt his canonibus inſerta.] Can.9. Hæc verba in vnico Pithœi exemplari reperimus, in quo Innocentij mox epiſtola ſequebatur: à ceteris omnibus abſunt, ab iis nimirum expuncta, quibus Innocentij epiſtolam deſcribi hoc loco non placebat. Surius, etſi eadem verba retinuit, epiſtolam tamen non habet.

Si officium Archidiaconatus.] Ita Remen- Can.23.

menſis & Lugdunenſis. ſed rectius videtur *Archidiaconus*, vt in Foſſatenſi, Tiliano, & aliis.

Can.32. *Si pulſatus fuerit, reſpondeat.*] Iuo & Gratianus, *non reſpondeat.* quo modo & codices nonnulli. ſed optimi omnes & antiquiſſimi ſic habent vt edidimus, & conſentit canon XI. Synodi Epaonenſis.

Pag.170. QVI poſt XLVII. ſequuntur canones XXV. ſeorſim editi ſunt cum Hiſpaniæ Conciliis, poſt Synodum Toletanam XVII. hoc titulo præfixo: SENTENTIÆ *quæ in veteribus exemplaribus Conciliorum non habentur, ſed à quibuſdam ipſis inſertæ ſunt.* Quem titulum qui contexuit, de veteribus nimirum exemplaribus Concilij Agathenſis agebat, in quibus hi canones, vt monui, non extant, ſed ab aliis poſtea inſerti ſunt. Iam olim certè inditos fuiſſe, fidem faciunt codices aliquot non modicæ vetuſtatis, & quòd eoſdem pro Agathenſibus, ante Gratianum & ceteros, agnouerit Hincmarus ab hinc annis ferè DCCC.

Pag.173. EGO CÆSARIVS.] In his ſubſcriptionibus nunc primùm adiecta ſunt ex codice Pithœano vocabula ciuitatum, cùm olim ſola Epiſcoporum nomina legerentur. Hîc porrò rurſum in plurimis exemplaribus pro illis verbis, *anno* XXII. *domni noſtri Alarici regis*, hæc habentur: *Meſſala V. C. Conſule.* Pro XXXIII. Epiſcopis, qui per ſe aut per vicarios ſubſcribunt, Collectiones quædam quatuor & triginta, Agobardus in libello de inſolentia Iudæorum XXXV. numerat.

CONC. AVRELIANENSE I.

Pag.177. CERTAM nunc demum ſedem huic Concilio defiget Felicis Conſulatus, quem in ſubſcriptionibus præferunt multi codices antiqui. Fuit is Conſul, vt eſt in Faſtis, anno Chriſti DXI. Quo ipſo anno vita functum Clodoueum regem adnotat breue Chronicum S.Vincentij Metenſis. Ante hunc prorſus annum ſtatui Clodouei obitus ſine errore non poteſt, cùm ipſo ſuperſtite ac iubente celebratum eodem anno ſit Concilium. nec multo fortaſſe vltra hunc annum differri, vt ſequentium Conciliorum epochæ docebunt.

CHLOTHOVECHO.] Ita ſcriptum nomen regis in codice Pithœano & Corbeienſi: paulo leniùs in Remenſi, vt in Auiti epiſtola, Chlodouecus vocatur: ex quo rurſus, emollita vocis aſperitate, Chlodoueus & Clodoueus à noſtris dici cœpit.

Can.1. *Ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi.*] Diſtinctiùs Lugdunenſis, Tilianus, & Foſſatenſis: *ab Eccleſiæ atriis, vel domo Eccleſiæ, vel domo Epiſcopi.*

Can.5. *Communione fratrum h. indignus.*] Addendum fuit ex Remenſi: *Iuniores verò, vt dignum eſt, diſtringantur.* quæ tamen abſunt à Corbeienſi. In Lugdunenſi verò, Foſſatenſi, & aliis, totum caput deſideratur.

Can.8. *Duplici ſatisfactione.*] Corbeienſis, Tilianus, & alij, *dupli ſatisfact.* quomodo etiam in Collectione S.Benigni.

Can.14. *Oblatione fidelium.*] Plerique *oblatione fidei*, vt & Collectio S. Benigni. & infrà pro *prædiis*, quidam habent *præſidiis*, ſed collatio eadem *prædiis.*

Can.19. *Obedientiæ deuotione.*] Remenſis & Foſſatenſis: *omni obedientiæ deuotione ſubiaceant.* Corbeienſis, *omni ſe obedientia & deuotione ſubiciant.*

Can.20. *Tzangas habere.*] Sic legunt Corbeienſis & Pithœanus. alij corruptè, *zancas, ciangas, chiancas*, quidam *zonas.*

Monachus ſi à Monaſterio.] Ita Lugdunenſis & Anitienſis. Corbeienſis verò, Foſſatenſis, & alij: *Monachus in Monaſterio conuerſus, vel qui pallium prob. fuer. accepiſſe, ſi poſtea* &c. quidam, *vel ſi pallium.*

Can.26. *Et vbi Epiſcopus fuerit.*] Librorum omnium conſenſu expuncta eſt negatio, quę in vulgatis erat, manétque nunc etiam apud Gratianum, *ſi Epiſcopus non fuerit.* pro quo Burchardus lib.III. cap.29. & Iuo Part.III. cap.34. legunt, *ſi Epiſcopus defuerit.* Error inde natus, quia ſacerdotem hoc loco diuerſum eſſe putarunt ab Epiſcopo, cùm idem ſit.

Can.27. *Id eſt litanias.*] Hæc etiam, quæ gloſſema redolent, à pleriſque abſunt manuſcriptis. ſunt tamen in Lugdun. & in Collectione S.Benigni.

Pag.181. SVBSCRIPTIONES EPISCOPORVM.] Digeſtæ hactenus fuerant in vulgatis, neſcias quo conſilio, tum Synodi huius, tum ſequentium ſubſcriptiones in ordinem alphabeticum, quòd in nullis exemplaribus antiquis factum meminimus. At in hiſce antiquis, quia nonnulla etiam eſt varietas, vel in ordine ac ſerie, vel in nominibus Epiſcoporum & ciuitatum, quam repræſentare vniuerſam non licuit, Pithœanum hîc fermè codicem ſecuti ſumus.

VI. *Idus Iulias.*] Corbeienſis & Pi-

thœanus, VI. *Idus quinti menſis.* quod idem eſt. Quintus enim à Marrio, vnde anni exordium ducebant, menſis eſt Iulius: ſicut in Concilio Epaonenſi menſis octauus eſt October, in Aurelianenſi III. menſis tertius dicitur Maius.

Eccleſiæ Pictauorum] Pirhœanus idem, *Adelphius de ciuitate Ratiatica*. Corbeienſis: *Adelfius Epiſcopus de Ratiate*. Remenſis, Beluacenſis, & alij. *Ex ciuitate Pictauis Adelfius Epiſcopus*. Idem ergo vtrumque. Pictauenſis enim Epiſcopus Rariatenſis hoc loco dicitur à Rariatenſi tractu pagi Pictauici, de quo Gregorius Turon. de gloria Confeſſorum cap. 54.

Eccleſia Oxomenſis.] Corbeienſis: *Litaredus Epiſcopus de Vxuma*. Remenſis, & alij, *Ex ciuitate Vxoma Litaredus*. Vulgati Litaredum Epiſcopum faciunt Lexouienſem. Verùm is in antiquis Lexouienſium Epiſcoporum catalogis non legitur. Er fama eſt, Oximi olim Epiſcopalem cathedram fuiſſe, arque inde poſtea Saios tranſlatam. Hodie certè Oximenſis pagi capur ſub Sagienſi eſt Epiſcopo.

Pag. 184. *Eccleſiæ Veromandenſis.*] Pithœanus, *Eccleſia Noiomagenſis*. reliqui ferè omnes, *Suffronius Epiſcopus de Viromandis*. Quod eòdem ſpectat, quia Veromandui in Epiſcopatu ſunt Nouiomagenſi.

Eccleſia Conſtantinæ.] Corbeienſis: *Leontianus Epiſcopus de Conſtantia*. Remenſis, & Bellouacenſis: *Ex ciuitate Briouere Leontius Epiſcopus*. Leonrium enim appellant etiam Indices antiqui. Briouere aurem vetus nomen vrbis, priuſquam ibi caſtra Conſtantia figerenrur. Iterum in Concilio V. Aurelianenſi: *Lauto Epiſcopus Eccleſiæ Conſtantinæ, vel Briouerenſis*. Ciuitas eſt prouinciæ II. Lugdunenſis, de qua in Notitia.

Eccleſia Carnotena.] Corbeienſis, *Auentinus Epiſcopus de Carnotas*. Remenſis, & alij, *Ex ciuitate Carnotas Auentinus Epiſcopus*. Ar in Pithœano Epiſcopus dicitur Eccleſiæ Dunenſis, pro quo imperitè ab aliis ſcriptum eſt *Dinienſis*, vel *Diuienſis*, qui neſciebanr Dunum caſtrum eſſe diœceſis Carnotenæ, à quo eius ſedis Epiſcopi Dunenſes interdum ſint appellati, quomodo Pictauenſes Ratiatici.

Ead. EXEMPLVM LIBELLI.] Malè in vulgaris editus eſt ſub nomine epiſtolæ VI. Symmachi, cùm ſit libellus Cæſatij, iuxta quem à Symmacho concepra eſt epiſtola eius V. quam nos rertiam numeramus. Eiuſdem generis ſequetur libellus alrer Ægidij Abbaris, ex quo nata eſt Symmachi epiſtola XI. ſiue quinta è noſtris. Vtrumque aurem reſtituimus ex codice Arelatenſi & Lirinenſi.

CONCILIVM EPAONENSE.

ET hoc etiam Concilium anno ſuo adſignat Agapiti Conſulatus, id eſt anno Chriſti DXVII. Agapiro enim Conſule habitum reſtatur Auiti Viennenſis, qui Synodo præfuit, ſubſcriptio in codice Corbeienſi, Lugdunenſi, Tiliano, Foſſatenſi, & aliis. Epaonenſe vocare maluimus, quàm vt alij Epaunenſe. tum quia ſæpius ita ſcribitur & citatur ab antiquis: tum quia in iiſdem veteribus libris Epaone celebratum dicitur, non Epaunæ. itémque in Auiti Viennenſis epiſtola, quam paulo pòſt ſubiiciemus. Pag. 194.

Nullus excuſet.] Pirhœi codex addit, *Quòd ſi fecerit, ſex menſibus à communione priuetur.* Can. 3.

In venditorem comp. actione vert.] Remenſis, *in venditorem, vel heredes ſuos, actione vertenda.* Can. 7.

Sed ſi &c. *non morentur.*] Remenſis, & Bellouacenſis, *ſed & ſi* &c. *non permittantur*. haud dubium quin lectione interpolata, quemadmodum & illa in vulgatis, *non præſumant*. Certa enim & conſtans eſt omnium ferè codicum ſcriptura, quam edidimus. Can. 11.

Probatur emiſſe.] Optimi quique, *probabitur*. Can. 14.

Ab omni regione noſtra pen. abrogamus.] Quidam, *ab omni religione pen. abrogamus*, vt Foſſatenſis & Tilianus. Can. 15.

Quòd ſi illi defuerint.] Appendix iſta, quamquam in vno tanrùm reperta eſt codice Lugdunenſi, & in eius germano Anitienſi, neque extar apud Burchardum & Iuonem, agnoſcitur tamen citatúrque, vt membrum canonis huius, in vetuſtiſſimis Collectionibus canonum, Andegaucoſi, Diuionenſi S. Benigui, & aliis. Can. 25.

Chriſmatis vnctione.] Lugdunenſis, *Chriſmatis vnguine*. quomodo & apud Iuonem Part. III. cap. 30. Can. 16.

Prouinciales obſeruare.] Omnes ferè, *prouinciales eorum obſeruare*. quidam *comprouinciales*. Can. 17.

Si quis frater germanam vxoris ſuæ accep.] Tò *ſuæ* in vnico eſt Corbeienſi. in cereris conſenriunt Lugdun. Foſſat. & Tilianus. Remenſis verò ſic haber, *Si quis frater germanam vxorem accipiat*, malè. Can. 30.

Vt ciues ſuperiorum natalium.] Reſtitu- Can. 35.

tus eſt totus canon ex Corbeienſi potiſſimum & Lugdunenſi.

Can. 38. *Et ætatis prouectæ.*] Quidam *perfectæ*, vt Tilianus & Foſſat. In alus hæc verba deſunt, vt in Lugdunenſi.

Can 39. *De capillis verò.*] Ita omnes manuſcripti. Iidem mox, *placuit dominis*, omiſſa præpoſitione.

Pag. 101. AGAPITO V.C. CONS. EPAONE.] Conſentiunt, vt præfati ſumus, in his verbis, atque in nota diei & menſis, codices plurimi & optimæ notæ.

VICTVRIVS.] Tilianus & Foſſat. *Victorinus.* Lugdunenſis, *Victorius.* Sed Victurium quoque appellat Auitus in epiſtola, quam ad eum ſcribit de quodam, qui duas germanas vxores duxerat.

Ciuitatis Albenſium.] Pithœanus, *Albenſium, ſiue Viuarienſis.* Eadem enim eſt ciuitas Alba Heluiorum, quæ Viuarium, vt patet ex Notitia.

Peladius presbyter.] Hæc in Pithœano non ſunt, ſed horum loco ſuperiùs poſt Carulinum Salutaris Epiſcopi ſubſcriptionem habet his verbis: SALVTARIS *Epiſcopus ciuitatis Auennicæ ſubſcripſi.* Remenſis etiam, hac omiſſa clauſula, Salutaris Epiſcopi nomen habet poſt Catulinum. Sed rectiùs videtur, quod ex aliis expreſſimus. Auiti porrò Viennenſis epiſtola, cuius ſupra meminimus, qua Epiſcopos ad EpaonenſeConcilium euocat, in codice noſtro ſic habet.

AVITI EPISCOPI VIENNENSIS EPISTOLA IV. TRACTORIA generalis ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, vt ad Synodum veniant Epaonenſem.

DIV eſt quòd rem valdè neceſſariam, & non ſine diuina inſpiratione à patribus inſtitutam, aut obliuione, aut occupatione deſerimus. Sed rumpenda ſunt interdum vincula neceſſitatum, vt aliquando impleri poſſint à præceptore conuentus. Ergo quos bis per annum à ſacerdotibus fieri ſeniorum cura decreuerat, ſi benè perpenditis, vtinam vel ſingula poſt biennia faceremus. Nam & venerabilis Papæ Vrbis, nobis hanc negligentiam ſuccenſentis, mordacia mihi nonnunquam ſcripta perlata ſunt. Vnde ſupplicat per me, ſi dignamini, Eccleſia Viennenſis, poſcit intermiſſæ conſuetudinis rediuiua ſalubritas, quod hactenus infrequentatum torpuit excitari. Iuſtum eſt, quantum reor, vt conſtitutis prioribus ſub communis præſentiæ opportunitate tractatis, noſtris ſimul nobiſque, prout ordo collocutionis inuenerit, vel inſinuemus vetera, vel, ſi neceſſe eſt, etiam noſtra iungamus. Idcirco cunctos ſimul poſcimus fratres, vt Deo fauente octauo Iduum Septembrium in parochia Epaonenſi adeſſe dignemini. Qui locus, omnium fatigatione perpenſa, conuentui ſatis opportunus electus eſt; ſicut & tempus, in quantum poteſt, ab inſtantia ruralis operis vacuum, liberiorem cunctis permittit excurſum: quamquam Eccleſiæ potior cauſa intermitti quaſlibet terrarum poſceret actiones. Supplicamus ergo, & quæſumus, teſtamur, obteſtamur, ne quem à diſpoſitione tam ſancta obex vllius excuſationis abducat, ne quem à tali caritatis vinculo nexus temporaneæ neceſſitatis impediat. Sed ſi fortè, quod Deus auertat, tanta cuicumque acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, vt ſpiritale deſiderium carnali vincatur incommodo, duos presbyteros magnæ ac probabilis vitæ, mandati inſtructione firmatos, fratribus pro ſe præſentare procuret. ſed tales dignetur eligere, quos Epiſcoporum Concilio non minus ſcientia, quàm reuerentia iure faciat intereſſe. cum quibus delectet ſummos Pontifices conferre ſermonem, quos ad definitiones pro Epiſcopo ſuo ſanciendas, ſubſcribendáſque, cùm fuerit ſollertia eligi, ſit auctoritas legi. Sed iſtud non extorqueat niſi ſumma neceſſitas. ceterùm dilectionis fraternæ ac paſtoralis diligentiæ magnitudo, niſi laboris magnitudine, non probatur. Coniicit enim ſanctitas veſtra, poſt hoc longum abuſionis noſtræ ſilentium, qualiter aut definiri debeant, quæ Deo præſtante tractanda ſunt, aut quæ definita fuerint, vniuerſi Eccleſiarum prouinciæ noſtræ miniſtri debeant imitari.

CONC. LVGDVNENSE I.

NON liquet vtrum hoc Concilium præceſſerit, an poſterius ſit Epaonenſi. Pag 141. Codex enim Remenſis, ex quo à nobis deſcriptum eſt, etſi id ſubiicit Epaonenſi, temporis notam nullam exhibet, præter nomen Sigiſmundi regis, hoc modo: *Incipit epiſtola tempore Sigiſmundi regis ab Epiſcopis in vrbe Lugduno facta contra Stephanum.* Ceterùm, vt vt res ſe habeat, nomen Sigiſmundi regis, & quòd omnes Epiſcopi, qui huic Concilio adfuerunt,

Epaonenſi quoque interfuerint, non longo vtrumque interuallo habitum demonſtrat. Fidem autem huic noſtro adſtruunt Collectiones antiquæ, tum Andegauenſis & Diuionenſis, quarum paulo antè facta eſt mentio, tum tertia Bonæuallis, quæ omnes ſextum eius canonem commemorant.

Pag.205. *Reum ſe in concilio fraternitatis.*] Ita Collectiones antiquę quas diximus. nam paulo aliter in codice Remenſi: *reum fraternitate ſut. eſſe cogn.*

CONC. ARELATENSE IV.

Pag.207. HACTENVS Tertium numerabatur. nobis eſt quartum, quia tertij titulum ſupra dedimus nouo Concilio, quod à Rauennio Epiſcopo celebratum eſt in cauſa Inſulæ Lirinenſis.

OPILIONE V. C. CONSVLE.] Qui primi hoc Concilium in lucem dederunt, cùm Opilionis Conſulis nomen in eius ſubſcriptionibus deprehendiſſent, non intelligentes Opilionem illum deſignari, qui cum Ruſtico Conſul fuit anno Chriſti DXXIV. de altero ſuſpicati ſunt Opilione, qui ante annos LXXI. Conſulatum geſſerat cum Vincomalo. Itaque in Concilij fronte adnotarunt, Leonis Papæ tempore habitum fuiſſe, Opilione & Vincomalo Conſulibus, anno Chriſti CCCCLIII. Qua de re admonitus olim à nobis æternæ memoriæ Cardinalis Baronius, & Concilium hoc Arelatenſe, & cetera, quibus Cæſarius idem præfuit, id eſt Carpentoratenſe, Arauſicanum II. & Vaſenſe II. ab iis ſedibus, in quibus malè conſtituta fuerant, ad ſuas deinceps reuocanda docuit.

Can. 1. *Præmiſſam conuerſionem.*] Iuo, & vulgati, additâ voculâ legunt, *anni conuerſionem.* ſed hanc veteres libri non habent, & ſuperuacaneam hoc loco eſſe qui ſequitur canon oſtendit.

Can. 2. *Canonum conuenit antiquorum.*] Lugdunenſis: *conſtet.* Pithœanus & Arelatenſis, *canonum conſtitit antiquorum.*

SVB DIE VIII. IDVS IVLIAS, OPILIONE V. C. CONSVLE.] Sic ferè omnes. Addit Remenſis, atque idipſum repetit in tribus ſequentibus Conciliis, facta fuiſſe tempore Liberij Præfecti, quod verum eſt. Præfecturam enim per eos annos pro Theodorico Italiæ rege, ac deinceps pro Athalarico, egit Arelate, & in vicinis Prouinciæ locis, quæ Italiæ regibus hoc tempore parebant.

Montanus Epiſcopus.] Huius nomen & ſubſcriptio adiecta ſunt ex codice Lugdun. & Arelat. in reliquis non erant.

CAPITVLA S. AVGVSTINI DE MANICHÆIS.

IN codice Eccleſiæ Lugdunenſis, qui Pag.209. hæc Capitula nobis ſuppeditauit, ſubiiciuntur Concilio Carpentoratenſi: ſed Conſulum ordo exigit, vt antecedant. Olybrius enim anno Chriſti DXXVI. Conſulatum geſſit, Mauortius anno ſequenti. His porrò ſimillima ſunt, niſi quòd pauciora, quæ apud S. Auguſtinum Tomo X. in Appendice leguntur ſub hoc titulo, *Commonitorium B. Auguſtini ad Eccleſiam, ſub qua cautela Manichæi, ſi conuerſi fuerint, ſuſcipi debeant.*

CONC. CARPENTORATENSE.

ANNO CHRISTI DXXVII.] Hunc an- Pag.212. num docuit Mauortij Conſulatus, quem in Cæſarij Epiſcopi ſubſcriptione nobis exhibuit vnicus, ſed longè optimus, codex Eccleſiæ Lugdunenſis, cui & diei quoque ac menſis notam debemus, quæ in reliquis exemplaribus mutila erat.

Reparationibus Eccleſiarum.] Lugdun. idem, & Anit. *Baſilicarum.*

Vel ſartis tectis.] Vulgati *architectis.* Lugdun. *ſarchitectis.* Remenſis *ſarthitictis.* facilis fuit coniectura *ſartis tectis.*

Vel de miniſterio, clerici &c. habeant.] Ita disertè libri quatuor, quibus hoc loco vſi ſumus Lugdun. Anit. Remenſis, & Bellouac. Nec tamen aliena lectio vulgata, quæ ad Epiſcopum hæc referebat: *Vt nihil de facultatula, vel de miniſteriis clericorum loci ipſius, licentiam habeat minuendi.*

Eorum quibus tua.] Remenſis & vulgati Pag.213. *eorum cuſtodia.* Sed cùm in Remenſi eodem, atque in Bellouacenſi, (Lugdunenſis enim hanc epiſtolam non habet) *ſubſcripſerat* legeretur, pro *cuſtodia* ſcriptum coniecimus, *quibus tua.* De canonibus quippe agi videtur Concilij IV. Arelatenſis, quibus Agrœcius per Cataphronium vicarium ſubſcripſerat.

Anno Miſſas facere non præſumat.] Hanc pœnam ſtatuerat canon III. Arelatenſis in eos, qui contra ſtatuta canonum quempiam ordinaret. Quare eò ſpectare Agrœcij cauſam veriſimile eſt, vt dixi.

FELICIS IV. EPISTOLA AD CÆSARIVM.

P. C. MAVORTII V. C.] Vulgati, P. C. Pag.214.

M. SEV. BOETII V. C. Quæ falſa ſubſcriptio ſuſpenſos dudum habuit viros doctus, cùm Felicis III. temporibus, cui hæc epiſtola propter Boëtij Conſulatum tribuebatur, Cæſarij, qui Epiſcopus nondum erat, congruere nomen non poſſe intelligerent, & contrà cum Felice IV. cui congrueret Cæſarij Epiſcoparus, Boëtij Conſulatum minimè conuenire. Nunc verò, reſtituta ex codice Arelatenſi vera lectione, diſcuſſæ ſunt ambages, & reddita auctori ſuo epiſtola, id eſt Felici IV. cuius annus II. in eum incidit, qui fuit poſt Conſulatum Mauortij, id eſt in annum Chriſti DXXVII. quo Cæſarius annum agebat in Epiſcopatu ſuo XXV.

CONC. ARAVSICANVM II.

Pag.215. ANNO CHRISTI DXXIX.] Non eſt dubium, quin is ſit annus, quem Decij iunioris Cōſulatus deſignat, qui in Cæſarij ſubſcriptione adnotatur. Intererat autem Concilium iſtud, quod Leonis olim Papæ temporibus adſcrebatur, ad hæc potiùs tempora differri, propter multos doctrina & pietate præſtantes viros, qui ſpatio interiecto fauere in Gallia viſi ſunt Semipelagianis, quorum placita in hac demum Synodo, quam ſedis Apoſtolicæ auctoritas comprobauit, penitus exploſa ac reiecta ſunt. Simplex eius in cod. Lugdunenſi eſt inſcriptio: *Conſtitutio Epiſcoporum in ciuitate Arauſicana, de gratia & libero arbitrio.*

Can.16. *Renatis ac ſanctis.*] Ita & Foſſatenſis. In Lugdunenſi verò, & Remenſi, ſcriptum eſt, *renatis ac ſanatis.*

Can.19. *Arbitrium voluntatis.*] Tilianus, Foſſat. & alij, *arbitrium libertatis.* in Lugdun. *voluntatis.*

Can.21. *Sic eos qui per gratiam.*] Totum hoc membrum, vſque ad *mortuus eſt*, aberat à vulgatis. exſtat autem in omnibus antiquis, vt in Lugdun. Remenſi, Foſſat. Tiliano, Bellouac. & aliis.

Pag.221. *Accepta per baptiſmum gratia.*] Lugdun. *poſt acceptam baptiſmi gratiam.*

Sed diuina largitatis donum.] Lugdun. *ſed gratia largitate donata.* Remenſis & Bellouac. *ſed de diuinæ largitatis dono.*

Definitionem antiquorum patrum, noſtrámque, quæ.] Lugdun. *definitionem noſtram, quæ.*

ITEM EVCHERIVS.] Hunc inſeruimus ex codice Lugdunenſi. Principium verò, ex Lugdun. & Remenſi.

Pag.222. PETRVS MARCEL. FELIX LIBERIVS.] Quatuor hæc vnius Liberij ſunt nomina, quæ malè in vulgatis diuellebantur. Reſtitutus eſt locus ex cod. Lugdunenſi & Remenſi: ſed Namatium, qui poſtremo loco ſubſcribit, ſolus habuit Lugdunenſis.

CÆSARIO BONIFACIVS.] Tertium epiſtolæ huius exemplum vidimus in codice Tiliano Engoliſmenſi: meminitque eiuſdem Cyprianus diaconus in vita S. Cæſarij lib. 1. ſub finem. Pag.223.

Quas ad nos ſub ea.] Quædam hoc loco deprauata erant in antiquis exemplaribus, ex quorum veſtigiis hæc erui videbantur: *quas ad nos, vt apparet, in huius aditu ſacerdotij mihi commiſi, ſub ea* &c.

LAMPADIO ET ORESTE CONSS.] Non potuit his Conſulibus Ianuario menſe ſcribere Bonifacius, qui iuxta Anaſtaſium menſe tantum Octobri eodem anno creatus eſt Pontifex. Quare mendum irrepſit, & legendum forraſſe, P.C. Lampadij & Oreſtis, qui fuit annus Chriſti DXXXI. Pag.224

CONCIL. VASENSE II.

ANNO CHRISTI DXXIX.] Eodem anno quo Arauſicanum. Verùm Arauſicana Epiſcoporum collatio fortuita fuerat, cùm ad Baſilicæ dedicationem conueniſſent: Vaſenſis verò Synodus legitima, ac ſuperiore anno denuntiata in Carpentoratenſi. Vnde falluntur, qui ad alium annum Synodum hanc referunt, aut qui alibi, quàm hoc anno, Decium iuniorem Conſulem quærunt. qui iunior dictus eſt Decij alterius comparatione, qui ante annos XLIII. Conſul in Occidente fuerat, cùm Longinus eſſet in Oriente. Præter hos enim, Decius in Faſtis antiquis toto illo ſæculo nullus memoratur. Pag.225.

CÆSARIVS EPISCOPVS.] Subſcriptiones integræ ſunt ex Lugdunenſi, niſi quòd Heraclius, quem ſeptimo loco ſtatuimus ex Remenſi, penultimus eſt in Lugdunenſi ante Vindemialem. Nam Aquitanus, qui poſtremo loco in vulgatis legitur, exſtátque etiam in Remenſi ac Bellouacenſi, non eſt in Lugdunenſi, neque in Corbeienſi. Pag.227.

CONC. AVRELIANENSE II.

Huius Synodi paucæ in Bibliothecis vetera ſunt exemplaria. In Bellouacenſi autem, quo vſi ſumus, idem qui in vulgatis proditur Childeberti regis annus Pag.228.

XXII. in ſubſcriptionibus Epiſcoporum. Qui numerus adiectus ad DXI. quo anno vita functum Clodoueum eius patrem ſupra monuimus, Chriſti annum reddit DXXXIII. Hoc itaque anno celebratam Synodum arbitramur.

Pag.231. HONORATVS EPISCOPVS.] In vulgatis præter Honoratum, qui primo loco ſubſcribit, reliqui deinceps, quemadmodum in Aurelianenſi primo dictum eſt, diſpoſiti fuerant ordine alphabetico. Nos eam ſeriem expreſſimus qua digeſti ſunt in codice Bellouacenſi, adiectis ex Suriana editione nominibus ciuitatum, quæ in illo codice non ſunt.

Flauius Epiſcopus Rotomagenſis.] Qui ſubſcribit etiam in Concilio III. Aurelianenſi. ſed pro Flauio Elaſius hic legitur in codice Bellouac. *Elaſius Epiſcopus ſubſcripſi.*

Pag.232. *Pro Adelſio Rauracenſi.*] Idem error qui ſuprà in Concilio I. Aurelianenſi. vbi cùm Adelſius hic Epiſcopus Eccleſiæ Ratiaticæ diceretur, fuerunt qui mutarent in Rauracenſis. Legendum ergo, *pro Adelſio Ratiatenſi*, id eſt Pictauenſi, vt dictum eſt.

CAVSA CONTVMELIOSI EPISCOPI.

Pag.233. QVÆ de hac cauſa ſubiiciuntur, non omnia ex vno, ſed ex diuerſis codicibus deprompta ſunt: ex Corbeienſi nimitum, Pithœanis duobus, Lirinenſi, & aliis, ſed potiſſimum ex Remenſi, qui plura ceteris continebat.

Pag.234. DE SYNODO IVSTIANENSI.] Sic appellat, vt antè monui, Concilium primum Arauſicanum à loco vbi celebratum eſt.

ECCE MANIFESTISSIME.] Citatur initium huius Tractatus à Gratiano D. L. cap.25. *Si quis diaconus.* & perperam tribuitur Hormiſdæ. cuiuſnam verò ſit auctoris veteres libri non indicant. Cæſarij fortaſſe non immeritò videri poſſit.

Pag.235. *De quibus & Fauſtus Epiſcopus ſanctus.*] Cod. Corbeienſis: *de quibus & domnus Fauſtus in epiſtola.* Pithœanus alter: *de quibus & ſanctus Fauſtus in epiſtola.* Floriacenſis: *de quibus & ſanctus Fauſtus Epiſcopus in epiſtola.*

Pag.236. *Hoc ideo dico.*] Hucuſque codex Corbeienſis, & Pithœani ambo: cetera ex vnico ſunt Remenſi.

Pag.238. PERVENIT AD NOS.] Huius epiſtolæ in codice Lirinenſi huiuſmodi eſt inſcriptio: *Præceptum Ioannis Papæ ad presbyteros, diaconos, & cunctum clerum Regenſis Eccleſiæ.* Quo indicio didicimus, quo in loco Epiſcopus fuerit Contumelioſus.

CONCIL. ARVERNENSE.

ANNO CHRISTI DXXXV.] Is enim eſt Pag.242. annus poſt Cônſulatum Paulini iunioris, qui proximo antè anno Conſul fuerat, iuniórque in Faſtis nuncupatur propter Paulinum alterum, qui Conſulatum multo antè geſſerat anno CCCCXCVIII. Hoc igitur anno, quo habita eſt Synodus, Conſulem habuit Oriens Beliſarium: at in Occidente quia nullus eſt renuntiatus, annum appellabant poſt Conſulatum Paulini iunioris. Congruit præterea hic annus regno Theodeberti regis, quo annuente Synodus conuocata eſt: quia Theodoricus eius pater ſuperiore anno viuere deſierat. quod tum ex verbis Caſſiodori patet epiſtola 1. lib.XI. tum ex eo quòd eùm annos tres & viginti regnaſſe Theodoricus dicatur, in annum Chriſti DXXXIV. iuxta æram noſtram incidiſſe illius obitum neceſſe eſt, quia poſt mortem Clodouei regnum iniit anno DXI.

Non votis quærat.] Lugdunenſis, *non Can.2. præmiis quærat.* & paulò pòſt, vbi Lugdunenſis idem, Corbeienſis, Pithœanus, aliique habent, *eminentiſſimæ dignitatis*, ſicut edidimus, Tilianus, Foſſatenſis, & alij nonnulli, *emendatiſſimæ* legunt, vt vulgati.

Defunctorum corpora.] Plerique *corpuſ- Can.3. cula*, vt Lugdun. Pithœanus, Foſſatenſis, & alij.

Suiſque admodum non contents.] Ita Pi- Can.10. thœanus, Corbeienſis, Foſſat. & alij. Lugdunenſis tamen *ſuis quodammodo*, vt vulgati.

Aut ſacerdotum prorogare.] Ex Cor- Can.11. beienſi, Pithœano, & Lugdun. quomodo & alibi ſæpè, & mox canone XIII. Sed Foſſat. Tilianus, & alij, *ad ſacerdotium prouocare*, vt Suriana editio.

Ad ſac. electi miniſterium.] Corbeienſis, Can.15. Pithœan. & Foſſat. *myſterium.* & paulò pòſt, pro *feciſſe cognoſcitur*, Lugdun. *cognoſcitur perpetraſſe.*

Fugiatur his extranearum.] Lugdun. *fu- Can.16. giatur ab omnibus clericis extran.* & mox Tilianus ac Foſſat. *cum matre, ſorore*, auiâ omiſsâ.

DOMITIANVS ECCL. COLONIENSIS] Pag.245. Foſſat. & Tilianus: *Domitianus Epiſcopus de Colonia.* vt in reliquis, de Gabalitano,

de Remis, Treueris, Viuario, Vereduno. Pithœanus autem, *Domitianus Epiſcopus Eccleſiæ Tungrorum.*

Hesperivs.] Ita Corbeien. & Foſſat. Pithœanus *Sperius*, vt apud Paulum diaconum in libello de Epiſcopis Metenſibus.

Epistola ad Theodobertvm.] Exſtat eadem præterea in codice Tiliano, præponitúrque tum in illo, tum in altero Foſſatenſi, actis Concilij Aruernenſis.

CONC. AVRELIANENSE III.

Pag.247. Anno Christi dxxxviii.] Reſtituta Conſulatus nota, quæ hactenus corrupta legebatur, certùm annum Concilio definiuit. Quartus enim annus poſt Conſulatum Paulini iunioris annus eſt Chriſti dxxxviii. Nam Conſules in Occidente poſt Paulinum, propter Italiæ bella, nulli adhuc fuerant. Ideóque hos annos poſt Conſulatum, & iterum, tertiò, quartò poſt Conſulatum Paulini nuncupabant. Cum hoc autem Chriſti anno congruit annus xxvii. Childeberti regis, initio ab obitu Clodouei patris ducto, id eſt ab anno Chriſti dxi. vt dictum eſt.

Can.1. *In hac vilitate permixtionis.*] Lugdun. & Collectio S. Benigni, *in hac vilitatis præſumptione viu.*

Can.3. *Metropol. à Metropolitanis.*] Pithœanus & Lugdunenſis, vt vulgati, *à Metropolitano.*

Can.4. *In quibus communitionibus.*] Legendum *communicationibus*, vt in Pithœano & vulgatis. pro quo Lugdun. *communitionibus.* Remenſis *communionibus*, Collectio S. Benigni *commonitionibus.*

Can.6. *Qui tamen ſi peric.*] Ita Lugdun. & Collectiones antiquæ. at Pithœanus & Remenſis, vt vulgati: *Qui ſi infirmitatem deciderint, his viaticum non negetur.*

Can.8. *Biennij tempore excom.*] Lugdun. & Pithœanus, *biennij temporis.* Remenſis, *biennij tempore à communione pellatur.*

Can.18. *Si de eo quod.*] Lugdun. Corb. Rem. Pithœanus, *ſi de id quod.* quomodo & alibi ſæpe.

Can.22. *Reddat indemnem.*] Poſt hæc verba in Lugdunenſi ad oram adiectum olim fuerat: *Si autem in ſua pertinacia manſerit, anathematizatus ab omni Chriſtianorum Eccleſia ſit ſeparatus. Similis etiam* &c. quæ quidem in aliis exemplaribus non ſunt.

Can.23. *Vel ſacro miniſterio, alienare.*] Lugdun. & Tilianus, & Collectio S. Benigni, voce iniecta, *vel ſacro miniſterio deputatis.* Sed hanc vocem ceteri codices non agnoſcunt, & minimè eſt neceſſaria. ſacrum enim miniſterium ſacra vaſa intelliguntur.

Vt publici qui ad pop.] Ita disertè in Lugdun. Pithœano, & Corbeienſi: nec diſcrepant Remenſis & Bellouac. niſi quòd habent *ad popularis penſa*, vel *penſam obſeruant.* Can.27.

Id eſt arato, vinea.] Ex Corbeienſi, & aliis, niſi quòd *arata* legunt omnes, non *arato.* Tilianus *aratura.* Quidam habent *arata vel vinea, ſectione, ſeu ſatione, exarto vel ſæpe.* Pithœanus, *arata vel vinea, ſectione, meßione, exarto* &c. Collectio S. Benigni, *id eſt aratura, vel vinea, ſectione, excuſſione, exarto vel ſæpe.* Can.28.

Lvpvs Episcopvs.] Hîc rurſus præter Lupum deſcripti fuerant Epiſcopi omnes in vulgatis ordine alphabetico. Nos Pithœanum præcipuè codicem ſecuti ſumus, tum Remenſem & Bellouac. in quibus expreſſa erant etiam nomina ciuitatum, quæ abſunt à Lugdunenſi, & Corbeienſi. In Lugdunenſi autem, omiſſo Childeberti regis anno, Indictionis numerus adiectus eſt hoc modo: *Lupus in Chriſti nomine Epiſcopus conſenſi, & ſubſcripſi, quartò P.C. Paulini iunioris, Indictione ſecunda.* Verùm Indictio ſecunda non congruit menſi Maio huius anni, ſed prima. Quare manifeſtum eſt mendum. Pag.257.

Anno xxvii. Childeberti.] Hunc prorſus numerum exhibent Remenſis & Bellouac. qui cum æra noſtra conſentit, ducto, vt antè dictum eſt, exordio ab obitu Clodouei, cui Childebertus ſucceſſit anno dxi. Pithœi liber habet tantùm annos xxvi. In Lugdunenſi & Corbeienſi nulla Childeberti, vel annorum regni eius fit mentio.

Leo Episcopvs Childeberto.] In codice Corbeienſi, cui vni hanc epiſtolam debemus, Leonis Epiſcopi ſedes non deſignatur. ſed vt Senonenſem Epiſcopum fuiſſe intelligeremus, fecit Meledunenſis, ſiue, vt Gregorius etiam Turon. ſcribit, Mecledunenſis eius diœceſis oppidi mentio. Quo autem anno ſcripta ſit non liquet. Theodoberti regis nomen poſt annum dxxxv. ſcriptam demõſtrat. Pag.258.

Epistola Troiani Episcopi.] Hanc verò habent codices non pauci, ſed ſine nominibus ciuitatum. Itaque ex coniectúra noſtra ſuppleuimus. quæ ſi vera eſt, Troianum Epiſcopum Santonenſem, de quo ſcribit Gregorius Turon. de gloria Pag.259.

Confeſſorum cap. lix. his temporibus floruiſſe dicēdum eſt. De Eumerio enim Namnetenſi, conſtat ex ſubſcriptionibus Concilij Aurelianenſis IV.

CONC. AVRELIANENSE IV.

Pag. 160. Anno Christi dxli.] Tribus tantùm in libris nacti ſumus hoc Concilium, Remenſi nimirum, Bellouac. & minore Pithœano, qui ſolus temporis notam habuit, eámque duplicem. nam & Indictionem deſignat, & Conſulatum, diem verò & menſem non indicat. Ceterùm ante autumnum habitam fuiſſe Synodum ex eo colligimus, quòd anno Chriſti dxli. quo Conſul fuit Baſilius, quarta Indictio finem habitura erat mēſe Septembri, & quintæ futurum initium.

Can. 7. *Diſtrictio Pontificis.*] Pithœanus *diſcretio Pontificis*. atque ita citat Collectio Bonæuallis.

Can. 8. *Ad hæreſis lapſum carne.*] Pithœanus idem: *ad hæreſes lapſu carnis ſuadente deſcendant.*

Can. 9. *Ad Eccleſiam reuocetur.*] Bellou. & Collectio Bonæu. ab Eccleſia *reuocetur*.

Can. 11. *Vſque in magnam Synodum.*] Remenſis: *vſque ad aliam Synodum.*

Can. 10. *Naſcatur contentio.*] Remenſis, Bellou. & Bonæu. Collectio, *naſcatur intentio*.

Can. 18. *Debeat communicare.*] Pithœanus & Bonæu. *debeat commutare.*

Can. 27. *Poſt Synodi Aurelian.*] Remenſis & Pithœanus: *poſt Synodum Aurelianenſem ante hoc triennium conſtitutam*, id eſt anno dxxxviii.

Can 32. *Fuiſſe deputatos.*] Remenſis & Bellou. *depoſitos.*

Can 35. *Non impediat ſucceſſorem.*] Remenſis & Bello. *ſucceſſori*, quomodo & alibi ſæpius.

Pag. 168. Leontivs Episcopvs.] Subſcriptiones in codice Remenſi & Bellouac. ſunt tantùm Epiſcoporum xxiii. atque in vtroq; primus omnium ſubſcribit Aſpaſius, tertio loco Leontius, poſtremo Daniel, ceteri deſiderātur, quemadmodum in vulgatis. In Pithœano Epiſcopi per ſe ſubſcribunt xxxviii. per vicarios xii. ſed inter Epiſcopos antiquariorum culpa omiſſi duo, Gallicanus & Dalmatius, quos ex aliis codicibus ſuppleuimus. Indictionem verò, vt dixi, ſolus habuit Pithœanus idem, ſolus etiam Conſulem Baſilium, qui hoc honore vltimus omnium in Occidente functus eſt anno Chriſti dxli. Deinceps enim ſequentes annos, vt in Vigilij & Pelagij epiſtolis videre eſt, quotus quiſque eſſet poſt Conſulatum Baſilij computabant.

Enterius ciu. Antipolis.] Ita Pithœanus. In Remenſi *Enarius*, ſicut in vulgatis. in alio *Eciarius*.

CONC. AVRELIANENSE V.

Anno Christi dxlix.] Cum hoc anno congruit Indictio xiii. menſe Octobri, & annus item Childeberti regis xxxviii. iuxta æram noſtram, qui obitum Clodouei, Childebertíque initium ſtatuimus in anno dxi. Quare cùm vtraque nota in huius Concilij ſubſcriptionibus exprimatur, dubium eſſe non poteſt, quin anno Chriſti dxlix. celebratum ſit. Veteres libri poſt mortem quoque Theodeberti habitum notant, quod verum eſt. obierat nempè anno præcedenti, hoc eſt xxxvii. ab exceſſu Clodouei. tot enim ad Theodeberti mortem numerat Gregorius Turonen. libro iii. extremo.

Abſque anni conuerſione.] Remenſis & Pithœanus, *annua conuerſione*. reliqui vt edidimus. Can. 9.

Sed cum voluntate regis.] Foſſatenſis, Bellou. & Tilianus: *ſed ſicut in antiquis canonibus*, omiſſis interiectis. Can. 20.

Regulam huius ſanctæ.] Lugdunenſis, *regulam vel præceptionem huius ſanctæ conſtit. exceſſerit.* Can. 24.

Cuius dir. ordine iuris eſt abl. reſtituat.] Can. 27. Ita libri ferè omnes. at Remenſis & vulgati: *cuius dir. ordine res eſt ablata reſtituatur.*

Quacumque tranſactione.] Remenſis: *quacumque occaſione*. reliqui ferè omnes, *quacumque tranſactione*.

Sequeſtratione ſanauerint.] Tilianus: *ſequeſtratione & pœnitentia ſanauerint.* Can. 29.

Fideli & diligenti perſona.] Lugdunenſis: *fidelis & diligens perſona, quæ neceſſaria ſunt prouideat, & comp. eis victus.*

Svbscriptiones.] Deſcriptæ ſunt ex cod. Corbeienſi, & ex Lugdunenſi, in quibus integræ exſtabant, cùm in ceteris mutilæ eſſent, & minùs caſtigatæ. In Lugdunenſi porrò, atque in Pithœano breuiore, contra quàm in aliis, primum locum obtinet Aurelianus Epiſcopus, tum Sacerdos. Pag. 284.

Anno xxxviii. Childeberti.] Ita disertè in Remenſi & Bellouacenſi: eiuſdémque numeri veſtigia, ſed mutila, retinent Tilianus & Foſſat. In quibuſdam tamen ſcriptum eſt, *anno* xxxvii. De Indictione xiii. omnes conſentiunt.

BE-

Pag.185. Bebianvs.] Ita Corbeien.& Lugdun. Quidam, *Bibianus*. Remenſis,Bellouac. & Pithœanus, *Viuianus*.

Aptonivs.] Ita Foſſaten.& Tilianus. Corbeienſis verò *Abthonius*: quô modo & in vita ms. S.Eparchij.Rem.Lugdun. Bellou.& Pithœanus, *Antonius*.

Febedtolus.] Corb. *Fidiolus*.Remen.& Bellouac. *Edebiolus*.

Alodius.] Lugdun. *Alogius*.

Medoueus.] Lugdun. *Medouitus*.

Marinus presbyter.] Quæ ſequuntur vicariorum ſubſcriptiones in Corbeienſi & Lugdunenſi reperiuntur, eràntque & in alio vetuſtiſſimo codice,cuius fit mentio in editione Suriana.

Vincentius p.d. à Leontio.] Lugdunenſis: *Vincentius presbyter ad vicem domni mei Leontij Epiſcopi*.

Agecius.] Lugdun. *Æthicius*.

Lugduno clauato.] Lugd. *Epiſcopo Lugduni cloati*. quomodo & in vetere nummo aureo, *Lugduno cloato*, pro *clauato*.

CONC. ARVERNENSE II.

Pag.189. Fidem huic Synodo, præter Gratianum, adſtruunt etiam Burchardus lib. L. cap. 186. & Iuo Parte V.cap. 302. quorum vterque canonem xiii. citat titulo Concilij Aruernenſis. De huius die vel anno nihil eſt quod affirmare liceat: veriſimile tamen, quod dixi, poſt Synodum V.Aurelianenſem celebratum mox videri ab Epiſcopis regni Theodebaldi. cuius propterea nomen adſcripſi, quemadmodum Aruernenſi primo adſcriptum fuit nomen patris eius Theodeberti,quia Aruerni in illorum regno cenſebantur.

Pag.191. *Baſilius Diniensis*.] Mendum eſt typographi. Lege *Glannatenſis*, ſicut in Concilio V. Aurelianenſi.

Pag.192. Concilivm Tvllense.] Quia Synodi quoque iſtius annus ignotus eſt, quærendum fuit tempus,quod & Theobaldo regi, & Nicetio ſimul ac Mappinio Epiſcopis congrueret.Quare in eum annum coniecimus,qui proximè ſecutus eſt Synodum V. Aurelianenſem.

Pag.194. Epistola Legatariis.] Etſi ſubſcriptio nulla eſt,tamen quo anno ſcripta ſit epiſtola ipſa prodit, quæ ſextum annum numerat ab ingreſſu Vigilij Papæ in vrbem Conſtantinopolitanam, ſecundum ex quo Anaſtaſius ab Aureliano Arelatenſi miſſus fuerat ad Vigilium. Anaſtaſium enim anno Chriſti dl. ad Vigilium pridie Idus Iulias peruenisse docuit epiſtola vii. Vigilij. Vigilium porrò Conſtantinopolim anno dxlvii. ineũte ingreſſum eſſe auctor eſt in Chronico Marcellinus. Conſequens ergo fuit, vt epiſtolam anno dlii. adſcriberemus.

CONC. ARELATENSE V.

Pag.198. Synodi huius,quam nunc primùm in lucem damus, canonem iii. ex Collectione opinor aliqua profert Gratianus 18.qu.3. *Monaſteria*. Integram enim Synodum ſi nactus fuiſſet,aliorum etiam eius canonum auctoritate vſus eſſet, vetuſtiſſimi auctoris exemplo, qui in Collectione Diuionenſi, & tertium eumdem, & alios quoque canones inſeruit, iv.v. ac vii. De hac eadem Synodo vetus Index Epiſcoporum, qui canones in Synodis ediderunt: *Canones Arelatenſes firmauerunt Epiſcopi* xix. *Sapandus Arelatenſis, Simplicius, Hilarius, cum ceteris.* Nam huic Epiſcopi ſubſcribunt numero xix. & in his illi ipſi quos nominatim deſignat.

Pag.199. Anno xliii. Childeberti.] Cadit hic annus, iuxta æram noſtram, in annũ Chriſti quem præfiximus. Nam ſi ad annum dxi. quo iniiſſe facimus Childebertum, xliii. annos adiicias, exſurgit annus dliv. Sed cum menſe Iunio eius anni non cohæret, quæ ex codice Lugdunenſi adnotata eſt,Indictio iii. ſed ii. cuius adhuc reliqui erant duo menſes, priuſquam iii. inchoaretur. Quare tertia pro ſecunda poſita hoc loco videtur, ſicut in Concilio III. Aurelianenſi, vt antè dictum eſt, Indictio ſecunda pro prima. Alioqui non ſolùm cum noſtro, ſed cum ſuo etiam calculo pugnat codex Lugdunenſis. Etenim ſi anno Chriſti dxlix. cùm celebratum eſt Concilium V.Aurelianenſe,Octobri menſe,vt idem codex habet, Indictio erat xiii.& Childeberti annus xxxviii. ſequitur vt Iunio menſe anni dliv. & Childeberti annus fuerit xliii. & Indictio ii. non iii.

Tertio Kalendas.] In manuſcripto legi potiùs videtur, *tertio decimo Kal.*

Pag 300. Childeberti regis constitvtio.] Extat in codice Corbeienſi, ſed mutila, folio ſub finem exciſo, vt quàm multa deſint coniici nequeat. Deſunt præterea quædam alia in eo loco quem aſteriſco ſignauimus quare dum integrum exemplar conſequi liceat, hac eius parte fruendum eſt.

CONC. PARISIENSE II.

Pag.301. Circa annvm Christi dlv.]Præponi debere proximæ Synodo Pariſienſi, cui poſtponi antea ſolebat, ex eo rectè iudicatum eſt, quòd hæc tum habita ſit, cùm Pariſiis poſt Saffaraci exauctorationem nondum datus eſſet nouus Epiſcopus: in altera verò ſubſcribit Germanus Epiſcopus tertius à Saffaraco, cui nempè poſt Libanium ſucceſſerat, non, quod alij tradunt, poſt Euſebium Syrum. Euſebius enim multis pòſt annis, defuncto Ragnemodo Germani ſucceſſore cathedram tenuit, vt eſt apud Gregorium Turonen. lib.x. cap.26. Priorem præterea Synodum hanc altera fuiſſe argumento eſt, quòd in hac ſubſcribat Leobinus Epiſcopus Carnotenſis, in altera Caletricus eius ſucceſſor. Ceterùm nulla hîc certa eſt nota, vnde Synodi annum deprehendere liceat. ideo coniectura vſi ſumus.

Pag.302. Svbscriptiones.]In antiquis exemplaribus, quæ vidimus, aut aberant ſubſcriptiones, aut in his ſola erant ſine ciuitatibus nomina Epiſcoporum. Ordinem ergo Epiſcoporum, reiecta ſerie alphabetica, reſtituimus ex codice Bellouacenſi: nomina ciuitatum retinuimus quæ in vulgatis erant, adiectis nonnullis, quæ ex proximis Synodis minimè dubia videbantur. Quòd verò Syagrium, qui poſtremo loco ſubſcribit, Æduorum Epiſcopum appellabant, id tamquam falſum expunximus. Syagrium enim Auguſtodunenſem Æduorum Epiſcopum longo pòſt interuallo creatum fuiſſe, cùm Germanus Pariſiorum eſſet Epiſcopus, conſtat ex Fortunato in vita S. Germani capite LXV. Quare Syagrius hîc Gratianopolitanus potiùs videtur, qui Lugdunenſi II. Concilio poſt duodecim annos per vicarium interfuit.

PELAGII PAPÆ EPISTOLÆ.

Pag.303. Qvo nunc ordine à nobis digeſtæ ſunt, hunc ipſum exhibent codices antiqui, Pithœanus & Lirinenſis, atque Arelatenſis adeo ille, vnde primùm deſcriptæ, & ad Baronium Cardinalem miſſæ in lucem prodierunt. Sed ſummo viro, vt ordinem interpolaret, fecit corrupta in antigrapho, quod acceperat, eius epiſtolæ ſubſcriptio, vbi anno XV. ſcriptum fuerat, pro anno XVI. P.C. Baſilij. quod mendum veterum eorumdem librorum ope ſuſtulimus.

CONC. PARISIENSE III.

Circa annvm Christi dlvii.] Pag.313.
Alij ad annum DLIX. referre malunt, quia Eufronium Epiſcopum Turonenſem, qui Synodo interfuit, non ante hunc annum cathedram adeptum putant. in quo ſanè falluntur. Nam cùm annus XII. Sigeberti regis, vt Concilij Pariſienſis IV. epocha docebit, congruat anno Chriſti DLXXIII. ſequitur annum Eufronij ſeptimum, qui cum ſecundo Sigeberti à Gregorio Turonen. comparatur libro 1. de Miraculis S. Martini cap.32. reſpondere anno Chriſti non DLXVI. vt illis viſum, ſed DLXIII. Eufronium proinde triennio, quàm volunt, ſedere priùs cœpiſſe, id eſt anno DLVI. Quare nihil obſtat nomen Eufronij, quo minus anno DLVII. habitam Synodum dicere liceat, tametſi quo prorſus anno ſit habita non liquet.

Itaque placuit.] Pars canonis huius ali- Can.1.
quantu interdum caſtigatior legitur in Capitularibus lib. VI. cap.322. *Placuit nobis, & ab omnibus obſeruari conuenit.* Codex Bellouac. & Pithœanus, *ac omnibus conuenit.* In Concilio II. Turonenſi, vbi canon idem repetitur, can. XXVI. *ac omnibus modis conuenit.*

Pro captu animi] In Capitular. *pro remedio animæ ſuæ.*

Quicumque ergo immemor.] Rectiùs ibi- Pag.314.
dem copulantur iſta cum ſuperioribus, tamquam connexa, & ab illis pendentia hoc modo: *delectantur ardore: quicumque immemor* &c.

Neque q. per interregna.] Ibidem, *per regna.*

Accedit etiam vt temporibus.] Quidam libri: *Accedit etiam quòd temporibus.*

Sine permiſſione b.m.d. Clodouei.] Ita codices nonnulli. Pithœanus verò & Bellouac. *ſuprà promiſſionem*, vt vulgati.

Svbscriptiones] In his ſeriem Epi- Pag.317.
ſcoporum reſtituimus ex duobus manuſcriptis: ſed in his nomina ciuitatum, præterquam in primo, expreſſa non erant: in reliquis omiſſæ omnino ſubſcriptiones.

Patervs.] Rectè coniiciunt, qui hunc eſſe putant Epiſcopum Abrincenſem, à Childeberto rege, vt eſt in eius vitæ hiſtoria, deſignatum. At ſi huic Synodo interfuit Paternus Abrincenſis, errare illos neceſſe eſt, qui hunc eumdem faciunt cum Paterno Venetenſi, quem ante annos ferè centum floruiſſe docuit Concilium Veneticum.

Clotarii regis constitvtio.] Pag.318.

Duo huius Conſtitutionis exemplaria vidimus. vnum è Monaſterio Corbeienſi, quod in editione noſtra ſecuti ſumus: alterum è Bibliotheca Tiliana, quod fuerat olim Monaſterij Corbionenſis, id eſt Bleſenſis S. Launomari.

Omnibus agentibus.] Tilianus, *omnibus Comitibus.* item paulo pòſt: *ſibi omnium populorum.* & rurſus, *quæcumque iuſta ſunt.* & infrà, *incumbēt.* item, *& inanis habeatur.*

Aut germani noſtri.] Hæc abſunt à Tiliano. Ambigi autem hoc loco iure queat, ſi ad Clotarium I. referatur Conſtitutio, quemnam auum ſuum vocet, qui clericis immunitatem conceſſerit: ſi ad Clotarium II. quemque dicat germanum.

CONC. LVGDVNENSE II.

Pag. 215. Indictione xv.] In vulgatis editionibus appoſita eſt temporis nota, *Anno* VI. *regni glorioſiſſimi Guntramni regis, Indictione* III. quam notam competere putant anno Christi DLXX. Et verò de Indictione certum eſt eo Chriſti anno tertiam fuiſſe. At Guntramni & fratrum eius annus hic erat non ſextus, ſed nonus. In Synodo enim IV. Pariſienſi annus XII. Sigeberti & fratrum eius comparatur cum Indictione VI. quæ fuit anno Chriſti DLXXXIII. Quare eoo illorum anno tertia fuit Indictio, & ſexto eorumdem anno, cum habitum dicitur hoc Concilium, Indictio fuit non III. ſed XV. anno Chriſti DLXVII. Sic ergo ex coniectura correximus, cùm exemplaribus antiquis in hac Synodo careremus.

Can. 1. *Secundo loco.*] Et canonem hunc, & alios ex hac Synodo vſurparunt Collectiones antiquæ, Andegauenſis, Diuionenſis *&c.*

CONC. TVRONENSE II.

Pag. 319. Ex iis quæ proximè dicta ſunt in Synodo Lugdunenſi, ſtatuendum eſt Clotarij filios regnare cœpiſſe anno Chriſti DLXII. Hinc autem ſequitur Concilium Turonenſe, quod vt eius ſubſcriptio teſtatur, ſexto Chariberti regis anno, mẽſe Nouembri celebratum eſt, ad annum Chriſti DLXVII. referri neceſſariò debere.

Can. 3. *Non in imaginario.*] Codex Bellouac. & Collectio Bonæuallis, omiſſis præpoſitionibus, *non imaginario ordine, ſed crucis titulo comp.*

Can. 10. *Vt ſe dum renouatur eſt. clariorem.*] Cod. Bonæuallis: *vt ſe gratiorem dum renouatur oſtendat.*

Can. 21. *Vt excepta lectio.*] Cod. Bellouac. *vt ſcarpſa lectio.* Sic & alibi Collectio Andegauenſis: *Scarpſum de epiſtola Leonis ad Ruſticum.*

Can. 22. *Cibos mortuis offerunt.*] Cod. Bellouac. *intrinitas mortuis offerunt.*

Can. 24. *De re illa aut Eccleſia.*] Idem codex: *de reicula Eccleſiæ.*

Non ſolùm excom. ſed & anathematizatus.] Bellouac. *non ſolùm excommunis, ſed etiam anathema mor.* & ſuprà idem tidem, *excommunis.*

Can. 17. *In dogmatibus Eccleſiaſticis.*] Tituli huiuſce libellum intelligit à Gennadio, vt ferunt, ſcriptum presbytero Maſſilienſi. in cuius capite XXXV. quod nunc eſt in vulgatis editionibus LXXII. eorum genera enumerãs, qui clerici ordinari non debent, vltimo demum loco, *nec illum*, ait, *qui per ambitionem ad imaginem Simonis magi pecuniam offert.*

Epistola Episcoporvm.] Nunc primùm edita ex aliquot manuſcriptis, ſed mendoſis. Pertinere autem ad Synodum Turonenſem argumento ſunt Epiſcopi, qui ſubſcribunt. Pag. 341.

Epistola S. Radegvndis.] Non video quod tempus huic epiſtolæ aptiùs congruat, quàm Concilij II. Turonenſis. Cùm enim ſcripta ſit ad Epiſcopos illos ipſos, (quod ex illorum reſcripto patet) qui Concilio Turonenſi adfuerunt, veriſimile eſt tum ad eos miſſam, cùm vnà eſſent in eo Concilio congregati. Qui hanc in longiora tempora differunt, & poſt annos XX. paulo antè obitum à S. Radegunde ſcriptam volunt, præterquam quod à Gregorio Turonen. refelluntur, qui initio inſtitutæ ab ea congregationis editam docet lib. IX. cap. 39. hoc etiam non animaduertunt, Eufronium Epiſcopum, vt de ceteris qui vnà reſcribunt nihil dicam, ea tempora non attigiſſe, totóque amplius decennio S. Radegundis obitum præuertiſſe. Pag. 345.

Sub qua S. Cæſaria degit.] Soror S. Cæſarij, at certè iunior altera, ſi *degit* legas. Duæ ſiquidem eiuſdem nominis & muneris Cæſariæ fuerunt. Vna S. Cæſarij germana, quam Cæſarius frater condito à ſe Monaſterio abbatiſſam præfecit, eique Regulam, ſub qua cum ſuis viueret, inſtituit. Poſterior altera, quæ priori, ſuperſtite adhuc Cæſario defunctæ, in abbatiſſæ munere ſucceſſit, vt auctor eſt Cyprianus in vita S. Cæſarij, quam Cæſariæ huius rogatu compoſuit. Ab hac eadem Radegundis Regulam Cæſarij, quam Monaſterio ſuo traderet, expetiit.

CONC. PARISIENSE IV.

Pag.350. Id ipſum videtur, cuius à Gregorio Turonen. lib.IV.cap.XLI. fit mentio his verbis: *Cùm autem*, inquit, *contentio inter Guntramnum & Sigebertum reges verteretur, Guntramnus rex apud Pariſios omnes Epiſcopos regni ſui congregat, vt inter vtroſque quid veritas haberet edicerent*, &c.

III. IDVS SEPTEMBRIS IND. VI.] Anno Chriſti DLXXIII. Indictionum olim apud Romanos, & apud Gallos, diuerſum fuit exordium. Romani enim cum reliqua Italia, ſicut & Græci, nouas Indictiones inchoabant à Calendis Septembris, quod in Gregorij magni, Ioannis VIII. & Gregorij VII. epiſtolis obſeruare eſt. Verbi gratia, Gregorij VII. epiſtola XIX.lib.I. Rodulfo Duci Sueuiæ data dicitur *Capuæ Kalendis Septembris, Indictione incipiente* XII. & apud Paulum diaconum de geſtis Longobardorum capite XXV. *Alboinus Italiam ingreſſus Indictione ingrediente* III. *tertio Nonas Septembris.* Galli verò priſcam & veram, vt fama eſt, Indictionum originem retinentes, earum exordium ducebant ex die VIII. Kalendas Octobris. Vnde in Capitularibus Caroli Calui coronatus is dicitur Metis in regno Lotharij V. Idus Septembris, anno Chriſti DCCCLXIX. Indictione II. nondum mutata ſcilicet Indictione, quæ alioqui numeranda erat III. ſi ex Kalendis Septembris Romano more fuiſſet inchoata. Eodémque modo Ludouici Balbi exſtat diploma pro Hugone Abbate S. Martini, Trecis datum anno DCCCLXXVIII. Nonis Septembris, Indictione XI. non XII. Sic igitur & hoc loco, Indictio VI. quæ Idus Septembres antecedit, more Gallico intelligenda eſt, non noua, ſed cuius pauci adhuc reſtabant dies, vſque ad VIII. Kalendas Octobris, anno Chriſti DLXXIII. Alioqui ſi ad methodum Romanam examinetur Indictio, congruet ſextæ initium anno DLXXII. Verùm hic regum annus erit non XII. vt eſt in Synodi ſubſcriptione, ſed XI.

Pag.351. ANNO XII. REGVM NOSTRORVM.] Clotarij regis filiorum, Gũtramni, Chilperici, & Sigeberti, Chariberto fratrum maximo iam defuncto. Horum regni annum XII. cõgruere anno Chriſti DLXXIII. ex Indictionis VI. nota proximè oſtenſum eſt. Idem ex Sigiberti quoque regis annis conficitur, quem Gregorius Turon. lib.IV. extremo ſcribit obiiſſe anno regni XIV. eiúſque ſucceſſorem Childebertum filium die Natalis coronatum tradit lib.V. cap.I. Chriſti autem annum hunc fuiſſe DLXXV. ex aliis eiuſdem Gregorij locis liquidò comprobatur: tum quod cap.XVI. eiuſdem libri, anno Childeberti ſecundo Paſcha narrat die XIV. Kalendas Maias celebratum, quod ſine dubio congruit anno DLXXVII. tum quòd libro VI. cap.XXV. idem auctor eſt, anno Childeberti octauo, pridie Kalendas Februarias diem incidiſſe Dominicum, quod perinde congruit anno DXXCIII. Quare ſi, vt ex his patet, anno Chriſti DLXXV. regum iſtorum decimus quartus labebatur, reliquum eſt vt duodecimum eorum annum anno DLXXIII. competere, regníque eorum exordium ex anno DLXII. cœpiſſe ſtatuamus, vt dictum eſt.

Tenor ſuggeſtionis.] In vetere libro ſcri- Pag.353.
ptum *ſuggeſtionis*, atque ita etiam in epiſtola Synodi Aruernicæ ad Theodobertum regem: *Deo placente ſuggeſtione conſulimus.* & in Concilio V. Aurelianenſi capite VII. *plurimorum ſuggeſtione comperimus.*

EPISTOLA S. GERMANI AD BRV- Pag.355.
NICHILDEM.] Scriptam coniicimus quo tempore Sigebertus bellum aduerſus Chilpericum fratrem comparabat, de quo Gregorius Turon. poſt Synodi ſuperioris mentionem agit lib.IV. cap.XLIV.

CONC. IN CAVSA PRÆTEXTATI.] Pag.357.
Anno II. Childeberti celebratum fuiſſe auctor eſt idem Gregorius libro IV. capite XLIV. proinde Chriſti anno DLXXVII. adſcripſimus, quia Childeberti anni exſurgũt, vt dictum eſt, ex fine anni DLXXV. Vernò tempore habitum & alia indicant, & Gregorius ipſe, qui Synodi huius narrationem penè coniungit cum mentione Paſchatis, de quo fuit illo anno controuerſia. Sed cùm Epiſcopos adfuiſſe dicat quinque & quadraginta, tres duntaxat nominantur, in quibus Ragnemodus Pariſienſis, qui S. Germano ſuperiore anno ſucceſſerat.

CONC. AVTISIODORENSE.

SVB ANNVM CHRISTI DLXXXVIII.] Pag.361.
In Synodo Autiſiodorenſi nihil eſt quod tempus denotet, præter nomen Aunacharij Epiſcopi qui præfuit. Nos, quia veriſimile videbatur ſub initia epiſcopatus habitam fuiſſe, ſatius duximus paulo poſt Concilium IV. Pariſienſe, cui interfuerat, collocare, quàm ad annum

Chriſti DXC. quod nonnullis placuit, reiicere. Abſurdiùs autem illi faciunt, qui anno DCXIV. collocant, cùm exploratum ſit Aunacharium vitam ad ea vſque tempora non produxiſſe.

Can.1. *Vetula aut ceruolo facere.*] Quidam libri *vecola*, alij *vacola*, aut *vecolo*, legũt. Lectio noſtra auctorem habet S. Eligium in Sermone ad omnem plebem: *Nemo in Kalendis Ianuariis nefanda & ridiculoſa, vetulas aut ceruolos, vel iocticos faciat.* Extat hic Sermo in Appendice Tomi IX. operum S. Auguſtini Tract. XX. ſine nomine auctoris: teuera autem eſt S. Eligij Epiſcopi Nouiomenſis veterum exemplarium conſenſu, & Audoëni teſtimonio in vita S. Eligij. Hanc eandem lectionem confirmat, ſimúlque quid ſit vetula aut ceruolo facere docet vetus Pœnitentiale in codice Andegauenſi: *Si quis*, inquit, *in Kalendis Ianuariis in ceruulo & in vetula vadet, tribus annis pœniteat, quia hoc dæmonum eſt.* Vtrobique porrò *vetula* priſco more ſcriptum pro *vitula*.

Can.3. *Ad arbores ſacriuos.*] S. Eligius in eodem Sermone: *Arbores, quas ſacriuos vocant, ſuccidite: pedum ſimilitudines, quas per biuios ponunt, fieri vetate, & vbi inueneritis igne cremate.*

Can.4. *Non ad caragios.*] Vulgati *characteres.* ſed *caragios*, habent omnes antiqui, Tilianus, Bellouac. ac Pithœanus. Item & S. Eligius: *Non caragios promittentes quæ explere non valent, non diuinos, non ſortilegos*, &c. *conſulere præſumatis.* & S. Auguſtinus Sermone CCXLI. de Tempore.

Archiſubdiaconum.] Pithœanus: *Subarchidiaconum.*

CONC. MATISCONENSE I.

Pag.370. ANNO CHRISTI DXXCI.] Editionis Venetæ auctores Concilium hoc anno DLXXVI. habitum notarunt: quia nimirum huic anno congruere putabant annum Guntramni XII. quem in fine Synodi adſcriptũ legerant. In editione Colonienſi collocatum eſt in anno DXXCII. atque hunc annum Guntramni fuiſſe volunt decimum octauum. Ceterùm Indictio XV. de qua libri omnes conſentiunt, vtroſque refellit, mẽſe Nouembri deſignans annum Chriſti DXXCI. Quare hoc anno celebratum fuiſſe ſtatuendum eſt. Verùm is annus ab obitu Clotarij tantum erat XX. Legendum igitur anno regum XX. pro eo quod in vulgatis ſcriptum fuerat XII. & in codice Bellouac. anno XXII.

Cum ex euocatione.] Cod. Lugdun. *Cùm ad iniunctionem glor. domni regis.* expuncto nomine Guntramni.

Can.2. *Nec extra ſalutatorium.*] Ita Lugdun. At Bellouac. Collectio Andegauen. & Diuionen. vt vulgati: *nec intra ſalutatorium, aut oratorium ingredi.* Item paulo ſuperiùs Collectio Andegau. *propter vtilitatem* legit, reliqui *præter.*

Can.5. *Modico pane.*] Lugdun. *modici panis vſu.* Bellouac. *modici panis portiuncula.*

Can.8. *Presbyterorum vel Archidiaconi.*] Bellou. *presbyterorum cum Archidiacono.* apud Gratianum: *cum Archidiaconi præſ.*

Can.10. *Clerici Epiſcopo ſuo.*] Ita Lugdun. At Bellouac. & Collectio Diuion. *clerici ita Epiſcopo ſuo obedientiæ deuot. ſubiac. vt non alibi*, ſicut in vulgatis.

Can.11. *Sacro electi miniſterio.*] Lugdunenſis, *ad ſacrum electi miniſterium.* & infrà, *qui feciſſe cognoſcitur*, idem Lugdunenſis, *quiſquis facere præſumpſerit.*

Can.12. *Præclara decore ætatis.*] Lugdunenſis, *præclari decoris ætate.*

Can.16. *Illud etiam ſpecialiter.*] Hoc membrum adiectum eſt ex codice Lugdunẽſi, agnoſcitúrque ab Agobardo, De Iudaicis ſuperſtitionibus pag. 69. Porrò in eodem codice diſtinguitur à ſuperioribus, & numeratur canon XVII. atque ita in vniuerſum ſunt canones XX. quot nimirum in hac Synodo conditos fuiſſe teſtis eſt Ado Viennenſis in Chronico.

Can.17. *Multi peccatis inuoluti.*] Lugdun. & Bellouac. *multi pro peccatis eſſe d.*

Can.18. *Aut principi, aut iudicibus.*] Ita Lugdun. In Bellouac. *apud principes aut iudices.* Appendix ad finem, *donec malum* &c. addita ex cod. Lugdunenſi.

REMEDIVS BITVRICÆ.] Ita Lugdun. & Bellouac. Agobardus etiam pag. 68. & Concilium Meldenſe can. 73. At Gregorius Turon. lib. VI. cap. 39. Ado in Chronico, & quidam libri hoc loco, Remigium vocant. Cognata quippe ſunt nomina, & alterum pro altero ſæpiſſimè vſurpatur. Quin & Remenſis ipſe Remigius interdum Remedius à quibuſdam appellatur, vt à Fredegario in Appendice ad Gregorium.

Aunacharius Eccleſ. Autiſiodorenſis.] In cod. Bellouac. *Eccleſia Autricæ*, quod idem eſt.

Heſychius Gratianop.] Cod. Lugdun. *Eſychius.* Bellouac. *Tyſicius.* vulgati *Eſitius.* eadémque varietas in aliis Conciliis, quibus interfuit.

ANNO XXI. REGNI.] Cod. Bellouac.

anno XXII. *regni*. vulgati autem, *anno* XII. legendum opinor, *anno* XX.

Pag.375. EPISTOLA PELAGII AVNARIO.] Caſtiganda inſcriptio, vt legatur *Pelagij Papæ* II. *Epiſtola*. Autiſiodorenſis Epiſcopi verum & antiquum nomen Aunacharius. pro quo interdum *Aunaharius*, & *Aunaarius*, & *Aunarius*, vt hoc loco, ſicut ex Chlotachario factum Clotarius.

CONC. LVGDVNENSE III.

Pag.377. ANNO CHRISTI DXXCIII.] Meminit Gregorius Turon. lib. VI. cap. I. Synodi apud Lugdunum conuocatæ anno ſexto Childeberti regis, hoc eſt anno Chriſti DXXCI. Verùm is annus erat Guntramni tantum XX. huius verò noſtræ inſcriptio annum denotat XXII. Sic enim habet, *Synodus habita in ciuitate Lugdunenſi anno* XXII. *regni glorioſiſſimi domni Guntramni regis*. Annus autem Guntramni XXII. iuxta æram noſtram congruit anno Chriſti DXXCIII. At qui Clotarij obitum ſeriùs conſtituunt, Concilium hoc reiiciunt in annum DXXCVI. alij in annum ſubſequentem.

Can.2. *Id etiam de epiſtolis*.] Locus eſt mendoſus, cui veterum exemplarium inopia mederi non licuit.

Can.6. *Placuit etiam vniuerſo Concilio*.] Citatur hic canon in antiquis Collectionibus Andegauenſi & Diuionenſi, Titulo *De viduis, pupillis, & pauperibus*.

CONC. VALENTINVM II.

Pag.379. ANNO CHRISTI DXXCIV.] Huic prorſus anno congruit menſis Iunius Indictione II. quam Synodi præfert inſcriptio. Cæterùm hic annus Guntramni, regis iuxta æram Gregorij & noſtram, fuit tantùm XXIII. Quare ita potiùs ſcriptum videtur, quàm XXIV. vt eſt in vulgata inſcriptione. Alij contrà mendum eſſe coniiciunt non in annis Guntramni, ſed in nota Indictionis, eámq; VII. fuiſſe volunt, non II. & quia Guntramni annum XXIV. congruere putant cum anno Chriſti DXXCIX. in eum annum Synodum Valentinam coniiciunt.

X. Kalendas Iunij.] Legendum *Iulij*. & mox pro anno XXIII. vulgati habent anno XXIV. vt dixi.

Sapaudus Arelatenſis.] Sapaudum & Euantium Epiſcopos, qui hoc loco ſubſcribunt, anno XI. Childeberti, hoc eſt anno Chriſti DXXCVI. diem obiiſſe notat Gregorius Turon. lib. VIII. cap. 39. Aberrant ergo, qui Synodum hanc triennio pòſt habitam decernunt, vt dictum eſt.

VERANI EPISC. CABELLICÆ.] Satis apparet hanc ſententiam in Synodo aliqua dictam à Verano Epiſcopo. Sed cuius ſedis fuerit Epiſcopus, codex S. Germani, vnde excerpta eſt, non exprimit. Cùm hoc loco explendæ paginæ gratia intexeretur, veniebat in mentem Veranus Cabellicenſis Epiſcopus, qui proximæ Synodo Matiſconenſi II. ſubſcribit. Nunc verò aptiùs tribui poſſe videtur Verano Lugdunenſi, ad quem extant Hilari Papæ epiſtolæ, ab eóque tum dicta, cùm in Synodo prouinciales ſuos affaretur. Pag.380.

CONC. MATISCONENSE II.

ANNO CHRISTI DXXCV.] Annum regis teſtatur vulgata Inſcriptio, quæ cum verbis Synodi perperam antea copulabatur, extat autem & in codice Bellouacenſi: *Synodus habita in ciuitate Matiſconenſi anno* XXIV. *regni glorioſiſſimi Guntramni regis*: eumdémque Guntramni annum, ac diem quoque Synodo indictam X. Kalendas Nouembres, habet Gregorius Turon. lib. VIII. cap. I. & 7. Synodi verò acta quædam exponit cap. 20. Nec dubium, quin Gregorij calculo & noſtro Chriſti annus is fuerit DXXCV. vel argumento, quod iam ſuprà obſeruauimus, diei Dominicæ, quæ biennio antè, vt Gregorius idem narrat lib. VI. cap. 21. pridie Kalendas Februarias incidens annum arguebat DXXCIII. Quare falli eos neceſſe eſt, qui Synodum hanc in annum DXXCVIII. vel inſequentem reiiciunt. Pag.381.

Clotarij iunioris anno II.] Chilperici regis filij, qui defuncto patri ſuperiore anno ſucceſſerat. Quare aut primus deſinens Clotarij annus hic erat, aut ſecundus inchoans.

Obnoxietatem.] Legendum *obnoxiationem*, vt vulgati. Ita enim & cod. Bellou. & Collectio Diuionenſis. Can.2.

Relicto fratrum cœtu à mand.] Bellouac. *relatu fratrum à mand*. Item paulò poſt, *altaris oblatio*, Bellouac. & Diuionen. *aris ablatio*. Item, *& cùm Abel vel ceteris iuſtè offer. promereantur*. Bellouac. & Diuionen. *& Abel vel ceter. iuſtis offer. mereantur*. & mox: *omnis autem* &c. *contendat, anath. percellatur*. Can.4.

Si aliquid contentionis.] Bellou. *ſi aliquas intentiones*. & paulò poſt, *actiones extricet*. Bellou. *actiones exerceat*. Can.9.

Can.11. *Per puram hoſpitalitatem.*] Bellouac. *per ipſam hoſpitalitatem.*

Can.12. *Non conquaſſentur.*] Diuion. *non quaſſentur,* Andegau. *non cauſentur.*

Can.15. *Si quis ſæcularium quempiam.*] Bellou. *ſi quis ſæcularium honoratorum in itinere obuiam habuerit aliquem Eccleſiaſticorum graduum vſque ad* &c.

Legum decreta.] Bellouac. *legum auctoritatem.*

Pag.389. Svbscriptiones.] In ordinem alphabeticum de more digeſtæ fuerant in vulgatis, & quinque Epiſcopi prætermiſſi, quos ex codice Bellouacenſi reſtituimus, multis paſſim, quæ in aliis corrupta erant, emendatis.

Marius Eccleſiæ Auenticæ.] Apud Auenticum, Heluetiorum Coloniam, ſedes olim fuit Epiſcopalis: inde poſtea Lauſanam ab hoc ipſo, vt ferunt, Mario tranſlata, Childeberti regis temporibus.

Pag.390. *Ruſticus Vicoiulienſis.*] Id eſt Aturenſis, à Vico Iulio Aturenſium in Nouempopulonia. Meminit autem Ruſtici huius Vicoiulienſis Epiſcopi Gregorius Turonen. lib.vii. cap.31.

Sauinus Benarnenſium.] Qui hodie Laſcarenſes Epiſcopi appellantur, hi olim de gentis nomine Benarnenſes dicti, vt *Galactorius de Benarno* in Synodo Agathenſi. Malè ergo in vulgatis *Viuarienſium* ſcriptum eſt pro *Benarnenſium.*

Nicaſius Aquilimenſium.] Ita vetus exemplar, non, vt in vulgatis, Auxitanæ. Auſcenſis enim, ſiue Auxitanus, Epiſcopus erat Fauſtus, qui iam ſuprà nominatus eſt: hic verò Nicaſius Epiſcopus Engoliſmenſis, de quo Gregorius lib.ix. capite 41.

Missi Episcoporvm.] Vulgata editio pro Epiſcopis xviii. quorum vicarij Synodo ſubſcripſiſſe dicuntur, Epiſcopos habet xx. duobus adiectis, Agrœcio Tricaſſino, & Felice Belicenſi, qui prætermitti minimè debent.

Episcopi non hab. sedes.] Ex his Fronimius Epiſcopus fuerat Agathenſis, ſed à Gothis deiectus ſedem hoc tempore non habebat: poſtea ſucceſſit Deuterio Vencienſi, vt eſt apud Gregorium lib. ix. cap. 24. Promotus verò ille eſt, quem in Dunenſi caſtro non ritè conſecratum Synodus IV. Pariſienſis abſtinere iuſſit. Fauſtianus in hoc ipſo Concilio remotus eſt ab Epiſcopatu Aquenſi, ad quem ordinatus fuerat à Berteranno Burdigalenſi, & aliis, vt Gregorius idem narrat lib.vii.cap.31.& lib.viii.cap.20.

Conventvs apvd Andelavm.] Pag.393. Vetus nomen retinet oppidum in pago Lingonenſi, cuius ſitum indicat Fredegarius: *Anno,* inquit, xvii. *regni Theodorici Lingonas menſe Maiô exercitus adunatur: dirigénſque per Andelaum, Naſio caſtro capto, Tullum ciuitatem peruenit.*

Post excessvm B. Radegvndis.] Pag.397. Obiiſſe feria quarta die xiii. Auguſti B. Radegundem omnes conſentiunt, cúmque Childeberti regis annum fuiſſe duodecimum auctor eſt Gregorius Turon. libro ix. capite 2. Et feria porrò, & annus Childeberti, annum Chriſti prorſus indicant dxcvii. Quare hoc anno illam obiiſſe ſtatuendum eſt. Qui enim ad annum Chriſti dxcii. eius obitum reiiciunt, non animaduertunt ipſam Gregorij Hiſtoriam, cùm in xvi. Childeberti anno deſinat, ad hunc quem volunt annum Chriſti non procedere. Qui ergo potuit Radegundis mortem, cui interfuit, tot antè annis commemorare, ſi nondum obierat? Maneat ergo, & anno quo diximus exceſſiſſe, & tumultum hunc monialium, qui biennio pòſt ſecutus eſt, in annum Chriſti dxxcix. incidiſſe, quem adſcripſimus.

CONC. NARBONENSE.

Reccaredi Gothorvm regis.] Pag.395. Eiecti è Gallia Gothi à Clodoueo rege, compulſique in Hiſpaniam, prouinciæ Narbonenſis oram maritimam, quæ ipſis olim à Romanis conceſſa fuerat, & Gothia de illorum poſtea nomine dicta eſt, in poteſtate ſua retinuerunt, quoad tandem Caroli Martelli armis recepta Francorum regno adſcita eſt. Hoc igitur tempore, quia in Gothorum erat imperio, Reccaredi regis nomen huic Concilio præfixum eſt, qui primus Hiſpaniæ regum ex Arriana hæreſi conuerſus catholicam fidem amplexus eſt.

Anno Christi dxxcix.] Huic enim anno congruit quartus annus Reccaredi æra dcxxvii. vt eſt in præfatione Concilij Toletani III. quod hoc ipſo anno celebratum fuerat menſe Maio. Cui & iidem, qui hic adſunt, prouinciæ Narbonenſis Epiſcopi, aut præſentes ipſi, aut per vicarios interfuerant.

Sedativs.] Rectiùs, opinor, Sedatus, vt in Concilio Toletano, & in Agathenſi, *Sedatus Epiſcopus Nemauſenſis.* Extat in veteribus libris Sedati Epiſcopi Homilia, cuius exordium: *Fratres, rogo vt de ſa-*

lute animæ veſtræ attentiùs cogitetis. Vtri autem iſtorum potiùs tribuendat ſi[illegible], an tertio cuipiam, non liquet.

Benenatvs.] Hunc Elnenſem in eadem prouincia Epiſcopum fuiſſe docent vetera exemplaria Concilij Toletani III. Nam in vulgatis eius Concilij ſubſcriptionibus mendum irrepſit ex nominum traiectione. Ioannes enim, qui Elnenſis ibi Epiſcopus dicitur, Epiſcopus fuit Egabrenſis, vt conſtat ex Synodo Spalenſi ſequentis anni. Benenatus verò non Egabrenſis, vt ibidem appellatur, ſed Elnenſis fuit Epiſcopus, vt teſtantur codices antiqui. Quare inter Epiſcopos qui huic Synodo ſubſcribunt, Benenati ſubſcriptio tertio loco reſtituenda videtur, in hũc fortaſſe modum: *Benenatus in Chriſti nomine Eccleſiæ Elnenſis Epiſcopus his conſtitutionibus interfui & ſubſcripſi.*

Can. 13. *Vela ad oſtia ſubleuent.*] Vulgati mendosè, *vel ad oſteos ſubleuent.* Emendationem firmat titulus canonis ex Toloſana Fuxenſi Bibliotheca cum ceteris depromptus. De velis autem ſermo eſt, quæ appendi ad oſtia ſolebant, tum in Eccleſiis, vt in Epiphanij epiſtola ad Ioannem Hieroſol. *Inueni ibi velum pendens in foribus Eccleſiæ.* & in Concilio Romano ſub Zacharia: *Deneardus præ velo eſt, & petit ingredi.* tum in cubiculis, vt apud Athanaſium Apologia I. αὐτὸς γὰρ εἱςήκει περὶ τοῦ βήλου, de Eugenio Magiſtro, qui ad velum ſtabat, cùm Athanaſius Conſtantem alloqueretur.

Pag. 404. Concilivm Pictavense.] Sex omnino iudices Epiſcopi videntur in hoc Concilio ſediſſe, tres è regno Childeberti, Ebregiſilus Agrippinenſis, Gregorius Turonenſis, & Maroueus Pictauenſis: totidem è regno Guntramni, Gundegiſilus Burdegalenſis, Nicaſius Engoliſmenſis, & Saffarius Petrocoricus. Etſi enim Gregorius Turonen. lib. x. cap. 15. cùm de iudicibus à Guntramno delectis agit, nec eorum numerum indicat, & vnius tantùm Gundegiſili nomen exprimit, quem cum prouincialibus ſuis miſſum ait: veriſimile eſt tamen, vt numero cum Childeberti Epiſcopis conuenirent, plures tribus deſignatos non fuiſſe, & hos potiſſimum miſſos, qui de hac cauſa proximo antè anno iam cognorant.

Pag. 407. Concilivm Metense.] Eodem anno quo Pictauenſe, ſed aliquanto pòſt, menſe Maio, vt ex Gregorij conſtat narratione, celebratum.

Pag. 410. Conventvs Nemptodorensis] Rectiùs *Nemetodorenſis*, ſicut parochia Nemetodorenſis in vita S. Genouefæ eius loci indigenæ. Itaque mendum videtur apud Gregorium, cùm *in vico Nemptodoro* legitur, pro *Nemetodoro*. & apud Conſtantium preſbyterum lib. I. de vita S. Germani cap. 20. *Vicus cui Metodori vetuſtas vocabulum indidit*, pro Nemetodori. quamquam Metodorum quoque ibi legerat Ericus monachus, qui eamdem vocem retinet.

Flauio Cabilonenſi.] Qui ante annos decem Agricolę Cabilonenſi Epiſcopo ſucceſſit, anno Chriſti DXXC. & Concilio Matiſconenſi II. ſubſcripſit cum Verano Cauellicenſi. Cùm ergo Flauius idem ſuperſtes fuerit hoc anno DXC. conſequens eſt Veranum, qui anno DXXCV. legatus ad Clotarium à Guntramno miſſus eſt cum Artemio Senonico, & Agrœcio Tricaſſino, quique Theodoricum Clotarij filium de ſacro fonte ſuſcepit anno DXXCVII. & cuius nomen inter ceteros Epiſcopos legitur in reſcripto de monialibus Pictauenſibus anno DXXCIX. hunc inquam Veranum Cauellicenſem Epiſcopum fuiſſe, non Cabillonenſem, mendúmque eſſe apud Gregorium libro VIII. cap. 31. & lib. IX. cap. 4. cùm Cabillonenſis pro Cauellicenſi appellatur.

Menſe Iunio, Indictione IX.] Epiſtolis S. Gregorij, quæ peculiari temporis nota carebant, menſis Indictionísque notam illam ſubiecimus, quæ proximè antecedens ſequentibus etiam epiſtolis conuenire videbatur. Pag. 411.

Dynamio Patricio.] Illi opinor, qui ante annos decem Maſſilienſis prouinciæ rector fuerat ſub Guntramno, & Theodorum Epiſcopum multis modis vexarat, vt refert Gregorius Turonen. libro VI. cap. 11. Extant & Fortunati ad eumdem Dynamium Maſſilienſem verſus lib. VI. Pag. 412.

Virgilio Episcopo Arelatensi.] Hanc epiſtolam, & ſequentem, paucis demptis vſurpauit Ioannes VIII. cùm ſuas item in Gallia vices Roſtagno Epiſcopo Arelatenſi committeret, vt in Tomo III. ad annum Chriſti DCCCLXXVI. videre eſt.

Palladio de Santonis.] Palladius Santonum Epiſcopus ante aliquot annos Concilio Matiſconenſi II. interfuerat. Pelagius Gregorio Epiſcopo in Eccleſia Turonenſi ſucceſſerat, Serenus Theodoro in Maſſilienſi. Ceterùm hoc eodem exẽplo miſſa eſt etiam ad Ætherium Pag. 41[illegible].

rium Epiſcopum Lugdunenſem epiſtola, quam recitat Beda lib. 1. cap. 24. *Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Ætherio Coepiſcopo Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.* Licet apud ſacerdotes, &c. *Deus te incolumē cuſtodiat reuerendiſſime frater. Data die* X. *Kalendarum Auguſtarum, imperante D. N. Mauritio Tiberio piiſſimo Auguſto anno* XIV. *poſt Conſulatum eiuſdem D. N. anno* XIII. *Indictione* XIV.

De Monast. Lirino.] Pro *Lirino*, ſcriptum eſt apud Gregorium *Quirilino*. certa eſt emendatio. Stephani enim Abbatis, quem ad vigilantiam & ſollicitudinem hoc loco excitat, incauta remiſſio perſtringitur in altera Gregorij epiſtola ad Cononem Abbatem Lirinenſem, Stephani ſucceſſorem.

Pag. 424. Theodorico et Theodeberto.] Childeberti regis filiis. Ad Childebertum regem epiſtolam VII ſcripſerat Gregorius menſe Septembri, Indictione XIV. id eſt anno Chriſti DXCV. Hanc ad filios reges ſcribit menſe Iulio eiuſdem Indictionis, quæ nota eſt anni DXCVI. Tempore igitur interiecto mortuum eſſe Childebertum, eique filios ſucceſſiſſe neceſſe eſt. Errant proinde, qui horum regni exordium in anno Chriſti DC. conſtituunt, vt Sigebertus in Chronico.

Pag. 431. Ætherio] Lugdunenſi Epiſcopo, vt dixi. Fallitur enim Beda, qui Arelatenſem fuiſſe putat libro 1. Hiſtoriæ. reliquorum verò ſedes notæ ſunt ex ſuperioribus.

Pag. 435. Aregio Episcopo.] Vapincenſem Epiſcopum fuiſſe docuit nos ipſius S. Arigij vita in codice Siluinicenſi, in qua & Valatonij Archidiaconi, dalmaticæque illi à Gregorio conceſſæ fit mentio his verbis: *Ergo & beatiſſimo viro Valatonio, qui tunc temporis Archidiaconus ſub ſepedicto Pontifice Vvapincenſem regebat Eccleſiam, viſus eſt dalmaticam cauſa muneris indulſiſſe. Et quia compererat quòd eſſet ſacris literis decoratus, quòd ipſe in ſui magiſtri ſuccederet ſede beatiſſimus Gregorius Papa palàm ſuis pronuntiauit oraculis.*

Pag. 445. *In parochiis ſuis.*] Seguſienſibus nunirum, in finibus Italiæ. Longobardorum enim duces, cùm in Gallias temere irrupiſſent, victique & proſtrati à Mummulo fuiſſent, Auguſtam & Seguſium ciuitates cum integro illarum territorio Guntramno regi, vt Fredegarius cap. 45. ſcribit, multæ nomine ceſſerunt. Seguſium porrò Guntramnus cum pago vniuerſo, vt in códice Aniticienſi adnotatum obſeruauimus, ab Italis receptum Maurienneſi Eccleſiæ ſubiecit. Quare ab Epiſcopo Taurinenſi, cuius antea fuerant, eædem nunc parochiæ repetebantur.

Agilio Metis.] Legendum forraſſe *Aſgulfo Metis*. Licinius verò, cuius ſedes non deſignatur, Epiſcopus fuit Andegauenſis. Pag. 454.

Conc. Cabilonense] Anno VIII. Theodorici regis habitum fuiſſe hoc Concilium auctor eſt Fredegarius. Ducuntur autem, vt paulò ante dictum eſt, anni Theodorici & Theodeberti fratrum regum ex anno Chriſti DXCVI. Quare octauus illorum annus congruit anno Chriſti DCIII. Itaque hunc annum Synodo inſcripſimus. Alij quinquennio pòſt ſtatuunt. Sed firmat ſententiam noſtram obſcurati Solis obſeruatio, quam habet idem Fredegarius. Nam ingens hoc anno fuit Solis Eclipſis die XII. menſis Auguſti. Pag. 469.

CONC. PARISIENSE IV.

Nova hæc Synodus à Clotario II regetum indicta, cùm poſt Theodeberti & Theodorici mortem, illorum quoque regno ſucceſſiſſet, vniuerſumque, ſicut Clotarius alter ipſius auus, Francorum imperium adeptus eſſet. Quo factum, vt maximo ad eam numero Epiſcopi conuenerint. Septuaginta nouem adfuiſſe proditum eſt in vetere quadam Collectione, quot in nullo antea Francorum Concilio fuiſſe memorantur. Eadem propterea generalis Synodus appellatur in Concilio Remenſi can. 3. Verùm integram & ſine lacunis repræſentare non licuit, ob vnicum eius exemplar, quo vſi ſumus, ſitu & carie multis locis exeſum, vel corruptum. Pag. 470.

Anno Christi DCXV.] Cùm hoc anno congruere videtur Clotarij annus poſt Chilperici patris obitum XXXI. qui tum in titulo Synodi, tum in ſequentis Edicti ſubſcriptione adnotatur. Quòd ſi quis illam malit ad annum DCXIV. referre; tum paulò ante Benedicti Papæ creationem, ſede poſt Bonifacium IV. vacante, habitum dici oportebit.

Vt nullus iudicum.] Citatur etiam hic canon ſub paleæ titulo à Gratiano. XI. qu. 1. *Nullus iudicum.* & in Decretalibus cap. 2. *De foro competenti*, ex hoc Concilio Pariſienſi. Can. 4.

De viduabus & puellis.] Citat hunc itidem Gratianus 27. q. 1. *De viduis & puellis*, ſed falſo titulo, Burchardum ſecutus Can. 13.

libro VIII. cap. 48. & Iuonem Part. VII. cap. 66. qui perperam tribuunt Concilio IV. Toletano.

Pag. 474. EDICTVM CLOTARII.] In manuſcripto Synodum antecedit. poſtponi autem debere viſum eſt, eo quòd Synodi mentionem faciat, & ea quæ Synodali decreto ſancita fuerant principis auctoritate conſtituat.

ADMONITIO DE CANONIBVS SEQVENTIBVS.

IN eodem codice Remenſi, vnde petitum eſt proximum Concilium Pariſienſe, ſubiiciebantur canones Synodi alterius, incertum quo loco vel anno habitæ, quia titulo carebant: ſed quam poſt Concilium Pariſienſe, haud longo interuallo celebratam primus canon oſtendebat. Quot numero ij fuerint, perinde incertum eſt. Mutilum enim exemplar, quod in decimo ſexto deſinebat, plures fuiſſe indicabat. Ex his porrò reliquiis carie, vt dictum eſt, ſitúque deformatis decem duntaxat excerpere canones licuit, qui ſequuntur.

CANONES EX SYNODO incerti loci, paulo pòſt ſuperius Pariſienſe Concilium celebrata.

I. *De ſeruandis conſtitutionibus Concilij Pariſienſis.*

VT conſtitutiones illæ quæ Pariſius ſunt decretæ, hoc eſt tam à domnis ſacerdotibus, quàm à domno Chlothacario rege, iuxta priſcas patrum conſtitutiones, in omnibus conſeruentur: quia in nullo fidei Catholicæ, vel Eccleſiaſticæ regulæ contrariæ ſunt inuentæ.

II. *De altarium conſecratione.*

Vt altaria alibi conſecrari non debeant, niſi in his tantùm Eccleſiis, vbi corpora ſepulta non ſint.

IV. *Vt monachi iuxta regulam viuant.*

Vt monachi iuxta regulam viuant, nec ſequeſtrati per cellas habitent vel conuiuant, & peculiare nullum habeant: ſed iuxta Apoſtolum ſint eis omnia communia, ſicut Abbatis vel Præpoſiti diſpenſatio iuſta perpenderit.

V. *De nonnullis in Monaſterio fieri vetitis.*

Vt intra ſepta Monaſterij non baptizetur, nec Miſſæ defunctorum ſæcularium celebrentur, nec ſæcularium corpora ibidem ſepeliantur. forſitan permiſſu Pontificis.

VIII. *De interdicta clericis cohabitatione mulierum.*

Illud ſpecialiter decernimus, vt nullus Epiſcopus, vel preſbyter, aut diaconus, vel clericus honore munitus, mulierem in domo ſua habeat præter matrem, ſororem, & amitam. Quòd ſi quis ſuper ſtatuta canonum deinceps habere præſumpſerit, iuxta arbitrium Pontificis ſententia canonica feriatur, & illa vt adultera condemnetur.

IX. *De ijs qui ad Eccleſias confugiunt.*

De his qui ad Eccleſias confugium faciunt, vt Eccleſiæ ſtatus in omnibus firmo robore perſiſtat, nullus de Eccleſia violenter trahatur, nec confugiendi ius in Eccleſiam ſubtrahatur. Sed nec vinculis, aut ferro, qui in Eccleſiam confugerit conligetur.

XI. *De Abbatibus & Archipresbyteris ſine culpa non remouendis, nec per præmia ponendis. & ne ſæculares Archipresbyteri ponantur.*

Vt Abbates, vel Archipreſbyteri, abſque culpa de Eccleſiaſtico miniſterio remoueri non debeant: nec per præmia nullus Abba, vel Archipreſbyter ponatur. Quòd ſi quis facere præſumpſerit, communione priuetur. Nec ſæculares Archipreſbyteri ponantur. Forſitan ſi talis fuerit, quem pro merito perſonæ in ſolatium Eccleſiæ Pontifex neceſſarium eſſe iudicet, vt ſine eius defenſione parœciani illi ſe defenſare non poſſint.

XII. *Vt preſbyteri & diaconi vxores ducere non præſumant.*

Preſbyteri, vel diaconi, ſe nulla ratione nubere præſumant. Quòd ſi præſumpſerint, ab Eccleſia ſequeſtrentur.

XIII. *De excommunicatis per vicinas ciuitates vel parœcias indicandis.*

De excommunicatis placuit, ſi quis pro crimine ſuo ab Epiſcopo, vel preſbytero, fuerit communione priuatus, Epiſcopus, vel preſbyter, & facinus excommunicati, & priuationem communionis vicinis ciuitatibus vel parœciis ſtudeant indicare. Quòd ſi quis, ad eius poſtquam notitiam venerit, vſque audientiam cum ipſo communicare præſumpſerit, biennio communione priuatus ab Eccleſia ſequeſtretur.

XIV. *De ingenuis, qui ſe ipſos vendiderint, vel oppignerauerint.*

De ingenuis, qui ſe pro pecunia aut alia re vendiderint, vel oppignerauerint, placuit vt quando quidem pretium, quãtum pro ipſis datum eſt, inuenire potuerint, abſque dilatione ad ſtatum ſuæ conditionis reddito pretio reformẽtur, neç ampliùs quàm pro eis datum eſt requiratur. Et interim, ſi vir ex ipſis vxorem ingenuam habuerit, aut mulier ingenuum habuerit maritum, filij qui ex ipſis nati fuerint in ingenuitate permaneant.

XV. *De antiquis diœceſibus.*

Si quis Chriſtianorum diœceſem, quæ ab anterioribus Epiſcopis, &c.

Pag.477. CONCILIVM MATISCONENSE.] Anno XLIII. regni Clotarij, vt auctor eſt Fredegarius capite 54. mortuus eſt Vvarnacharius Maior domus. Mortuum autem Vvarnacharium tradit Ionas in vita Euſtaſij quo tempore Synodus Matiſconenſis parabatur. Reſtat ergo, cùm idem Vvarnacharius videatur, vt anno Chriſti DCXXVII. cui annus ille Clotarij congruit, habitam dicamus. Baronius decennio antiquiorem facit.

CONCILIVM REMENSE.

CIRCA ANNVM DCXXX] De anno Pag.479. enim Concilij non liquet. Ceterùm ſub Dagoberto rege, qui Clotario patri anno Chriſti DCXXVIII. ſucceſſerat, habitum fuiſſe arguit, in Epiſcoporum qui adfuerunt catalogo, Ruſticus Epiſcopus Cadurcenſis: qui ex clerico palatino Dagoberti creatus Epiſcopus, ſeptem tantum annis præfuit, ſucceſſorémque habuit Deſiderium anno VII eiuſdem Dagoberti, hoc eſt anno Chriſti DCXXXV. Quòd ſi de annis Dagoberti ſermo ſit, quibus ante patris obitum in Auſtraſia regnabat, citerior aliquanto Chriſti annus huic Synodo conueniet.

Emmone Ariſitenſi.] Apud Ariſitenſem Pag.480. vicum, in finibus pagi Ruthenenſis, primus omnium, vt docet Gregorius Turonen lib v. cap 5. Epiſcopus à Sigeberto rege conſtitutus eſt Modericus, habuítque ſub ſe diœceſes plus minùs quindecim, quas Dalmatius Ruthenenſis Epiſcopus obtinebat. Ariſitum porrò vicum, vt ex codicis Metenſis vetere genealogia didicimus, cõdiderat Deotarius Moderici eiuſdem patruus, vt pote frater Anſberti ſenatoris, qui filiam duxit Clotarij I. regis, auctórque fuit Karlouingicæ familiæ principum noſtrorum. Videntur ergo exinde Ariſitenſes Epiſcopi alij aliis ſucceſſiſſe vſque ad Emmonem hunc, qui Synodo interfuit.

MARTINI PAPÆ EPISTOLA.] Syno- Pag.486. dum Romanam Martini Papæ aduerſus Monothelitas, cuius acta cum hac epiſtola in Galliam miſſa ſunt, celebratam conſtat menſe Octobri, anno Chriſti DCXLIX. Scripta igitur epiſtola, vel eodem mox anno exeunte, vel initio ſequentis.

Sigebertum regem.] Dagoberti nempè filium, qui in Auſtraſia regnabat. Ex actis porrò vitæ S. Eligij lib. I. cap. 33 liquet eadem geſta Synodalia ad Clodoueum quoque regem Sigeberti fratrem miſſa, qui in Neuſtria & Burgundia, hoc eſt in altera Francici regni parte imperabat.

CONC. CABILONENSE.

CIRCA ANNVM DCL.] Sub Clodo- Pag.4[illegible] ueo II. rege habitam fuiſſe hanc Synodum Synodus ipſa docet: quoto autem illius anno habita ſit, non liquet. Hoc certum videtur, ante annum Chriſti DCLVIII. id eſt ante annum XV. Clodouei

conſtitui debere. Nam eo anno Pariſiorum Epiſcopus erat Landericus, vt ipſius pro S. Dionyſij Monaſterio litteræ declarant: in hac verò Synodo ſubſcribit per vicarium Audobertus, qui Landericum anteceſſit. Quare falluntur omnino, qui Synodum illo anno poſteriorem faciunt.

Can. 9. *Vt captiu. vinculum*] Codex Tilianus, Pithœanus, & Bellouac. *Vt à captiuitatis vinculo animæ à Chriſticolis redimantur.*

SVBSCRIPTIONES.] Hæ in ſolo erant Bellouacenſi, non ordine alphabetico, ſicut in vulgatis, ſed quo modo hîc digeſtæ ſunt.

Protaſius Sedunenſis.] Vulgati *Sentienſis:* Protaſij Sedunenſis Epiſcopi vnâ cum Domitiano Genauenſi, & Grato Auguſtenſi, mentio fit in Actis S. Mauricij & ſociorum.

Magnus Epiſcopus.] In codice Bellouac. nomen Eccleſiæ non exprimitur. in vulgatis Epiſcopus dicitur Atrebatenſis. Verùm Atrebates eo tempore, Cameracenſibus attributi, proprium Epiſcopum non habebant.

Betto Tricaſtinenſis.] Editio vulgata: *Betto Foroiulienſis.*

Licerius Vindauſcenſis.] Id eſt Carpentoratenſis. Sic enim aliquando appellati ſunt Epiſcopi Carpentoratenſes à Vindauſca oppido vicino. Notitia ciuitatum Galliæ: *Ciuitas Carpentoratenſium, nunc Vindauſca.* Malè ergo vulgati *Eccleſiæ Auſciorum* habent, pro Vindauſcenſis.

Betto de Iuliobona.] Notum olim huius nominis oppidum in Caletibus, pago Rotomagenſi, vbi ſedes Epiſcopalis ſtata non fuit. Bettoni tamen Epiſcopo attributus hoc tempore fuerat hic locus, ſicut Auſtrapio Sellenſe caſtrum in Pictonibus apud Gregorium lib. IV. cap. 18. & Moderico vicus Ariſitenſis, vt paulò ante dictum eſt.

DOMINO THEODOSIO.] Cod. Bellouacenſi, *Theudorico.* atque ita etiam veteres catalogi Epiſcoporum Arelatenſium. alij *Theodoſium*, alij *Theodoricum v*[illegible].

Pag. 495. C[illegible]VM NAMNETENSE.] Ex verbis Flodoardi hoc vnum intelligimus, habitum eo tempore fuiſſe, quo Niuardus Remenſi Eccleſiæ præſidebat. de anno autem nihil compertum. Quæri etiam fortaſſe non abs re poteſt, vtrum ad hanc Synodũ pertineant canones XX. qui Namnetenſis Concilij nomine circumferuntur ſine vlla temporis epocha, extántque in fine Tomi III.

PRIVILEGIVM S. LANDERICI] Clodouei iunioris anni conſurgunt ex anno Chriſti DCXLIV. ineunte. Quare priuilegium Lãderici, quod Clodouei anno XV. datum dicitur, anno Chriſti DCLVIII. congruere planum eſt.

CONVENTVS CLIPIACENSIS.] Anno Pag. 497. Chriſti DCLIX. celebratum eodem Clodouei annorum argumento didicimus. Qui verò Clodouei annos vulgari errore ducunt ex anno DCXLVIII. iidem conuentum Clipiacenſem differunt in annum DCLXIV.

CORBEIENSIS FVNDATIO.] Clotarij Pag. 500. & Theodorici regum præcepta quæ ſequuntur, cum Berthefredi Epiſcopi priuilegio, deſcripta ſunt ex codice Virdunenſi. Eſt porrò aliud ibidem pro Corbeienſi Monaſterio diploma Chilperici regis, anno primo regni datum, qui Childericum genitorem ſuum, Baldechildem auiam, Clotarium auunculum, id eſt patruum vocat. Quòd eo impenſiùs obſeruandum, quòd Chilperici huius Childerico geniti annales noſtri non meminerint.

CONCILIVM AVGVSTODVNENSE.] In Pag. 506. codice Bonæuallis, itémque in Andegau. Diuionen. & aliis, qui elenchos exhibent Epiſcoporum, quot numero in ſingulis Synodis fuerint, & canones ediderint, poſtremo loco hæc leguntur: *Conſenſus domni Leouegarij Epiſcopi Auguſtodunenſis.* EGO LEODEGARIVS, *ac ſi peccator Epiſcopus, cum conſenſu fratrum meorum polliciti ſumus, & perpetualiter placuit obſeruandum.* Quæ ſubſcriptio videri poteſt ad Concilium hoc noſtrum pertinere.

PRIVILEGIVM ADEODATI.] Colla- Pag. 507. tum fuit cum ſchedis Pithœanis, in quibus extat etiam Chrodoberti eiuſdem Epiſcopi Turonenſis epiſtola, de iudicio mulieris, quæ poſtquam conſecrata & profeſſa caſtitatem Deo fuerat conſeruare, adulterium perpetrarat.

CONCILIVM ROTOMAGENSE.] In vul- Pag. 509. gatis exemplaribus vitæ S. Anſberti habitum dicitur anno XIII. Theoderici regis, nos anno XVI. reſtituimus ex codice S. Michaëlis in mari. Theodericus enim poſt Paſcha regnare cœpit anno Chriſti DCLXVII. vt patet ex priuilegio altero Vindiciani pro Eccleſia Atrebatenſi dato *Kalendis Maij anno* VII. *Theoderici regis, Indictione* II. itémque ex aliis Vindiciani eiuſdem litteris apud Baldericũ in Chronico Cameracenſi lib. I. cap. 25. in qui-

bus Leodegarius Epiſcopus ſubſcribit, VIII. *Idus Maias, anno* VII. *Theoderici regis, Indictione* II. hoc eſt iuxta æram noſtram Chriſti anno DCLXXIV. cuius anni menſe Maio ſecunda erat Indictio.

BONIFACII EPISCOPATVS.

Pag. 512. LEONIS anno VI.] Ita in codice Remenſi, & in Pithœano. malè autem in vulgatis *anno* VII. Leo quippe Iſaurus imperium iniit VIII. Kalendas Aprilis, & mox, vt coniectura eſt, Conſulatum proximis Kalẽdis, anno Chriſti DCCXVII. Indictione XV. Bonifacius porrò Epiſcopus, vt eius vitæ hiſtoria docet, conſecratus eſt pridie Kalendas Decembres, Indictione VI. Quare annus is erat Imperij & Conſulatus Leonis ſextus, non ſeptimus, Chriſtique annus DCCXXII. non, vt aliis placet, DCCXXIII. tum enim menſe Nouembri ſeptima fuiſſet Indictio.

CAROLO DVCI.] Sic appellat Carolum Martellum, qui tum Maior domus erat Theoderici II. regis. Extat inter S. Galli veteres chartas huiuſmodi ſubſcriptio: *Feci menſe Iunio, V. Kalendas Iulias, in anno* XV. *regnante domno noſtro Theodorico rege ſuprà Carolum Maiorem domus.* Poſt Theodorici verò regis obitũ, quod memorabile eſt, nec à ſcriptoribus noſtris obſeruatum, ſolus ſine rege imperauit Carolus idem annos, vt in codice Tiliano reperi, nouem, vt in alio Remenſi, ſeptem. Quo tempore quia rex nullus erat, in actis publicis annos à Theoderici regis exceſſu lapſos adnotabant. vt in Sandionyſianis Caroli ipſius tabulis videre eſt, quibus Clipiacum villam dat Monaſterio S. Dionyſij: *Actum Careciaco villa in palatio, menſis Septembris die* XVII. *anno* V. *poſt defunctum Theodoricum regem. Signum illuſtris viri Karoli Maioris domus, qui hanc epiſtolam donationis fieri rogauit.*

Pag. 514. *Probabilibus deſideriis.*] Formula eſt generalis, qua ſcribi ſolebat ciuitati cui ordinatus fuerat Epiſcopus. Totidem enim verbis legitur inter antiquas Formulas Eccleſiæ Romanæ, & inſcribitur, *Synodale quod accipit Epiſcopus.*

Pag. 519. *Deſiderabile mihi.*] Hanc epiſtolam Gratianus Gregorio III. attribuit, quotieſcumque illius teſtimonio vtitur, vt 2. q. 5. *Presbyter.* 32. q. 7. *Quod propoſuiſti.* De conſecrat. Diſt. IV. *Paruulos.* & Diſt. V. *De homine.* Idémque ſentire videntur Hincmarus epiſt. VII. capite 15. & 18. & Iuo Parte VIII. cap. 78. cùm Gregorio iuniori adſcribunt. Hoc enim nomine Gregorium III. intelligere ſolebant. Sed quo minùs huic tribui poſſit, reclamant in epiſtolæ ſubſcriptione annus X. Leonis & Indictio X. quæ congruunt anno Chriſti DCCXXVI. quo annò Pontifex erat Gregorius II. non III. qui ante annum DCCXXXI. ſedem non obtinuit. Quare Gregorio II. aſſerenda eſt.

Magna nos habuit.] Hanc verò Gratianus idem 16. q. 1. *Præcipimus.* Gregorio iuniori attribuit. Quo nomine licet Gregorium III. deſignare interdum ſolerent, vt dixi; hunc tamen à Gratiano non intelligi eo liquet, quòd eandem epiſtolam Gregorio II. diſertè tribuat 13. q. 2. *Pro obeuntibus.* & De Conſecrat. Diſt. IV. *Quos à paganis.* Et Gratiano facet, quod in quibuſdam manuſcriptis in huius epiſtolæ fine legitur: *Hucuſque Gregorius à primo ſecundus, hinc Gregorius à ſecundo iunior,* id eſt tertius. Quibus verbis Gregorio II. perſpicuè adſcribitur. Ceterùm Gregorij III. epiſtolam eſſe, vel miſſi ad Bonifacium pallij mentio declarat. Miſſum quippe à Gregorio III. tradit auctor vitæ Bonifacij lib. I. cap. 31. Huic ergo rectiùs in eadem vita tribuitur, & apud Iuonem Parte X. cap. 179. Pag. 522.

CAROLO SVBREGVLO.] Edita eſt cum ſequenti à Gretſero noſtro in codice epiſtolarum pontificiarum. In vtraque autem Subregulum vocat Põtifex, quem deceſſor eius Gregorius alter Ducem in epiſtola II. vocarat, & in epiſtola VIII. patricium. Carolum videlicet Martellum, Præfectum palatij, ſeu Maiorem domus regiæ. Idem rurſus in proxima ad Bonifacium epiſtola Princeps Francorum dicetur. quo titulo vſum fuiſſe Carolum Martellum non meminimus: vſos eſſe Karlomannum & Pippinum Martelli filios docent acta Synodi Liptinenſis & Sueſſionicæ. Pag. 525.

CONC. LIPTINENSE.

SVB KARLOMANNO.] Duo, vt res docet, ſub Karlomanno Concilia fuerunt. vnum in Germania, cuius locus non proditur, celebratum anno Chriſti DCCXLII. alterum anno ſequenti apud Liptinas in Gallia, in quo ſuperioris quoque Concilij canones relecti & approbati ſunt. Quinam ad Germanicam Synodum Epiſcopi conuenerint, præfatio declarat. Pag. 537.

in Liptinenſi qui adfuerint, non eſt proditum. Præfuiſſe vtrique Bonifacium, ſedis Apoſtolicæ Vicarium, compertum eſt.

Pag. 540. *Modò autem in hac Synodo.*] Hæc iam propriè ſpectant ad Synodum apud Liptinas habitam. Quod nomen olim palatij & villæ regiæ fuit in pago Cameracenſi, vt ab aliis iam obſeruatum. Leptinos ſcriptum eſt apud Aimoinum, qui ſitum loci apertè confirmat lib. v. cap. 25. Caroli Calui reditum deſcribens à Procaſpide ſuper Moſam, vbi regnum Lotharij cum Ludouico fratre diuiſerat: *Ludouicus*, inquit, *Aquiſgranum rediit, Carolus Leptinos vxorem ſuam ſibi obuiam venire iuſſit. Inde per Monaſterium S. Quintini ad Siluacum, & inde per Cariſiacum Compendium venit.*

CONC. SVESSIONENSE.

Feminæ propinquæ cum clericis habitare permiſſæ. Auia, mater, ſoror, filia, neptis vel conuerſa vxor. *Arel. II*. c. 3. 103. ſoror, amita, mater, cum iis qui cælibes ſunt. *And*. c. 4. 517. mater, ſoror, filia, neptis, ſi habuerint & voluerint. *Agath*. c. 10. 164. auia, mater, ſoror, vel neptis, ſi neceſſitas tulerit. *Aruern*. c. 16. 244. mater, ſoror, aut filia. *Tur. II*. c. 10. 332. auia, mater, ſoror, vel neptis, ſi neceſſitas fuerit. *Mat. I*. c. 1. 371. mater, amita, ſoror. *Lugd. III*. c. 1. 373. mater, ſoror, neptis. *Sueſſ*. c. 8. 545.

Feminæ, etiam propinquæ, horis indecẽtibus vitandæ. *Aur. V*. c. 3. 278.

Feriam quintam, diem Iouis, colentes & ab opere ceſſantes diſtringuntur. *Narb*. c. 15. 403. feria S. Martini, 372. *b*. feriati dies, feſti, 372. *b*.

Feſtiuitates præcipuæ, 244. *b*. Paſcha, Natale Domini, Epiphania, Aſcenſio Domini, Pentecoſte, Natale S. Ioannis baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus. *Agath*. c. 21. 165. Nullus Epiſcoporum Natalem Domini aut Paſcha alibi quàm in Eccleſia ſua celebret, præter infirmitatem, vel ordinem regium. *Lugd. III*. c. 5. 378. presbyteri, diaconi, & quiuis clerici, dies feriatos in Epiſcopi obſequio celebrent. *Mat. I*. c. 30. 372. presbyteri & diaconi, qui in villulis deſeruiunt, Natale Domini, Paſcha, Pentecoſtem cum Epiſcopo ſuo in ciuitate teneant. *Aruern*. c. 15. 244. clerici in maximis diebus feſtiuitatum Miſſas in oratoriis facere aut tenere prohibiti. *Agath*. c. 21. 165. nulli ciuiũ Paſchæ, Natalis Domini, vel Quinquageſimæ ſolemnitatẽ in villa liceat celebrare, niſi quem infirmitas tenet. *Aur. I*. c. 25. 182. Miſſas in oratoriis tenere in reliquis feſtiuitatibus permiſſum, in maximis diebus feſtiuitatũ non niſi in ciuitatibus aut in parochiis teneant. *Agath*. c. 21. 165. ciues natu maiores ad Pontifices ſuos in Natale Domini, Paſcha, Pentecoſte veniant. *Aruern*. c. 15. 244. priores ciues Paſcha, & principales feſtiuitates ſub præſentia Epiſcopi teneant: ſi quis neceſſitate conſtringitur, ab Epiſcopo poſtulet commeatum. *Aur. IV*. c. 3. 561.

Feſtiuitates præcipuæ. Clericus ab Eccleſia ſua diebus ſolennibus, id eſt Natiuitate Domini, Epiphania, Paſcha, & Pentecoſte, non deſit. *Agath*. c. 64. 172. ſæculares Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſtem non communicantes catholici non credantur. *Agath*. c. 18. 165. ciues ſuperiorum natalium nocte Paſchæ, ac Natiuitatis Domini, Epiſcopos, nec refert qua in ciuitate poſitos, benedictionis deſiderio expetendos nouerint. *Epaon*. c. 35. 200.

Feſtiuitates ſacrorum dierum caſtè celebrandæ, 300. *c*. feſtiuitatibus Martyrum feminei chori & turpia cantica ne adhibeantur. *Cab*. c. 19. 493. peruigilias in feſtiuitatibus ſanctorum non licet in domibus propriis facere. *Autiſ*. c. 3. 362. in feſtiuitate cathedræ domni Petri paganici ritus abrogati. *Tur. II*. c. 22. 341.

Feſtiuitas domni Martini xi. Nouembris, 329. *c*. qua domni Martini receptio celebratur, 123. *b*.

FIDES catholica nulla ſui eſt parte mutabilis. *Leo* 96. *c*. vbi intereſt fidei, quicquid ad gratiam huius pertinet ſæculi reſpuatur. *Hormiſda* 189. *c*. non diſcernunt ſimplices quantum ſit bonum à fide catholica non errare. *Pelagius II*. 305. *b*.

Fidei norma in Nicæno Concilio tradita, & in Calchedonenſi firmata, ab omnibus & in omnibus conſeruetur. *Cab*. c. 1. 490. fides catholica, quam conſtituerunt Epiſcopi in Concilio Nicæno, vt denuntiaretur per vniuerſam regionem conſtitutum in Sueſſion. c. 1. 543.

Fidei initium non ex natura eſt in nobis, ſed ex gratia Dei. *Arau. II*. c. 5. 217. fides antiquis patribus non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei collata eſt. *Ibid*. c. 25. 220. fides qua Chriſto credimus gratia diuinitatis præueniente confertur. *Bonif. II*. 224.

Fidei quæſtiones inter Epiſcopos exortas in Synodo Epiſcoporum ventilari atque decidi iubet Gregorius: ſi decidi nequeant, ad iudicium ſedis Apoſtolicæ deferri, 414. *b*.

Fidelibus adminiſtrationes & iudicia exercere licet, 36. *b*. *c*.

Fidei commiſſum, quod Epiſcopo, vel Eccleſiæ,

alij

alij poſtea profuturum dimittitur, Eccleſia inter facultates ſuas computare aut retinere non poteſt. *Agath. c.* 6.162.

Finibus territoriiſque ſuis omnes contenti ſint, 42. *c.* ſit conceſſis ſibi contentus vnuſquiſque limitibus, 57. *c.* nullus in fratris iniuriam tranſcendat terminos à venerandis patribus conſtitutos, 135. *a.*

Formatæ Eccleſiaſticum cuiuſqua gradum docere debent propter eos qui irrepunt, 42. *b.* ab Epiſcopo Arelatenſi dandæ omnibus Romam vel aliò extra Gallias euntibus, 42. *b.* 46. *a.* 47. *a.* 187. *a.* 271. *c.* ſine Metropolitanorũ ſuorum litteris Epiſcopi ad alias prouincias non proficiſcantur, 131. *a.* Presbytero, diacono, vel clerico ſine Antiſtis epiſtola ambulanti communionem nullus impendat. *Agath. c.* 52. 171.

Fornicationis in crimen lapſi ſerui Dei, vel ancillæ Chriſti, quibus pœnis diſtringantur. *Lipt. c.* 6. 535. fornicationem clerici omnes fugiant, & laici. *Sueſſ. c.* 3. & 4. 544. fornicatores de ſanctis locis & monaſteriis ſublati, & ad pœnitentiam redacti. *Lipt. c.* 1. 540.

Foroiulienſis Epiſcopus electus, quia crimen de ſe profeſſus fuerat, ordinari prohibetur in Cõcilio Valent. 20. *b.* Foroiulienſes Epiſcopi, Acceptus electus, 20. *b.* Leontius, 48. *a.* 58. *c.* 81. *b.* 121. *b.* Theodorus, 69. *b.* 100. *c.* 120. *b.* Victorinus, 174. Deſiderius, 269. Expectatus, 286. *a.* 300. *a.* 303. *b.*

FRANCORVM reges ob fidei orthodoxæ confeſſionem à Pelagio & Gregorio Pontificibus commendati, 376. *b.* 424. *b. c.* diuina prouidentia diſpoſitum, vt Francorum reges Romano Imperio in orthodoxæ fidei confeſſione ſimiles eſſent, vt Romanæ vrbi, ex qua fuerat oriũda, adiutores præſtaret, 376. *b.*

Francorum regnum fidei rectitudine Deus decorauit, & integritate Chriſtianæ religionis inter gentes alias fecit eſſe conſpicuum, 424. *b. c.* Quanto ceteros homines regia dignitas antecedit, tanto ceterarum gentium regna regni Francorum culmen excellit. 418. *b.*

Francorũ in regno Eccleſiaſtica religio diſſipata, & Synodi per multos annos intermiſſæ. 530. *b.* 549. *a.* 555. *c.* Francorum Epiſcopi chartam veræ atque orthodoxæ profeſſionis, & catholicæ vnitatis, mittunt ad Zachariam Papam, 573.

Fugitiui ſerui Eccleſiæ ab Epiſcopo, ſi voluerit, diſtrahantur. *Agath. c.* 46. 170.

Furtum ſi clericus Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur. *Agath. c.* 5. 162. communione conceſſa ab ordine regradetur. *Aur. III. c.* 8. 251. Epiſcopus in furtis deprehenſus ab Epiſcopali officio vt euellatur canonum auctoritas ſanxit, 359. *b.*

G.

GABALVM ciuitas, de qua Genialis Epiſcopus, vel diaconus, in Concilio Arelat. I. 8. *c.* Gabalitani Epiſcopi Genialis, 8. *c.* Leonicus, 174. *c.* Hilarius, 241. *a.* Euanthius, 269. *a.* Agricola, 480. *a.*

Gallia & quinque prouinciæ, 18. *b.* 25. *b.* 27. *b.* Gallia & ſeptem prouinciæ, 42. *a.* 43. *b.* 48. *a.*

Galli Epiſcopi à Conſtantino Romam miſſi iudices in cauſa Donatiſtarum, 1. *c.* 3. *a.*

Gallicani Epiſcopi Sirmiẽſem perfidiã ad ſe miſſam condemnant, 15. *b.* Arimincnſem Arrianorũ formulam reſpuunt, fideique expoſitionem orthodoxã ad Epiſcopos Orientales mittunt è Synodo Pariſienſi, 16. 17. legatos mittunt ad Conciliũ Aquileienſe, 20. 21. Epiſcopos in Britanniã ad Pelagianam hæreſim expugnandam, 87. *a.* Leonis epiſtolã ad Flauianũ de Incarnationis myſterio ſynodicè, vt fidei ſymbolum, amplectuntur, & ſuis litteris cõmendant, 92. *c.* 93. *c.* 94. Eutychem & Neſtorium, & quas ſectas ſedes Apoſtolica condemnat, eaſdem anathematizant in Conc. Aurelian. V. *c.* 1. 278. Synodi Romanæ geſta in Galliam à Martino miſſa, vt congregatis Epiſcopis confirmentur, 488. *b.* idem Epiſcopos è Gallia petit à rege, qui Apoſtolica legatione fungentes Synodi eiuſdem decreta ferant ad Imperatorem. *Ibid.*

Galli Epiſcopi cõſulere & appellare ſoliti ſedem Apoſtolicam, 81. *b.* de Gallicanis prouinciis venientes intra Gallias non diſcutiendi. *Vaſen. I. c.* 1. 76. Romam vel aliò extra Galliam proficiſcentes formatas accipiunt ab Epiſcopo Arelatenſi, 42. *b.* &c.

Galliarum Epiſcopi aliqui fidem naturæ eſſe ſentiebant, non gratiæ, 223. *b.* Synodum in Gallia celebrari iuſſit Gregorius, & tria ſub anathemate damnari, ſimoniam, laicorum repentinas promotiones, & extranearum mulierum cohabitationem, 434. *c.* 437. *b. c.* &c.

Gargariũm locus territorij Arelatenſis, 42. *c.*

Genaua in diuiſione prouinciæ Viẽnenſi Epiſcopo relicta, 91. *c.* 186. *b.* Genauenſes Epiſcopi, Maximus, 201. *c.* Pappulus, 286. *a.* Salonius, 327. *c.* 352. *b.* Cariatto, 380. *b.* 390. *b.* Appellinus, 477. Pappolus, 493. *c.*

Gẽtiles ſi in infirmitate credere velint, manus eis imponenda. *Arel. I. c.* 6. *p.* 6. Gentiliũ more ad caput feræ vel pecudis iurare Chriſtiano non licet. *Aur. IV.* 16. 264. Gentiles ſi fuerint domini ſeruorum qui ad Eccleſiam confugiunt, pro eis ſacramenta dent Chriſtiani. *Aur. V. c.* 22. 283. Gentilibus Chriſtiani ne vendantur. *Rem. c.* 11. 482.

Germaniæ II. caſtra, 11. *b.* in Germania Epiſcopales ſedes tres à Bonifacio cõſtitutæ, 519. *c.* 533. *a.* 536. *c.*

Germanus Autiſiodorenſis Epiſcopus in Synodo damnationis Chelidonij Epiſcopi, 79. *b.* in Britanniam miſſus contra Pelagianos, 86. *c.*

Germanus Pariſienſis Epiſcopus Brunichildẽ per litteras hortatur, vt Sigibertum regem reuocet à conſilio belli quod fratri inferebat, 355.

Glannatenſes Epiſcopi, Claudius, 269. *c.* Baſilius, 285. *b.* 291. *c.* Promotus, 352. *c.* Agræcius, 390. *b.*

Gloria poſt vnumquemque pſalmum dicatur, & per interualla in pſalmis maioribus. *Narb. c.* 2. 480. Poſt Gloria dicendum Sicut in principio, propter hæreticos. *Vaſen. II. c.* 5. 227.

Gothi Apoſtolis, tametſi ab illorum fide auerſi, & reliquiis eorum venerationẽ impendunt, 333. *b.* Gothorum baſilicas ab eis receptas ritu catholico conſecrari placuit Cõcilio Aur. I. *c.* 10. 180.

Grabatarij, quibus mors vicina eſt, ſine mora baptizandi. *Autiſ. c.* 18. 364.

Græci Epiſcopi diuites & opulentas habent Eccleſias, & ne his careant, quicquid ab eis quæſitum fuerit, principibus conſentiunt, 295. *b.*

Grammaticam docens Epiſcopus reprehenditur à S. Gregorio, 451. *a.*

GRATIA Dei boni fiunt homines, 61. *a.* Gratia

Index Prior Tomi I.

Dei ad ſuperandas Diaboli inſidias neceſſaria, 61.*b.* omnis ſancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo eſt, 62.*b.* 64.*a.* non ſolùm ad remiſſionem peccatorum valet, ſed etiam adiuuat ne cõmittantur, & vt lex impleatur, 62.*c.* gratiam Dei reſonant omnes orationes Eccleſiæ, 63.*b.*

Gratia Dei non confertur ad inuocationem humanam, ſed ipſa facit vt inuocetur à nobis. *Arau. II.* c. 3. 216. gratia Dei facit vt credamus, petamus, & alia omnia ſicut oportet agere valeamus *Ibid. c.* 6. 217. gratiæ Dei dono initium fidei eſt in nobis. *Ibid.* c. 5. gratiam merita bonorum operum præcedunt, ſed gratia præcedit vt fiant. *Ibid c.* 18 219.

Gratianopolis in diuiſione prouinciæ Viennenſi Epiſcopo relicta, 91.*c.* 186.*a.* Gratianopolitani Epiſcopi, Domninus, 21.*c.* Victurius, 201.*b.* Vrſulus, 157.*b.* Syagrius, 302.*c.* 327.*b.* Heſychius ſiue Iſitius, 352.*a.* 375.*a.* 377.*c.* 389.*b.* Clarus, 494.*a.*

Grauio, qui defenſor eſt Eccleſiæ, ſollicitudinem gerat cum Epiſcopo ne populus paganias faciat. *Liptin. c.* 5. 539.

Gregorius Epiſcopus Turonenſis in Concilio Pariſienſi in cauſa Prætextati, 358.*c.* accuſatus à Leudaſte ſacramento ſe purgat in Brennacenſi, 369.*b.*

Gregorius Papa vices ſuas in Gallia delegat Virgilio Arelatenſi, 412. 415. 416. pallium cõcedit Syagrio Auguſtodunenſi, ſtatuens vt Eccleſia eius primum in illa prouincia locũ poſt Lugdunenſem obtineat, 436.*a.* dalmaticarum vſum Aregio Epiſcopo Vappincenſi, eiúſque Archidiacono, 436.*b.* Priuilegium monaſterio S. Caſſiani Maſſiliæ, 426. monaſterio Arelatenſi ſuum confirmat, 441. *b.* locis ſacris Auguſtoduni conſtructis à Brunichilde, 463.

Gregorius idem Candidum preſbyterum rectorẽ creat patrimonij Galliarum, 417. &c. de patrimonij reditibus veſtimenta pauperum, & pueros Anglos emi iubet, 419. *b.* de iiſdem mancipia Chriſtiana redimi à Iudæis, 429.*a.*

Gregorius Auguſtinum cum alijs pro vtilitatibus animarum mittit in Angliam, 421. 424. eidem è vicino Galliæ preſbyteros adiungi vult ad conuerſionem Anglorum, 424.*c.* Laurentium preſbyterum, Mellitum abbatem, & monachos alios mittit in Angliam, 451.*b.* 454.

Gregorius non probat Iudæos ad baptiſmum vi magis quàm prædicatione perductos, 411.*b.* Serenũ Maſſilienſem arguit, quòd imagines ab Eccleſia proiecerit, 430. 431. 449. eundẽ reprehendit, quòd prauos homines in ſocietatẽ reciperet, 450. 452. Epiſcopũ etiam, qui Grãmaticam docere dicebatur, 451.*a.* Menatem & Theodorũ Epiſcopos indiſciplinatos remitti iubet in Italiã, 443.*b.* 463.*c.* Stephanum abbatem Lirinenſem excitat, admonétque ſui officij, 413. & Cononem eius ſucceſſorem, 448.*b*

Gregorius Brunichildẽ reginam laudat à recta filij educatione, 417. & ab alijs rebus paſſim, 425. 428. 438. 457. 458. 463. hortatur vt ab idolorũ cultu ſubditos ſuos reuocet, 430.*a.* vt corrigantur impudici Epiſcopi, 460.*a.b.* Childebertum regẽ præ ceteris extollit, 418.*b.* Theodeberto & Theoderico regibus ſcribit vt reſtituãtur parochiæ ſuæ Epiſcopo Taurinẽſi, 445.*c*

Gregorius Synodum in Gallia fieri iubet de tribus capitibus, ſimonia, neophytis non ordinãdis Epiſcopis, & de mulierum cohabitatione, 434.*c.* 439.*a.* 440. 451. &c. ſimoniam in Gallia vitandam ſcribit Virgilio Arelat. 413.*b.* 416.*c.* 419.*b.* ne ex laicis ſubitò fiant Epiſcopi, Virgilio eidem, 410. *c.* 416.*b.* 429.*b.* 433. *b.* 438. *b.* Brunichildi, 440.*b.*

Gregorius II. Papa Bonifacium preſbyterum mittit ad prædicandũ gentibus, 511.*b.* eundem Romæ ordinat Epiſcopum, & varias pro eo epiſtolas ſcribit ad diuerſos, 512. 513. 514. &c. Bonifacij inquiſitionibus reſpondet, 519.

Gregorius III. Papa palliũ mittit Bonifacio, 521.*a.* eius inquiſitionibus reſpondet, 521.*b.* auxilia petit à Carolo Maiore domus cõtra Lõgobardos, 525.*b.* 527.*a.* Kalendarũ Ianuariarũ ſuperſtitioſam obſeruationẽ Romæ ſuſtulit, 535.*a.*

Guntramnus rex Synodum Lugduni congregari iubet contra Salonium & Sagittarium Epiſcopos, 328. alteram Cabillone contra eoſdem, 368. ea quæ Eccleſiis ipſe vel vxor & filiæ donarant in Synodo Valentina confirmari poſtulat, 379. *b.* eius regni Epiſcopi omnes in Concilio Matiſcon. II. 381.*b.* Guntramni regis præceptio de ceſſatione operis corporalis diebus Dominicis, & reliquis ſolennitatibus, 390.*c.* eiuſdem adlocutio ad Epiſcopos & optimates, cùm Duces quidam rem bellicam malè adminiſtraſſent, 392. pactio cum Childeberto nepote apud Andelaum, 393. Clotarium regem Chilperici filium excipit de ſacro lauacro, 410

H.

Habitum nouum ab Epiſcopis quibuſdam in Gallia induci non probat Cæleſtinus, 55.*c.* veſtimenta clericis, niſi quæ religionem deceant, habere non licet. *Agath. c.* 20. 165. nullus clericus ſagum aut veſtimenta ſæcularia induere præſumat. *Mat. I. c.* 5. 372. veſtimenta purpurea interdicit. *Narb. c.* 1. 400. Preſbyteri & diaconi ſagis laicorum more non vtantur, ſed caſulis. *Liptin. c.* 536. clerici habitum laicorum non portent. *Sueſſ. c.* 3. 544. Epiſcopus ſecundum dignitatem ſuam indumentis vtatur: ſimili modo & preſbyteri cardinales, &c. Zacharias, 564.

Hæreticis conuerſis & baptizatis manus tantùm imponenda vt accipiant Spiritum ſanctum. *Arel. I. c.* 8. 6. venientes à Nouatianis & Montẽſibus quomodo recipiendi ſint, 32.*b.* Photiniaci ſiue Pauhaniſtæ baptizandi ſunt. *Arel. II. c.* 16. 105. non item Bonoſiaci. *Ibid. c.* 17. qui in morte conuertuntur poſſunt à preſbyteris, ſi Epiſcopus deſit, chriſmate conſignari. *Arau. I. c.* 1. 106.*a.* *Epaon. c* 16. 197.

Hæretici clerici ad fidem catholicam ſi venerint, officium quo eos Epiſcopus dignos eſſe cẽſuerit, cum impoſitæ manus benedictione ſuſcipiant. *Aur. I. c.* 10. 180. hæretici Epiſcopi dãnata Priſciliani hæreſi cum ſceleribus ſuis recepti in Concilio Toletano, 39.*a.b.* 40.*a.*

Hæretici clerici conuiuio ſi clerici interfuerint ſuperioris loci, anni ſpatio pacem Eccleſiæ nõ habebunt, iuniores ſi præſumpſerint, vapulabunt. *Epaon. c.* 15. 197. cum hæreticis non oportet miſcere connubia, niſi profiteantur ſe futuros catholicos. *Agath. c.* 67. 173.

Hæreticos Epiſcopos, Pelagiani & Cæleſtiani

dogmatis errorem ſequentes, Gallicanis regionibus expelli, & alios ordinari ſtatuit Valentinianus Cæſ.54.b. Hæreticos, ſi qui eſſent, in Gallia ab Epiſcopis perquiri, & ad fidem catholicam reuocari iuſſit Conc.Remen.c.4.480. Hæreticus monothelita Græcus in Synodo Aurelianenſi conuictus è finibus Galliæ eiectus. 485.

Hæretici. Adalbertus in Concilio Sueſſionenſi condemnatus,544.545.547. Adimãtus,210.c. Apollinariſtæ,487.c. Arriani,38.c.105.b.143.b. Arrianæ ſectæ hæreſis,21.c. Arionianitæ,16.c. Bonoſiaci,105.b.156.b. Cæleſtianum dogma, 54.b. Clemens Scotus,551.c.552.b.554.a.560.a.570.a. Dioſcorus Alexandrinus,97.c. Euphrates Epiſcopus,11.12.13. Eutyches damnatus,97.a.b.188.c.190.b.191.b.278.a.289.a.320.c.321.c. Eutychiana hæreſis,188.b.189.b. Eutychianiſtæ,487.c. Manes,210. Manichæi,16.a.48.c.487.c. Manichæa phantaſia,189.b. Manichæorum errores,209. Montenſes,32.b. Neſtorius,97.a.188.c.190.b.191.b.278.a.289.b.305.a.320.c.321.c. Neſtoriana hæreſis,305.a. Nicolaitæ,336.a. Nouatiani,32.b.104.b. Paulianiſtæ,105.b. Pelagianum dogma,54.b. Pelagiana peruerſitas,87.a. Pelagij error,216.a. Photiniaci,105.b. Priſcillianus,38.c. Priſcilliana ſuperſtitio,44.a. Priſcillianiſtæ,22. Sabellius,16.c. Samſon Scotus,572. Seueriani,487.c.

Hermes Archidiaconus Narbonenſis à Ruſtico Epiſcopo cum litteris miſſus ad Leonem Papam,111.a. à Biterrenſibus, quibus ordinatus fuerat, excluſus Narbonenſem Epiſcopatum obtinuit,128.c.129.b. ab Hilaro ita præſidere permiſſus, vt ordinandorum Epiſcoporum ei ſubtraxerit poteſtatem,130.a.b.

Hilarius Pictauorum Epiſcopus, fidelis dominici nominis prædicator,17.b. Hæreſeos Arrianæ cognitionẽ & patronos ingerit Epiſcopis in Synodo Biterrenſi,14.c. in exilium pellitur factione Saturnini Arelatenſis. *Ibid.*15.a.

Hilario Epiſcopo Narbonenſi ordinationẽ Epiſcoporũ primæ Narbonenſis, velut Arelatenſi debitam, interdicit Zoſimus,45.b.c. Eaſdem ipſi, tamquam prouinciæ illius Metropolitano, adiudicat & confirmat Bonifacius,49.50.

Hilarius Epiſcopus Arelatenſis præſidet Cõcilio Regenſi,69.b. Arauſicano I.75. Chelidonium Epiſcopum condemnat,79.b. Romam profectus cum Chelidonio Leonem Papam verbis offendit,79.c. Leonem placare per legatos nititur,80.a. à Leone in epiſtola redarguitur, & abſoluitur Chelidonius,81.82. ordinationes omnium per Gallias Eccleſiarum ſibi arrogat,79.b. Proiecto ægrotanti Epiſcopo alterũ ſubſtituit & ordinat,82.b. Viennenſis iure prouinciæ quam vſurpauerat priuatur, & ad ciuitatis ſuæ adminiſtrationem à Leone redigitur, conuentus Synodales indicere & ordinationibus intereſſe prohibetur,84.b.85. à Valentiniano Auguſto in Nouella perſtringitur,85.c.

Hilarus Papa de Pontificatus ſui primordiis ſcribit ad Leontium Arelatenſem,127. ad eumdem, de Herme Narbonenſis ciuitatis Epiſcopatum vſurpante,128.b. Concilium Romæ celebrat in ſuo natali,129.c. Hermæ Epiſcopo Narbonenſi ordinandorum Epiſcoporum adimit poteſtatem,130.a. Mamerti Viennenſis cauſam, qui Epiſcopum Dienſibus extra ſuos fines ordinarat, Synodo delegat,132.a. Dienſem Epiſcopum ab eo conſtitutum Leontij Arelatenſis arbitrio confirmandum ſtatuit, à quo debuit conſecrari,134.b.135.c.

Hiſpaniæ Eccleſiæ ſchiſmate diuiſæ ob receptos cum honoribus ſuis ab hæreſi conuerſos Priſcillianiſtas,38.39. controuerſias de cauſa religionis in Hiſpaniæ prouinciis emergentes Arelatenſi Epiſcopo cum Gallicanis delegat Symmachus PP.187. Hiſpaniæ Epiſcopos à Gallis de hæreſi in Synodo Calchedonenſi cõuicta certiores fieri iubet Leo,76.a. Hiſpaniẽſes Epiſcopi Concilio Arelat.I. ſubſcribũt,9.b

Hominem primum non à Deo factum, ſed à principibus tenebrarum, docebant Manichęi,210.a. hominis ſubſtantiam ex ſubſtantia Dei eſſe aiebant, corpus à principe tenebrarum,211.a.

Homicidæ à communione Eccleſiaſtica ſubmouendi, niſi pœnitentiæ ſatisfactione crimen diluerint. *Ven.c.1.138. Tur.I.c.7.125.* & ſi à principibus abſoluantur, pœnitẽtia tamen à ſacerdotibus diſtringendi ſunt. *Aur.IV.c.28.266.* ſi quis homicidium ſponte cõmiſerit, & non violentię reſiſtens, cum iſto penitus non cõmunicandum: ſic tamen vt ſi pœnitentiam egerit, in exitu ei viaticum non negetur. *Rem.c.*9.481. qui patrem, matrem, fratrem aut ſororem occiderit, corpus Dominicum, niſi in ſuo exitu non accipiat, abſtineat à carne & vino, dum vixerit, & tribus feriis ieiunet. *Gregorius III.*522.b. qui ſeipſos occidunt, iſtorum oblatio non recipiatur. *Autiſ.c.*17.263. Homicidæ ad Eccleſiam confugientes,178.b. Homicidarum pœnitentia,199.c.

Homouſiou ſermo ad veram & legitimam ex Deo patre vnigeniti natiuitatem,16.c.

Hormiſdæ Papę epiſtola ad Cæſarium,188. ad Auitum Viennenſem,191.

Hoſpitalitas Epiſcopis & omnibus fidelibus ſectanda. *Mat.II.c.11.386.*

Hoſtem Abbates non faciant, ſed homines ſuos tranſmittant. *Sueſſion.c.3.544.* clerici in hoſtem non pergant. *Liptin.c.538.b.*

Hymni matutini & veſpertini omnibus diebus decantentur, & poſt hymnos capitella de pſalmis. *Agath.c.*30.167. præter hymnos Ambroſianos, alios etiam, qui digni ſint cantari, recipi placuit auctorum nominibus prænotatos. *Tur.II.c.23.341.*

Hymnis & laudibus Dei animo corporéque intenti eſſe omnes debent die Dominico. *Mat.II.c.1.*382. ſex diebus hymnis Paſchalibus indulgere. *Ibid.c.2.*383. decantatis hymnis nocturnalibus,359.b.

I.

IDOLA qui adorauerint ad communionem niſi per pœnitentiam publicam non admittẽdi. *Leo* 115.c. idola de agris, Epiſcopis admonẽtib., abiici cõſtitutione ſua præcipit Childebertus,300.b. Epiſcopus cum Comite ſollicitudinem gerat vt populus Dei paganias non faciat. *Lipt.c.5.539. Sueſſ.c.6.545.* Epiſcopus reus eſt ſacrilegij, ſi prohibere in territorio ſuo neglexerit eos qui faculas accendunt, aut arbores, fontes,

vel ſaxa venerantur. *Aur.II.c.*23.106. paſtores & preſbyteri ab Eccleſia repellant eos qui gentilium obſeruationes cuſtodiunt. *Tur.II.c.*22.541. hortatur Brunichildem Gregorius, vt ſubiectos ſibi ab idolorum & dæmonum culturis reſtringat, 430.*a.*

Idololatræ, vel immolantibus qui ſe immiſcent, pœnitentiæ dignum tempus exſoluant. *Rem.c.*14.482. non licet inter ſentes, aut ad arbores ſacriuos, vel ad fontes vota exſoluere. *Autiſ.c.*3.362. qui paganas obſeruationes in aliqua re fecerit, mulietur & damnetur xv. ſolidis. *Lipt.c.*4.541. ad idolorum cultum reuertentes Chriſtiani ab Eccleſiæ cœtibus arceantur. *Aur.II.c.*20.231. de iis qui Kalendas Ianuarias colunt. *Tur.II.c.*22.340.

Idolothytis, ſeu eſcis immolatitiis, qui vſi ſunt poſſunt ieiuniis & manus impoſitione purgati. *Leo* 115.*c.* qui cibis idolorum cultibus immolatis vtuntur, ab Eccleſiæ cœtibus arceantur. *Aur.I.c.*20. 231. dæmonibus immolata qui edunt, à communione catholica ſuſpēdantur. *Aur.IV.c.*15.263. qui ſuperſtitioſos cum paganis edunt cibos, pœnitentiæ dignum tempus exſoluant. *Rem.c.*14.481. eſcas immolatitias ſuperducto crucis ſigno edi licere negat Gregorius II. 519.*c.*

Ieiunandum etiam die ſabbato in Quadrageſima. *Agath.c.*54.164. ieiunium tridoanum ante Aſcenſionem Domini ſeruandum in Rogationibus. *Aur.I.c.*27.182. ieiuniis & manus impoſitione purgantur, qui eſcis immolatitiis vſi ſunt. *Leo* 115.*c.*

Ieiunia monachorum per anni circolum obſeruāda. *Tur.II.c.*17.354. clericis à feria S. Martini ad Natale Domini ter in hebdomada ieiunandum, & ſacrificia Quadrageſimali ordine celebranda. *Mat.I.c.*9.372.

Ieiunium triduanum toto vitæ tempore parricidis indictum à Gregorio III. 522.*b.* lapſis in hæreſim triduanum biennij ſpatio agendum. *Epaon.c.*29.199.172.

Ieiunium cum omni domo ſua celebrat Riguntis regina pro Gregorio Turonenſi, cùm in iudicio verſaretur, 369.*b.*

Illyrici Epiſcopi, damnata Eutychis, & Neſtorij hæreſi, ad communionem redeunt ſedis Apoſtolicæ, 188.*c.*192.*b.*193.*a.*

Imagines ſacræ in Eccleſia ſeruandæ, populus ab earum adoratu illicito prohibendus. *Gregorius Sereno Maſsil.* 431.*a.*443.*c.*450.*a.*

Immunitas clericis & agris Eccleſiæ à regibus conceſſa, 179.*b.*318.*c.*501.*b.*

Inceſtas copulationes catholica deteſtatur atque abominatur Eccleſia. *Mat.II.c.*18.388.

Inceſtæ coniunctiones prohibitæ in foturum, atque emendati & diſſolui iuſſæ. *Epaon.c.*30. 199. *Agath.c.*61.172. *Aur.I.c.*18.181. *Lugd.I.c.*1.202. *Aruern.c.*12.243. *Aur.III.c.*10. 251. *Aur.IV.c.*27.266. *Par.III.c.*4.315. *Tur.II.c.*21.340. *Autiſ.c.*27. & ſeqq. 365. *Lugd.III.c.*4.378. *Mat.II.c.*18.388. *Par.V.c.*14.474. *Rem.c.*8.481. *Liptin.c.*3.541. anteriùs contractæ non ſoluuntur. *Epaon.c.*30.199.172. in iis nimirum qui ante baptiſmum contraxerant, aut quibus canonum ſtatuta in notitiam non venerant. *Aur.III.c.*10. 251. vtrum per ignorantiam an per contumaciam lapſi ſint, in Epiſcoporum eſt diſcuſſione, *Ibid.*

Inceſti ſunt qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, duxerint vxorem vel polluerint. *Agath.c.*61.172.

Inceſti, præter eos quos vel nominare funeſtum eſt, hi cenſentur: ſi quis relictam fratris, vel germanam vxoris, vel nouercam, vel conſobrinam, ſobrinámve, vel relictam auunculi aut patrui, vel priuignam duxerit. *Epaon.c.*30.199. *Agath.c.*61.172. *Aruer.c.*12.243. *Aur.III.c.*10.251. *Par.III.c.*4.315. *Autiſ.c.*27. & ſeqq. 365. *Par.V.c.*14.474. ſi nurum ſuam, materteram, amitam, vel filiam priuignæ. *Aur.III.ibid.* ſi ſororem vxoris, 589.*c.* ſi vxorem auunculi, 590.*c.*

Inceſtis grauiores pœnas promittit Eccleſia. *Mat.I.c.*18.388. nihil veniæ reſeruatur, niſi adulterium ſeparatione ſanauerint. *Epaon.c.*30.199. vſque ad ſatisfactionem inter catechumenos manere & orare iuſſi. *Agath.c.*61. 172. Eccleſiaſtica diſtrictione feriri. *Aur.I.c.*18.181. Eccleſiæ communione priuantur. *Aruern.c.*12.243. *Aur.III.c.*10.251. *Tur.II.c.*21. 340. *Rem.c.*8.481. neque in palatio militiam, neque agendarum cauſarum licentiam habent. *Ibid.* inceſta matrimonia Epiſcoporum iudicio prohibenda & emendanda. *Lipt.c.*3.541. inceſtos Epiſcopi & preſbyteri denuntient regi vel iudicibus, vt rebus ſuis careant vſque ad ſeparationem. *Rem.c.*8.481. qui nouercæ ſuæ, id eſt vxori patris, ſe ſociarit, anathematis ſupplicio feriatur. *Aur.II.c.*10. 230.

Inceſtis poſt ſeparationem aliud matrimonium iure licet. *Epaon.c.*30.199. *Agath.c.*61.172. de inceſtis coniunctionibus vetera ſtatuta, tum ſacræ ſcripturæ, tum canonum & legum, recitantur in Concilio *Tur.II.c.*21.338.

Inceſti crimine pollutus Stephanus, qui Palladiam prioris ſuæ coniugis ſororem duxerat, cum eadem damnatur, & pœnitentiæ ſubiicitur in Concilio Lugd. I.c.1.& 6.202. de pœnitentia eius, qui fratris ſui vxorem ſibi copularat, reſpondet Vigilius Cæſario, 246.*b.* Franci quidam ob inceſtas nuptias à Nicetio Treuirenſi excommunicati, 292.*c.* Prætextato Epiſcopo crimini datum, quòd Merouæum Chilperici filium cum amita, id eſt patrui ſui vxore, contra canonum ſtatuta copularat, 357.*c.* inceſtum matrimonium eius, qui viduam auunculi ſui duxerat, dirimi iuſſit Zacharias, 531.*a.*534.*b.* viduam fratris defuncti ducere licere aiebat Clemens Scotus, Iudaiſmum inducens, 553.*c.*

Infirmis qui credere volunt manus imponenda. *Arel.I.c.*6.6. morientibus pœnitentia non neganda, 56.*b.* ſubitò obmuteſcens baptizari aut pœnitentiam, prout ſtatus eſt, accipere poteſt. *Arau.I.c.*12. 72. infirmi, ſi acceptam pœnitentiam agere poſtea nolint, non deſerendi, ſed cohortationibus incitandi, 113.*c.* his qui accepta pœnitentia in extremis periclitantur qua ratione communicandum. *Arel.II.c.*28. 107.

Ingenuus Epiſcopus Ebredunenſis, legatus Epi-

Google

ſcoporum Galliæ ad Leonem Papam, 96.c. Alpiam maritimarum prouinciæ Metropolitanus, 135.c. eius cum Auxanio Epiſcopo controuerſiam delegat Hilarus cognoſcendam tribus Epiſcopis, 135.c.

Innocentij Papæ epiſtola ad Victricium, 30.336.b. 566.b. 567.b.c. ad Exoperium, 34. ad Epiſcopos Synodi Toletanæ, 38. ad Concilium Carthaginienſe, 61.a.b. ad Conc. Mileutanum, 61.c.

Inſtantius Epiſcopus Priſcillianiſta gradu deiectus à Synodo Burdigalenſi, 22.b.

Interceſſio promiſſa pro iis qui ad Eccleſiam confugiunt, 107.b.

Internuptæ, iterum nuptæ, 18.c. 79.b. 125.a. 161.c. 169.c. 208.a. 231.c. 262.c. internupta & duplicata matrimonia, 109.b.

Ioannis Epiſcopi Cabilonenſis electio, 141.

Ioannis II. Papæ epiſtola ad Cæſarium de Contumelioſo Epiſcopo, cum canonibus ad examinandam eius cauſam ſpectantibus, 232.233. ad Epiſcopos Galliæ, de Viſitatore conſtituendo in Eccleſia Contumelioſi, 237.

Ioannes III. Papa Salonium & Sagittarium Epiſcopos ſuis gradibus reſtitui iubet, vnde à Synodo fuerant deiecti, 328.b.

Irenæi geſta vel ſcripta, Epiſcopi Lugdunenſis rogatu, quærit Gregorius, & inuenire non valet, 453.b.

Ithacios Epiſcopus accuſator Priſcilliani à Martino vitatur, 23.24. Ithacium cum ſociis vi regia tuetus Maximus Imp. 23.c.

Iubileus annorum numero Remigius, 205.

IVDÆI militare & cauſas agere, aut Chriſtiana mancipia habere, prohibiti Nouella Valentiniani Cæſ. 54.c. Chriſtianis populis iudices ne præponantur. *Aruern.* c. 9. 243. *Mat. I.* c. 13. 373. nec telonarij eſſe permittantur. *Ibid.* nollam militiam, aut actionem publicam ſuper Chriſtianos petere à principe, aut agere præſumant. *Par. V.* c. 15. 474. *Clotar. II.* 475.b. ad nullas actiones publicas admittantur. *Rem.* c. 11. 482.

Iudæi à die cœnæ Domini vſque ad ſecundam Paſchæ, id eſt quatriduo, procedere inter Chriſtianos per plateas aut forum non præſumant. *Aur. III.* c. 30. 256. *Mat. I.* c. 14. 373. reuerentiam ſacerdotibus Domini & clericis impendant, nec ante ſacerdotes conſeſſum, niſi iuſſi, habere præſumant. *Ibid.* puellas intra monaſterium Deo dicatas ſecretiùs alloqui, vel moras ibi habere, non præſumant. *Mat. I.* c. 2. 371. Chriſtianos ad Iudaicam ſuperſtitionem ne adducant. *Aur. IV.* c. 31. 267. Iudæis non licet corpus defuncti deducere pſallendo. *Narb.* c. 9. 401.

Iudæi mancipia Chriſtiana habere prohibiti, 54.c. vt poſſidere in Gallia prohibeantur, regibus ſuadet S. Gregorius, 439.b. 440.c. Iudæi ſi quid mãcipiis Chriſtianis, quod religio Chriſtiana vetat, impoſuerint, redimantur. *Aur. III.* c. 13. 252. Iudæus ſi Chriſtianum mancipium ad Iudaicum errorem pertraxerit, mancipio careat. *Mat. I.* c. 16. 374. Iudæi ſi Chriſtiana mancipia ad Iudaiſmum vocare præſumpſerint, aut grauibus tormentis affixerint, mancipia fiſci conditionibus reuocentur. *Rem.* c. 11. 482. Iudæus ſi Chriſtianam ancillam ſibi ſociarit, vel ſi de Chriſtianis natum Iudæum ſub promiſſione fecerit libertatis, manciþiorum amiſſione multatur. *Aur. IV.* c. 31. 267. mancipia Chriſtiana ſi ſeruire Iudæis noluerint, taxato & oblato à fidelibus iuſto pretio liberentur. *Aur. IV.* c. 30. 266. nullus Chriſtianus Iudæo deinceps ſeruire cogatur, ſed datis pro quolibet mancipio XII. ſolidis à quocumque Chriſtiano redimi liceat. *Mat. I.* c. 16. 373. Chriſtianos de captiuitate redemptos à Iudæis, de Iudæorum in Gallia ſeruitio redimi iubet S. Gregorius, 427. Iudæis Chriſtianos à Chriſtianis vendi vetat, & venditionem firmitate carituram ſtatuit Concilium Remenſe c. 11. 482.

Iudæorum conuiuia clerici omnes euitent, nec eos ad conuiuium quiſquam excipiat. *Ven.* c. 12. 139. clerici, ſiue laici. *Agath.* c. 40. 169. *Epaon.* c. 15. 197. cum clerico panem non comedat quiſquis Iudæorum fuerit conuiuio inquinatus. *Epaon. ibid.* Chriſtianis conuiuia interdicimus Iudæorum: qui in his fuiſſe probantur, annuali excommunicationi ſubiacebunt. *Aur. III.* c. 13. 252. nullus Chriſtianus Iudæorum conuiuiis participare præſumat: clericus aut ſæcularis qui præſumpſerit, ab omni Chriſtianorum conſortio arceatur. *Mat. I.* c. 15. 373.

Iudæorum coniugiis Chriſtiani ne miſceantur, ſi fecerint, vſque ad ſequeſtrationem à communione pellantur. *Aur. III.* c. 13. 252. nec Chriſtianus Iudæã, nec Iudæus Chriſtianam in matrimonio ducat vxorem: ſi ſeparare ſe diſtuleſint, à communionis gratia ſunt ſubmouendi. *Aur. II.* c. 19. 231. *Aruern.* c. 6. 242.

Iudæi ad baptiſmum nõ vi ſed prædicatione perducendi, 411.b. pro Iudæis orat Eccleſia, vt eis lux veritatis appareat, 63.b. ſi ad catholicam fidem venire voluerint, octo menſibus inter catechumenos verſentur, & tum demum baptiſmatis gratiam mereantur. *Agath.* c. 34. 168.

Iudex ſi contra legem aliquem iniuſtè damnauerit, in regis abſentia ab Epiſcopis caſtigetur, & emendare procuret. *Clotar.* 318.b. nulla ſententia iudicum vim firmitatis obtineat, quæ modũ legis atque æquitatis excedat. *Ibid.* 318.b. Iudices aut potentes qui pauperes opprimunt, ſi commoniti ab Epiſcopo ſuo ſe non emendauerint, excommunicentur. *Tur. II.* c. 26. 342.

Iudex de aliis prouinciis in alia loca nullus ordinetur, vt ſi quid mali perpetrauerit, de propriis rebus debeat reſtituere. *Clotar. II.* 475.c. Epiſcopi vel potentes, qui in aliis poſſident regionibus, iudices vel miſſos diſcuſſores de loco ipſo inſtituant. *Ibid.* 476.

Iudices non priùs viduas & pupillos conueniant, quàm Epiſcopo nuntiarint. *Mat. II.* c. 12. 386. Iudex ſi auxilium dare noluerit ad monachum ab vxore malè ſociata ſeparandum, excommunicetur. *Tur. II.* c. 15. 334. iudex ciuitatis aut loci, qui hæreticum catholicos rebaptizantem ad regis iuſtitiam non adduxerit vt diſtringatur, annuali excommunicationi ſubdatur. *Aur. III.* c. 31. 256.

Iudex publicus, quoties inter clericum & ſæcularem vertitur cauſatio, abſque presbytero vel Archidiacono audire negotium non præſumat. *Aur. IV. c.* 20. 264. Iudex clericum abſq; cauſa criminali, id eſt pro homicidio, furto, aut maleficio ſi diſtrinxerit, ab Eccleſiæ liminibus, quantum Epiſcopo loci viſum fuerit, arceatur. *Mat. I. c.* 7. 371. nullus iudicum neque presbyterum, neque diaconum, vel clericum vllum, aut iuniores Eccleſiæ, ſine ſcientia Pontificis per ſe diſtringat, aut damnare præſumat. *Par. V. c.* 4. 471. *Autiſ. c.* 43. 366. nullus iudicum de quolibet ordine clericos de ciuilibus cauſis, præter criminalia negotia, per ſe diſtringere aut damnare præſumat. Qui verò conuicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones diſtringãtur, & cum pontificibus examinentur. *Clotar. II.* 475. *b.* ſi quis iudex pro quibuſlibet cauſis abſque conſcientia & permiſſu Epiſcopi clericum cuiuſlibet ordinis diſtringere aut iniuriis afficere præſumpſerit, communione priuetur. *Rem. c.* 6. 481.

Iudices publici per parochias & monaſteria illicita præſumptione, niſi Epiſcopi vel Archidiaconi inuitatione, non diſcurrant, nec aliquid præſumant. *Cab. c.* 11. 491. ſi quis iudicum clericos publicis actionibus applicare præſumpſerit, cognoſcat ſe pacem Eccleſiæ non habere. *Aur. IV. c.* 13. 263. *Rem. c.* 6. 481.

Iudices ad ſæculares, ſi cauſa inter clericos orta fuerit, inuito Epiſcopo ne deferatur, ſed Epiſcoporum iudicio terminetur. *Arel. II. c.* 31. 107. V. *Clerici.*

Iudicium qui ſubterfugit de omnibus confitetur, 48. *b.* 49. *b.*

Iuliobona. Betto Epiſcopus de Iuliobona, 494. *b*

Iuniores clerici, & ſeniores, 299. *b.* clericorum turba iuniorum, 333. *b.* iunioris ordinis clerici, 472. iuniores Eccleſiæ, 471. cuilibet de clero, aut de iunioribus, 366. *b.* Archipreſbyter ſuper iuniores ſuos, 336. iuniores lectores, 226.

Iuniores, miniſtri iudicum, 517. *c.*

Iurare gentilium more ad caput pecudis, & inuocatis numinibus paganorum, Chriſtiano non licet. *Aur. IV. c.* 16. 264. Gentilis, qui ſeruum repetit confugientem ad Eccleſiam, Chriſtianos requirat, qui pro ipſo præbeant ſacramenta. *Aur. V. c.* 22. 284. iurant reges in pactione apud Andelaum per Dei omnipotentis nomen & inſeparabilem Trinitatem, vel diuina omnia, 395. *c.*

Iuſtianenſis, vel Iuſtinianenſis Eccleſia in territorio Arauſico, 70. *a.* Synodus Iuſtianenſis, 234. *b.*

Iuſtinianus Imperator in hæreſim lapſus, 320. *b. c.*

K.

KALENDAS Ianuarias errore antiquo qui colunt, integri Chriſtiani dici non poſſunt. *Tur. II. c.* 22. 340. quibus modis Romæ à quibuſdam paganorum cõſuetudine celebratæ, 531. *b.* ignem illo die, vel alia commoda, vicino non præſtabant. *Ibid.*

Kalendis Ianuariis non licet vetula aut ceruolo facere, aut ſtrenas diabolicas obſeruare. *Aut. c.* 1. 362. omnia beneficia, ſicut & relquis diebus, tribuenda. *Ibid.*

Kalendis Ianuariis ad calcandam gentilium conſuetudinem priuatæ per triduum litaniæ inſtitutæ. *Tur. II. c.* 17. 334. Gentilium ritus, qui Kalendis Ianuariis Romæ inualuerant, à Gregorio III. abrogati, 534. *c.*

Kyrie eleiſon placuit in omnibus Eccleſiis ad Matutinos, & ad Miſſas, & ad Veſperam intromitti. *Vaſen. II. c.* 3. 226.

L.

LACTORENSES Epiſcopi. *Vigilius* 174. *b.* Aletius, 285. *c.*

Laici homines legitimè viuant, fornicationes diuerſas, periuria, & falſa teſtimonia fugiant, & Eccleſiam Dei in omni neceſſitate conſeruent. *Sueſſ. c.* 4. 544. inter clericos ad vigilias & Miſſas ſtare non præſumant. *Tur. II. c.* 4. 331. ad orandum verò & communicandum laicis & feminis pateant ſancta ſanctorum. *Ibid.*

Laicis contra clericos ſi quid criminale parant obiicere, dummodo vera ſuggerant, permiſſum eſt proponere. *Epaon. c.* 24. 198. laicus qui preſbytero crimen intenderat, Epiſcopi ſententia multatus. *Taur. c.* 4. 29. laico non licet clericum inconſulto Epiſcopo ad ſæculare iudicium exhibere. *Aur. III. c.* 32. 256.

Laicus in parochiis Archipreſbyter non præponendus. *Rem. c.* 9. 483.

Laici niſi religione præmiſſa clerici non ordinandi. *Epaon. c.* 37. 200. ad ſacratos ordines non aggregandi. *Vigilius PP.* 273. non facilè ad ſacerdotium permittendi accedere, ſed per tempora & gradus conſtitutos. *Symmachus PP.* 185. *b.* non licet ex laica conuerſatione ad officium ſacerdotale ante probationem temere promoueri. *Felix IV.* 214. *Gregorius PP.* 413. *a.* 416. *b.* 429. *b.* laicus ante præmiſſam conuerſionem Epiſcopatus vel preſbyterij honorem non accipiat. *Arel. IV. c.* 1. 207. non fiat Epiſcopus, preſbyter, aut diaconus, niſi anno integro ab eis præmiſſa conuerſio. *Ibid. c.* 3. 208. nullus ex laicis abſque anni conuerſione præmiſſa Epiſcopus ordinetur. *Aur. V. c.* 9. 280. nullus ex laicis ante annualem conuerſionem diaconus aut preſbyter ordinetur. *Aur. III. c.* 6. 249.

Laica conuerſatio, 185. *c.* 214. *b.* laicus habitus, 413. *c.* laica omnis multitudo monaſterij, 121. *b.*

Landericus Epiſcopus Pariſienſis priuilegium libertatis cõcedit Monaſterio S. Dionyſij, 495.

Lapſis in hæreſim pœnitentia biennij agenda eſt, ita vt tertia die ieiunent, & exeant cum catechumenis. *Epaon. c.* 29. 199. in poteſtate ſit Epiſcopi, quando eos viderit dignam pœnitentiam agere, quando vel qualiter cõmunioni priſtinæ reformentur. *Aur. IV. c.* 8. 262.

Lapſi à fide, qui poſt baptiſmum ſacrificarint, vſque in diem mortis pœnitentiam agunt. *Valent. c.* 3. 19. pœnitentia eorum qui voluntariè fidem negauerunt. *Arl. II. c.* 10. 104. pœnitentia eorum, qui dolore victi & pondere perſecutionis negare vel ſacrificare compulſi ſunt.

Ibid. c. 11. de his qui in Deum à fide diſcedendo peccauerunt, ſeruanda regula canonum paternorum. *Leo Theodoro* 101.

Lardi eſus cocti vel incocti, 580.*b.*

Laudunum, ſeu Lugdunum clauatum. Laudunenſes Epiſcopi, Gennobaudus, 286.*c.* Chainoaldus II. 480.*a.* Genebaudus, II.549.

Lauſanenſis Epiſcopus Atticus, 494. *a.*

Lazarus Epiſcopus in Concilio Taurinenſi pro calumniatore damnatus, cùm Briccij vitam falſis obiectionibus appeteret, 43.*c.* vitæ ſuæ conſcientia ſacerdotium datis literis abdicauit. *Ibid.*

Lector Eccleſiæ Maſſilienſis Nazarius in Concilio Arel. I.c.8.*b.* Eccleſiæ Baſtigenſis victor, in eodem, 9.*a.* Eccleſiæ Cabillonenſis Ioannes, 141. *b.* Eccleſiæ Pariſienſis Auſtrolenus, 497.*c.* Rotomagenſis Eccleſiæ Ragnomirus, 509. *c.*

Lectores de numero canonicorum, 335.*c.* in pſallentium choro, 336.*a.* primicerius ſcholæ clariſſimæ, militiæque lectorum, 205.*c.*

Lectores iuniores à presbyteris domi nutriendi & erudiendi. *Vaſen.II. c.*1. 226.

Lectores licitè vxores ducere & filios procreare poſſunt, *Leo PP.* 112.*c. Vaſen. II.* c.1.226. antequam Miſſa conſummetur, alba ſe exuere non præſumant. *Narb.c.*12.402.

Lectorem alienum ſine ſui ceſſione Pontificis promouere, vel ſibi vendicare, non licet. *Aur. V.c.*5.279.

Legati Francorum regis Conſtantinopolim miſſi à clericis Romanis per literas rogati vt Vigilio Papæ ibi auxilio ſint, 294.

Lemouicenſes Epiſcopi Ruricius, 268.*b.* 286.*c.* Ferreolus, 389.*c.* Felix, 494.*c.*

Leo Papa epiſtolam ſcribit ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ contra Hilarium Arelatenſem, 80. reſcindit iudicium Hilarij, & abſoluit Chelidonium, 82. *a. b.* approbat ordinationem Rauennij Arelatenſis, 87. vagum hominem, qui ſe diaconum iactabat, ab omnium Eccleſiarum communione pelli iubet, 88.*c.* Viennenſem prouinciam in duas diuidit, 91. *b. c.* epiſtolam ſuam ad Flauianum Epiſcopis Galliæ mittit, vt omnibus innoteſcat, 92.*b.* ad eoſdem mittit ſententiam Synodi Calchedonenſis contra Dioſcorum, 98.*c.* paſcha Rauennio denuntiat anni ſequentis, 99. *c.* Theodoro Forolulienſi reſcribit de pœnitentia in exitu vitæ, 100. Ruſtico Narbonenſi diſſuadet ne abdicet Epiſcopatum, eiúſque Inquiſitionibus reſpondet, 111. Leonis tomum de fide per omnia ſe tenere profitetur Pelagius PP. 310.*b.*

Leonis Epiſcopi Bituricenſis, & aliorum, epiſtola ad Epiſcopos prouinciæ Lugdunenſis III. vt clerici ſæcularia iudicia non expetant, 119.

Leonis Epiſcopi Senonenſis epiſtola ad Childebertum regem, qua Epiſcopum Mecledone ordinari vetat, 258.

Leodegarij Epiſcopi canones Auguſtodunenſes 506. idem Ebroini factione capitis damnatur in Concilio Villæ regiæ, 510.

Leontio Epiſcopo Forolulienſi, propter antiquitatem ſacerdotij, delatum à Leone, vt præter eius conſenſum Concilium prouinciæ non indicatur, 85. *b.*

Leontius Epiſcopus Arelatenſis Concilia ex quibus potuerit prouinciis congregare iubetur ab Hilaro PP. 130. *c.* 132. *a.* Concilium celebrat aduerſus Prædeſtinatianos, 147.

Leontius Epiſcopus Burdegalenſis mille aureis multatus à Chariberto rege, quia Epiſcopum iuſſu Clotarij apud Santones ordinatum remouerat, 319. 320.

Leporij monachi Deum hominem factum negantis libellus emendationis ad Gallos Epiſcopos, cum epiſtola Epiſcoporum Africæ, 51.52.53.

Leproſis tam territorij ſui, quàm ciuitatis, Epiſcopus de domo Eccleſiæ victui & veſtitui neceſſaria iuxta poſſibilitatem ſubminiſtret. *Aurel. V. c.* 21. 283. *b.* vniuſcuiuſque ciuitatis leproſi, qui intra territorium aut naſcuntur, aut conſiſtunt, ab Epiſcopo alimenta & veſtimenta accipiant, vt illis per alias ciuitates vagandi licentia denegetur. *Lugd.III.c.* 6.378.

Leproſis, ſi fideles Chriſtiani fuerint, Dominici corporis & ſanguinis participatio tribuatur: cum ſanis autem conuiuia celebrare prohibeantur. *Gregorius II.* 120.*a.b.*

Leudes alterius nullus ſollicitet, nec venientes excipiat, 395. *c.* fideles ac leodes, 475.*c.*

Leuitæ, diaconi, 32.*c.* 124.*b.* 205.*c.* 406.*c.* Leuiticę dignitatis officium, 162.*c.*

Lex Romana quos perimi iubet, ſi cupiunt audire, volumus vt conuertantur ad vitam. *Turon.II.c.*20.337.*e.* legum ſacra ſententia, 339.*a.* legem per Moyſem datam non eſſe à vero Deo datam docuerunt Manichæi, 210.*b.*

Lexouienſes Epiſcopi, Theodobaudis, 257. *b.* 269.*c.* 285.*c.* Launobodus, 494.*b.*

Liberius Præfectus prætorio Galliarum, & patricius baſilicam in ciuitate Arauſica condidit, 215. *c.* ſubſcripſit Concilio Arauſicano II. 222.*a.*

Libertæ, ſeu ingenuæ, à cellario, & ſecreto miniſterio, & manſione clericorum remouendæ. *Agath.c.*11.164. *Arel.II.* c.4.103.

Libertos de ſeruis Eccleſiæ ſi quos fecerit Epiſcopus, in ingenuitate permaneant, ita vt ab officio Eccleſiæ non recedant. *Aur.IV.c.*9. 262. libertos, quos Epiſcopus, presbyter, diaconus de Eccleſia ſibi commiſſa fecerint, actus Eccleſiæ proſequi iubemus. quòd ſi facere contempſerint, ad ſuum reuerti ſeruitium. *Agath.c.*49.170.

Liberti ſine voluntate domini, qui eos abſoluit, non ordinandi. *Aur.V.c.*6.279.

Libertos legitimè à dominis ſuis factos Eccleſia, ſi neceſſitas exegerit, tueatur. *Agath. c.* 29. 167. liberti quorumcunque ingenuorum ab Eccleſia defenſentur. *Par.V.c.* 5.471. libertorum cauſas nullus audeat pertractare, niſi Epiſcopus cuius intereſt, aut is cui idem audiendas tradiderit. *Mat.II. c.* 7.385. ſi quas contra libertos quiſpiam habet actiones, non audeat eos magiſtratui contradere, ſed in Epiſcopi tantùm iudicio litem conteſtetur. *Ibid.* libertos cuiuſcumque ingenuorum à ſacerdotibus iuxta textus chartarum ingenuitatis ſuæ defenſandos, nec abſque præſentia Epiſcopi aut præpoſiti Eccleſiæ eſſe iudicandos, vel ad publicum reuocandos. *Clotar. II.* 475. *b.* v. *Manumiſſi.*

Index Prior Tomi I.

Libero arbirrio per Chriſtum benè vtimur, 61. c 62. c. liberum arbitrium auxilio & munere Dei non aufertur, ſed liberatur, 64. a. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam baptiſmi non poteſt reparari. *Arau.* II.c.13.218.

Liberum arbitrium pet peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatū fuit, vt nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit, niſi eum gratia miſericordiæ diuinę præuenerit. *Arau.* II.c.25.220. libertas voluntatis humanæ non extincta, ſed attenuata & infirmata, 151.a.

Ligaturæ & phylacteria in brachiis & cruribus, 531.c.

Lingonenſes Epiſcopi Deſiderius, 11.b. Gregorius, 201. b.245.a.257.c. Tetricus, 285.a.302.b. 327.c. Pappolus, 353.a. Mummolus, 375.b.389. c. Modoaldus, 480.a. Bertoaldus, 493.c.

Lirinenſe monaſterium inſulæ Lirinenſis, 120. 305.c. eius abbates, Fauſtus, cuius controuerſia cū Theodoro Epiſcopo dirempta in Conc. Arel. III.121. Stephanus, 423. Cono. 446. Lirinenſes, 503.a.

Litaniæ ſeu Rogationes ante Aſcenſionem Domini quo pacto celebrandæ. *Aur.* I. c. 27.182. litaniæ prima hebdomada noni menſis, ſicut ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſiis obſeruandæ. *Lugd.* II. c. 7. 327. litaniæ priuatæ per triduum à monachis celebratæ in Kalendis Ianuariis ad calcandam gentilium conſuetudinem. *Tur.* II.c. 17.334.

Literæ commendatitiæ, quas Epiſcopi dant clericis ad alia loca commeantibus, 117.a. literæ Epiſcopi vel Metropolitani, 131.a. 253.a. commendatio, 126.b.179.c.

Literæ communicatoriæ datæ Præſidibus in prouincias euntibus, 6. a. & iis qui confeſſorum literas adferebant, 6. c.

Literæ confeſſorum, 6.c. euocatoriæ, 573. c.

Longobardorū rex Alboinus, eiúſque vxor Clodoſuinda regum Francorum ſoror, 322. 323. 324.c. à Longobardorum amicitiis ſegregari reges Francorum cupit Pelagius II. 376.c.

Lucianum locus in territorio Arauſico, 74.c.

Lucidus preſbyter è ſecta prædeſtinatorum erroris admonitus à Fauſto Reienſi eius epiſtolæ ſubſcribit, 148.c. 150.b. epiſtolam ipſe ſcribit Epiſcopis Synodi Arelatenſis, 150.c.

Lugdunenſium ciuitas, 8.c. Xenodochium in vrbe Lugdunenſi, conditum à Childeberto rege & Vltrogothone regina, 281. b. Lugdunenſis prouincia, 129.b.134.c.

Lugdunenſes Epiſcopi Vocius, 8.c. Iuſtus, 18.20. 21. Eucherius, 75.b. Veranus, 93.c.134.a.135. c. Patiens, 141. b.152.a. Viuentiolus, 201.a. 204.a. Lupus, 257. a. Sacerdos, 284.b. Nicetius, 327. Priſcus, 352.a. 375.a. 378.c. 380.a. 389.b. Ætherius, 398.c.410.b.431.b.452.c.462. a. 464. a. Theodericus, 479.c. Candericus, 493.c.

Lugdunenſe Conciliū I. ſub Sigiſmundo rege, & Viuentiolo Epiſcopo, 202. Concilium II. ſub Guntramno rege, & Nicetio Epiſcopo, 325. Concilium III. ſub eodem, & Priſco Epiſcopo, 377. Concilium Patientis Epiſcopi, 152.

